BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI DE LAMBERTINIS

QUÆSTIONES CANONICÆ

ET MORALES

IN MATERIIS

AD SACRAM CONCILII CONGREGATIONEM SPECTANTIBUS,

AB EODEM PROPOSITÆ AC DISCUSSÆ,

DUM MUNUS SECRETARII EJUSDEM CONGREGATIONIS OBIRET,

UNA CUM EARUM RESOLUTIONIBUS,

Quæ ab ipsa Sacra Congregatione prodierunt,

NUNC PRIMUM

IN UNUM CORPUS COLLECTÆ, CONSENTANEO ORDINE DIGESTÆ, ATQUE IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

TOMUS SECUNDUS.

IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI.

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OLIM

PROSPERI DE LAMBERTINIS

QUÆSTIONES CANONICÆ

ET MORALES

IN MATERIIS

AD SACRAM CONCILII CONGREGATIONEM SPECTANTIBUS,

AB EODEM PROPOSITÆ AC DISCUSSÆ,

DUM MUNUS SECRETARII EJUSDEM CONGREGATIONIS OBIRET,

UNA CUM EARUM RESOLUTIONIBUS,

Quæ ab ipsa Sacra Congregatione prodierunt,

NUNC PRIMUM

IN UNUM CORPUS COLLECTÆ, CONSENTANEO ORDINE DIGESTÆ, ATQUE IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

TOMUS SECUNDUS.

IN TYPOGRAPHIA BASSANENSI,

MDCCLXVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

QUÆSTIONES CANONICÆ

IN MATERIIS AD CONGREGATIONEM CONCILII SPECTANTIBUS

A. SS. D. N. BENEDICTO XIV.

Diſcuſſæ, dum munus Secretarii ejuſdem Congregationis obiret.

PARS SECUNDA.

QUÆSTIO CCCLXXI.

In Cauſa Oſcenſi Canonicatus Pœnitentiarii, die 15. Januarii 1724.

CUM in Cathedrali Eccleſia Oſcenſi vacaverit Canonicatus dictus *de Otto*, & de quo controvertitur inter Partes, an ſit revera, vel *nuncupative tantum* Pœnitentiarius, & ad formam Apoſtolicarum Conſtitutionum indictus fuerit Concurſus, & Emanuel Martinez Montoja magis idoneus fuerit renunciatus, ad avertendas quaſcumque Controverſias, quas excitari poſſe prævidit ex Archidiaconatu de Serablo, quem in eadem Eccleſia Oſcenſi habebat, quemque retinere intendebat una cum memorato Canonicatu, operæ pretium eſſe cenſuit habere recurſum ad Sedem Apoſtolicam, eidemque ſupplicare pro nova Canonicatus proviſione una cum retentione Archidiaconatus, ſed ſe opponente Joanne Laurentio Rallol, qui in Concurſu octo habuerat favorabilia ſuffragia, quando Emanuel Martinez decem favorabilia obtinuerat, enixeque poſtulante, ut Canonicatus ſibi per viam impetrationis, ac jure devoluto conferretur, ante relaxationem ſupplicationis a memorato Emanuele porrectæ, Eminentiſſimus Prodatarius partes remiſit ad hanc Sacram Congregationem, ut ejus ſenſum perciperet circa retentionem, aut relaxationem ſupplicationis.

Porro Emanuel putat, ſe bonum jus fovere pro relaxatione ſupplicationis, primo quia juxta antiquam, & immemorabilem Eccleſiæ Oſcenſis conſuetudinem, Dignitates non ſunt ſolitæ reſidere, & non poſſunt, niſi Canonico ejuſdem Eccleſiæ conferri.

Secundo quia ſpecialis difficultas, quæ in caſu præſenti urgere poſſet, in hoc videlicet conſiſtens, quod non agitur de ſimplici Canonicatu Pœnitentiario, ceſſare dicitur in facto, quia Canonicatus, de quo nunc agitur, eſt Canonicatus *de Otto*, & hic non eſt revera Pœnitentiarius, cum Canonicatus Pœnitentiarius in Eccleſia Oſcenſi ſit Canonicatus *de Tabernas*; parum urgente, quod Canonicatus *de Otto* fuit anno 1681. erectus in Pœnitentiarium; id enim fieri non poterat; per litteras quippe Apoſtolicas S. Pii Quinti Canonicatus *de Tabernas* jam fuerat erectus in Pœnitentiarium, & Lectoralem, & erectio ſuum undequaque habuerat effectum, uti deſumitur *ex decif.* 198. *coram Millino*.

Tertio quia etiamſi Canonicatus *de Otto* eſſet vere, & non nuncupative Pœnitentiarius, id non impediret relaxationem ſupplicationis pro retentione Archidiaconatus cum Canonicatu; inita enim fuit *anno* 1644. conventio inter Epiſcopum, & Capitulum, in hac ſtatutum eſt, quod Epiſcopus duos ex quatuor Archidiaconatibus, & Cappellaniam Majorem teneretur conferre uni ex Canonicis ejuſdem Eccleſiæ Oſcenſis *de numero Vigenario*; cumque in hac tranſactione dictum ſit, quod Dignitates illæ obtineri conſueverant a Canonicis abſque diſpenſatione Apoſtolica, & intra numerum Vigenarium Canonicatuum in eadem tranſactione exprimatur Canonicatus *de Tabernas, Lectoralis, & Pœnitentiarius*, quodque notabilius eſt, cum hæc tranſactio fuit in forma ſpecifica confirmata a Summo Pontifice Innocentio X. infertur ex his, retineri poſſe Archidiaconatum in Eccleſia Oſcenſi etiam cum Canonicatu Pœnitentiario, & ſic ad cautelam non eſſe denegandam diſpenſationem pro retentione Archidiaconatus de Serablo cum Canonicatu *de Otto*, etiamſi Canonicatus hic non eſſet nuncupative, ſed vere Pœnitentiarius.

Quarto quia cum *anno* 1695. vacaſſet in Cathedrali Oſcenſi Cappellania Major, & Epiſcopus in ſequelam citatæ Concordiæ eam contuliſſet Canonico Lectorali, & Pœnitentiario, diſputatum fuit in hac Sacra Congregatione, *an Dignitas Cappellaniæ Majoris eſſet incompatibilis cum dicto Canonicatu*, & poſt tranſmiſſam per manus Concordiam una cum Apoſtolica confirmatione, Sacra hæc Congregatio *die* 12. *Martii* 1695. cenſuit, *Cappellaniam non eſſe incompatibilem cum Canonicatu*, uti habetur *lib.* 45. *Decret. fol.* 131.

Ultimo tandem, quia quatenus omnia mox expoſita ceſſarent, cum novum non ſit, conſimiles diſpenſationes a Sede Apoſtolica concedi, *teſte Garzia de Benef. par.* 11. *cap.* 5. *n.* 252. ibi, *aliquando tamen ex gratia, & diſpenſatione Apoſtolica Canonicus Pœnitentiarius obtinet ſimul Dignitatem in eadem Eccleſia, ut vidimus in Eccleſia Salamantina*, concludit Scribens pro Emanuele, multas concurrere ejus favore circumſtantias pro diſpenſatione ex integro obtinenda; inter alios quippe Oppoſitores idem renuntiatus fuit tanquam magis habilis, & aptus ad exercendum Officium Pœnitentiarii, ulterius gravis eſt in moribus, & præditus eſt prudentia, & in provecta ætate eſt conſtitutus, & habet pro ſe favorabilem Epiſcopi informationem.

E contra Joannes Laurentius Rallol ſuſtinet, Canonicatum *de Otto* eſſe revera, & non tantum *nuncupative* Pœnitentiarium, item illum eſſe de jure incompatibilem cum Archidiaconatu. Rurſus ſuæ intentioni non obeſſe, vel erectionem Canonicatus *de Tabernas* in Pœnitentiarium, vel conventionem a Sede Apoſtolica confirmatam, vel conſuetudinem retinendi abſque Apoſtolica Diſpen-

fatione Canonicatum prædictum cum Dignitate, nec ullo tandem modo sibi adversari recensitam Sacræ hujus Congregationis resolutionem, inferendo ex his omnibus non posse esse locum relaxationi supplicationis favore Emanuelis, & multo magis, cum agatur de sui præjudicio, cum gratiam impetratoriam jam obtinuerit.

Quod autem Canonicatus *de Otto* non sit *nuncupativus*, sed revera Pœnitentiarius, comprobatur ex Instrumento erectionis anni 1681. & ex successivis ejusdem Canonicatus collationibus, quæ ostendunt, provisum de Canonicatu *de Otto* munus Pœnitentiarii exercuisse; addendo, ad hanc erectionem fuisse deventum, tum in sequelam Bullæ Gregorii XV. in qua statutum est, ut in Regnis Hispaniarum fiat Collatio Canonicatuum Pœnitentiariorum ab Ordinario, & Capitulo, prævio Concursu, tum etiam quia Sacra hæc Congregatio in responsione ad relationem status Ecclesiæ exhibitam ab Episcopo Oscensi *anno* 1662. ait: adversari dispositivi Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini, quod per unam, eandemque personam exerceatur Officium Lectoris, & Pœnitentiarii.

Quod vero Canonicatus hic *de Otto* Pœnitentiarius sit de jure incompatibilis cum Archidiaconatu, ostenditur, cum hæc sit differentia inter Theologum, & Pœnitentiarium, quod Officium Pœnitentiarii est titulus Ecclesiasticus per se stans; adeoque *Sess. 24. cap.* 8. Sacra Tridentina Synodus voluit Pœnitentiariam institui ante vacationem Præbendæ, quando Theologi, aut Lectoris munus non est Officium per se stans, sed annexum Præbendæ; unde Concilium Tridentinum *Sess. 5. cap.* 1. de hac Præbenda loquens utitur his verbis, *cui aliud onus incompatibile injunctum non sit*, in quo rerum themate, sicuti obtinens Præbendam Theologalem una cum Dignitate in eadem Ecclesia, non est nisi duplex, sic habens Præbendam Pœnitentiariam una cum Dignitate, triplex evadit, & triplicitas in eadem Ecclesia admitti nequit etiam dependenter a quacunque consuetudine, uti ex resolutionibus hujus Sac. Congregationis bene prosequuntur *Gavzia de benefic. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 249. *& segq. Fagnan. in cap. litteras num.* 51. *& segq. de concessione Præbendæ.*

Quod pariter non obsint, vel erectio Canonicatus *de Tabernas* in Pœnitentiarium, vel conventio a Sede Apostolica confirmata, vel consuetudo retinendi Canonicatum prædictum cum Dignitate absque ulla dispensatione, demonstratur, cum hic, & nunc nec agatur, nec sit agendum de Canonicatu *de Tabernas*, sed de Canonicatu *de Otto*, qui servatis servandis fuit erectus in Pœnitentiarium anno 1681. & cum consuetudo, & conventio non secundum, sed primum Canonicatum respiciant, & cum post novam Canonicatus Pœnitentiarii erectionem nullum afferatur exemplum retentionis ejusdem Canonicatus cum Dignitate, in quo proinde rerum themate, si est mutata rerum facies, non est cum antiquo, sed cum recenti statu procedendum, & status recens adversatur retentioni.

Quod denique non sit constituendum fundamentum in resolutione hujus Sac. Congregationis, desumitur ex facti specie eidem proposita; anno quippe 1695. non fuit expositum Sac. Congregationi, quod *anno* 1681. facta fuerat formalis erectio Canonicatus *de Otto* in Pœnitentiarium; quinimmo supposition fuit, quod ageretur de Canonicatu *accessorie Lectorali, sive Pœnitentiario*, quo stante mirum non est, si Sac. Congregatio respondit, eum esse compatibilem cum Dignitate.

Jura hinc inde circumferuntur; unde quæritur,

An sit relaxanda supplicatio in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Esse relaxandam, sive signandam supplicationem favore Emanuelis.

QUÆSTIO CCCLXXII.

In Causa Anglonensi, die 15. *Januarii* 1724.

NOVÆ non sunt in hac Sac. Congregatione contentiones inter Episcopum Anglon. & Regulares Terræ S. Archangeli in ordine ad Oblatos; præter etenim eam, quæ nunc proponitur, & alias antiquiores, quæ omittuntur *die* 20. *Decemb.* 1687. disputatum fuit, *an valeret oblatio nonnullorum, qui se offerebant Conventui Fratrum Observantium S. Francisci dictæ Terræ*, & ex defectu requisitorum *negative* responsum fuit, uti habetur *lib.* 37. *Decret. pag.* 715.

At ad præsentem deveniendo controversiam, quæ est inter Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Anglonen. & Monasterium, & Monachos Sanctæ Mariæ de Sagittario Ordinis Cistercienfis super puncto, an fuerit, nec ne legitima oblatio, quam de se, suisque bonis eorum Conventui feciſſe dicuntur Sacerdotes Dominicus Antonius Laragione, Archangelus Vinciguerra, & Franciſcus Ciarabonus, nec non super validitate, & justitia Censurarum ab Episcopo inflictarum adversus prædictum Dominicum Antonium juxta seriem dubiorum, quæ ad calcem hujus Restrictus referentur, operæ pretium esse censeo in memoriam tantummodo revocare ea, quæ ab hac Sacra Congregatione generaliter statuta sunt circa Oblatos; id quippe satis esse videtur ad rem, de qua nunc agitur, cum ex voluminosis, quæ hinc inde circumferuntur scripturis, & eorum respective summariis facile deinde colligi valeat, an in Sacerdotibus, de quibus nunc agitur, adsint omnes qualitates a decretis Sac. Congregationis requisitæ pro valida oblatione, & pro exemptione a jurisdictione Ordinarii.

Ad effectum, ut Oblati alicujus Religionis fruantur fori privilegio, & Immunitate a sæcularibus exactionibus, debent cumulative concurrere sequentes circumstantiæ, quod scilicet in forma juris valida perpetuo, & irrevocabiliter, plene, & cum effectu seipsos, & bona sua omnia, præsentia, & futura, nulla prorsus quamvis minima eorum portione, neque in proprietate, neque in usufructu sibi reservata, Religioni obtulerint, & habitum aliqualiter mutaverint.

Et quia dabatur aliquando casus, quod aliqui se offerebant post commissum aliquod delictum, cujus ratione a Judice Laico erant puniendi, Sac. hæc Congregatio statuit eos gaudere debere privilegio fori, si absque fraude, ideſt non animo effugiendi sæcularis Judicis punitionem, se, & sua obtulerint, sed si fraus subesset, eos posse a Judice Laico puniri pœna confiscationis bonorum, & alia pecuniaria, sed non corporali, debere tamen Judicem Ecclesiasticum, quoties delicti qualitas id expoſcat, tradere tales in fraudem Oblatos Sæculari Judici corporaliter puniendos, uti colligitur ex Decretis generalibus hujus Sac. Congregationis impressis apud *Barbosam Juris Eccles. Universi. lib.* 1. *cap.* 39. §. 2. *num.* 45. & hisce requisitis alii aliud requisitum superaddunt, licet forte in præcedentibus virtualiter contentum, & est, quod Oblati sæculum relinquant, uti late videri potest apud *Fagnan. in cap. ut privilegia n* 23. *& segq. de privilegiis.*

Hæc respiciunt exemptionem Oblatorum a Judice Laico, sed in eo, quod attinet ad eorum exemptionem a jurisdictione Diœcesani, ponderanda est dispositio Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 11. *de Reform.* & hac attenta aut in Oblatis deest aliquod ex requisitis supra recensitis, aut omnia requisita concurrunt. Si deest aliquod ex requisitis, Oblati non assumunt privilegia Religionis, & sic non eximuntur a jurisdictione Diœcesani, & in hac facti specie, si introducta fuisset consuetudo, aut aliquod adesset Religionis Privilegium, quod Oblati non habentes omnia requisita adhuc essent exempti a jurisdictione Episcoporum, Sacrum Concilium obstacula hæc submovit, & dictos Oblatos voluit esse sub Episcoporum jurisdictione. Si vero Oblati omnia habent requisita, prædictum Sacrum Concilium, ut eximantur a jurisdictione Episcopi, addidit aliud requisitum, quod actu scilicet inserviant Religioni, ita tamen ut in prædictis duobus casibus, hoc est consuetudinis, aut privilegii, quod Oblati sine consensu omnium requisitorum fruantur exemptione a jurisdictione Episcopi, vel quod concurrentibus cæteris requisitis desit illud actualis servitii, jurisdictio super eos pertineat quidem ad Episcopum, sed cumulative cum eorum Superioribus Regularibus, ut ex resolutionibus hujus Sacræ Congregationis habetur apud *Barbosam loco citato*, & apud *Fagnan. loco pariter citato num.* 36. *& segq.*

Hæc sunt, quæ adnotanda mihi visa fuerunt, quocirca quæritur,

I. An constet de legitima oblatione in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An sustineantur Censuræ per Reverendissimum Episcopum latæ contra Dominicum Antonium Laragione in casu &c. & quatenus affirmative.

III. An Abbas, cæterique Monachi S. Mariæ Sagittarii potuerint conversare, ac Sacramenta conferre eidem Dominico Antonio Laragione &c.

IV. An constet de attentatis in casu &c.

Sacra Congr. die 29. Januarii 1724. respondit,
Ad Primum negative, ad effectum, de quo agitur. Ad Secundum negative, & Episcopus procedat ex integro, & ad mentem. Ad Tertium, non esse molestandos. Ad Quartum satis provisum in præcedentibus, & amplius in omnibus.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLXXIII.

In Dubio Matrimonii, die 15. *Januarii* 1724.

GEORGIUS d'Ascoli Græcus, & Catholicus matrimonium contraxit cum Muliere Lutherana coram duobus Testibus, & Prædicante Lutherano in Civitate *di Viburgo*, quæ est sita in Finnonia, quæ olim Regnum fuit, & nunc est pars Regni Svevici, cumque Georgius Militem agens captivus factus fuerit ab hostibus, & post reditum a captivitate tres filios se absente a sua Uxore progenitos invenerit, eam in Judicium vocavit; cumque ipsa triplicatum confessa fuerit adulterium, prolata est in Synodo sententia super dissolutione matrimonii quoad vinculum, & libertate Georgii ad alias nuptias transeundi, juxta Græcorum praxim, & sic intellectam a Græcis Sancti Basilii doctrinam, in qua potissimum Synodus suæ sententiæ repositum fundamentum; cumque in prædictæ sententiæ executionem Georgius velit matrimonium contrahere cum alia fœmina, cui dicitur suam fidem dedisse, & Pater Apollinaris Cappuccinus Missionarius in Moscovia, & degens in Civitate *Petersburgo*, inducias a Georgio obtinuerit, ut Sanctæ Sedis judicium exquireret, re delata ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, & facta ejus remissione ad hanc Sacram Congregationem, quæritur in præsenti, quid sit statuendum.

Quoad punctum matrimonii contracti inter Catholicum, & Hæreticam, constans est assertio, illud esse validum, sed illicitum, juxta *Textum in Canone Cave, & in Can. Non oportet* 28. *quæst.* 1. & in *cap. decrevit de Hæreticis in* 6. quocirca in eo, quod attinet ad hoc caput, non potest impugnari validitas Matrimonii cum Muliere Lutherana contracti.

Quoad ejus deinde dissolutionem etiam quoad vinculum ratione adulterii ab Uxore commissi, tres tantum ex Theologis enumerantur, qui dictam dissolutionem approbarunt; *Erasmus videlicet art.* 6. *cap.* 1. *ad Corinthios, Cajetanus in Commentar. ad cap.* 19. *Matthæi, & Ambrosius Catharinus lib. adnotat. in Cajetani Commentaria*; cæteri autem omnes sentiunt, Matrimonium quoad vinculum non dissolvi propter adulterium, & neutri conjugi licere, altero superstite, ad alias nuptias transire, uti Conciliorum, & Patrum auctoritatibus fuse cumulatis, late prosequuntur *Cardinalis Bellarminus in suis Controversiis lib.* 1. *de Matrimon. cap.* 15. *& duob. segq. Valentia lib. unico de indissolubilitate Matrimonii cap.* 3. *& duplici sequenti, Sanchez de Matrimon. lib.* 10. *disp.* 2. *per totam, Pontius eodem tractatu de Matrim. lib.* 9. *cap.* 16. *Perez de Matrim. disput.* 35. *sect.* 3. *per totam*, novissime *Juvenin. in suo tractatu de Sacramentis dissert.* 10. *quæst.* 4. §. 2. *per totam.*

Et in eo, quod attinet ad Græcos, Petrus Arcudius in suo tractatu *de Concordia Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis lib.* 7. *per totum*, petitis undique argumentis impugnat Græcorum praxim solvendi Matrimonium quoad vinculum propter adulterium, & *cap.* 13. fuse examinat oppositam S. Basilii auctoritatem, ita ut sensus ejus sit, verum haberi Matrimonium viri ab Uxore dimissi cum altera, juxta præjudicatam hominum opinionem, sed rem aliter se habere secundum sententiam Salvatoris Nostri; quocirca idem Sanctus peccatum in dicto viro agnoscat, sed non ita grave, propter inolitam consuetudinem; & post hæc sermonem transferendo ad Statuta Conciliorum, & Romanorum Pontificum Constitutiones, Eugenius Papa Quartus in Synodo Florentina *sess.* 25. sic Græcos allocutus est: *primo dico omnes conqueri de separatione Matrimonii, idque correptione indiget*, & post pacificum Græcorum discessum, idem Eugenius in decreto pro institutione Armenorum sic edixit: *Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas est, cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum sit.*

In Concilio Tridentino paratus erat Canon edendus, in quo Anathema proferebatur adversus asserentes, Matrimonium solvi quoad vinculum ex causa adulterii, sed exponentibus Venetis Oratoribus satis constare in more positum apud Græcos, ut Uxorem adulteram deserant, & aliam ducant, plures etiam ex eis degere in Insulis Reipublicæ subjectis, Cretæ videlicet, Cypri, Corcyræ, Hyacinthi, & Cephaleniæ, & Canonem prædictum esse dictos Græcos provocaturum ad tumultum, & ad integram a Sede Apostolica secessionem, sic res accommodata fuit, ut Anathema non respiceret contendentes, Matrimonium dissolvi quoad vinculum, adveniente casu adulterii, sed asserentes Ecclesiam errare, cum docet, Matrimonium quoad vinculum non solvi ex causa adulterii, uti colligitur *ex Canone* 7. *sess.* 24. *de Sacram. Matrim.* ibi: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius Conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero Conjuge vivente aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimissa adultero, alii nupserit, Anathema sit*, & late instantiam Venetorum Oratorum exponendo prosequuntur *Card. Pallavic. in Hist. Concil. Trident. lib.* 22. *cap.* 4. *num.* 27. *Juvenin. de Sacram. dissert.* 10. *quæst.* 4. §. 2. *Vanespen. Juris Eccles. Universi. tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 15. *cap.* 1. *num.* 22. & post Concilium Tridentinum in institutione Clementis Octavi super aliquibus Ritibus Græcorum ad Episcopos Latinos, in quorum Civitatibus Græci, vel Albanenses Græco Ritu viventes degunt, hæc habentur: *Matrimonia inter Conjuges Græcos dirimi, seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant, aut patiantur, & si quæ de facto processerunt, nulla, & irrita declarent*, quæ Clementina institutio est inter dicti Pontificis Constitutiones 34. *Bullar. tom.* 3.

Demum quoad punctum Matrimonii contracti coram Prædicante Lutherano, & duobus Testibus, cum ex Epistola Missionarii habeatur, quod Concilium Tridentinum non fuit publicatum in loco contracti Matrimonii, & quod solum in Civitate *Petersburgo*, quæ uti dictum est, centum distat milliariis a prædicto loco, Sacerdotes aderant Catholici, quorum unus advocari poterat, ut Matrimonio coram ipso contraheretur, non videtur, dici posse Matrimonium ex dicto capite nullum, cum lex Tridentina præscribens interventum Parochi, & duorum Testium pro validitate Matrimonii, non obliget nisi post triginta dies numerandos a die primæ publicationis factæ in Parochia *juxta caput primum sess.* 24. *de Reform. Matrim.* & cum in citata institutione Clementina injungatur Ordinariis locorum, ut curent, memoratum decretum verti in linguam Græcam, & publicari in Parochiis Græcorum.

His stantibus, quæritur,

Quid sit in exposito casu respondendum.

Sacra Congr. respondit,
Scribatur, Oratorem non posse aliud Matrimonium contrahere.

QUÆSTIO CCCLXXIV.

In Causa Ostiensi, die 29. *Januarii* 1724.

QUATUOR soli adsunt in Diœcesi Ostien. Parochi, qui propter aeris notoriam insalubritatem sunt ad nutum amovibiles, & quorum institutio non fit per Concursum, cum præsententur a Dominis Feudorum, & prævio examine, approbationem, & institutionem recipiant ab Eminentissimo Ordinario.

Primus ex his Parochis est ille Civitatis Ostiensis. Degunt in ea quinquaginta circiter homines, & Parochus recipit ab *Eminentissimo Ordinario* mensirua scuta octo, & singulis diebus festis de præcepto Missam Parochialem applicat pro Populo.

Secundus Parochus est ille Castri Romani. Quinquaginta homines degunt in hoc Castro, & Parochus recipit quolibet mense a Marchione Sacchetto Domino Castri scuta sex, & obulos viginti, & hic Missam Parochialem pro Populo non applicat, sed duodecim Missas quolibet mense celebrat, & applicat, juxta Marchionis intentionem.

Tertius Parochus est ille Porcigliani. In hoc loco degunt homines septuaginta, & Parochus recipit a Barone del Nero Domino Loci scuta sex cum dimidio quolibet mense, & hic applicat Missam pro Populo diebus tantum Dominicis.

Quartus Parochus est ille Decimæ. Degunt in hoc loco decem homines, & Parochus habet a Marchione Torregiano Domino Loci sc. 8. cum dimidio quolibet mense, & hic Missam pro Populo non applicat, sed duodecim Missas celebrat, & applicat quolibet mense juxta intentionem Domini.

Numerus Animarum in prædictis locis augetur tempore Hyemali, tum pro cultura Agrorum, tum pro custodia animalium, sed Parochi nihil unquam ultra recipiunt præter menstruam quantitatem supra recensitam, ita ut nulla alia habeant emolumenta sive certa, sive incerta; cumque Promotor Fiscalis Mensæ Episcopalis,

ut

ut muneri suo satisfaciat, & ut quemcunque scrupulum amoveat, operæ pretium esse censuerit recurrere ad hanc Sacram Congregationem, instando pro declaratione, an prædicti omnes isti Parochi teneantur Missam pro Populo applicare diebus omnibus Festis de præcepto, & Eminentissimus Ordinarius se remittat judicio hujus Sacræ Congregationis, quæritur in præsenti, quid sit respondendum.

Quoad Parochorum obligationem Missam applicandi pro Populo, de eadem mentio habetur *sess. 23, cap. 1, de reform.* ibi: *cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre*, postrema hæc etenim verba juxta veriorem intelligentiam non solam Missæ celebrationem, nec solam applicationem fructus generalissimi, sed medii fructus applicationem important, & sic specialem ejus pro Populo applicationem, uti late ostendit *Fagnan. in cap. Fraternitatem num. 92. & seqq. de sepulturis*, & facit illud *Levit. 9.* ibi: *accede ad Altare, & immola pro peccato tuo, offer holocaustum, & deprecare pro te, & pro Populo*, uti prædictum Textum ponderando prosequitur Eminentissimus Cardinalis Ursinus *in sua Synodo Sypontina cap. 32. de Parochis §. 5.*

Quoad applicationem ejusdem Sacrificii pro Populo diebus festis, sive Parochi habeant Congruam, sive non, & sive sint amovibiles, sive perpetui, constans fuit affirmativa usque adhuc hujusce Sacræ Congregationis sententia, uti habetur ex resolutionibus plena manu cumulatis tam antiquis, quam recentibus apud *Monacell. in formul. legal. tom. 1, pag. 32. num. 4. & seqq. & tom. 2. pag. 219. num. 18. & seqq. & tom. 4 pag. 101. sub num. 121.* & hæ resolutiones fuerunt a Summo Pontifice Innocentio XII. confirmatæ per suas litteras Apostolicas in forma Brevis *die 24. Aprilis 1699.* impressas apud *Clericat. in disord. forens. disord. 29. de benefic. sub num. 43.* & concordat postrema resolutio in Forosempronien. Missæ Parochialis 8. *Februarii 1716. lib. 66. decret. pag. 55. a terg.*

Ita ut sola adesse videatur differentia inter antiquas, & recentiores hujusce Sac. Congregationis resolutiones, quod in antiquioribus dictum fuit, Parochos habentes pingues reditus teneri quotidie Missam applicare pro Populo, quod in recentioribus non fuit admissum, uti videri potest in allegata Forosempronien. in responsione ad secundum dubium; cum enim in eo quæsitum fuisset, *an Parochi habentes pingues reditus, teneantur quotidie applicare Missam pro Populo*, responsum fuit *negative*.

Plana hæc esse videntur juxta sensum hujus Sac. Congregationis. Id autem, quod speciali nota dignum esse videtur in præsenti, est, quod Parochi nihil a Populo recipiunt, cum id, quod habent, consequantur a Dominis Castrorum. Onus itaque erit animadvertere, quanti ad rem, de qua agitur, valeat hæc circumstantia, & sic quæritur,

An Parochi teneantur Missam applicare pro Populo diebus Dominicis, & Festis de Præcepto in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Teneri, & ad mentem. Mens est ut liberam habeant applicationem tot aliarum Missarum ex illis, quas modo celebrant, & applicant pro Baronibus, dummodo Barones non teneantur ad eas celebrari, & applicari faciendum ex aliqua fundatione aut Legato Pio.

QUÆSTIO CCCLXXV.

In Causa Januensi Translationis Parochiæ, die 29. Januarii 1724.

EXPOSITUM fuit huic Sac. Congregationi a Patre Provinciali Ordinis S. Dominici, quod Animarum Cura existens in Ecclesia Monasterii Monialium Corporis Christi Civitatis Januen. suo Ordini subjectarum non modicum afferebat præjudicium Regulari prædictarum Monialium Disciplinæ, & post auditam informationem Patris Procuratoris Generalis prædicta omnia plene comprobantis, responsum fuit *die 21. Novembris 1722.* quod Eminentissimus D. Cardinalis Archiepiscopus Januen. auditis Parochianis, & servatis aliis de jure servandis Curam existentem in Ecclesia Monialium ad aliam Ecclesiam transferret; cumque prædictus Eminentissimus Dominus in hujus Decreti executionem audire voluerit tam Sacerdotem exercentem Curam Animarum, quam Parochianos, & nec ille, nec isti suum præstare voluerint translationi assensum, exortæque proinde sint controversiæ inter Monasterium Monialium, & memoratum Sacerdotem, operæ pretium existimatum fuit, Causam in folio describere, & disputandum EE. VV. proponere dubium ad calcem Restrictus referendum.

Porro Sacerdos dicit, non esse locum translationi Parochiæ; quandoquidem novum non est, ut in Ecclesia Monialium adsit Cura Animarum, uti desumitur ab exemplis ejusdem Civitatis Januensis, & etiam praxi Urbis. Addit, Parochianos translationi dissentire, Ecclesias Parochiales vicinas nolle hanc novam Curam assumere, & agi de suo præjudicio, cum ipse exerceat Curam Animarum non ad nutum, sed ad vitam. In quo rerum statu sine suo consensu non est amovendus.

E contra a Scribente pro Monialibus dicitur, causam translationis non deesse, tum quia functiones Parochiales confunduntur cum functionibus Monialium, uti contingit in Expositionibus, & Processionibus Sanctissimæ Eucharistiæ, & in Communionibus Personarum sæcularium, quando Monialibus Sacra exhibetur Eucharistia, tum quia nonnullæ functiones Parochiales impediunt functiones Monialium, uti accidit in Vesperis, quæ decantantur a Monialibus, & perturbationem patiuntur ex Doctrina Christiana, quæ tunc in eadem Ecclesia docetur, & tandem quia Benedictiones Nuptiarum, Puerperarum, & similia, quæ fiunt audientibus, & videntibus Monialibus, non videntur, quod cum earum Virginitate undequaque conveniant.

Et in eo, quod attinet ad dissensum Parochianorum, dicitur eorum consensum in translatione non requiri; sed illos ad summum esse audiendos, quatenus aliquid relevans opponant adversus translationem. *Pax Jordan. lucubr. tom. 2. lib. 10. tit. 32. num. 94. Barbos. ad cap. 5. sess. 21. de reform. num. 8. Monacell. in formul. tom. 1. tit. 2. formula 7. num. 3.* & cum hoc themate processit Sac. Congregatio *in Fulginaten. 30. Januar. 1723.*

In eoque, quod spectat ad Ecclesiam, ad quam Cura transferri posset, hæc habentur in nova informatione Patris Procuratoris Generalis, *il Procuratore Generale si stima in obbligo di suggerire all' EE. VV. come poco lungi dal Monastero di S. Silvestro evvi la Chiesa stessa de' Padri Domenicani già Parochia, a cui facilmente si potrebbe unire la Parochia, di cui si tratta; ed intanto non si è cià espresso per lo passato, in quanto che non si voleva dar a vedere dagli Oratori, che da esse s' aspirava a farsi l' unione alla Chiesa dello stesso Ordine.*

Nullatenus attento dissensu Sacerdotis in præsenti exercentis Curam Animarum; subditur etenim, eum non ad vitam, sed ad libitum Monialium, & tanquam conductitium prædictam Curam exercere, ita ut de ejus dissensu non sit ullo modo curandum.

Utque hoc assumptum probetur, afferuntur Apostolicæ litteræ Pii Papæ Secundi una cum earum executione, ex quibus desumitur, Ecclesiam cum omnibus juribus, & pertinentiis unitam fuisse, incorporatam, & annexam Monasterio, & Priorissæ, & Monialibus concessam fuisse facultatem nominandi Cappellanum, qui Curam Animarum exerceret, inferendo, quod si Ecclesia est non simpliciter, sed pleno jure subjecta Monasterio, Cura Animarum exerceri potest etiam per Sacerdotem conductitium, absque eo quod opus sit Rectore perpetuo, *juxta decis. 858. num. 1. & dec. 886. num. 11. & 12. coram Cevro, & litteras Cardinalis Moroni apud Pignatell. consult. 117. num. 9. tom. 9.*

Multoque magis cum Concilium *sess. 7. cap. 7. de reform.* non præscribat absolute Vicarios perpetuos, ibi: *ut per idoneos. Vicarios etiam perpetuos*, ex quibus verbis arguunt Doctores, posse hasce Curas exerceri etiam per Sacerdotes ad nutum amovibiles, *Barb. ad cap. 7. sess. 7. num. 15. & num. 31. & 32. ibique Gallemart num. 5. Garzia de benefic. par. 11. cap. 2. num. 8. Card. de Luca in adnotat. ad Concil. Trident. discurs. 9. num. 6.* & Bulla 47. S. Pii V. extenditur etiam ad Vicarias amovibiles, *juxta dec. 88. num. 17. par. 9. tomo 1. recent.*

His stantibus, quæritur,

An sit locus translationi Parochiæ, de qua agitur in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Negative, & amplius

QUÆ-

QUÆSTIO CCCLXXVI.

In Causa Romana Taxæ Seminarii, die 12. Februarii 1724.

INTER cætera Ecclesiastica Beneficia, quæ Seminario Romano contribuere tenentur, adest Cappella S. Cæciliæ erecta in Ecclesia Beatæ Mariæ de Planctu, uti habetur *in Constitutione 134. §. 2. inter eas Urbani VIII. Bull. tom. 5.* ubi enumerantur omnia Beneficia, quæ prædictam taxam solvere tenentur.

Collata fuit memorata Cappella Sanctæ Cæciliæ *anno 1704.* a san. mem. Clemente Papa XI. R. P. D. Alexandro Bonaventuræ suo Eleemosynario, & Vestiario, & deinde etiam Archiepiscopo Nazianzeno; cumque ipse, quoad usque vixit, Taxam non persolverit, secuto ejus obitu appositum fuit, instante Seminario, sequestrum super quibusdam pecuniis penes Depositarium Spoliorum Reverendæ Cameræ existentibus, & provenientibus ex fructibus inexactis sæpe memoratæ Cappellæ.

Hæredes R. P. D. Bonaventuræ institerunt apud R. P. D. Auditorem Sanctissimi pro remotione sequestri, sed eo proprium recusante proferre judicium, ex quo fortasse fuit & ipse Familiaris san. mem. Clementis Papæ XI. & est Familiaris Sanctissimi Domini Nostri, ita ut in pari causa dici valeat constitutus cum R. P. D. de Bonaventura in re, de qua nunc agitur, delatum fuit negotium definiendum ad R. P. D. Thesaurarium, sed allegato pro parte Seminarii decreto infra referendo hujus Sacræ Congregationis, cum Judex ad ulteriora procedere noluerit, iterato habito recursu ad prædictum Sanctissimi Auditorem, fuit ab ipso remissa Causa ad hanc Sacram Congregationem, cum insinuatione, ut dubium proponeretur non restrictum ad R. P. D. Bonaventuram, sed ad cæteros alios Summi Pontificis Familiares.

Fundamentum Seminarii Romani constituitur in decreto ab hac Sacra Congregatione die 3. Februarii 1646. edito, quod ita se habet, *Romana &c. Sacra &c. citatis, & auditis interesse habentibus, censuit, nullum esse exemptum a contributione Seminarii, nisi qui nominatim a Sacro Concilio Tridentino in cap. 18. sess. 23. de reformat. excipiuntur, etiamsi sint Prælati Familiares Papæ, & S. R. E. Cardinales quamvis Camerales, nec eis suffragari privilegia exemptionis, nisi in dictis privilegiis fuerit facta specialis, & individua derogatio Concilii Lateranensis, nec non expressa mentio quasi possessionis exigendi ante hujusmodi privilegia contributionem pro Seminario ex Beneficiis, & Pensionibus possessis*, uti habetur *lib. 18. decret. fol. 20. a terg.*

Hinc inferendo, nec R. P. D. Bonaventuram, nec quoscunque alios Papæ Familiares dici posse exemptos a contributione Seminarii, cum in eorum privilegiis non habeantur ea, quæ ad tramites allegati decreti sunt necessaria pro exemptione a Taxa Seminarii.

E contra cum nulla esse possit dubitatio circa familiaritatem R. P. D. Bonaventuræ, ex quo inter suos Familiares, & continuos commensales recensitus fuit a san. mem. Clemente XI. *in sua Constitut. 5. sui novi Bullarii*, prætenditur, tam ipsum, quam cæteros Familiares, quandiu servitiis ejusdem Pontificis insteterunt, cæterosque alios cujuscumque Pontificis Familiares, dummodo Indultum habeant conceptum iisdem verbis, & formulis, quibus concessum fuit Indultum a san. mem. Clemente Papa XI. concessum suis Familiaribus, exemptos esse debere a solutione Taxæ favore Seminarii.

Verba autem Indulti, uti habetur in citata *Constit. 5.* sunt hæc, quæ sequuntur, *& insuper vos, vestraque Beneficia, & Officia Ecclesiastica quæcunque &c. ab omnibus, & quibuscumque Decimis, quartis, & dimidiis partibus &c. cæterisque oneribus, & contributionibus &c. institutioni Seminarii Ecclesiastici, aut quacunque alia quantumvis gravi, & gravissima causa (pro subventione contra Infideles dumtaxat excepta) nunc, & pro tempore impositis &c. quamdiu servitiis nostris insteteritis dumtaxat, eximimus, & liberamus.*

Jura hinc inde circumferuntur, adeoque nunc quæritur,

An Familiares Papæ habentes Indultum teneantur solvere Taxam Seminario pro tempore, quo inserviunt Summo Pontifici viventi &c.

Sacra Congr. respondit,

Dilata, & ad Mentem.

QUÆSTIO CCCLXXVII.

In Causa Uratislavien si, die 12. Februarii 1724.

ABBAS Luben. Visitator, & Vicarius Generalis Ordinis Cistercienses tam suo, quam aliorum Provinciæ Abbatum nomine recursum habuit ad hanc Sac. Congregationem, exposuitque, Episcopum Uratislavien. nolle conferre Majores Ordines Monachis Cistercien sibus qui Minores Ordines a suis Abbatibus receperunt adversus sui Ordinis Privilegia, & inveteratam consuetudinem.

Auditus fuit Procurator Generalis Ordinis, qui respondit, facultatem conferendi Ordines Minores certam esse in Abbatibus sui Ordinis, & Episcopum idcirco Uratislavien sem immerito denegare assensum ad Majores Ordines Monachis illis Cistercien sibus, qui Minores a prædictis Abbatibus receperunt, eoque fortius cum privilegia prædicta sint in viridi observantia.

Subinde datæ sunt litteræ ad Episcopum, ut informaret, cumque ex documentis nomine Officialis scriptis desumatur, totam Episcopi difficultatem in hoc consistere, quod Abbates prædicti benedictionem recipiunt a suo Generali, vel ab ejus Delegatis, & non ab Ordinario, seque unice ab hac Sacra Congregatione scire velle, an Abbates Regulares ab Episcopo non benedicti conferre possint suis Subditis Regularibus Ordines Minores, quæritur:

An Abbas Lubensis, cæterique ejusdem Provinciæ Abbates Presbyteri, non benedicti ab Episcopo, sed a suo Patre Generali, vel ejus Subdelegatis, possint Tonsuram, & Minores Ordines suis Subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstet Canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines Majores in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative, & amplius.

ADNOTATIONES SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

Circa collationem Tonsuræ, & Minorum Ordinum, quæ fit ab Abbatibus Regularibus, qui Benedictionem Apostolicam, aut Episcopalem non receperunt, suis Subditis Regularibus.

NONNULLI sunt in Jure Canonico Textus ad expositam materiam pertinentes.

Primus est *in Canone Quoniam dist. 69.* ibi: *Lectoris autem manus impositionem licentia est Abbati solummodo in proprio Monasterio faciendi, si dumtaxat eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo secundum morem præficiendorum Abbatum, dum constet illum esse Presbyterum.*

Secundus est *in cap. Cum contingat de ætate, & qualitate*, ubi reassumptis verbis Canonis supra allegati, decernitur Abbatem Presbyterum, & benedictum primam Tonsuram suis Monachis conferre posse.

Tertius est *in cap. Statuimus de supplenda negligentia Prælatorum*, ubi dicitur, *si Episcopus tertio cum humilitate, ac devotione, sicut convenit, requisitus, Substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad Officium hujusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiem recogitent, & Abbates benedicere non recusent.*

Quartus est *in cap. Abbates de privilegiis in 6.* ubi legitur, *nec eis licitum sit aliis, quam Monasteriorum suorum Conversis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, primam Clericalem conferre Tonsuram, nisi eis id competat ex pleno præfatæ Sedis Indulto.*

Ultimus denique desumitur *ex cap. 10. sess. 23. de Reform.* ubi decernitur, *Abbatibus, ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat imposterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre.*

Et ab his Juris Canonici Textibus inferunt communiter Doctores, duo esse necessaria ad effectum, ut Abbas Regularis conferre valeat suis Subditis Regularibus Tonsuram, & Minores Ordines, quod videlicet sit Presbyter, & solemniter sit benedictus; licet enim in citato Textu Sacri Concilii Tridentini prohibeatur Abbatibus conferre Ordines cuiquam, qui Regularis subditus non sit, non valet tamen illatio a contrario sensu, ut videlicet cuilibet suo subdito Regulari Ordines minores conferre possit, cum hæc potestas sic explicanda sit, ut sibi vindicet

dicet locum, quando concurrunt in Abbatibus qualitates a Sacris Canonibus requisitæ, hoc est Presbyterii, & Benedictionis, *Fagnan. in cap. Quanto, num. 21. & seqq. de consuetudine, Vanespen. Juris Eccles. univers. tom. 1. par. 1. tit. 31. cap. 6. num. 16. & seqq.*

Quia vero hæc Abbatum benedictio, de qua fuse in Pontificali Romano, quæque a nonnullis, licet improprie, dicitur consecratio, non est absolute, & simpliciter necessaria, ut Abbas suis subditis Regularibus conferre valeat primam Tonsuram, & minores Ordines, alias non bene decretum fuisset *in cap. Statuimus de supplenda negligentia Prælatorum*, quod Abbates primam Tonsuram conferant, & minores Ordines, si Episcopi ter requisiti benedicere recusaverint, uti supra visum est, hinc emanavit subalterna quædam Doctorum propositio innixa tum prædictæ rationi, tum plerisque privilegiis, quæ habentur in particularibus Bullariis Monachorum, quod concurrente videlicet Apostolico privilegio, in quo Abbatibus non benedictis concedatur, ut ea facere possint, quæ fiunt a cæteris Abbatibus benedictis, possint Abbates Regulares Presbyteri licet non benedicti, prout hodie fere nullus benedicitur, cum non sint perpetui, sed temporales, primam Tonsuram, & minores Ordines conferre suis subditis Regularibus, *Tamburin. de Jure Abbatum tom. 1. disput. 11. quæst. 3. num. 3. & seqq. & eodem tom. 1. disput. 11. quæst. 13. & tom. 2. disput. 2. quæst. 3. per totam, Barbosa voto 89. num. 28. lib. 3. Pirhing ad primum librum Decretalium tom. 1. tit. 11. sect. 1. §. 6. numer. 43. Clericat. de Sacramento Ordinis decis. 15. n. 7. & pluribus seqq.*

Et conferunt resolutiones hujus Sacræ Congregationis, quæ decrevit licere *Abbatibus benedictis, vel quibus a Sede Apostolica concessum est privilegium, ut possint ea omnia facere, quod possunt Abbates benedicti, Tonsuram, minoresque Ordines suis subditis Regularibus tantum conferre, aliaque Pontificalia hujusmodi Abbatibus competentia in sui Ordinis Monasteriorum Ecclesiis, & limitibus exercere, taliterque ordinatos, si quid aliud non obstiterit, legitime posse a quibusvis Ordinariis ad ulteriores Ordines promoveri*, quæ Sacræ Congregationis resolutio fuit in forma specifica confirmata in litteris Apostolicis Clementis Octavi impressis *inter privilegia Cistercienssium Parisiis edita anno* 1713. *pag.* 194.

Hæc sunt, quæ pertinent ad juris communis dispositionem; nunc transeundo ad dispositiones, & privilegia loquentia de Cistercienfibus, Textus supra allegatus *in cap. Statuimus de supplenda negligentia Prælatorum*, loquitur de Cistercienfibus, & eorum Abbatibus indulget, ut Tonsuram conferant, si Episcopi ter requisiti noluerint illis benedictionem impartiri, uti colligitur ex illius lectura, & bene adnotavit *Manrique tom. 2. Annal. Cistercienf. anno 1169. cap. 3. num. 4.*

Ad eosdem pertinet Cistercienses dispositio Textus *in cap. Ne Dei Ecclesiam de Simonia*, ubi ponitur forma obedientiæ ab Abbatibus Cistercienfibus præstandæ Episcopis.

Verum sermonem instituendo de privilegiis hujus Ordinis extra corpus Juris Communis constitutis, solemnissimum est illud Innocentii Octavi, de quo in supradicto privilegiorum libro *pag.* 137. ubi Abbati Cistercii Diœcesis Cabilonensis, & aliis quatuor insignioribus Abbatibus, & eorum successoribus datur facultas conferendi Subdiaconatum, & Diaconatum Monachis sui Ordinis, *ac ne Monachi dicti Ordinis pro suscipiendis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus extra Claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, & successoribus tuis, ut quibuscumque dicti Ordinis Monachis, aliis vero quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum successoribus, ut suorum Monasteriorum prædictorum Religiosis, quos ad id idoneos reperietis, Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines hujusmodi alias vite conferre possitis.* Theologi modum, & rationes exquirunt, quomodo simplicibus Sacerdotibus potuerit dari facultas conferendi ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus; at quidquid sit de hoc, certum esse videtur, huic privilegio fuisse a Concilio Tridentino derogatum *sess. 23. cap. 10. & 12.* uti late ostendit *Navar. consil. 13. de privilegiis*, & late prosequitur *Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 29. num. 17. & num. 24. & 25.*

Aliorum privilegiorum Eugenii Quarti, & Julii Secundi, quod Abbates triennales Cistercienses Hispani, licet eis munus benedictionis non sit impensum, fruantur omnibus, & singulis honoribus, præeminentiis, privilegiis, & prærogativis, quibus alii fruuntur Abbates benedicti, mentio habetur *apud Suarez loco citato*, & latius *apud Dianam in edit. coord. tom. 2. tract. 5. resolut.* 81.

Occasione benedictionis, quam Abbates Cistercienses ab Episcopis petebant, simultates, & jurgia exoriebantur; quocirca Innocentius Papa Octavus concessit Abbati Generali, ut Abbates, & Abbatissas sui Ordinis benedicere posset, uti habetur in citato libro privilegiorum *pag.* 137. *num. 5. tibi, & successoribus tuis prædictis dumtaxat, ut munus benedictionis hujusmodi, quibuscumque dicti Ordinis Abbatibus, & Abbatissis impendere, ac Abbatibus, & Abbatissis prædictis, ut dictum munus a te, & successoribus tuis præfatis recipere libere, ac licite possitis, & possint, indulgemus.*

Clemens Octavus privilegium hoc confirmavit, & extendit ad Vicarios Abbates, qui ab Abbate Generali subdelegarentur pro reliquorum Abbatum, & Abbatissarum Ordinis benedictione, uti habetur in citato libro privilegiorum *pag.* 199. *tibi, ac pro tempore existenti Generali Abbati tui dicti Ordinis, quandocumque opus fuerit, principalibus Vicariis tuis, qui Abbates existunt, munus benedictionis cæteris Abbatibus, & Abbatissis impendendi facultatem subdelegandi auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuam concedimus potestatem*, idemque Clemens Octavus iterum reassumpto tenore concessionis Innocentii Octavi, & ampliationis a se factæ, ad aliam subsequenter devenit ampliationem, extendendo facultatem Abbatis Generalis quoad subdelegandum ab Abbatibus Vicariis ad Præsidentes, & Reformatores, uti habetur in citato libro privilegiorum *pag.* 207. & instante pariter Abbate Generali per suas litteras Apostolicas in forma Brevis confirmavit resolutionem hujus Sacræ Congregationis, uti supra dictum est, in qua firmatum fuit, posse Abbates conferre Tonsuram, & minores Ordines suis Subditis Regularibus, si sint benedicti, vel habeant privilegium a Sede Apostolica ea omnia gerendi, & faciendi, quæ fiunt ab Abbatibus benedictis.

Acquisita ab Abbate Generali facultate benedicendi per se, vel per suos Subdelegatos Abbates, & Abbatissas sui Ordinis, cum Abbas Monasterii S. Mariæ de Lande ejusdem Ordinis Cistercienfis solemniter benedictus, Tonsuram, & minores Ordines contulisset Monachis sui Monasterii Diœcesis Tornacensis, & Episcopus renueret, eosdem promovere ad Ordines majores, sub obtentu, quod in Indulto Pontificalium nulla fuerat mentio collationis minorum Ordinum, instante memorato Abbate Paulus Papa V. uti habetur in sæpe allegato libro privilegiorum pag. 209. confirmavit sequentem hujus Sacræ Congregationis resolutionem, *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit, si hujusmodi Abbas, aliique ejus successores pro tempore existentes fuerint solemniter benedicti, & Presbyteri, potuisse, posseque conferre Regularibus suis Subditis primam Tonsuram, & Ordines minores, quamvis in Indulto Apostolico, quo conceditur usus Mitræ, & Baculi, nulla hujusmodi facultatis mentio habeatur, ideoque Episcopum Diœcesanum non debere recusare, quin eos, nisi aliud obstiterit, ad Sacros Ordines promoveat.*

Et hæc sunt, quæ pro facilitando causæ studio Secretarius adnotavit, & in sui obsequii signum non incongruum existimavit ad EE. VV. transmittere.

QUÆSTIO CCCLXXVIII.

In Causa Albinganensi Matrimonii, die 12. Februarii 1724.

CUM de mense Aprilis anno 1720. Petrus Franciscus Cepolinus ex vicinali fenestra inspexisset Infantulam de recenti natam jacere in loco, in quem confluunt sordes e Domo Nicolai Simonis Caretti, rumor per universam Civitatem increbuit, Infantulam procreatam fuisse a Maria Eustachia prædicti Nicolai Simonis filia, & Carettus ab hoc rumore excitatus recursum habuit ad Senatum Januensem, apud quem Michaelem Angelum Marchesium detulit, uti filiæ suæ stupratorem.

Datis a Senatu opportunis mandatis, carceribus videlicet mancipandi prædictum Michaelem Angelum, vel quatenus id fieri non posset, accersendi Nicolaum ejus Patrem, ut reditum filii curaret, & ejus animum disponeret ad contrahendum Matrimonium cum Maria Eustachia, cum adhibitæ fuerint, sed incassum diligentiæ pro Michaele Angelo filio reperiendo, Nicolao Patri sub indignatione Senatus imperatum est, ut intra terminum sex dierum se Genuam conferret ad valvas audientiæ Ducalis Palatii.

Nicolaus promptam huic imperio exhibuit obedientiam, cumque ipse in Civitate Genuensi commoraretur, Michael Angelus filius, ut eum ab ulterioribus molestiis liberaret, se sponte constituit in carceribus laicalibus Albinganensibus, in

in quibus, posthabitis quibuscunque suasionibus eidem factis, ut Matrimonium contraheret, formiter instetit, ut processus conficeretur, & in casu, prout de jure procederetur, & terminus Parti Adversæ præfigeretur ad suæ querelæ prosecutionem.

Actus hi judici suo caruerunt effectu, quo pariter effectu caruerunt supplicationes Michaelis Angeli nomine exhibitæ Senatui Januensi, quibus enixe petebatur, ut Commissarius Albinganensis partibus, prout de jure, provideret, in quo rerum statu Michael prædictus bene præsciens, se ex Carceribus non esse egressurum, nisi Matrimonium contraheret cum Maria Eustachia, extrajudiciales, quas potuit, protestationes emisit, consignatis videlicet suo Confessario quatuor epistolis opportuno tempore revelandis, quibus declaravit, quod quatenus a se, vel a suo Procuratore Matrimonium cum Maria Eustachia celebraretur, illud habendum esset pro nullo, utpote contracto, ex quo amplius Carcerem, incommoda, & infirmitates contractas sufferre non poterat.

Dum hæc a Michaele Angelo in Civitate Albinganensi Carcerato peragebantur, Maria Eustachia Senatui Januensi preces exposuit, quibus asseruit, prædictos Carceres tutos non esse, & sic periculum fugæ imminere, traductoque idcirco Michaele Angelo ad Civitatem Januensem, ipsoque detruso in Carcere secreto, & ab aliena communicatione prohibito, res eo tandem devenit, ut animum suum explicaverit de Matrimonio cum dicta Muliere contrahendo; cumque hac de causa fuerit e Carcere extractus, & ad Cancellariam Criminalem adductus, per publicum Instrumentum suum constituit Procuratorem Joannem Baptistam Cipollinum ad contrahendum in Civitate Albinganensi Matrimonium cum sæpe memorata Maria Eustachia.

Confecto, uti dictum est, mandato Procuræ, Michael Angelus iterum ad Carcerem reductus est, neque fuit ab illo dimissus, nisi postquam per publicum, & juridicum documentum constitit, mandatum fuisse a Procuratore impletum, & sic contractum in Civitate Albinganensi cum Maria Eustachia Matrimonium, acquisitaque hoc modo libertate non destitit ipse suum animum declarare, asserendo, Mariam Eustachiam nec esse, nec unquam futuram esse suam legitimam uxorem, itaut ab ejus cohabitatione semper abhorruerit, & deinde ad alienas Regiones se transtulerit.

Hæc est historia facti, quæ a Relatione Episcopi, & a Documentis a Michaele Angelo productis desumitur, & in quorum sequelam idem exorat pro declaratione nullitatis Matrimonii.

Scriptura per manus circumfertur, & præter metus exceptionem, & quidem cadentis in constantem virum, dicitur in eadem nullam adesse probationem præcedentis stupri, de sponsalibus quoque, & de obtenta ab ipso pro contrahendo Matrimonio dispensatione non constare ex legitimis documentis, & quatenus constaret, & hæc, & similia non prodesse posse, quia prodiissent post metum incussum, uti latius in eadem videri potest.

Consimilis causa discussa fuit annis præteritis in hac Sac. Congregatione *in Hydruntina videlicet Matrimonii*, in qua hæc Sacra Congregatio die tandem 13. *Septemb.* 1721. respondit pro validitate, non obstante gravi metu incusso, & non obstante carceratione facta de ordine potestatis Laicalis, Patris, Matris, Sororis, & Fratris ejus, qui matrimonium deinde contraxit, sed in prædicta Causa Sac. hæc Congregatio fuit semper in sensu, quod constabat de stupro, quo supposito, matrimonium validum est, licet meticulose contractum, juxta late deducta per *Raynald. tom. 2. observat. crimin. cap. 23. §. 4. nu. 66. & seqq.* & præsertim *num. 71. & aliis sequen.* & existimatum fuit, Carcerationes memoratarum personarum factas fuisse ad ipsas in officio continendas, ut videlicet desisterent a suasionibus, quibus stupratorem removebant a matrimonio contrahendo.

Nulla in hac Congregatione capta fuit resolutio, sed dictum, quod scriberetur Episcopo juxta instructionem.

Tunc solum Michael Angelus sua jura deduxit, & Maria Eustachia, licet sæpius citata, comparere recusavit, & licet nulla allata stupri probatione Matrimonium habitum fuerit pro nullo, cum contractum fuerit propter vim, & metum cadentem in constantem Virum, ad differentiam casus, in quo stuprum præcessisset, in qua facti specie Matrimonium, licet metu contractum, esset validum, juxta late deducta per *Raynaldum tom. 2. observ. crimin. cap. 23. §. 4. num. 66. & seqq. & præsertim num. 71. & aliis seqq.* cum nihilominus EE. PP.

ex scripturis a Michaele Angelo exhibitis deprehenderint, suspicionem aliquam adesse de sponsalibus antea initis inter ipsum, & Mariam Eustachiam, & ab ipso fuisse expeditam dispensationem ad effectum contrahendi Matrimonium, non obstante impedimento quarti gradus consanguinitatis, necessarium existimarunt, ut litteræ darentur ad Episcopum pro informatione tam super sponsalibus, quam super dispensatione.

Cohærenter ad hæc datæ fuerunt litteræ ad Episcopum, qui respondit, Patrem Mariæ Eustachiæ commorari in Civitate Januensi, & se nihilominus pluries interpellasse Patruum cum eadem cohabitantem, ut Apocham sponsalium exhiberet, nec eam unquam fuisse exhibitam, & impossibile esse eam reperire, concludendo contra sponsalia hisce verbis, *ex iis tamen, quæ ex extrajudicialibus documentis haurire potui, satis constare visum est, inter præfatos intercessisse quandam informem sponsalium Apocham pluribus obnoxiam exceptionibus, quod forsan causam dedit, ut semper ejus exhibitio declinaretur.*

Et quoad punctum dispensationis, transmissa est ab Episcopo attestatio sui Vicarii Generalis, qui inquit, se Romam scripsisse pro obtinenda dispensatione in quarto gradu consanguinitatis, instante Patruo Mariæ Eustachiæ, qui etiam exbursavit pecuniam necessariam, absque eo quod aut Michael Angelus, aut ejus Pater ullam minimam partem habuerint in requirenda, aut impetranda dispensatione, *nè detti Signori Padre, e Figlio Marchesi, o verun altro per essi m' hanno dato alcun ordine di commetterla, nè pagato alcun denaro per conto di essa.*

His stantibus, reproposita Causa die 28. Julii 1724. quæritur,

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Septembris 1724. respondit, *Dilata, & Testes hinc inde examinentur formiter.*

QUÆSTIO CCCLXXIX.

In Causa Geruntinensi, seu Cariatensi, die 12. Februarii 1724.

POST factam a Sede Apostolica unionem duarum Ecclesiarum Cathedralium Geruntinen. & Cariaten. inoremque introductum, quod Episcopi pro tempore dictarum Ecclesiarum unitarum, ut plurimum residentiam explerent in Diœcesi Cariaten. excitatæ fuerunt nonnullæ controversiæ, propositisque in Congregatione habita *die 11. Septembris 1706.* inter alia, duobus dubiis, *an, & quomodo Episcopus teneretur residere in Cathedrali Geruntina*, item, *an Episcopus teneretur deputare Vicarium Generalem pro Diœcesi Geruntina*, responsum fuit *die 2. Octobris 1706.* modo sequenti: *Episcopum non teneri, sed saltem in aliquibus diebus solemnioribus curare debere, ne abesset ab Ecclesia Geruntinen. & pro hac Diœcesi teneri ad deputandum Vicarium Generalem*, & hæc decreta fuerunt subsequenter confirmata *die 11. Februarii 1708. & die 18. Augusti ejusdem anni*, ut ex regestis dignoscitur.

Post reportata hæc decreta favorabilia, Capitulum Geruntinen. *die 7. Maii 1711.* consensit, ut in Diœcesi Geruntina loco Vicarii Generalis deputaretur Vicarius Foraneus; exortaque subinde controversia super dictæ renunciationis validitate, & proposito in Congregatione habita *die 28. Martii 1722.* sequenti dubio, *an asserta renunciatio Capituli, & Canonicorum Cathedralis Geruntinen. obstet executioni Decretorum Sacræ Congregationis in casu, die 18. Aprilis ejusdem anni rescriptum fuit, negative, & quod prædictum dubium amplius non proponeretur.*

Nimis enim valida existimata fuit ab EE. PP. ratio, quod Canonici videlicet non poterant renuntiare juri non solum Capitulo, sed omnibus aliis tum Ecclesiasticis, tum Laicis Diœcesis Geruntinen. quæsito, in sequelam memoratorum Decretorum hujus Sac. Congregationis, habendi non Vicarium Foraneum, sed Vicarium Generalem.

Acquievit Episcopus resolutioni in eo, quod attinet ad dubium mox recensitum, sed secum animo reputans, suam mensam Episcopalem nimia angi paupertate, & Diœcesi Geruntinen. bene consuli posse media deputatione Vicarii Foranei cum ampliioribus facultatibus, ultra eas, quæ hujusce generis Vicariis conferri consueverunt, & sic hujus Sacræ Congregationis Decreta, & Resolutiones, quibus demandata fuit deputatio Vicarii Generalis in Diœcesi Geruntina, esse sibi nimis præjudicialia, novam ab hisce Decretis postulavit audientiam, & obtinuit.

Adeoque nunc quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 2. Octobris 1706. & die 11. Februarii, & die 18. Augusti 1708.

Sacra Congr. respondit,

Standum in decisis juxta modum; & modus est, quod Generalitiæ deputetur ab Episcopo Vicarius denominative tantum Generalis cum facultatibus concordandis coram Eminentissimo Præfecto, ita tamen, ut ab ejus sententiis appellatio interponatur ad Episcopum.

QUÆSTIO CCCLXXX.

In Causa Leopolienſi Matrimonii, die 10. Junii 1724.

REGIUS Princeps Conſtantinus filius Gloriosiſſimi Joannis Tertii Poloniæ Regis cum dubitare cœpiſſet de validitate Matrimonii a ſe contracti *die 16. Nov.* 1708. in Civitate Gedani cum Comitiſſa Joſepha de Weſſell præclaræ Nobilitatis Virgine, & ſubinde conſummati, habuit recurſum ad ſedem Apoſtolicam, quæ per Breve cauſam delegavit Archiepiſcopo Leopolienſi, qui ſententiam tulit, in qua validum fuiſſe declaravit Matrimonium, Principemque cohærenter condemnavit ad præſtanda Comitiſſæ obſequia matrimonialia uti ſuæ legitimæ Conjugi.

Delata fuit ſubſequenter cauſa ad hanc Sacram Congregationem, diſputatoque *die* 20. *Septembris* 1715. ſequenti dubio, *an Matrimonium eſſet validum*, affirmativum prodiit reſponſum, informante tantum Comitiſſa, & Principe jura ſua deducere negligente, & in ſequelam mox memorati reſcripti prodiit coram A. C. Sententia ſuper ejus executione, taxatis alimentis nobili mulieri ſuppeditandis in annuis talleris ſex millibus; aſſumptoque ſubinde inter partes quodam tractatu amicabilis concordiæ, res eo devenit, ut conſtituto annuo proventu librarum 16000. monetæ Franciæ ſuper vectigalibus illius Regni favore Principiſſæ duraturo uſque ad exitum Cauſæ, indulta fuerit Principi facultas jura ſua experiendi in quocunque Tribunali ſuper prætenſa nullitate Matrimonii; quocirca delata iterum cauſa ad hanc Sacram Congregationem cum clauſula, ut procederet cum voto Rotæ, propoſitum fuit in dicto Auditorio *die 6. Martii* 1722. dubium, *an Matrimonium ſuſtineretur*, omnibuſque ſuffragantibus, reſponſum fuit *affirmative*, & quia D. Principis Defenſores in eadem audientia inſtabant pro conceſſione Remiſſoriæ, & ſubdelegatione Judicis in partibus, reſcriptum fuit *ad mentem*, quæ fuit, ut opportunum ſuper ea re dubium proponeretur, uti colligitur ex deciſione edita *dicta die 6. Martii* 1722. *coram Reverendiſſ. Lancetta Decano*.

Ad tramites reſcripti Rotalis inſtitutum fuit particulare examen ſuper conceſſione Remiſſoriæ, & admiſſione Poſitionum, adeoque propoſito *die* 4. *Maii* 1722. ſubſequenti dubio, *an eſſet concedenda Remiſſoria, & an, & quomodo eſſent admittendæ Poſitiones*, reſponſum fuit *negative quoad conceſſionem Remiſſoriæ, & quoad admiſſionem Poſitionum affirmative juxta modum*, & modus fuit, ut non retardato curſu Cauſæ, admitterentur Poſitiones clauſæ, & ſigillatæ, ſed poſtquam ab aliquo ex Auditoribus Rotæ in Cauſa ſuffragaturo, & ab ipſo Ponente Poſitiones examinatæ, & recognitæ fuiſſent, uti plene deſumitur ex deciſione *edita die* 4. *Maii* 1722. *coram Reverendiſſimo Decano*.

Petita fuit a Principe nova audientia, eademque fuit conceſſa quoad Poſitiones tantum; cumque in Rota habita *die* 15. *Martii* 1723. nulla ob ſuffragiorum ſciſſuram capta fuiſſet reſolutio, *die tandem* 14. *Maii ejuſdem anni*, propoſito conſueto dubio, *an eſſet ſtandum, vel recedendum a deciſis*, reſponſum fuit *pro perſiſtentia in deciſis juxta modum*, & modus fuit, quod Poſitiones darentur apertæ, & quod a Ponente eæ reſecarentur, quæ impertinentes, aut captioſæ viſæ fuiſſent, uti plene habetur *ex deciſione edita dicta die coram Reverendiſſimo Lancetta*, & ad formam iſtarum Reſolutionum Sac. Rotæ Auditorium demandavit, Cauſam expediri ſuper denegatione Remiſſoriæ, & Poſitionum admiſſione, & ſubſequenter deventum fuit ad cauſæ expeditionem, hoc eſt ad prolationem ſententiæ, necnon ad exhibitionem voti, in quo dictum eſt, Sacram Rotam eſſe in ſenſu pro denegatione Remiſſoriæ, & admiſſione Poſitionum modo mox expoſito.

Secuta voti editione, Principis Defenſores inſteterunt coram me tanquam Secretario hujus Sac. Congregationis, ut dubium ſubſcriberem ſuper executione, vel non executione voti; cumque ipſe reſponderim, aliud eſſe deciſionem, aliud ſententiam, & aliud eſſe votum, nec Sacram hanc Congregationem poſſe in hac cauſa procedere, licet edita eſſet deciſio, & prolata foret ſententia, niſi votum ulterius exhibitum fuiſſet, fuit a prædictis Defenſoribus coram me juſtificatum, nedum Rotam edidiſſe deciſionem, & protuliſſe ſententiam, ſed etiam votum exhibuiſſe, novaque ſubinde a me excitata difficultate, quod deciſio, ſententia, & votum non reſpiciebant validitatem Matrimonii, cujus judicium adhuc in Rota pendebat, ſed Remiſſoriam tantum, & Poſitiones: in quo rerum themate incongruum videbatur, ut Cauſa in hac Sac. Congregatione proponeretur, cum ex una parte iidem Principis Defenſores cauſam dicerent eſſe in hac Sacra Congregatione radicatam, & ad eam conſequenter pertinere, ut inſpiceret de ſubſiſtentia, vel inſubſiſtentia voti Rotalis, ſive illud pertineret ad validitatem Matrimonii, ſive ad Remiſſoriam, & Poſitiones, & ex alia parte Principiſſæ Defenſores ſæpius auditi conſenſum præſtarent diſputationi dubii ſuper Remiſſoria, & Poſitionibus in hac Sacra Congregatione, ne dubitare viderer de juriſdictione, de qua Partes ipſæ non dubitabant, & propoſita a Defenſoribus Principis ratio penes me eſſet maximi momenti, deveni tandem ad ſubſcriptionem dubii ad calcem hujuſce Reſtrictus referendi.

Porro in eo, quod attinet ad Remiſſoriam, cum Principes probare intenderet, Matrimonium nullitatis vitio laboraſſe, ex quo bini Teſtes eidem non interfuerunt, cenſuit Rota non eſſe locum Remiſſoriæ, ex quo ad id comprobandum nihil aliud afferri poterat, quam atteſtatio alterius Teſtis, qui Matrimonio interfuit, cujus dictum etiam judicialiter receptum non erat profuturum, tum quia unicus Teſtis non probat, tum quia ejus dicto ſemper adverſaretur Parochi fides, & tandem quia idem Teſtis examinandus fatetur ſe interfuiſſe celebrationi Matrimonii, & una cum D. Comitiſſa Weſſell adfuiſſe etiam quandam mulierem amicam ſuam; in quo rerum themate aſſertus defectus alterius Teſtis ſupplementum recipere ab interventu hujus Mulieris, uti plene habetur in ſupra citatis Rotæ deciſionibus.

Et quia præter mox expoſitum articulum, alii a Defenſoribus Principis exhibiti fuerunt, Principiſſæ Defenſores totis viribus contendunt, eos non eſſe admittendos; nec enim inquiunt, eſſe admittendum illum, quo probari prætenditur nec Principem, nec Principiſſam contraxiſſe domicilium in Civitate Gedani, cum pro validitate Matrimonii ſatis ſit, quod eidem interſit Parochus alterutrius ex Contrahentibus, Parochuſque Gedani eſſet Parochus Principiſſæ, quæ per decem menſes ante Matrimonium in dicta Civitate habitaverat, conſimileque putant ferendum eſſe judicium de cæteris articulis, in quibus probandum proponitur, nec alterum ex Teſtibus, qui Matrimonio interfuiſſe dicuntur, nec mulierem loco Teſtis in deciſione ſubrogatam potuiſſe audire verba contrahentium, neque Sacerdotem, qui pariter Matrimonio interfuit, fuiſſe Parochum ſubrogatum, tum quia nullus datur fumus talis abſentiæ memoratorum Teſtium, ut audire non potuerint, tum quia ex atteſtatione Officialis Gedanenſis deſumitur, Sacerdotem, qui Matrimonio interfuit, fuiſſe Parocho ſubrogatum; Sermonemque transferendo ad Poſitiones, iidem Principiſſæ Defenſores earum admiſſionem non impugnant, dummodo exhibeantur apertæ, cum ita ſit ſtylus Auditorii Rotæ, & ſit etiam de jure Communi, quando agitur de muliere, quæ debeat reſpondere, non attento, quod id non procedat, quando agitur de muliere virili animo prædita, cum pudor, quo affici ſolent mulieres in contrahendo Matrimonio, lapſuſque duodecim annorum a die, quo illud contractum fuit, ſint circumſtantiæ præponderantes, forti & virili animo Principiſſæ.

Principis e contra Defenſores toti ſunt in demonſtrando relevantiam materiæ articulatæ, & ſic neceſſitatem Remiſſoriæ, quæ in quacunque inſtantia eſt concedenda, quando materia eſt relevans, & quæſtio reſpicit cauſam Matrimonialem, & quatenus fumus materiæ articulatæ eſſet neceſſarius, fumus quoad celebrationem Matrimonii coram non proprio Parocho deducitur ex veriſimilitudine, cum Comitiſſa addicta obſequiis Sereniſſimæ Principiſſæ Poloniæ, & penes ipſam Olaviæ moram trahens, ſe ad Civitatem Gedani tranſtulerit, ad effectum contrahendi Matrimonium, & ſine animo relinquendi ſervitium Principiſſæ; fumus quoque quoad defectum veræ ſubrogationis in Parochum, loquendo de Presbytero, qui interfuit Matrimonio, nedum reponitur in hoc, quod ejus ſubrogatio non fuit deſcripta in libro, in quo Matrimonia deſcribuntur, ſed etiam in maxima inveriſimilitudine, quod Parochus loci alium voluerit ſubdelegare, ut aſ-

ſiſteret non vulgari Matrimonio, ſed Matrimonio a Regio Principe contrahendo, & fumus denique circa defectum præſentiæ duplicis Teſtis eruitur ex depoſitione, licet extrajudiciali alterius ex Teſtibus, qui fuit præſens Matrimonio, & alterum Teſtem aſſeruit non fuiſſe præſentem, ſed valde diſtantem a conſpectu Presbyteri, & Sponſorum, itaut nec videre, nec audire potuerit, quæ coram ipſo geſta ſunt. Et in eo quod attinet ad Poſitiones, iidem Principis Defenſores dicunt, eas admitti debere, ſed clauſas, cum id ſit de Jure Canonico *juxta gloſ. in cap.* 1. *in verbo ſtatuimus de confeſſis in* 6. quod jus eſt in Sacris Congregationibus præcipue attendendum.

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur,

An Votum Rotale ſuper denegatione Remiſſoriæ, & Poſitionum clauſarum ſit exequendum, vel potius concedenda ſit Remiſſoria, & Poſitiones admittendæ ſint clauſæ in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Affirmative ad primam dubii partem, & negative ad ſecundam, & amplius.

QUÆSTIO CCCLXXXI.

In Cauſa Gravinenſi, die 10. Junii 1724.

SUB obtentu, quod quidam Orontius de Matthia alias *Saracbella* eſſet publicus Peccator, ex quo notorium eſſe dicebatur, quod falſas atteſtationes, & falſa emiſiſſet juramenta, demandatum fuit ejus Parocho, ne ei tempore Paſchatis Sacratiſſimam adminiſtraret Euchariſtiam; cumque prædictus Orontius ad Eccleſiam Cathedralem acceſſiſſet una cum Notario, & Teſtibus, & Parochus prædictæ Cathedralis eum ad Communionem, quam publice petebat, non admiſerit, eidemque inſinuaverit, quod ad proprium Parochum accederet, re ad Epiſcopum delata, Parochoque Cathedralis ulterius inſinuante, quod ſibi non videbatur, eum eſſe ſufficienter inſtructum in miſteriis noſtræ Sanctiſſimæ Fidei, Epiſcopus *die* 30. *Martii* 1723. ejus Parocho demandavit, ut eum interim non admitteret ad ſatisfactionem annuæ Communionis, donec recte inſtrueretur in neceſſariis rudimentis Fidei, & Miſteriis Sacramentorum, commiſitque Franciſco Gallo Abbati Collegiatæ Eccleſiæ S. Nicolai, ut eum charitative inſtrueret, & in ſcriptis referret, & poſtremo Curiæ mandavit, ut ſuper denunciatione facta a Parocho Eccleſiæ Cathedralis diligens caperetur informatio.

In executionem hujuſce mandati nonnulli Teſtes examinati fuerunt, qui factum ſupra expoſitum comprobarunt; cumque Orontius in Curia pluries comparuiſſet, & inſtetiſſet pro admiſſione ad Sacram Communionem, & ulterius aſſeruiſſet, ſe acceſſiſſe ad Abbatem Collegiatæ Eccleſiæ S. Nicolai, & ab eo non fuiſſe inſtructum in Fidei Miſteriis, ſed ſollicitatum ad exarandas nonnullas atteſtationes in quibuſdam Cauſis civilibus, idemque Abbas retuliſſet, quod Orontius ad ſe aliquibus vicibus acceſſerat, ſed quod amplius non redierat, ſeque opinari, eum eſſe incapacem Sanctiſſima Sacramenta recipiendi, bina edita fuerunt a Vicario Generali Decreta, ſive proviſiones, in quarum prima edita *die* 6. *Aprilis* 1723. demandavit, ut continuate ſe conferret ad dictum Abbatem, ad effectum reportandi ſufficientem inſtructionem, & in altera edita *die* 29. *Aprilis ejuſdem anni* demandavit, ut procederetur contra ipſum ad declaratoriam Cenſurarum.

Appellatione ab Orontio interpoſita ad Curiam Metropolitanam Acheruntinam, & expedita per ipſam conſueta inhibitione vigore appellationis, non obſtante comparitione Promotoris Fiſcalis Gravinen. qui proteſtatus eſt, eſſe non poſſe in hiſce Cauſis locum appellationi, prolata fuit a Vicario Capitulari Acheruntino Sententia præcipiens, Orontium admittendum prius ad Sacramentum Pœnitentiæ, & deinde ad Sacramentum Euchariſtiæ, habitoque a Promotore Fiſcali Gravinen. recurſu ad hanc Sacram Congregationem, ejuſque inſtantia, ipſo tantum informante, perlecta inter ſummaria precum, reſcriptum fuit *die* 17. *Julii* 1723. laudandum eſſe Epiſcopum Gravinen. & ejus Decretum fuiſſe, & eſſe exequendum, & ſcribendum Vicario Capitulari Acheruntino, quod nec poterat, nec debebat appellationem recipere, & quod omnino inpoſterum abſtineret a ſimilibus.

Habita ab Orontio notitia hujuſce reſcripti, ipſe petiit audiri, & Cauſam in folio deſcribi, & in præſenti proponitur dubium ad calcem Reſtrictus referendum.

Jura Promotoris Fiſcalis Gravinen. ad ſequentia capita reducuntur; Primum eſt, quod publico Peccatori Euchariſtiam, ſive publice, ſive privatim petenti, eadem eſt deneganda juxta illud Domini: *nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos*, & facit Textus *in Canone pro dilectione de conſecrat. diſt.* 2.

Secundum eſt præceptum annuæ Communionis in Paſchate urgere, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione abſtinendum ſit, uti legitur *in capit. omnis utriuſque de pœnitentiis, & remiſſ.*

Tertium eſt, quod inter propoſitiones ab Innocentio XI. damnatas ſexageſima quarta eſt ea, quæ ſequitur, *abſolutionis capax eſt homo, quamtumvis laboret ignorantia Miſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Miſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.*

Ultimum denique eſt, quod in cauſis correctionis morum, non obſtante quacunque conſuetudine appellari non poteſt ante definitivam Sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, niſi gravamen per definitivam Sententiam reparari, vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit *juxta Seſſ.* 13. *cap.* 1. *de Reform.* & in Decretis Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium editis *anno* 1600. & impreſſis *apud Gallemart ad dicti Concilii locum* ſic legitur, *in Cauſis vero Viſitationis Ordinariorum, aut correctionis morum, quo ad effectum devolutivum tantum admittantur, niſi de gravamine per definitivam irreparabili agatur.*

Jura e contra Orontii conſtituuntur in hoc, quod etiam in Cauſis correctionis morum appellari poteſt in devolutivo, & etiam in ſuſpenſivo, quando judicialiter proceſſum fuit, uti proſequuntur allegata Decreta anni 1600. ibi: *vel cum Viſitator, citata parte, & adhibita cauſæ cognitione, judicialiter procedit; tunc enim appellationi locus erit etiam quoad effectum ſuſpenſivum.* Additur, eandem Curiam juſte proceſſiſſe, cum ipſe per Examinatores ab eo deputatos idoneus repertus fuerit, & ſufficienter inſtructus. Se ulterius eſſe Confratrem cujuſdam Confraternitatis, & Sacramenta ſemper frequentaſſe juxta dictæ Societatis Inſtitutum, nec impactam falſitatis notam ullo modo ſubſiſtere, cum nunquam fuerit inquiſitus, aut de ea proceſſatus.

Jura circumferuntur; quocirca quæritur,

An Sententia Curiæ Metropolitanæ Acheruntinæ ſuſtineatur, ſive potius ſit exequendum Decretum Curiæ Epiſcopalis Gravinen. in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Ad primam dubii partem negative, & ad ſecundam affirmative, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCLXXXII.

In Cauſa Romana Cappellaniæ, die 10. Junii 1724.

NOBILIS Matrona Marchioniſſa Hieronyma Cavaleria de Ginettis in ultimo, cum quo deceſſit Teſtamento, hæredem univerſalem ſibi ſcripſit opus pium quinque Cappellaniarum inſtituendarum in Eccleſia S. Andreæ de Valle, *e per queſte Cappellanie voglio, che ſi aſſegni un fondo, e Capitale ſufficiente, acciò ogni Cappellano poſſa, e debba celebrare ogni giorno una Meſſa in perpetuo nell' Altare di detta Cappella de' Signori Ginnetti, e ſia tenuto applicare ogni giorno il Santo Sacrificio per l' Anima mia &c.* Superaddita declaratione, quod hæ Cappellaniæ ſemper eſſent Legatum pium laicale, & nullatenus Eccleſiaſticum Beneficium.

Eadem Pia Teſtatrix in Codicillo erigi juſſit aliam Cappellaniam, *un' altra Cappellania oltre le già determinate nel detto mio Teſtamento con i medeſimi obblighi, che hanno gli altri cinque Cappellani di celebrare, & applicare la Meſſa.* Hujuſque ſextæ Cappellaniæ Patronatum reliquit Marchioni Scipioni Lancellotto, hac impoſita obligatione nominandi alterum ex filiis Dominici Cajetani Telluri, eoque non exiſtente, unum ex fratribus dicti Dominici, & quando hic Sacerdotium aſſumere nollet, alterum ex Nepotibus ex fratre dicti Dominici, qui velit fieri Sacerdos, *e finchè non ſi facci uno de' ſuddetti Sacerdote, poſſa il ſuddetto Signor Marcheſe nominare un altro Sacerdote pro interim, il quale ſubito fatto Sacerdote uno de' ſuddetti, ſia tenuto dare, o cedere la Cappellania ad uno dei Nipoti del medemo come ſopra, dichiarando però che ſe veniſſe il caſo, che la prima nomina toccaſſe al fratello di detto Domenico, & uno dei figliuoli del medemo, che eſſo vorrà, ſi faceſſe Sacerdote, in queſto caſo*

il fratello nominato debba lasciare la Cappellania, & in questa debba succedere il suddetto figlio, e non altrimenti: & paulo infra, se poi venisse il caso, che tutti i suddetti fossero affatto incapaci, o premorissero al detto Signor Marchese, egli abbia la facoltà di nominare un altro Sacerdote a suo beneplacito.

Non existente in Familia de Telluris aliquo capace, Marchio Scipio Lancellotus *die 9. Aprilis* 1722. nominavit in perpetuum Cappellanum præfatæ sextæ Cappellaniæ Philippum Vannum Clericum in Minoribus constitutum, & ex hac nominatione ad effectum dignoscendi, an nominatus sit capax, nec ne, disputandum in præsenti proponitur dubium, *an Cappellania sit Sacerdotalis.*

Scribens pro hæreditate Marchionissæ Hieronymæ contendit, eam esse Sacerdotalem, cum Testatrix vocaverit Filios, Fratres, & Nepotes Dominici Telluri in hypothesi, in qua alter ex eis insigniri vellet charactere Sacerdotali, hinc inferendo, quod si Testatrix Sacerdotium requisivit in personis sibi cognitis, & a fortiori eandem qualitatem requisivit in aliis Personis subsidiarie vocatis, & sibi incognitis, & multo magis cum eadem voluerit, ut Marchio alium Sacerdotem nominaret pro interim, & donec alter de Telluris fieret Sacerdos.

Addit, non esse constituendum momentum in vulgari propositione, quod ad effectum, ut quis teneatur celebrare per seipsum, necesse omnino sit, quod celebratio per seipsum a Testatore demandetur, cum aliud sit, quod Cappellanus teneatur celebrare per seipsum, vel possit celebrare per alium; aliud, quod Cappellania sit Sacerdotalis; ad hunc etenim effectum inspicitur, an qualitas Sacerdotalis fuerit adjecta verbo deputationis, electionis, & nominationis, prout contendit in hypothesi contigisse, concludendo, Philippum Vannum esse Cappellaniæ incapacem, cum tempore nominationis nec esset Sacerdos, nec intra annum promoveri posset, aliique adsint ex Familia de Telluris capaces assequendi Sacerdotium, in quo rerum statu Testatrix voluit, quod Marchio Sacerdotem nominaret, qui Cappellaniam retineret, usque quo alter ex Telluris fieret Sacerdos.

Scribens e contra pro Philippo Vanno inquit, non fuisse requisitam qualitatem Sacerdotii, cum non fuerit imposita Cappellano lex celebrandi per alium, sed existente incapacitate illorum de Telluris concesserit Marchioni Scipioni liberam facultatem nominandi *un altro Sacerdote a suo beneplacito*, & quia magna vis ex adverso constituitur in hoc, quod qualitas Sacerdotii fuerit requisita in illis de Telluris juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, respondetur non valere illationem ab uno ad alium casum juxta firmata in his terminis per Rotam *decis. 719. num. 4. part. 2. recent.* & eo fortius, quia Testatrix, quando voluit præceptive procedere, usa est verbis præceptum importantibus, *il quale debba nominare uno de' figliuoli*, quibus verbis, cum usa non sit, sed alia potius adhibuerit facultatem importantia, quando loquebatur de Sacerdote pro interim a Marchione eligendo *possa nominare un altro Sacerdote pro interim*, concluditur qualitatem Sacerdotii volitam in uno casu non fuisse volitam in alio.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An Cappellania, de qua agitur, sit Sacerdotalis in casu, & ad effectum &c.

Sacra Congr. die 9. Septembris 1724. respondit,

Cappellam esse Sacerdotalem actu, & nominationem Philippi Vanni non sustineri, & amplius.

QUÆSTIO CCCLXXXIII.

In Causa Novarien si, die 10. Junii 1724.

IN Oppido Burgi Manerii Diœcesis Novarien. de quo plura habentur *apud Carolum Episcopum Novariensem lib. 1. de Ecclesia Novariensi pag.* 115. aderat Parochialis Ecclesia S. Bartholomæi, quæ olim administrabatur ab uno Parocho, & tribus in Animarum cura Coadjutoribus: eademque Parochialis Ecclesia *anno* 1681. erecta fuit in Collegiatam, & in Bulla Erectionis disponitum fuit, ut Rector assumeret titulum Præpositi, & Primæ Dignitatis, alii tres Sacerdotes Coadjutores una cum aliis Beneficiatis numerum duodenarium complentibus titulum assumerent Canonicorum, & quod a Præposito, & tribus Canonicis Coadjutoribus curatis functiones Parochiales, ut antea, privative quo ad alios Canonicos explerentur, uti habetur in Bulla erectionis.

Res feliciter se habuerunt plurium annorum spatio, sed cum celebrante Præposito Missam Conventualem fuerit ab ipso facta quædam denunciatio Matrimonii, & in Missis etiam Conventualibus Concionem ipse ad Populum habuerit, contentiones inter dictum Præpositum, & Canonicos exortæ sunt, contendente Præposito sibi licere denuntiationes Matrimoniorum, cæterasque Parochiales functiones explere in celebratione Missæ Conventualis, etiam Capitulo contradicente, eodemque Capitulo e contra sustinente, prædicta a Parocho esse peragenda in celebratione Missæ Parochialis, & contendente ulterius Præposito, sibi licere absque consensu Capituli Concionem habere ad Populum diebus Dominicis, & Festis inter solemnia Missæ Conventualis, & e contra asserente Capitulo, Conciones dicto modo ad summum haberi posse temporibus Quadragesimæ, & Adventus, aut saltem e suggestu, & re prius Canonicis communicata.

Delata hujus controversiæ cognitione ad hanc Sacram Congregationem, exquisita fuit juxta morem informatio Eminentissimi Episcopi, qui post relata hinc inde jura, sic in sua concludit Informatione. *Ego summam hanc quæstionis sub Judice vix futuram arbitror, quatenus faces sant æmulatio, & invidia; neque enim denunciationes ad Populum, sive monitiones cujusvis generis a Præposito dixerim ex conducto referendas in Missam Conventualem, quatenus expleri valeant in Missa Parochiali, neque e contra eidem vinculum injiciendum, quin justis, & rationabilibus de causis aliquando forsan inopinato supervenientibus, utique perficiantur, præcipue dum alius non celebrat; Concionari vero quenquam aptius e suggestu, quam ab ipso Altari, ac citra semper cavillationem, & discrete, ut supra, sive in Conventuali Missa, sive quandocunque, nequaquam arcendum censerem Præpositum, virum sane egregium opere, & sermone potentem exhortari, etiam juxta contingibilem, plus, vel minus Populi affluentiam, quæ sane major, ut plurimum, est in ultima dicta Missa, quam in alia Parochiali, licet in hoc quoque diversa utrinque testimonia afferantur.*

Atque hinc descendendo ad Jura Capituli, quæ fusius exponuntur in scriptura per manus circumferenda, primum desumitur *ex cap. 1. sess. 23. de Reform.* ubi Parochis mandatur, Missam celebrare, & applicare pro Populo; cumque *Sess. 24. cap. 11. de Reform. Matrimonii* statuatur, denunciationes Matrimoniales fieri debere inter Missarum solemnia, hinc utrumque caput conjungendo, infertur, denunciationes esse faciendas in Missa, quæ a Parocho celebratur, & sic in Missa Parochiali, & non in Missa Conventuali.

Secundum constituitur in Decreto facto ab Odescalcho Episcopo Novarien. in visitatione *anni* 1663. ubi etiam ante erectionem Parochialis Ecclesiæ in Collegiatam, cum duplex Missa in eadem celebraretur, Parochialis videlicet, & Conventualis, statutum legitur, quod publicatio Edictorum, & alia quæcunque spectantia ad munus Parochiale, in Missa Parochiali, & non in Conventuali explerentur.

Tertium reponitur in praxi, & consuetudine, nedum Collegiatæ Ecclesiæ S. Bartholomæi, de qua nunc agitur, sed etiam aliarum vicinarum Collegiatarum, quæ inlimul sunt Parochiales, quibus omnibus si superaddatur, majorem esse Populi concursum, & plurium personarum interessentiam verificari quoad Missam Parochialem, quam quoad Conventualem, concludit Capitulum, nihil ultra desiderari posse ad effectum propositam quæstionem resolvendi, rejiciendo memoratas functiones a Missa Conventuali, & easdem ad Parochialem transferendo.

Succedunt Jura Præpositi, quæ pariter in scriptura per manus circumferenda fuse exponuntur; Et in eo quidem, quod attinet ad denuntiationes Matrimoniorum, cæterasque Parochiales functiones, quidquid sit de Decreto Episcopi Odescalchi, utpote edito, antequam Parochialis esset erecta in Collegiatam, urgent disposita in Synodo 11. Diœcesana Mediolanensi sub S. Carolo Borromæo inter Acta Ecclesiæ Mediolanen. *pag.* 341. ubi sic legitur, *denuntiationes Matrimoniorum, dierum festorum, vigiliarum, seu jejuniorum, & hujusmodi Parochialia officia omnia intra Missæ Conventualis solemnia præstentur, ubi Collegiatæ Ecclesiæ sunt Parochiales.*

In eoque, quod spectat ad Conciones, cum in Parochiali, & Collegiata S. Columbani Oppidi Blandrati Diœcesis Vercellen. exorta esset Controversia inter Parochum, & Præpositum, & Canonicos super Prædicatione tempore potius Missæ Parochialis, quam Conventualis, Sacra hæc Congregatio *die 14. Novembris 1711. lib. 61. Decret. pag.* 498. *a tergo* respondit, Præpositum esse manutenendum in quasi possessione Evangelium explicandi tempore Missæ Conventualis, quod ipsum fuit confirmatum *die 27. Maii 1713. pag.* 221. *lib. 63. Decret.* haud attento, quod hæc prodierunt in simplici possessorio, cum prima vice propositum fuerit dubium, *an Præpositus sit manutenendus in quasi possessione*, cui dubio *affirmative* responsum fuit, & secunda vice disputatum fuerit, *an esset standum, vel recedendum a decisis*, & responsum fuerit *pro persistentia in decisis quoad possessorium tantum*, vel quia Præpositus Burgi Maneril prætendit, se esse in possessione tam prædicationem, quam alia explendi in Missa Conventuali, vel quia cum Sacrum Concilium *sess. 24. cap. 7. de Reform.* Sacrotum Eloquiorum explanationem Parochis mandet *singulis diebus festis, vel solemnibus inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem*, verba hæc potius referenda dicuntur ad Missam Conventualem, quam ad Missam Parochialem, & multo magis cum frequentior sit Populi accessus ad Conventualem, quam ad Missam Parochialem, & Populi utilitas ea sit, quæ in re, de qua nunc agitur, præ oculis potissimum haberi debet.

Hisque stantibus, quæritur,

I. An Denunciationes Matrimoniorum, & Ordinariorum, aliaque similes functiones Parochiales faciendæ sint in celebratione Missæ Parochialis, quæ celebratur in Parochiali, & Collegiata Burgi Manerii, seu potius liceat Præposito, & Parocho ejusdem Collegiatæ, illas facere in celebratione Missæ Conventualis, contradicente Capitulo in casu &c.

II. An liceat eidem Præposito, & Parocho habere Conciones ad Populum in diebus Dominicis, & festivis inter celebrationem dictæ Missæ Conventualis absque consensu Capituli in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Julii 1724. respondit,

Ad Primum arbitrio Parochi. Ad Secundum affirmative dummodo fiant ex suggestu, & non excedant medietatem horæ.

QUÆSTIO CCCLXXXIV.

In Causa Comensi, die 10. Junii 1724.

SACERDOS Antonius Cantoni nominari obtinuit a Communitate Locorum Bioggii, & Gaggi Ditionis Helveticæ ad Officium Vice-Curati amovibilis in Ecclesia S. Mauritii; cumque subinde idem Sacerdos fuerit a Sede Apostolica provisus de Canonicatu in Ecclesia Collegiata S. Joannis Baptistæ de Agno, Summo Pontifici supplicavit pro retentione Vice-Curæ, & Canonicatus, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Scriptum fuit juxta motem Episcopo pro informatione, & voto; cumque hic responderit, Vice-Parochum, nihil aliud esse, quam Mercenarium, & Ministrum amovibilem, ipsum etiam exercere curam Animarum in Ecclesia S. Mauritii, nomine, & Vice-Præpositi Ecclesiæ Collegiatæ S. Joannis Baptistæ, modicos insuper esse reditus tum Vice-Curæ, tum Canonicatus, unam denique, eandemque personam bene posse utrique muneri satisfacere, cum residentia Choralis ad dies tantum festos, & ad interessentiam Tertiæ, Sextæ, & Nonæ Canonicis horis, Missæque Conventuali, & Vesperis sit reducta, Sacra Congregatio remisit arbitrio, & conscientiæ Ordinarii concessionem retentionis Vice-Curæ, & Canonicatus, & Ordinarius licentiam concessit exercendi dictam Vice-Curam ad annum.

Supplex interea libellus nomine Communitatis Sacræ Congregationi exhibitus est, & cum in eo assereretur, impracticabile esse, quod una, eademque Persona utrique muneri satisfaceret, novæ ad Episcopum datæ sunt litteræ, ut supersederet in executione rescripti, & partibus terminum præfigeret ad sua jura deducenda, factaque termini præfixione actum iterum fuit de hac re inter summaria precum.

Tunc Sacerdos Cantonus pro Vice-Curæ, & Canonicatus retentione attulit primam Episcopi informationem supra relatam, necnon attestationem Præpositi, & Canonicorum Collegiatæ, & aliorum, qui dixerunt, posse utrumque munus ab una, eademque Persona adimpleri, & de facto bene adimpleri a Cantono; & e contra Communitas attulit aliorum Testium dicta conquerentium de necessariorum defectu, & signanter quoad horam celebrationis Missæ, ex quo Cantonus satisfacere debebat interessentiæ in Ecclesia S. Joannis Baptistæ juxta sui Canonicatus obligationem, Deductum quoque fuit Testimonium Vicarii Foranei hoc ipsum asserentis; cumque ageretur de gratia, cujus concessio, vel denegatio dependebat a compatibilitate, vel incompatibilitate insimul adimplendi utrumque munus, Vice-Curati vi-

delicet, & Canonici, proposita instantia in Congregatione habita *die 18. Septembris 1623.* rescriptum fuit *prævio recessu a decisis, non posse Cantorum infimul retinere Canonicatum, & Vice-Curam.*

Petita fuit, & obtenta a Cantono nova audientia una cum descriptione in folio, & in scriptura ejus nomine per manus circumferenda nedum inculcantur ea, quæ in præteritis deducta fuerunt, sed alia plura superadduntur, & signanter, quod suæ remotionis instantia non promovetur a Communitate, sed a quibusdam particularibus, assumpto nomine Communitatis: Rursus prædictam instantiam non oriri a bono zelo, sed a vindicta, cum longam ipse in Tribunali Rotæ litem habuerit, in qua victor evasit, itaut Clericus Petrus Franciscus de Rubeis fuerit amotus a Vice-Curatu Ecclesiæ S. Mauritii, quasi quod prædicto Clerico faventes sint illi, qui præsentem confovent controversiam; plura denique ab ipso cumulantur ad effectum suadendi compatibilitatem Vice-Curæ cum Canonicatu, & signanter cum de præsenti quidam Soldatus Canonicatum habeat in Collegiata Agni, & administret Vice-Curam loci Vernati, qui magis distat a Collegiata, quam locus Bioggio; Circumferentur quoque partis adversæ scripturæ, quæ licet a me fuerint requisitæ, eas tamen habere datum non est. Quocirca quæritur,

An sit standum in primo, vel secundo loco decisis.

Sacra Congr. die 8. Julii 1724. respondit,

Standum esse in secundo loco decisis, & amplius.

QUÆSTIO CCCLXXXV.

In Causa Mediolanen si, die 10. Junii 1724.

HIERONYMUS Antonius Bonacina Clericus Mediolanensis, & constitutus in ætate annorum 22. cupit Sacris Ordinibus initiari, supplicatque pro dispensatione ab irregularitate forsan contracta, ex quo quatuor ab hinc annis fuit Energumenus, sive Arreptitius, vel a Dæmone obsessus; duo enim jam anni elapsi sunt, quorum decursu nullam, Deo dante, passus est a Dæmone vexationem, quæ circumstantia nedum in ejus supplici libello exponitur, sed etiam confirmatur in Informatione Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi, in qua hæc habentur, *cum itaque irregularitas in Causa per Oratorem proprio delicto, aut defectui non sit adscribenda; jure merito sperare potest gratiam, pro qua supplicat; maxime cum jam labatur biennium, quo omnino liber ab omnibus reputatur, cum nullum recidivæ signum dederit, fidem de præmissis facientibus de credulitate publicis Exorcistis.*

Scribentes de hac materia in varias dividuntur opiniones. Nonnulli putant, eum, qui a Dæmone obsessus fuit, si a vexatione liberatus est, posse ad Ordines promoveri, nisi ex memoria morbi remanserit aliqua infamiæ nota, & occasio offensionis. *Gonzal. in cap. cum de tua num.* 10. *de corpore vitiatis, Gibalin. de Irregul. cap. 3. conject. 9. per totam, Diana rerum morat. tom.* 5. *in edit. coord. tract.* 5. *resolut.* 60. Alii e contra putant, ad Ordines promoveri non posse illum, qui fuit Energumenus, etiamsi liberatus sit, posse tamen in Ordinibus susceptis ministrare, si per spatium unius anni non fuerit a Dæmone vexatus, & Episcopus eum dispensaverit, *Suarez de Censuris disput.* 51. *sive ultima sect.* 1. *num.* 7. *Sayrus eodem tract. de Censuris lib.* 6. *cap.* 9. *num.* 14. *pag. mihi* 510. *Bonacina Operum Moral. tom.* 1. *disput.* 7. *de Irregularitate punct.* 2. *proposit.* 1. *num.* 24. *Majol. de Irregul. lib.* 2. *cap.* 17. *Leander Oper. Moral. parte* 5. *tract.* 1. *disput.* 3. *quæst.* 14. *& quæst.* 16. Nec desunt admittentes, quod obsessus olim a Dæmone, licet liberatus, ad ulteriores Ordines ascendere non possit, si sermo sit de ascensu ad Ordines majores, secus autem si quæstio sit de ascensu ad Ordines minores, uti videri potest apud *Bonacinam, & Sayrum loco citato*, contendentibus aliis, præclusam esse Arreptitio, quamvis liberato, viam ad Ordines ulteriores, sive sermo sit de ascensu ad Ordines majores, sive ad Ordines minores, uti plene videri potest apud *Leandrum loco citat. quæst.* 15.

Hæc quoad opiniones Scribentium, & in eo, quod attinet ad Sacros Canones, in quibus unaquæque ex recensitis opinionibus, suum constituit fundamentum, In nonnullis arceri videtur, tam ab Ordinum receptione, quam a receptorum administratione ille, qui est actu a Dæmone obsessus, Textus in *Canone Maritum dist.* 33. ibi: *vel afflictione Diaboli vexatus est*,

& con-

& concordat *Canon* 13. *Concilii Toletani* 11. ibi : *bene quidem majorum regulis definitum est, ut Dæmoniis, aliisque similibus passionibus irretitis ministeria Sacra tractare non liceat, cui præcepto, consensu rationis adhibito, id communiter definimus, ut nullus de his, qui aut in terram arrepti a Dæmonibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, vel Sacris audeant ministrare Altaribus, vel indiscussi se Divinis ingerant Sacramentis.* Alibi quoad obsessos, postquam Ordines receperunt, decernitur, eosdem in Ordinibus ministrare non posse, nisi saltem post unius anni spatium fuerint liberati, & Episcopus suum præstiterit assensum, ut legitur *in Canone Communiter dist.* 33. ibi : *qui tamen, & ipsi tamdiu erunt ab Officii sui Ordine, & loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem Episcopi inveniantur ab incursu Dæmonum liberati.* Quoad obsessos vero, & jam liberatos, an ad Clericatum, si adhuc Clerici non sint, vel ad majores Ordines, si Clerici sint, ascendere, & promoveri possint, aliqua adesse videtur in Sacris Canonibus Antinomia; in antiquo enim, & venerabili *Canone* 78. inter eos, qui Apostolici dicuntur, sic legitur : *si quis Dæmonem habet, Clericus non efficitor, sed nec cum Fidelibus preces fundito. Mundatus vero recipitor, etsi fuerit dignus, efficitor scilicet Clericus;* & e contra *in Canone Clerici dist.* 33. sic disponitur, *Clerici, qui in Adolescentia a Dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possunt*, & hinc factum est, ut nonnulli, quemadmodum visum est, ex Auctoribus, censuerint obsessum a Dæmone, sed liberatum, posse ad Clericatum, & ad ulteriores Ordines promoveri, propter auctoritatem videlicet Canonis Apostolici, cui dicunt derogatum non fuisse ab allegato *Canone Clerici*, cum intelligi hic possit de obsessis a Dæmone, & non liberatis, & alii e contra senserint, obsessum a Dæmone, licet liberatum, esse perpetuo irregularem quoad Ordines suscipiendos, cum Canon Apostolicus editus fuerit tempore, quo pauci inveniebantur, qui Clerici esse vellent, & posterior *Canon Clerici* præsentem rerum statum respiciat, in quo homines non desunt, qui Altaris Ministerio inserviant, & Clericatum assumant.

Postremam hanc opinionem Sacra hæc Congregatio amplexa est *in Panormitana dispensationis* 10. *Aprilis* 1683. ut ex sequenti habetur resolutione. *Frater Mansuetus de Panormo Clericus Ordinis Minorum Observantium Reformatorum S. Francisci ejusdem Provinciæ exponens Sac. Pœnitentiariæ, se per aliquod tempus a Dæmone obsessum jam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit, secum dispensari super irregularitate exinde contracta ad effectum suscipiendi Ordines Sacros. At Sacra Pœnitentiaria audito Procuratore Generali, qui ita retulit : l' esposto dall' Oratove è vero, come appare da una fede autentica sottoscritta da' Religiosi degni di fede, e confermata da quel suo Superiore Provinciale, onde si potrà graziare, se tanto parerà a Sua Beatitudine, instantiam remisit ad hanc Sacram Congregationem, cui proinde supplicatur declarare, an petita dispensatio Oratori sit concedenda &c. Sacra &c. respondit pro nunc negative.*

His stantibus, quæritur,

I. An Orator sit de jure irregularis quoad Ordines suscipiendos in casu, & quatenus affirmative.

II. An ei sit concedenda dispensatio in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Decembris 1724. respondit,
Ad Primum affirmative. Ad Secundum pro nunc negative.

QUÆSTIO CCCLXXXVI.

In Causa Ulixbonensi Occidentali, die 8. *Julii* 1724.

Die 6. Maii anno 1718. contractum fuit in Civitate Ulixbonen. Occidentali coram duobus Testibus, & coram Priore Parochialis Ecclesiæ S. Laurentii a Patriarcha substituto, & electo, ut prævia dispensatione super denunciationibus Matrimonio interesset, Matrimonium de præsenti inter Senatorem Ludovicum Guiffel Barberinum, & Joannam Agnetem de Almada Carnide, cum hac tamen mutua inter contrahentes intelligentia, ut contracto Matrimonio Mulier intra quindecim dies Monasterium Monialium ingrederetur, & elapso Novitiatus anno, Regularem emitteret Professionem, una cum promissione non utendi Matrimonio, nec illud consummandi, pro quo effectu renunciavit omni juri, quod sibi competere posset super persona Ludovici, & cum expressione, quod in hypothesi, in qua aliqua ex hisce conditionibus non adimpleretur, Matrimonium perinde se haberet, ac si nunquam contractum fuisset, & hæc mutua intelligentia fuit in scriptis redacta, & Parocho, & Testibus communicata, & paulo post ad celebrationem Matrimonii deventum est.

Quod autem Matrimonium fuerit contractum inter Joannam, & Ludovicum cum prædicta mutua intelligentia in scriptis redacta, dignoscitur ex Apocha ejusdem Joannæ sequentibus verbis concepta: *Ancorchè il Signor Luigi Guiffel Barberini non debba cosa alcuna al mio onore, con tutto ciò come l' opinione di questo si trova persa, per la facilità, e continuazione, colla quale li miei Padri lo conducevano a mia casa, pregando io il detto Signore coprisse questo mio discredito, ricevendomi per sua Moglie, gli promotto dal giorno, in che questo si farà, fra quindici giorni scegliere Convento, e professare subito nel fine dell' anno lo stato di Religiosa, o in questo Convento della Rosa, o in qualsivoglia altro, e non usare mai del Matrimonio, nè consumarlo, al di cui fine immediatamente rinunzio tutto il jus, che possa avere nella persona di detto Signore, il che faccio di mia molto libera volontà senza violenza alcuna, e mancando io a qualsivoglia di queste condizioni, non ho dubbio, che il detto Matrimonio sia, e si giudichi come se non fosse mai stato fatto, per il che al presente per allora do il mio libero, e costante consenso. Lisbona Occidentale 6. Maggio* 1718.

Quod pariter hæc eadem mutua contrahentium intelligentia fuerit notificata Parocho, & Testibus, qui Matrimonio interfuerunt, desumitur ex depositione eorundem Testium, qui unanimiter referunt, sibi fuisse perlectam Apocham, antequam Matrimonium contraheretur, ejusque tenorem, & causas fuisse sibi oretenus a Ludovico expositas, Parochumque dixisse, *questo Matrimonio si fa nella forma riferita, perchè questa Signora è briosa, vuol vivere nello stato di Religiosa con credito, ed onore*, & Nicolaus Fernandez alter ex Testibus Sacramentalibus subdit, prædicta omnia fuisse a Ludovico repetita in ipso fere actu Matrimonii, & immediate post, *e transferendomi io alla Chiesa, nella di cui crata stava la tal Signora, voltandosi verso di me il detto Signor Luigi Guiffel, disse, questa finezza faccio, perchè vuol esser Religiosa, ed il medesimo mi ratificò dopo sposato molte volte*, & alibi, *ma non sa lui Testimonio, se gli altri lo sentirono, nè anche la Supplicata*, id est, Joanna, *perchè il Supplicante*, hoc est Ludovicus, *disse queste parole in voce bassa*, quæ tamen verba non fuerunt audita a Francisco Gomez altero Teste Sacramentali, ut ipse profesuitur in suo examine: *e senza che precedesse protesta alcuna antecedentemente, che lui Testimonio abbia inteso puramente, e senza condizioni, si sono sposati uno con l' altro nella forma, e colle parole solite della Chiesa, nè dopo lo Sposalizio immediatamente inteso lui Testimonio, che il Supplicante facesse alcun protesto, e dopo nella sera del medesimo giorno, e nel seguente ha ripetuto il Supplicante a lui Testimonio, che abbia fatto quel Matrimonio sotto le condizioni dichiarate nella scritura.*

Quod denique paulo post Apochæ confectionem, ejusque notificationem Parocho, & Testibus factam, celebratum fuerit Matrimonium, dignoscitur ex serie temporis; cum Apocha fuerit confecta die 6. Maii 1718. nocte ejusdem diei eadem fuerit perlecta Parocho, & Testibus, ejusque tenor omnibus prædictis manifestatus, & die immediate sequenti, 7. videlicet Maii hora decima contractum fuerit Matrimonium.

Post contractum modo prædicto Matrimonium, & septem diebus vix elapsis, Joanna in jus vocavit Ludovicum coram Vicario Generali Patriarchatus Ulixbonen. Occidentalis, idemque sententiam protulit pro validitate Matrimonii, sub eo potissimum fundamento, quod voluntarie, & sine ulla coactione fuerat contractum, & quod non repetitis in ipso actu Matrimonii conditionibus præcedenter initis, ab eis in foro saltem externo recessisse dicendum sit, *nell' atto dello Sposalizio non fu fatta tale espressione, anzi fu contratto il Matrimonio pura, e direttamente, come comanda la Santa Madre Chiesa, perchè si deve riconoscere, che da tutti quelli trattati, e proteste antecedenti recede il Giustificante, mentre volontariamente coram Parocho, & Testibus, e senza che dichiarasse condizione alcuna, ha sposata la Supplicata*, uti latius habetur ex ipsa sententia, quæ fuit prolata die 18. Julii 1718.

Appellatione ad Nuntiaturam interposita, Auditor præcedentem sententiam revocavit, & die 14. Octobris ejusdem anni pronuntiavit, bene fuisse appellatum, ea potissimum allata ratione, quod Appellans cogi non poterat

poterat ad obsequia matrimonialia erga appellatam, nisi plene constito in Judicio Ordinario de validitate Matrimonii, de qua maximopere dubitandum erat propter multos, & gravissimos Doctores, qui ejus nullitatem propugnabant, *che la detta nullità*, hoc est Matrimonii, *tiene a suo favore molti, e gravissimi Dottori, che la difendono*, delataque subinde causa ad duos Judices Delegatos, fuit ab his pronunciatum pro validitate Matrimonii, revocata intermedia sententia Auditoris Nuntiaturæ, & confirmata alia præcedenti Vicarii Patriarchalis, uti desumitur ex tenore sententiæ editæ die 11. Augusti 1719. cujus momentum constitutum fuit in eo, quod in ipso actu Matrimonii non fuerunt repetitæ conditiones præcedenter expressæ inter Contrahentes, ibi : *Item Testes assistentes Matrimonio, illud sine aliqua conditione contractum autumant, & licet ante contractionem conditione protestaretur, necesse tamen erat, quod proveniret protestatio in ipsa contractione, dum de præsenti loquitur*, ibi : *contraho tecum, nam si postea pure contrahit, ab illa prima voluntate recessisse videtur.*

Habito adversus hanc sententiam a Ludovico recursu ad Sedem Apostolicam, exhibitoque huic Sac. Congregationi supplici libello, scriptum fuit Nuntio Apostolico pro informatione, eademque ad Urbem transmissa, ipsoque tantum informante, proposita causa in Congregatione habita die 16. Martii 1720. nulla fuit capta resolutio, sed responsum *dilata, & examinentur formiter Parochus, uterque Conjux, & Testes, quatenus non fuerint formiter examinati*, omissisque protestationibus, & aliis actibus judicialibus, tum ex parte viri, tum ex parte mulieris, emissis in Regno Lusitaniæ, quæ omnia legi possunt in scriptura per manus circumferenda, eo tandem res devenit, ut habitis a Ludovico Causæ actis, iter erga Urbem arripuerit, superventaque eidem in itinere periculosa infirmitate, ita ut in Civitate Matritensi suum condiderit Testamentum, in quo de nullitate matrimonii a se contracti novam emisit declarationem, Romam tandem sanitate recuperata advenerit, instantiam in hac Sac. Congregatione promovit pro executione rescripti alias editi die 16. Martii 1720. juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, & die 31. Julii 1723. responsum fuit pro executione decretorum, & quod præfigeretur terminus mulieri ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione.

Cohærenter ad hæc transmissa fuit ad Civitatem Ulixbonen. consueta epistola hujus Sac. Congregationis, & Ludovicus hic in Urbe citata parte, se examini subjecit, impetrataque subinde a san. mem. Innocentio XIII. Commissione huic Sac. Congregationi directa pro causa hac matrimoniali in eadem fortius radicanda, pleraque impedimenta, quæ in Scriptura, & Summario fuse legi possunt, interposita fuerunt, ne illa in hac Sac. Congregatione pertractaretur, itaut Procurator mulieris, qui juxta solitum appositum fuerat *nihil transeat* in Secretaria, ad me accesserit, & ingenue insinuaverit, se amplius in hac causa comparere non posse, ex quo sibi fuerat a Joanna revocatum mandatum ad comparendum, cumque facta horum omnium relatione in hac Sac. Congregatione, ab ea fuerit die 20. Novembris anni præteriti rescriptum, quod causa proponeretur in Congregatione ab Eminentissimo Præfecto destinanda, disputandum in præsenti proponitur dubium, *an Matrimonium sit nullum in casu &c.*

Prætensæ vero nullitatis Matrimonii fundamentum stat in Decretali Summi Pontificis Gregorii Noni, quæ incipit: *Si conditiones de conditionibus appositis*, ubi sic legitur: *Si conditiones contra substantiam Conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri: Contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcunque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ conditiones appositæ in Matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi.* Distinguit in hoc Textu Pontifex conditiones contra substantiam Matrimonii a conditionibus, quæ sunt turpes, aut impossibiles; & licet idem Pontifex inter conditiones pugnantes contra substantiam Matrimonii eas referat, prolem evitandi, vel cum alia contrahendi, aut adulterium permittendi, hæc tamen exempli gratia dicta censeri debent, quo stante idem dicendum erit in omnibus aliis conditionibus, quæ substantiæ Matrimonii adversantur, uti adnotavit *Abbas in dicto cap. si conditiones num.* 2. ibi, *& licet Textus hic ponat tria exempla istarum conditionum contra substantiam, tamen multa alia possunt reperiri*, & sequitur *Ancharan. num.* 2. ibi, *& adverte, quod ista tria ponuntur in Textu gratia exempli, nam idem esset ubicumque esset eadem ratio*, & concordant *Joannes Andreas, Henric. Boich. n.* 5. *Alexander de Nevo n.* 3. *Fagnan. n.* 2. *tit. de conditionibus appositis*; cumque pactum emissum ante Matrimonium, ingrediendi videlicet Religionem, & in ea profitendi, abstinendi insuper ab usu, & consummatione Matrimonii una cum renunciatione cuicumque juri, quod mulieri competere posset super corpore Viri, superaddita expressione, quod in casu non adimplementi, Matrimonium haberetur, ac si nunquam factum fuisset, multa contineat contra fidem, prolem, & Sacramentum, quæ sunt tria bona nuptiarum, & sic substantiæ Matrimonii adverfetur, ex hoc infertur ad nullitatem Matrimonii, juxta doctrinam *Divi Thomæ in* 4. *Sententiarum dist.* 28. *quæst. un ca art.* 4. ubi propositæ quæstione, *utrum consensus, qui facit Matrimonium, sit consensus in copulam carnalem*, factaque sibi oppositione sequenti, *præterea si mulier dicat viro, consentio in te, ut non cognoscas me, non est consensus matrimonialis, quia aliquid est ibi contra substantiam prædicti consensus, sed non esset, nisi dictus consensus esset in carnalem copulam, ergo consensus, qui facit Matrimonium, est consensus in carnalem copulam*, sic oppositioni respondet, *ad tertium dicendum, quod illa conditio explicita non solum actui, sed potestati contrariatur carnalis copulæ, & ideo est contraria Matrimonio.*

Concordant Sanctus Bonaventura, Pontifex Adrianus, Riccardus, & alii antiquiores, quorum dicta congerit, & sequitur, testando de communi opinione *Dominicus Soto in* 4. *sententiarum dist.* 29. *quæst.* 2. *art.* 3. ubi proposita quæstione, *utrum omnis, & sola turpis conditio, quæ contraria est Matrimonio, ipsum tollat, honesta vero semper obliget*, sic ait in corpore articuli, *in prima autem conclusione generaliter diximus, conditionem contra substantiam Matrimonii absque restrictione ad turpes illud tollere. Nam etiam honesta, si contraria est, ipsam impedit secundum opinionem, quæ communis Doctorum est, & vera, quamvis Paludanus aliter sentiat; est enim dubium, si quidam sub hac conditione, & lege contrahant, ut neuter alteri debitum unquam reddat, neque se carnaliter cognoscant, vel si dicat uterque alteri, contraho tecum, si voto te prius castitatis obstrinxeris, ut nunquam a me petas, neque mihi debitum reddas, utrum matrimonium teneat; apparet enim ex una parte, Matrimonium esse validum, quia conditio est honesta, & possent forsan illi vere contrahere solum propter cohabitationem, & alias necessitudines domesticas, a re tamen uxoria abhorrentes. Item quia, quod contracto Matrimonio accidere potest, non est illi contrarium, ut contrahatur; possunt autem Conjuges, antequam lecto conveniant, votum castitatis emittere, non obstante Matrimonii substantia, ut Maria, & Joseph fecerunt. Ergo illa conditio apposita contractui, quando fit, non censetur illi contraria, atque ideo nec Matrimonium vitiatum. Hac ratione Paludanus communitus dist.* 30. *quæst.* 2. *opinatur, Matrimonium sub illa conditione contractum non vitiari, ubi non prorsus videtur absque ulla probabilitate locutus: Nihilominus contraria opinio est communis, eademque verisimilior, censens, conditionem illam esse contrariam fini, & fidei Matrimonii, fini scilicet generationis, & fidei sibi invicem debitum persolvendi; & ita ait Adrian. in tract. de Sponsal. quæst.* 9. *Immo & Div. Thom. dist.* 28. *art.* 4. *ad* 3. *dicit, quod si mulier dicat viro: consentio in te, ut non agnoscas me, non est consensus matrimonialis, quia illa conditio non solum actui, verum & potestati contrariatur carnalis copulæ. Et Riccardus eadem dist. art.* 2. *quæst.* 4. *idem ait, nempe, quod per talem conditionem nunquam reddendi debitum, non solum excluditur carnalis copula, verum & translatio corporum in alterius potestatem contra vinculum conjugale. Quibus adjipulatur Bonaventura eadem dist.* 28. *quæst. ult. Immo vero, si tenorem citati capitis finalis de condit. appos. inspicias, consulto Pontifex dixit, conditiones contra substantiam conjugii ipsum privare suo effectu, non restringendo ad turpes, quoniam & honeste possunt esse contrariæ; adde, quod si conditio illa, si sterilitatem procuraveris, censetur Matrimonio contraria, eadem ratione Matrimonio adversatur & hæc, si nullo nos unquam amplexu invicem conjungamus. Videtur enim illa naturæ Matrimonii contraria, per quod fiunt duo in carne una. Verum est tamen, Fautores alterius opinionis dicere posse, quod si mulier sic contraheret, contraho tecum tradendo facultatem mei corporis tibi, hac tamen lege, ut juri tuo per votum castitatis renunties, non esset contra substantiam; Nam potest quisque, sicut post, ita & ante renunciare juri suo. Nihilominus quia facultas est propter usum, consonantius rationi est, ut qui alterum privat usu, non ei simpliciter facultatem conferat.*

Con-

Concordant quoque recentiores *Sanchez de Matrim. lib. 5. disput. 10. per tot. Layman. lib. 5. tract. 10. part. 2. cap. 7. num. 9. Gonzal. in cap. Si conditiones sub num. 8. ibique Barbosa num. 3. de conditionibus appositis, Pirhing ad lib. 5. Decretal. tit. 5. §. 3. sub num. 13.* aliique plures, qui a Scribentibus allegantur, quibus addi possunt *Salmanticenses Oper. Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrimon. cap. 7. dub. 3. per tot. & signanter a num. 95. Schmalzgrueber ad libr. 4. Decretal. tit. de condition. appositis §. 5. num. 119. & plur. seqq.* ubi dicunt, hanc esse probabiliorem sententiam, & omnibus respondent, quæ in contrarium afferri possunt.

Haud urgente, quod conditiones sæpe memoratæ non fuerunt in actu Matrimonii expositæ, sed quod consensus fuit liber, & absolutus, itaut a præcedentibus conditionibus videatur esse recessum; in quo rerum themate standum est pro validitate Matrimonii, juxta celebrem *Gloss. in cap. Tua nos in verb. mulierem de Sponsal. & Matrim.* ibi, *sed nè, quod aliquis protestetur coram pluribus, quod omnia, quæ dicet, & faciet, non faciet animo contrahendi Matrimonium, & postea publice dicat, consentio in te, numquid est hic Matrimonium, vel non? In casu isto dico, quod Ecclesia judicare debet pro Matrimonio, quia recurrendum est ad communem verborum intelligentiam; talia enim verba non possunt servire suæ intentioni; præterea si probet illa verba quæ protestatus fuit primo; potuit postea recedere ab illa voluntate, & consentire in illum, & hoc videtur per illud, quod postea publice facit, etsi dicat, quod adhuc tempore contractus erat in eadem voluntate, non creditur ei, quia contra eum debet fieri interpretatio, quia dolum adhibet.* Prætermisso quippe, quod hoc assertum Glossæ sibi vindicat locum, quando protestatio emissa fuit ab altero ex contrahentibus, vel conditio ab altero ex contrahentibus apposita fuit altero ignorante, cum in hac hypothesi verificetur dolus; secus autem, quando tenor protestationis, vel conditionis devenit ad notitiam alterius ex contrahentibus, uti cumulatis concordantibus late probat *Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 45. num. 19.* vis major constituitur in singularibus facti circumstantiis; si etenim Apocha, in qua conditiones continentur, fuit instante Muliere ab Advocato composita, si ipsa scripsit, sibi sufficere proprii honoris incolumitatem, qua concurrente professionem emittere volebat Regularem, *che l'accudisse in quell' afflizione, ed in quel conflitto, e che la cavasse da quell' inferno, fosse come si fosse, e solo voleva onore, e salvazione, e che subito subito sarebbe Monaca*, si die 6. Maii Apocham conditionibus repletam, & supra relatam subscripsit; si a viro quoque consulti fuerunt Theologi super Apochæ validitate, si proprius contrahentium Parochus credidit, se non posse huic matrimonio, utpote conditionato assistere, itaut hac de causa prævia Patriarchæ licentia Prior S. Laurentii matrimonio interfuerit, si paulo ante matrimonium Vir, & Parocho, & Testibus aperuit, se matrimonium contrahere relative ad Apocham, & juxta tenorem ipsius, omnia hæc simul juncta ostendunt, imperceptibile esse, quod in actu matrimonii ab hisce conditionibus recedere voluerit, & eo fortius, cum juxta supradicta, nocte diei 6. mensis Maii Apochæ manifestatio facta sit Parocho, & Testibus, & die sequenti hora decima contractum sit matrimonium, absque eo quod ullum ferit datum a muliere signum recedendi ab Apocha, quam ipsa procuraverat, & die immediate præcedente subscripserat, & deficiente verisimilitudine recessus, non videtur dubitandum de nullitate matrimonii, ut in his præcisis terminis firmant *La Croix in Theolog. moral. tom. 2. lib. 6. par. 3. cap. 2. de Matrim. pag. 247. Pignatell. consult. 136. per tot. tom. 9.*

Minus refragante, quod vir habuisse dicitur copulam cum muliere, hinc inferendo ad recessum a protestationibus, & a conditionibus, uti probat *Text. in cap. per tuas de conditionibus appositis, & in cap. insuper, qui matrimonium accusare possint;* Copula hæc siquidem debet subsequi matrimonium, ut per eam dici valeat recessum fuisse a conditionibus, & hujus subsequentis copulæ nulla fit mentio in binis sententiis de partibus, in quibus momenta rationum afferuntur pro suppositi matrimonii validitate. Constanter ulterius hæc copula a Ludovico negatur, & quatenus eadem interceffisset, non suffragaretur ad effectum, de quo agitur, cum recessus a protestatione per copulam subsecutam procederet de jure Canonum; secus autem de jure Conciliari, uti bene ponderat *Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 45. quæst. 2. num. 21.*

Addunt Scribentes, matrimonium modo supra expositio contractum habendum esse pro matrimonio ficto ex honesta tamen causa reparandi honorem mulieris, in quo rerum themate de ejus nullitate non est dubitandum, juxta Textum *in cap. Tua nos de sponsalibus.*

Plura alia tum facti, tum juris argumenta in Scripturis legi possunt, unde quæritur,

An Matrimonium sit nullum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ex hactenus deductis Matrimonium esse nullum in casu &c.

QUÆSTIO CCCLXXXVII.

In Causa Placentina, die 8. Julii 1724.

Licet juxta dispositionem Sac. Concilii Tridentini *sess. 14. cap. 7.* ille, qui sua voluntate homicidium perpetravit, etiamsi crimen id nec ordine Judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad Sacros Ordines promoveri possit, sed omni Ordine, & Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo carere debeat.

Quæ dispositio Conciliaris, sicuti Summi Pontificis potestatem nec excludit, nec excludere potest in eo, quod attinet ad dispensationem super Irregularitate ex tali homicidio derivante, utpote quæ non a Jure Divino, sed a Jure humano causam habet, *Gibalin. de Irregul. cap. 2. quæst. prima in expositione, & confirmatione propositionis num. 4. & pluribus seqq. Fagnan. in cap. Henricus num. 30. & 31. de Clericis pugnantibus in duello, Pirhing ad titulum Decretalium de homicidio voluntario lib. 5. tit. 12. sect. 5. §. 13. num. 125. Anaclet. ad eundem titulum decretal. §. 6. num. 216.*

Sic absque dubio ostendit, quanta cum maturitate, & quam magnis intercedentibus causis Summi Pontifices se gerere debeant in consimilibus concedendis dispensationibus, uti bene ponderata dicta Conciliari dispensatione prosequuntur *Campanil. in diverf. Juris canonici rubr. 11. cap. 23. num. 128. Barbosa ad dictum Concilii locum num. 9. Suarez de censuris disp. 44. sect. 4. num. 36. Vanespen. Juris Eccles. tom. 1. par. 2. tit. 10. cap. 8. num. 27.*

Cui profecto Scribentium affertioni Apostolica Sedes se in facti contigentiis adæquate conformavit, cum in Promovendis, hoc est in illis, qui ante homicidium non erant in Sacris Ordinibus constituti, & voluntate sua homicidium patrarunt, testetur *Fagnan.* se nunquam vidisse concessas fuisse dispensationes, uti habetur in *Commentariis ad caput Henricus num. 41. de Clericis pugnantibus in duello*, ibi, *licet cum promovendis in homicidio voluntario nunquam meminerim dispensatum*, nisi forte dispensandi in Religione professionem Regularem emittere voluissent; tunc etenim indulgetur dispensatio cum clausula, si, & postquam Regularem professionem emiserint, uti docent *Pirhing & Anaclet. locis citatis*, & bene adnotavit *Covar. ad Clementinam si furiosus de homicidio secunda parte §. 3. sub num. 3.*

Thomas nihilominus Arcelli Nobili genere procreatus, quique pro dispensatione super irregularitate contracta ex causa homicidii multis ab hinc annis perpetrati, supplex exoravit, & pluries, & pluries rejectus est, humillimas iterum porrigit preces pro dicta obtinenda dispensatione.

Factum autem ita se habet. Viginti, & tribus circiter ab hinc annis cum Thomas in juvenili ætate constitutus familiari confidentia cuidam Matronæ inserviret, & res hæc animum Mariti in turbationem conjecerit, Thomas ab inde citra minus frequenter, & majori cum cautela prædictam Matronam domi visitare incepit, sed cum quadam die, dum hæc Ruri moraretur, & Thomas eam salutaturus domum esset ingressus, inexpectatus supervenit Maritus, a quo veritus mortem sibi intentari, subito terrore correptus, cum nullus alius evadendi modus suppeteret, archibusium, quod gerebat pilis ferreis onustum, explosit, & Maritus vulneratus paulo post mortuus est.

Nullus super hoc delicto processus confectus est, cum rumor invaluerit, infelicem Maritum inter nemora adjacentia periisse, vel Pado se funeste commisisse, sed paulo post diffusa fama delicti a Thoma patrati, ut ipse suæ indemnitati consuleret, a Patria, & toto statu Ducis Parmæ aufugit, & ad Patriam deinde reversus tresdecim circiter ab hinc annis nullum non toto hoc tempore veræ pœnitentiæ, & publicæ ædificationis specimen exhibuit, tum se abstinendo ab omni mundana conversatione, tum eleemosynas liberaliter elargiendo, tum Sanctissima Sacramenta frequentando, tum demum Congregationibus, Oratoriis, & Missionibus, quæ quotannis fiunt a Patribus Jesuitis impigre assistendo.

Desumuntur hæc omnia ex Informatione Ordinarii, qui eam sic concludit: crederem cum Oratore ad reliquos minores, & Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri cupiente, benigue agendum, prævia dispensatione ab Irregularitate ob id incursa; nullum enim scandalum, meo videri, oriri potest ex simili, licet extraordinaria Sanctæ Sedis Gratia, tum ob longum temporis spatium fluxum a die commissi delicti, quod ipsius memoriam pene abolevit, tum ob ejus recentem vitæ tenorem cessurum, ut juvat sperare, in totius Populi, & præcipue hujus Cleri Sæcularis maximam ædificationem.

Post hæc transeundo ad ea fundamenta, quæ ultra favorabilem Episcopi informationem prodesse possunt instantiæ, prætermissaque longa annorum intercapedine a die commissi delicti, & continuata per tantum temporis spatium vita exemplari, quas circumstantias maximopere in casu, & ad effectum, de quo agitur, attendendas esse monet *Conrad. in praxi dispensat. lib. 5. cap. 1. num. 3.* vis intrinseca stat in hoc, quod homicidium a Thoma patratum dici nequit homicidium per industriam, per insidias, & ex proposito, & quando homicidium tale non est, non videtur, quod Irregularitas ex eo contracta sit ea, cui Sacrum Concilium Tridentinum loco citato taliter adversatur, ut dispensationem super eadem maximopere difficilem, & quodammodo impossibilem constituat.

Quod autem homicidium a Thoma patratum non fuerit patratum per industriam, per insidias, & ex proposito, ex supra expositis facti serie desumitur.

Quod deinde Sacrum Concilium Tridentinum non adversetur quoad Dispensationem nisi homicidio per industriam, per insidias, & ex proposito, ex ejus verbis *sess. 14. capit. 7.* desumitur ibi, *dum etiam, qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias ab Altari avelli debeat.*

Comprobatur hoc ipsum assumptum ex resolutionibus hujus Sacræ Congregationis, quæ *anno* 1587. censuit, Irregularem esse illum, qui mandavit hominem baculo percuti cum expressa prohibitione, ne occideretur, si Mandatarius fines mandati excedendo hominem occiderit; rursus Irregularem esse illum, qui mandavit, ut Cajus occideretur, si Mandatarius Titium interfecit, uti habetur in dubio *ad Positionem 22. pag. 59. & pag. 66. ad caput 7. sess. 14.* sed utramque hanc Irregularitatem non esse ex illis, quarum dispensationi pro ascensu ad Sacros Ordines Sacrum Concilium adversatur.

Cohærenter ad has resolutiones Doctores asserunt, Sacrum memoratum Concilium adversari tantummodo Dispensationibus ex homicidio per industriam, insidias, & ex proposito patrato; *Vanespen. Juris Eccles. tomo primo par. 2. tit. 10. cap. 8. num. 25.* ibi: *Homicidium voluntarium, de quo hic loquitur Synodus, plerique intelligunt homicidium per industriam, insidias, & ex proposito patratum*, optime *Zipæus consult. unica de homicidio, Barbos. de officio Episcopi par. 2. allegat. 39. num. 49. Garz. de benef. par. 7. cap. 11. num. 44.* ibi, *Concilium requirit homicidium, per industriam, per insidias, & ex proposito*, & quatenus insamia opponeretur, hæc non est infamia juris, sed infamia facti, quæ tollitur facto contrario, constanti videlicet emendatione per triennium continuata, *Abb. in cap. 21. num. 2. de accusat. Silvester verb. infamia num. 11. Antonell. de Regim. Eccles. leg. 1. cap. 6. num. 7.*

Causa hæc pluries proposita fuit, sed nunquam resoluta. Cumque hodie iterum proponatur, & Scriptura cum novis facti circumstantiis, & juris fundamentis per manus circumferatur, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 30. Septembris 1724. respondit,

Prævio recessu a decisis pro dispensatione pro nunc ad reliquos minores ordines.

QUÆSTIO CCCLXXXVIII.

In Causa Colonien si Erectionis Seminarii, die 8. Julii 1724.

Necessitas erigendi Seminarium Episcopale, quæ viget in omni Diœcesi, ad tramites *cap. 18. sess. 23. de reformat.* urgentior esse dicitur in Civitate Colonien si, tum quia in ejus confiniis degunt plurimi Calvinistæ, & Lutherani, tum quia in Diœcesi Canonicatus adsunt, & Vicariæ, & desunt Ecclesiastici capaces, itaut oporteat uni, eidemque personæ plures Vicarias, & plures Canonicatus conferre.

Sub Electoribus Ferdinando, & Maximiliano serio cogitatum fuit de Seminarii institutione, & de hac ipsa re actum fuit in Statutis Synodalibus *anni 1662.* uti habetur *part. 3. tit. 10.* sed cum omnia incassum ceciderint, & remedia a Sacro Concilio Tridentino præscripta ad praxim deduci non possint, tum quia desunt Beneficia simplicia liberæ collationis, tum quia propter præterita Bella Clerus adeo oneribus, & taxis gravatus est, ut ulterius gravari non possit ad contribuendum Seminario erigendo, hinc est, quod præsens Archiepiscopus, & Elector Colonien sis animum convertit ad petendam a Sede Apostolica suppressionem cujusdam domus Presbyterorum nuncupatorum *Fratrensium* Civitatis Coloniæ, ut in ea erigi queat Seminarium, nec non ad supplicandum pro applicatione redituum ad eosdem Fratres pertinentium, qui ascendere dicuntur ad annuam circiter summam scutorum 560. monetæ Romanæ, ut novi Seminarii Alumni subintententur, oblata Presbyteris Fratrensibus commoditate habitandi in eadem domo, dummodo tam ipsorum, quam Alumnorum capax sit, aut in alia a se reperienda una cum victus præstatione, & aliquorum redituum assignatione, usquequo vel a se, vel ab aliis iidem obtineant Ecclesiastica Beneficia sufficientia pro sua commoda manutentione.

Utque notio habeatur horum Presbyterorum Fratrensium, operæ pretium est scire, Congregationem hanc exordium habuisse in Civitate Monasterien si in loco Fontis Salien sis sub Martino Papa V. & deinde *anno* 1439. erectam fuisse in Collegiatam ab Eugenio IV. in Civitate Coloniæ in loco, qui dicitur *Weindebach*, & ab eo duabus similibus Congregationibus Monasterien si, ac Vesalien si unitam, uti habetur ex Bulla unionis, quæ etiam fuit ab Alexandro Septimo confirmata, qua tamen unione minime obstante, unaquæque Domus vivit separatim, & independenter ab alia, ut in Italia vivunt Domus, seu Congregationes Sancti Philippi Nerii.

Congregatio Coloniæ, pro cujus suppressione exoratur, novem constat Presbyteris, qui a Rectore gubernantur; Ipsi ad communem mensam accedunt, Chorum quotidie frequentant pro recitandis Horis Canonicis, quas tamen solemnioribus tantum festis canunt, habitu Clericorum sæcularium utuntur, professionem emittunt, in qua fidelitatem Domui promittunt, & etiam observantiam vitæ castæ, & communis, & in casu discessus, vel expulsionis e dicta Domo, se obligant ad ingrediendam Religionem approbatam, studiis tamen non se exercent, nec aliud Opus pium peragunt, quod ad publicam Fidelium commoditatem tendat, & Teste Nuntio Apostolico, *otio potius marcescunt, & scandali præbent occasionem.*

Atque hinc redeundo ad ea, a quibus non inutiliter digressi sumus, cum petitio ab Archiepiscopo, & Electore Colonien si Summo Pontifici exhibita fuerit ad hanc Sacram Congregationem remissa, & juxta morem scriptum fuerit Nuntio Colonien si pro Informatione, & ejus informatio suppressioni favorabilis supervenerit, nihil aliud remanere videtur, quam capita rationum Electori faventium, & Presbyterorum Fratrensium responsiones una cum replicationibus Promotoris Fiscalis recensere.

Ducto itaque exordio a momentis rationum, quæ Archiepiscopo favent, eadem constituunt, primo in necessitate Seminarii, secundo in deficientia aliorum mediorum, quæ a Sacro Concilio Tridentino pro erectione Seminarii statuta sunt, tertio in exemplis, quæ a Nuntio Apostolico, & a Scribentibus referuntur consimilium suppressionum favore Seminarii, quarto in speciali necessitate habendi pro erectione Seminarii Domum Presbyterorum, de quibus agitur, cum juxta patrias leges exquirendus sit consensus omnium totius Civitatis in suis Tribubus congregatorum, antequam Domus in manus mortuas transeat, quinto in subventione memoratis Presbyteris suppeditanda, usquequo Beneficia Ecclesiastica consequantur, & ultimo tandem, ex quo Alumni Seminarii

Horas Canonicas in Choro recitare, & Missas poterunt celebrare, ad quæ capita reducitur totum id, quod modo fit a Presbyteris Fratrensibus.

Transeundo ad rationes, quæ Presbyteris modo dictis assistunt, prima desumitur, ex quo licet ipsi studiis non vacent, vacant tamen Choro, & celebrationi Missarum, & privatæ lectioni Sacrorum Librorum ad tramites sui Instituti; secunda desumitur, ex quo Vicinis Hæreticis strenue obsistunt Viri docti Coloniæ degentes, & Patres Societatis Jesu, ita ut præcita non adsit necessitas Seminarii; tertia desumitur ex assertione, quod in aliis locis Diœcesis Seminarium erigi posset, si pecuniæ in hanc causam erogarentur; quarta ex quo Seminarium commode erigi valeret per applicationem mulctarum, & aliorum jurium Archiepiscopalium, quinta ex non adeo difficili impositione Taxæ super numeroso Clero primario, & secundario totius Diœcesis, ultimo demum ex non admissibili dismembratione Collegiatæ, quæ aliis Collegiatis unita fuit Auctoritate Apostolica, & multo magis dictis Collegiatis inauditis.

Ad hæc Fiscalis excipit, supponendam esse, non disputandam Seminarii necessitatem, aliisque prætermissis, quibus sufficiens responsio ex supradictis eruitur, in eo, quod attinet ad mulctas, & jura Fiscalia, dicitur, hæc semper esse incerta, eadem in majori parte Diœcesis erigi non posse ob resistentiam Principum Territorialium, ipsa vix sufficere pro sumptibus necessariis Officii, semper ulterius applicata fuisse pro usibus piis, sed summam exactam, & modo prædicto applicatam vix satis esse pro manutentione unius, aut alterius Alumni.

Quocirca quæritur,

I. An sit locus suppressioni Domus Presbyterorum nuncupatorum Fratrensium Civitatis Coloniæ pro erectione Seminarii in eadem Civitate in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An, & quomodo sit providendum quoad Presbyteros in eadem Domo existentes, & convivентes in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Augustii 1724. respondit,

Ad Primum negative, Ad secundum satis provisum in primo, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCLXXXIX.

In Causa Savonensi, die 28. Julii 1724.

IN Constitutionibus Synodalibus Diœcesis Savonen. editis *anno* 1627. hæc habentur: *in Oratoriis autem, in quibus concessa fuerit licentia generaliter celebrandi Missam, nunquam intelligatur concessa in diebus solemnibus, scilicet Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, & Patroni Ecclesiæ Parochialis, in districtu cujus dicta Oratoria sita sunt.*

Consimilia habentur in Constitutionibus Synodalibus anni 1667. in quibus hæc alia verba adduntur: *sicut nec etiam in triduo Passionis Domini Nostri: quod si in aliquo ex his diebus quis ausus fuerit celebrare, Oratorium quidem ipso facto Ecclesiastico subjaceat Interdicto, Sacerdos vero, qui celebraverit, suspensionis pœnam ipso facto incurrat.*

Sub obtentu, quod Sacerdos Petrus Pratus Cappellanus Ecclesiæ S. Mariæ de Areneto, qui anno 1723. abstinuerat a celebranda Missa in prædicta Ecclesia feria quinta Majoris Hebdomadæ, missam in eadem Ecclesia celebraverit, nulla obtenta licentia, in proxima festivitate Paschatis Resurrectionis, Episcopus Savonen. eum declaravit suspensum a Divinis, & Ecclesiam S. Mariæ de Areneto Ecclesiastico supposuit Interdicto; & quia tutus ad prædictam Ecclesiam non dabatur accessus, ut in ejus Portis affigi posset Interdictum, idem Episcopus demandavit Parochis Loci Varazzæ, ut illud inter Missarum solemnia publicarent, & in Portis suarum Ecclesiarum affigerent.

Appellatio fuit a Sacerdote, necnon a Senatore Ambrosio Imperiali, ad quem dicta pertinet Ecclesia, interposita ad Tribunal A. C. Causaque subinde remissa ab Auditore Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem, datæ fuerunt juxta morem litteræ ad Episcopum, ut informaret.

Episcopus in sua informatione retulit se ad suspensionem, & Interdictum deveniisse in executionem Constitutionum Synodalium in superioribus relatarum, & præcipue cum dubitari non possit, quod Ecclesia S. Mariæ de Areneto non sit sub illis comprehensa; licet enim antiquioribus temporibus juxta communiorem opinionem fuerit Ecclesia Monialium, Monialibus tamen sæculo decimoquarto ad alium locum translatis, transiit ad Laicos, & nunc pertinet ad Senatorem Imperialem, concludendo, quod quidquid esset de statu antiquo, in statu certe præsenti reputari non potest Ecclesia, sed Oratorium, cum antiqua Janua, per quam patebat aditus in viam publicam, modo sit clausa, cum ulterius versus medium eadem Ecclesia sit quodam muro divisa, & demum in latere ipsius Ecclesiæ aperta modo sit quædam Porta, per quam patet aditus non in viam publicam, sed ad Atrium, seu *Cortile* Palatii Senatoris Imperialis, quod est muris circumdatum, ita ut ingressus a via publica ad Ecclesiam non detur, nisi mediante Ostio prædicti Atrii, sive Cortilis.

Circumstantia hæc facti maximopere ponderatur a Scribentibus pro Promotore Fiscali, qui contendunt, nec Oratorium publicum, multoque minus Ecclesiam dici posse illam, quæ sita est in Atrio alicujus Palatii muris circumdato, & eo fortius, quia cum Episcopus Ostunen. supposuisset Interdicto quandam parvam Ecclesiam sitam in Cortili Palatii cujusdam Magnatis, sub fundamento, quod esset comprehensa sub prohibitione Sac. Concilii Tridentini, Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, referente claræ memoriæ Cardinali Ferrario *die* 20. *Martii* 1698. censuit, removendum esse Interdictum, dummodo tamen aperiretur Ostium Oratorii in viam publicam, vel removerentur Valvæ impedientes ingressum in Cortile, & clauderetur omnis aditus ad Ecclesiam a Palatio, uti plene habetur apud *Monacell. tom.* 1. *pag.* 93. *numer.* 7.

Addunt iidem Scribentes, nullum momentum esse constituendum vel in administratione Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vel in asservatione Olei Infirmorum in memorata Ecclesia, sive Oratorio S. Mariæ de Areneto, aut demum in præterita observantia, juxta quam Missæ in eadem celebratæ dicuntur etiam Festis solemnioribus, tum quia Sacramentorum administratio facta est de licentia Parochi, tum quia memorata observantia nec potest esse declarativa, nec præscriptiva; non declarativa, quia nimis clara est littera Constitutionum Synodalium, non præscriptiva, tum quia non est formiter probata, tum quia adsunt intermediæ conquæstiones Episcoporum, iidemque demum Scribentes concludunt, quod sive Ædes Sacra S. Mariæ de Areneto sit Ecclesia publica, sive Oratorium privatum, nunquam in ea poterat celebrari Missa diebus Paschalibus, eo quod dicta Ædes pertinet ad Senatorem Imperialem, & Constitutiones Synodales prohibent celebrationem *in Oratoriis Sæcularium quocumque nomine appellatis.*

Scribens e contra pro Senatore, & pro Sacerdote Cappellano plura congerit ad suadendam nullitatem tum suspensionis, tum Interdicti, quæ fuse legi possunt in scriptura per manus circumferenda, & in eo, quod attinet ad qualitatem, an Ædes Sacra S. Mariæ sit Ecclesia publica, vel Oratorium privatum, a qua circumstantia nedum pendet resolutio primi dubii infra referendi, sed etiam secundi, quoad justitiam suspensionis, & interdicti pluribus suadere conatur, dictam Ædem Sacram esse publicam Ecclesiam, ita ut exempta dici debeat a dispositione Constitutionum Synodalium, quæ sunt coarctatæ ad privata Oratoria, nec prætendi valet, quod extendantur ad Ecclesias publicas, in quibus Missæ diebus etiam solemnioribus jure suo celebrantur.

Hinc transeundo ad probationes, quæ afferuntur ad effectum suadendi, quod Ædes Sacra S. Mariæ sit publica Ecclesia, & non Oratorium privatum; Prima constituitur in statu antiquo, quo attento, si Ædes Sacra erat Ecclesia Monialium, eadem utique esse non poterat Oratorium privatum, sed publica Ecclesia; Secunda est, quod eadem Ædes Sacra fuit per unctionem Chrismatis in muris consecrata, uti desumitur ex Crucibus, quæ adhuc existunt in ejus lateribus; Tertia est, quia adhuc hodie prope eam adest Campanile cum Campana fusa *usque de anno* 1011. Quarta est, quia in ea existunt quatuor Altaria; Quinta, quia de assensu Parochi S. Ambrosii Terræ Varaginis in eadem conservari consuevit Oleum Sanctum; Sexta, quia Cappellanus in ipsa vices Parochi quodammodo gerit, administrando Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentum Eucharistiæ; Septima, quia in ea publicæ Festivitates celebrantur, accedentibus

bus præcipue habitatoribus Areneti, & aliorum locorum, & Villarum adjacentium, nec non Confraternitatibus ad colendam antiquam Crucifixi Imaginem in uno ex altaribus ipsius collocatam; octava, quia *anno* 1722. Missa, vidente Parocho Varaginis, & non contradicente, celebrata fuit in ea a Cappellano nocte Nativitatis Domini, & Missæ pariter in præteritum fuerunt celebratæ diebus solemnioribus etiam post editas Constitutiones Synodales; ultima demum, quia san. mem. Clemens XI. per suas litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas *die* 21. *Febr.* 1705. Senatori Imperiali indulsit, ut quædam Missa quotidiana, quæ Romæ celebrari debebat pro Defunctis in altari privilegiato, celebrari posset in Æde Sacra S. Mariæ de Areneto, quam vocavit *Ecclesiam*, superaddita expressione commoditatis Christifidelium ad eandem Ecclesiam devotionis gratia confluentium.

Ad partes posito, quod Ecclesia versus medium sit quodam muro divisa, & quod clausa fuerit antiqua janua, per quam patebat aditus ad viam publicam, & aperta modo reperiatur quædam janua Ecclesiæ, quæ tendit ad atrium Palatii Senatoris, quod atrium est muris circumdatum; loquendo quippe de muro, dicitur illum elevatum fuisse non ad tollendam communicationem Ecclesiæ cum via publica, sed ad sustinendum Tolum, cujus imminebat ruina; & sermonem habendo de reliquis, subditur, antiquam Ecclesiæ januam, quæ modo clausa est, nunquam habuisse immediatum aditum ad viam publicam, sed ad Atrium, sive Plateam antiqui Monasterii, quæ erat muris circumdata; itaut tota differentia intercedens inter statum antiquum, & statum præsentem, non sit in hoc reponenda, quod antiqua Ecclesia haberet aditum immediatum ad viam publicam, & quod de præsenti non detur aditus ab Ecclesia ad viam publicam, nisi per Atrium sive Plateam Ecclesiæ contiguam, sed in hoc alio, quod juxta statum antiquum patebat a via publica ad Ecclesiam aditus per duplicem Plateam, & per duplicem Ecclesiæ portam, quando modo a via publica patet accessus ad Ecclesiam per unam tantum Plateam, & unam tantum Ecclesiæ portam.

Addunt Scribentes pro Senatore, præsentem Ecclesiæ januam non distare ab antiqua, nisi per viginti passus, & accedentes ad Ecclesiam posse in eam ingredi, absque eo quod Palatium Senatoris ingrediantur, nec locum situm ante Ecclesiam, & muris circumdatum appellari posse Cortile Palatii, sed esse potius denominandum Ecclesiæ Plateam, nec muri circumdarium operari posse, quod Ecclesia habens aditum immediatum in dictam Plateam muro circumdatam desinat esse publica, & transeat in naturam Oratorii privati, cum hic in Urbe habeamus publicas Ecclesias SS. Dominici, & Sixti, S. Cosmatis, S. Alexii, S. Laurentii in Perpenna, quarum portæ non habent egressum in viam publicam, nisi per locum muris circumdatum.

Ad calcem nonnullæ transcribuntur Resolutiones hujus S. Congregationis, quæ ad rem facere posse videntur, quocirca quæritur,

I. *An Ædes Sacra S. Mariæ de Areneto sit Ecclesia publica, vel Oratorium privatum in casu &c.*

II. *An constet de nullitate, & injustitia Interdicti, & respective suspensionis a divinis in casu &c.*

Et hisce dubiis responsum fuit dilata, & fiat Planta judicialis, & addatur dubium juxta mentem.

Impetrata autem a succumbentibus nova audientia, disputandum in præsenti proponitur dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Septembris 1724. respondit,

Prævio recessu a decisis, Ecclesiam esse publicam, facta tamen per Senatorem Imperialem in publico Instrumento declaratione, se nullum jus habere in Area sita ante Ecclesiam, necnon quod claves tam Ecclesiæ, quam Areæ prædictæ retineantur a Cappellano, & ad D. Secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod Area non gaudeat immunitate, & quoad secundum affirmative, & amplius.

Resolutio in Causa Compsana.

ORATORIUM in Aula Palatii Baronis Castri Novi situm, Sacra Visitatione perlustrans anno 1695. Vicarius Generalis Archiepiscopi, cum causa Terræmotus jam fere dirutum reperiretur, demandavit, illud non reædificari, neque Sacrosanctum Missæ Sacrificium ibi celebrari, nisi docto de legitima facultate Apostolica, eo sub fundamento, quod nempe publicus ad ipsum non patebat accessus, ac intra septa Palatii positum existebat, itaut privatum, & non publicum diciderebet: Ac similiter in alia Visitatione peracta anno 1698. sub eodem motivo decretum fuit, inibi nequaquam posse celebrari Sacrum, nisi eo in pristinum restituto, ac de expressa licentia Archiepiscopi, exceptis tamen solemnioribus festivitatibus, in quibus nullatenus licita esse deberet Missæ celebratio.

His tamen non obstantibus, præfatum Oratorium reædificatum extitit, & Sacrum quoque inibi habitum fuit: Qua de re Archiepiscopus die 4. Julii anni præteriti demolitionem præcepit, Ecclesiastico Interdicto illud supponendo, ac suspendendo a Divinis Sacerdotem Scipionem de Martino Baronis filium, & Angelum Ricciullum, qui ibidem celebrarunt: a quo tamen Decreto appellantibus Barone præfato, ac dicto Scipione filio ad A. C. prætendentibus, Oratorium prædictum esse publicum, ex quo habeat fixum altare marmoreum, & Campanile cum Campana pro convocatione populi ad audiendum Sacrum; dicatum sit S. Joanni Baptistæ, qua die solemne festum celebratur cum totius Cleri assistentia; Ibidem erectum reperiatur Beneficium sub eodem titulo S. Joannis Baptistæ de Jurepatronatus Baronum præfati Castri, ad quod Rectores a Patronis præsentati, Institutiones ab Archiepiscopis pro tempore reportarunt, ac demum pro eo exigatur procuratio pro Visitatione, allegata ulterius per præfatos appellantes ignorantia Decretorum dictarum Visitationum, remissa fuit per R. P. Auditorem Sanctissimi hujus controversiæ Decisio ad EE. VV. quæ proinde partibus monitis, & informantibus definire non gravabuntur.

I. An Interdictum emanatum per Visitatorem sub fundamento, quod Oratorium, sive Cappella, de qua agitur, sit privata, & non publica sustineatur, & quatenus affirmative.

II. An demolitio novæ fabricæ tanquam factæ post interdictum demandata per Archiepiscopum sustineatur.

III. An Censuræ latæ contra Scipionem de Martino & Cappellanum sustineantur.

IV. An celebratio Missarum in dicta Cappella, sive Oratorio post dicta Decreta Visitatoris induxerit in Celebrantes Irregularitatem in casu &c.

Die 3. Maii 1704. &c. Sacra &c. Ad primum, secundum, tertium, & quartum. Respondit Negative, *lib.* 54. *Decret. folio* 216.

Resolutio in Causa Vercellen.

EPISCOPUS Vercellensis occasione Visitationis Sacrorum Liminum, inter cætera exposuit, ut infra sub 31. videlicet.

Unum ægre displicuit in Castro Catellengi Oratorium, quod licet cunctorum Rusticorum pietati pateat, tamen intra mœnia ipsius Castri soli Dominorum familiæ inservit, & continuo nocturno tempore etiam hisce diebus pacis clauditur janua, hoc addito, quod etiam in diebus festis solemnioribus a Sanctissimo exceptis ut in Paschate Resurrectionis, Natalis Domini prohibet non cessare, renuente Parocho, immo post meam Visitationem monitus, nec acquievit Dominus Castri, propria auctoritate, nec non falsa professione mala cœpta prosequendo. Hunc in professione toleravit, donec infra tempus ei præfixum, vel fidem faceret de facultate, vel eam a Sanctissimo obtineret, abstinendo in talibus diebus solemnioribus ad præscriptum consuetæ Concessionis, sed nulla obedientia.

Ad hæc 30. Septembris dictum fuit audiatur Pars, & 15. Septembris 1674. Parti petenti Commissionem in personam Episcopi vicinioris, fuit responsum: Deducat omnino jura sua coram Ordinario. Coram eo itaque adduxit sex Testes annorum 45., 55., 65., 67., & 79. ex quorum dictis habetur, qualiter Oratorium, de quo agitur, est antiquissimum, situm est intra primam Castri portam omnibus commodum pro audienda Missa, ad illud e vicinis confluunt Habitatores, præsertim tempore excursionum militarium, & absque dicto Oratorio plures ex vicina Parochia Missa destituerentur. In dicto Castro prius fuere decem focularia, licet nunc redacta sint ad duo. Oratorium est Sacra supellectili instructum, ab immemorabili, nocte Nativitatis Domini celebrata fuit Missa solemnis, Episcopi antecessores illud visitarunt, & in possessione reliquerunt, immo in eo R. P. D. Goria Sacramentum Confirmationis administravit, ab eo deducitur solemnis Processio, ac demum in eo reperitur erectus Prioratus confirmatus per sententiam Ordinarii Vercellen. de anno 1643. Unde dicti Comites de Catel-

lengo petunt, declarari dictum Oratorium publicum, & licere in eo celebrare etiam in festis solemnibus, juxta solitum. Sacra &c. Censuit Oratorium, de quo agitur, esse publicum. Die 3. Augusti 1675. *lib. 29. Decret. pag.* 124. *a tergo.*

QUÆSTIO CCCXC.

In Causa Amalphitana, die 28. *Julii* 1724.

PROMOTOR Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Amalphitanæ *die* 16. *Augusti* 1723. instantiam promovit adversus Canonicos Dominicum, & Philippum de Ferignis, ut declararentur incursi in suspensionem ad tramites edicti jam emanati super adimplemento celebrationis Missarum, ex quo primus defecerat in celebratione Missarum 76. & secundus pariter defecerat in celebratione Missarum 53. quas uti Canonici celebrare tenebantur ratione Beneficiorum, & Cappellaniarum, quas obtinebant, & Vicarius Generalis eadem die monitorium expedivit adversus prædictos Canonicos, ut intra terminum trium dierum docerent de adimplemento, & satisfactione Missarum anni 1722. tum ratione Canonicatuum, tum aliorum Beneficiorum, & Cappellaniarum, quo termino elapso, nec iisdem docentibus de satisfactione Missarum, dixit, eosdem comparere debere die sequenti ad videndum se denunciari suspensos juxta normam citati Edicti.

Intra terminum trium dierum, & signanter *die* 19. *ejusdem mensis Augusti* Canonici de Ferignis comparuerunt, asserendo nunquam fuisse in usu in Metropolitana Amalphitana, quod celebrationes Missarum adnotarentur in libro Sacristiæ, & libros pro adnotatione fuisse solum confectos *die* 1. *Novembris* 1721. ex hoc inferendo satis constare de celebratione Missarum *pro anno* 1722. cum Missæ, quæ fuerunt celebratæ post librorum confectionem, fuerint in illis adnotatæ, & reliquæ, quæ in illis non sunt adnotatæ, fuerint anticipate celebratæ, uti suo juramento declararunt, concludendo, non posse adversus ipsos procedi ad ullum actum, & se appellationem interponere ad Sanctam Sedem, quatenus jurata probatio anticipatæ satisfactionis non admitteretur, & quia hoc ipsorum juramentum non fuit admissum, appellationem in forma a non admissione juratæ probationis ad Sedem Apostolicam interposuerunt *die* 20. *Augusti hora* 11.

Hæc appellationis instantia fuit eadem die præsentata *hora* 12. cumque Vicarius Generalis eosdem iterum monuerit ad diem primam Juris, quæ erat *dies* 20. *mensis Augusti*, ut comparerent in Curia Archiepiscopali ad dicendum quidquid opponere potuissent, & ad audiendam provisionem, quæ capi debebat, *ipsa die* 20. declaravit, Philippum, & Dominicum Canonicos de Ferignis esse incursos in pœnam suspensionis a Divinis, juxta legem Edicti jam promulgati, eosdemque suspensos declaravit propter omissam celebrationem Missarum, *eademque die* 20. *Augusti* Cedulones exposuit, ut suspensio omnibus innotesceret, devolutaque Causa in gradu appellationis ad A. C., eademque subinde ab Auditore Sanctissimi remissa ad hanc Sacram Congregationem, disputatur in præsenti de viribus memoratæ suspensionis.

Porro Canonici contendunt suspensionem non sustineri, quia processum fuit ad eandem, nec non etiam ad ejus declaratoriam, non obstantibus binis præcedentibus appellationibus, quas solemniter interposuerant.

Addunt, dubitandum non esse etiam de injustitia suspensionis; quandoquidem in eo, quod attinet ad Missas, quas uti Canonici celebrare tenebantur, defectus celebrationis quoad Canonicum Philippum consistit *in Missis* 53. celebratio etenim aliarum usque ad numerum 180. adnotata est in libris Sacristiæ, idemque Canonicus Philippus juravit se eas celebrasse ante appositionem librorum in Sacristia; cum etenim annus in Missis celebrandis incipiat a mense Septembris, & *de mense Novembris anni* 1721, fuerit liber in Sacristia appositus, potuit idem Canonicus *Missas* 53. celebrare ante librorum appositionem, & loquendo de Canonico Dominico, cum ejus annua obligatio sit in *Missis* 180. & defectus celebrationis sit juxta prætensionem Fiscalis *quoad Missas tantum* 76. quæ non reperiuntur adnotatæ in libris Sacristiæ, juramentum ab ipso præstitum de harum Missarum celebratione ante librorum appositionem in Sacristia dicitur esse sufficiens ad rem, & ad effectum, de quo agitur, & eo magis cum hæc juramenta fuerint præstita a viris timoratæ conscientiæ, & in Ecclesiastica dignitate constitutis.

In eoque, quod spectat ad alias Missas, quas dicti Canonici celebrare tenebantur ratione Beneficiorum, & Cappellaniarum, quas obtinent, Canonicus Philippus contendit, fidem esse præstandam suo juramento quoad Missas 52. quas ait se celebrasse tanquam Beneficiatum Sancti Andreæ *usque ad mensem Novembris* 1721. quo libri fuerunt appositi in Sacristia, & quia idem Canonicus Philippus habet aliud Beneficium Sanctissimi Crucifixi cum onere *Missarum* 104. de harum celebratione subdit, non esse dubitandum, cum eadem desumatur ex quietantiis, & receptis Canonici Nicolai Scandapiego, qui testatus est, se eleemosynam recepisse, & pro Canonico Philippo celebrasse; non obstante declaratione a dicto Nicolao subsequenter facta, quod Missæ a se celebratæ *pro anno* 1721. non erant 104. sed solum 73: quia hæc declaratio, teste eodem Canonico Nicolao, facta non est juxta veritatem, sed propter timorem minarum ipsi a Vicario Generali incussarum, & post hæc sermonem transferendo ad Canonicum Dominicum de Ferignis, habet ipse utique aliqua alia Beneficia cum onere annuarum Missarum 52. at istarum celebrationem, inquit, esse sufficienter probatam ex declarationibus Sacerdotum tam Sæcularium, quam Regularium, qui eas celebrarunt, quod a se fieri poterat, cum non teneretur eas per seipsum celebrare, & eædem non essent affixæ certis altaribus.

Hæc sunt, quæ continentur in Scriptura Canonicorum per manus circumferenda. De juribus autem Promotoris Fiscalis loqui non possum, cum petitæ a me fuerint, sed nunquam delatæ ejusdem Scripturæ; solumque adnotare fas sit, regulam esse, quod Missarum celebratio probatur ex libro, in quo earum celebratio adnotatur *juxta resolutionem* 372. *Ricci par.* 3. Item in hoc distingui applicationem a celebratione, quod celebratio probanda est per Testes, vel Scripturam, quando applicatio probatur per juramentum ejus, qui celebravit, *juxta resolutionem* 219. *Pignatelli tom.* 4. sed omitti nequit id, quod habetur in instructione quinta *apud Monacell. tom.* 3. *pag.* 217. *n.* 14. ibi, *quando nasce difficoltà intorno alla prova della celebrazione, la quale non si potesse giustificare coll' esibizione de' libri, nei quali non si trovasse notata, si deve sempre ammettere per prova legittima, e sufficiente l' attestazione giurata del Celebrante, che però se bene il Vescovo può, anzi deve ordinare, che le Messe celebrate per adempimento degli obblighi, si debbano da' Celebranti notare lo stesso giorno, che averanno celebrato, nel libro ritenuto in Sacristia, e multare con pena pecuniaria quelli, che trascureranno, e mancheranno di farlo; non deve però far Decreto, nè Ordine, che se non si noteranno nel libro, non si ammetta altra prova.*

His stantibus, quæritur,

An suspensio sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Augusti 1724. respondit,
Negative, & ampliùs, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCXCI.

In Causa Eistettensi, die 28. *Julii* 1724.

JOANNES Wolfangus Baur post laudabiliter plurium annorum spatio exercitum munus Advocati in Curia Eistettensi tum Ecclesiastica, tum Laica, amicorum potius suasu, quam proprio impellente genio, Matrimonium contraxit *die* 14. *Novembris* 1712. cum Anna Maria Felicitate.

Post unam, aut alteram Conjugum cohabitationem, mulier conquesta est de viri impotentia quoad Matrimonii consummationem, sed propinquis adhortantibus, non statim virum in Judicium vocavit, sed per integrum mensem quoad torum cum ipso cohabitavit, usquequo proprium deplorabilem statum pertæsa, nec valens amplius animæ, & corporis dispendium pati, litem super nullitate Matrimonii introduxit coram Vicario Generali Wormatiensi, & Judex, Instante viro, ulteriorem cohabitationem præscripsit.

Anna desperatione adacta solemniter protestata est, se nedum carceres, sed mortem potius oppetituram, quam reditum ad cohabitandum cum viro; cumque ex alia parte ex quodam actu gesto in Sessione Consistoriali, Judici visum fuisset, a viro admissam fuisse propriam impotentiam, eundemque ingenue confessum fuisse, se nec consummasse, nec potuisse consummare Matrimonium, operæ pretium existimatum est desistere ab ulteriori præcepto cohabitandi, nec ullum amplius viro movente verbum de uxore revocanda ad obsequia matrimonialia, nulla prolata fuit sententia super nullitate Matrimonii, ea potissimum ponderata ratione, quod concurrente spontanea defertione Causæ, inutile erat ad Sententiam procedere, & signanter, ut pudori Mulieris, & existimationi Viri parceretur.

Ab inde citra Vir, & Mulier vixerunt separatim; cumque tribus ab hinc annis Vir exoptaverit ad Sacros Ordines transire, vocato consilio tum Confessarii, tum aliorum Religiosorum, sic res composita fuit, ut præstito a Muliere consensu, nec non ab ipsa emisso juramento, seu Voto Castitatis in sæculo, Vir Sacris initiaretur, prout a suo Episcopo initiatus fuit, & deinde de Canonicatu provisus, in quo statu de præsenti permanet magna cum ædificatione totius Civitatis.

Tractu temporis, Anna cœpit stimulis carnis agitari, exhibitoque san. mem. Innocentio XIII. supplici libello pro absolutione a Juramento, seu Voto Castitatis, uti dictum est, emisso, nec non pro dispensatione super matrimonio a se inito tanquam rato, & non consummato, remissisque a Sanctitate Sua precibus ad hanc Sacram Congregationem, datæ sunt juxta morem litteræ ad Ordinarium pro informatione, & voto.

Supervenit Ordinarii informatio, ex qua præcedens facti narratio desumpta est, idemque Ordinarius videtur esse in sensu favorabili, cum asserat se maximopere timere, ne denegato petito a Muliere remedio, eadem se a jugo Ecclesiæ subducat, & ad partes transeat Hæreticorum, & eo fortius, cum de necessitate promiscua sit in illis locis Catholicorum, & Hæreticorum habitatio, & quia ab eodem Ordinario transmissa fuerunt Acta Consistorialia, nec ullus, quem sciam, scribat in hac Causa, necessarium esse existimavi eorum tenorem hic per compendium exponere.

Sermonem itaque transferendo ad Acta Consistorialia, ex illis habetur, primo, quod Mulier asseruit, a Viro jam admissum fuisse, quod Matrimonium non fuerat consummatum, nec potuerat consummari; Secundo, quod ea se promptam exhibuit ad jurandam non consummationem; Tertio, quod ipsa humiliter instetit pro Causæ definitione ad normam Juris; Quarto, quod Vir excepit, se revera copulam attentasse, sed absque effectu; Quinto, quod idem ait in mentem suæ conjugi venisse, quod non consummatio matrimonii procederet ex crassitie membri virilis, quando dubitari poterat, an eadem causam haberet ab architudine vasis muliebris; Ultimo tandem, quod instabat pro cohabitatione triennali.

Hæc sunt, quæ in Actis Consistorialibus continentur; cumque duo a Muliere petantur, absolutio videlicet, & dispensatio a juramento, seu Voto Castitatis, & dispensatio super matrimonio rato, & non consummato, aliaque quoad utrumque caput petitionis adnotanda videntur.

Et quidem quoad absolutionem, seu dispensationem a juramento, seu voto Castitatis, in Sacris Canonibus statutum est, non posse Virum ad Sacros Ordines promoveri, nisi adsit licentia Uxoris, & nisi eadem continentiam profiteatur, uti habetur *in Cap. Conjugatus de conversione Conjugatorum*, ibi: *nullus Conjugatorum est ad Sacros Ordines promovendus, nisi ab Uxore continentiam professo fuerit absolutus:* & licet quæstio sit, an in hoc rerum statu sufficiat simplex Votum Castitatis in Sæculo, vel potius sit necessarium Votum solemne emittendum una cum Professione Religiosa, uti habetur apud *Glossam in citato Textu*; communior nihilominus, & recepta est sententia, quod si mulier sit senex, & non suspecta de incontinentia sufficiat Votum simplex Castitatis in sæculo; & quod solemnis Professio requiratur, si Mulier sit de incontinentia suspecta, vel si sit juvenis, sive deinde suspecta sit, sive non de incontinentia, uti probat *Textus in Can. Episcopus dist.* 77. ibi: *Sane si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postquam pariter conversi fuerint, ordinentur*, & est de mente *Divi Thomæ in quartum sentent. dist.* 37. *quæst. prima art.* 2. *ad secundum*, ibi: *Si uxor sciat, & de ejus consensu Vir Ordinem Sacrum susceperit, tenetur continentiam perpetuam vovere, non tamen tenetur Religionem intrare, si sibi non timeat de periculo Castitatis, propter hoc, quod Vir ejus solemne votum emisit, si autem sine ejus consensu susceperit, non tenetur, quia ex hoc nullum ei præjudicium generatur*, & late prosequuntur Recentiores *Fagnan. in cap. Conjugatus num.* 10. *& seqq. de conversione Conjugatorum, Navar. in manual. cap.* 22. *num.* 52. *in fine, Sanchez de matrim. lib.* 7. *disput.* 39. *num.* 6. mortuoque Viro, Mulier, quæ dederat consensum, ut ille ad Ordines Sacros promoveretur, licet Votum simplex Castitatis emiserit, utpote non suspecta de incontinentia, vel in juvenili ætate non constituta, non potest cum ullo alio matrimonium contrahere, juxta *Textum in Can. feriatim dist.* 32. ibi: *quod si quis ex præfatis Ordinibus desiderat ad Subdiaconatum ascendere, nequibit hoc sine consensu Uxoris suæ, ut fiat de carnali desponsa spirituale conjugium, nemine eos ad hoc cogente. Neque permittitur postea Uxor jungi eidem Marito suo carnaliter, nec cuiquam nubere in vita, aut post mortem illius*, & matrimonium, hoc minime obstante, contractum, nedum esset illicitum, sed invalidum, non ratione Voti, sed ex constitutione Ecclesiæ, quæ propter reverentiam Ordinis Sacri hoc impedimentum dirimens constituit juxta late deducta apud *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 40. *per totam.*

Quoad dispensationem vero super matrimonio rato, & non consummato, præmisso, quod matrimonium licet ratum, & non consummatum, non dissolvitur quo ad vinculum per susceptionem Sacri Ordinis, juxta *Textum in cap. antiquæ de voto, & voti redemptione inter Extravagantes Joannis XXII.* ad differentiam Professionis Religiosæ, per quam solvitur etiam quoad vinculum juxta *Canon.* 6. *sess.* 24. *de matrim.* præmissoque ulterius, certam esse Summi Pontificis potestatem in dissolvendo matrimonio rato, & non consummato, causa nihilominus, & quidem magni momenti necessaria est, ut ad dictam dissolutionem procedatur, certaque debet esse non consummatio, ejusque probatio non desumitur ex sola Conjugum assertione, sed alia requiruntur, & signanter experimentum inspectionis, juxta *Textum in cap. Fraternitati, & in cap. Litteræ de frigidis, & maleficiatis, & in cap. propositi de probationibus.*

Hæc quoad petitiones a Muliere propositas; quando autem illis sepositis agendum esset de nullitate matrimonii, plures utique superessent articuli examinandi, an videlicet impotentia, de qua nunc agitur, utpote non absoluta, sed respectiva, sit impedimentum impediens, & dirimens matrimonium; Antiquiores etenim Theologi cum Divo Thoma *in* 4. *sent. dist.* 34. *quæst. prima art.* 2. *ad* 5. id expresse negarunt, & e contra Recentiores voluerunt, quod impotentia respectiva sit impedimentum impediens, & dirimens matrimonium quo ad illud genus personarum, quod impotentia respectiva respicit; secus autem quo ad alias. Rursus quatenus ex arctitudine Fœminæ impedimentum non consummationis procederet, examinandum esset, an dicta arctitudo tolli posset sine peccato, & sine periculo vitæ; vel cum peccato, aut cum periculo vitæ; in primo etenim casu matrimonium esset validum; secus in secundo, juxta late deducta per *Clericat. de Sacram. matrim. decis.* 32. *num.* 26. & demum antequam ad ulteriora procederetur, disputandum esset, an triennalis cohabitatio præcedere deberet, juxta *Textum in cap. laudabilem de frigidis, & maleficiatis.* sed cum de matrimonii dissolutione ad tramites Juris in præsenti non agatur, quæritur,

I. An Sanctissimo Domino Nostro consilium præstandum sit pro dispensatione super Voto Castitatis in casu &c.

II. An eidem Sanctissimo Domino Nostro consilium præstandum sit pro dispensatione super matrimonio tantum rato, & non consummato in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Augusti 1724. respondit,
Dilata, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCXCII.

In Causa Ragusina, die 28. *Julii* 1724.

SUB obtentu, quod Joannes Sodargnia Parochus loci Zaptat a septennio adulterium frequentissime commisisset cum quadam Aniza Pestichiza muliere conjugata, se ulterius negotiis sæcularibus immiscuisset, negotiationis videlicet Tabacci, & Piscationis, graviter ulterius deliquisset in administratione Sacramentorum, cum plures ejus Parochiani ipsius culpa sine Sacramentis mortui essent, & aliquando ulterius renuisset Cadavera mortuorum ad sepulturam associare, Archiepiscopus Ragusinus instante Promotore Fiscali; delegavit Sacerdotem Joannem de Angelis pro confectione processus.

Delegatus Parochum suspendit a Divinis; cumque Parochus ad Urbem accesserit, & recursum habuerit ad hanc Sacram Congregationem, datæ fuerunt litteræ ad Archiepiscopum, qui copiam Actorum transmisit.

Delata ad Urbem dicta Actorum copia, eademque communicata Defensori Parochi, ipse opportunum esse existimavit, ne continentia Causarum divideretur, in hac

eadem

eadem Sacra Congregatione instare tum pro revocatione suspensionis, tum pro absolutione ab impactis suo Principali Criminibus.

Concordavit in hoc assumpto etiam Defensor Promotoris Fiscalis, contenditque suspensionem sustineri, sed processum super criminibus non esse completum, & sic esse locum ejus impinguationi.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An suspensio lata per Delegatum Curiæ Archiepiscopalis Ragusinæ contra Rev. Joannem Sodargniæ sustineatur in casu &c.

II. An constet ex processu de objectis criminibus, itaut idem sit absolvendus, vel condemnandus in casu &c.

Sacra Congr. die 19. Augusti 1724. respondit,
Dilata, suspensis interim Censuris per tres menses, & ad Dominum Secretarium pro relatione Processus.

QUÆSTIO CCCXCIII.

In Causa Mutinensi Matrimonii, die 19. Augusti 1724.

ANNA de Ambreville Musicæ Artis peritissima, uti fertur, fœmina, instat pro declaratione nullitatis Matrimonii a se per verba de præsenti contracti *die 4. Februarii 1720.* omissis de licentia Ordinarii publicationibus, cum Annibale Traerio in Oratorio Domus Comitis Annibalis de Saxis coram ipso, & ejus filio tanquam Testibus, & coram Parocho S. Vincentii habilitato ab eodem Ordinario ad assistendum Matrimonio, cum non esset contrahentium Parochus, eademque Anna instat pro nullitate, non obstante, quod *de mense Julii 1722.* a Vicario Generali Mutinen. fuerit pronuntiata sententia super obligatione præstationis erga Annibalem obsequiorum matrimonialium, parum urgentibus eo usque deductis pro invaliditate Matrimonii, quæ Judex declaravit nec obstitisse, nec obstare.

Fundamentum Annæ constituitur in hoc, quod Matrimonium ab ipsa contractum cum Annibale fuit simulatum, in quo rerum themate non est obligatorium juxta *Textum in cap. tua nos de sponsalibus*, & quia ad effectum probandi in foro fori simulationem, doceri debet de causa simulandi, & de conjecturis, & circumstantiis simulationem suadentibus.

Causa simulandi reponitur in hoc, quod cum per quatuor menses Anna fuisset detenta in Fortalitio Mutinæ, ne Matrimonium contraheret cum quodam Nobili Juvene, qui ejus erat amore captus, eidemque fuisset notificatum, quod egressum e Fortalitio nunquam esset consecutura, nisi aut cum alio Viro non disparis, sed æqualis conditionis Matrimonium de præsenti contraheret, vel Professionem Regularem inter Moniales emitteret; alius sibi non supererat modus libertatem consequendi, quam Matrimonium simulando, & illud de facto contrahendo, sed ficte tantum, & apparenter, & absque animo se obligandi.

Transeundo ad conjecturas, sive circumstantias, prima desumitur ex Epistolis ab Anna ante Matrimonium conscriptis, & Mediolanum ab Abbatem Maggium transmissis, & ex ejusdem Abbatis responsionibus, ex quibus colligitur, Mulierem ab Abbate requisivisse, ut Virum callidum inveniret, qui aptus esset ad simulationem, eidemque subinde notificasse, quod Annibalem Traerium invenerat, cum quo erat Matrimonium simulatura, quod consilium ab Abbate fuit approbatum.

Secunda eruitur ex ipsa lectura Capitulorum Matrimonialium, quæ ante Matrimonium concordata fuerunt; in illis etenim conventum est, quod futuri Conjuges deberent in separatis domibus degere, unusquisque propriis expensis usque ad proxime futurum mensem Maii; ex hoc quippe insolito pacto ad simulationem arguitur, & multo magis, quia cum secuto Matrimonio Mulier adigeretur ad conficiendum dotale Instrumentum, & delata hujusce rei notitia ad Abbatem Maggium, ipse respondisset, nullum ex Instrumento præjudicium in Annam derivare posse, ex quo causa simulandi adhuc perdurabat, deventum quidem fuit *die 23. Februarii* ad stipulationem Instrumenti, sed in eo renovatum fuit pactum de non cohabitando usque ad supradictum mensem Maii.

Tertia est, quod Teste etiam Episcopo, prædictum pactum executioni mandatum fuit; cumque die 25. Februarii, & sic paulo post stipulationem Instrumenti dotalis, ex quo nulla amplius supererat apud ignaros simulationis dubitatio de validitate Matrimonii, facile fuerit Mulieri juxta Abbatis Maggii consilium una cum Annibale accedere sub prætextu cujusdam necessitatis ad Civitatem Mantuæ, sic res disposita fuit, ut uno die citatis equis iter perficeretur, ne sub eodem tecto infimul pernoctarent; quinimmo cum statim ac Anna ad Civitatem Mantuæ pervenit, accesserit ad Principem Gubernatorem, eique coram Annibale totam rei seriem aperuerit, & statim apud honestam Matronam se receperit, & deinde ingressa sit Conservatorium S. Francisci Tertii Ordinis, & in Foro Ecclesiastico protestationem emiserit de nullitate Matrimonii ex capite simulationis, non una, sed multiplex dicitur in hoc rerum complexu adesse simulationis conjectura.

Quarta tandem infertur ex attestatione ipsius Annibalis Traerii exarata *die 26. Decembris* 1723. in qua prævio juramento asserit, primo, se ante Annæ carcerationem in Fortalitio Mutinensi cum ea locutum non fuisse; secundo, se in Fortalitium ingressum fuisse, ut Instrumentum musicale aptaret; tertio se Mulieri notificasse, quod non erat e Carcere egressura, nisi Monialis fieret, aut Matrimonium contraheret, eamque idcireo requisivisse, ut se in Maritum duceret; quarto, fuisse ab Anna responsum, se nolle verum Matrimonium contrahere, sed illud fingere velle, ipsiusque auxilium hac de causa imploravisse, uti fusius legitur in dicti Annibalis attestatione, in qua iter ad Civitatem Mantuanam, & cætera super exposita confirmat.

Fundamento simulationis aliud pro nullitate Matrimonii superadditur fundamentum a Defensoribus Annæ, quod videlicet contractum fuit propter metum cadentem in constantem Mulierem, ut ipsa videlicet e Carcere liberaretur, & eo fortius cum idem Matrimonium contractum quidem fuerit extra Fortalitium, sed in Cappella privata Domus Comitis Gubernatoris ejusdem Fortalitii, ad quam a Fortalitio traducta est, clausis ejusdem Domus januis; parum urgente, non fuisse ipsam adactam ad contrahendum Matrimonium cum determinata Persona, quia juxta veriorem sententiam læditur libertas Matrimonii, illudque idcirco nullum est, sive quis compellatur ad illud contrahendum cum una determinata Persona, sive absolute, & simpliciter adigatur ad illud ineundum, relicta ineundi libertate cum indeterminata Persona, uti late docent *Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 12. num. 20. Pontius eodem tract. de matrim. lib. 4. cap. 14. num. 14. & ex Recentioribus late prosequuntur Salmanticenses in cursu Theolog. moral. tom. 2. tract. 9. de matrim. cap. 9. punct. 3. num. 39. & 40. Clerical. decis. 27. de matrim. num. 35.*

Hæc, & alia continentur in Scripturis, & Summariis pro Anna exhibitis; præter hæc autem operæ pretium esse censui perlegere Processum in Curia Episcopali Mutinensi compilatum, & breviter sub oculis EE. PP. exponere ea, quæ in ipso continentur.

Porro, omissis judicialibus actis, & Annæ protestationibus de non tuto accessu ad Civitatem Mutinæ, & de impotentia reperiendi idoneum Procuratorem, tres in eodem extant extrajudiciales attestationes, quibus Procurator Annæ ex officio a Judice datus oppositi, deferendum non esse.

Prima est cujusdam Bernardi Cervatti, qui testatus est, se de ordine Genitricis Annæ ipsam Annam interrogasse tam in Fortalitio, quam in Domo Gubernatoris, an libenter Annibalem in Maritum duceret, ipsamque affirmative respondisse, & eum rogasse, ut Matrimonii conclusionem sollicitaret, ut in *Proc. fol. 45. a tergo.*

Secunda est cujusdam Lotarii Bassoli, qui hoc ipsum, hoc est Annæ propensionem ad Matrimonium cum Annibale contrahendum confirmat, de auditu tamen ab Officiali Fortalitii, subditque se ea de causa Bononiam accessisse, ut sermonem haberet cum Patre Annibalis, qui etiam Mutinam venit, ut Matrimonium inter Filium, & Annam contraheretur.

Tertia est Josephi Manacordi, qui est Officialis modo memorati Fortalitii, quique refert, sese sæpius Annam audivisse nullatenus de Matrimonio, quod erat cum Annibale contractura, conquerentem, sed plene approbantem, licet sæpius admonita esset a Gubernatore Fortalitii, quod serio cogitaret, cum de maxima re ageretur, *ut in d. Processu pag. 48. & pag. 49.*

Præter has attestationes extrajudiciales adsunt bina judicialia testimonia Comitis Annibalis Saxi Gubernatoris Fortalitii, & Comitissæ Beatricis ejusdem Uxoris, sed cum hæc testimonia in Summario referantur, nec aliquid relevans sit quoad ea in Processu, quod non fuerit insertum in Summario, nihil mihi quoad ea superaddendum idcirco esse videtur.

Epistolæ Abbatis Maggii, & Annæ non fuerunt exhibitæ in judicio facto coram Ordinario Mutinensi. Attestatio extrajudicialis Annibalis exarata est post Ordinarii sententiam, & sic in Processu non adest, nec in eodem Processu adsunt

adsunt aliæ ploreæque extrajudiciales attestationes, ex quibus nonnulla supra relata comprobantur.

Sed quia scrupulus pro validitate Matrimonii orisi poterat ex sententia ab Ordinario Mutinensi prolata, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, Anna inquit, nullum in ea momentum constitui posse, cum se inaudita, fuerit prolata, & cum coram eodem non fuissent exhibitæ Epistolæ Abbatis Maggii, nec exhibita fuisset attestatio Annibalis Traerii, qui ingenue confessus est, sibi ab Anna dictum fuisse, quod Matrimonium fingere volebat, & quod illud revera contrahere non intendebat.

Hucusque deducta non modicam vim fecerunt apud Eminentissimos Patres, quando de hac Causa actum fuit in hac Congregatione habita *die 19. Augusti* 1724. sed cum ageretur de Matrimonio contracto in facie Ecclesiæ, & Testes de simulatione, & metu deponentes, non essent formiter examinati, & tota rei series uberioribus probationibus posse comprobari videretur, iidem consueta procedentes maturitate, ad Causæ resolutionem devenire noluerunt, sed demandarunt, ut Testes formiter examinarentur, & probationes coadjuvarentur; cumque hæc jam fuerint adimpleta, & inter cæteros Abbas Maggius fuerit formiter examinatus, & consimili modo Annibal novum examen subjerit, & ex Abbatis depositione tota simulationis tela in aperto posita sit, & ex dictis Annibalis desumatur, quod sibi revera ab Anna fuerat dictum, quod intendebat simulate Matrimonium contrahere, sed quod ipse sperabat tractu temporis eam a simulatione esse recessuram; ex his, & aliis fuse in Summario legendis, & in Scriptura, quæ circumfertur, quæritur,

An Matrimonium sit nullum in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Junii 1725. respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCXCIV.

In Causa Montis Politiani, die 19. Augusti 1724.

TARUSINUS Salimbeni in ultimo, cum quo decessit Testamento, demandavit, ut omnes, & singuli fructus suæ hæreditatis, detractis prius expensis, & nonnullis oneribus, multiplicarentur, & investirentur in bonis stabilibus, usquequo ex eorum reditibus, aut solis, aut cum additamento aliorum relictorum, quæ fierent a piis benefactoribus, erigi posset Conservatorium, in quod Pauperes Puellæ periculis expositæ reciperentur, & in quo alerentur, usquequo occasio ipsis daretur, aut matrimonium contrahendi, aut profitendi in Religione.

Assumpta ab Administratoribus deputatis hæreditatis administratione, eademque plurium annorum spatio continuata, habitus fuit anno 1703. recursus ad san. mem. Clementem XI. expositaque insufficientia redituum pro adimplenda voluntate Testatoris, necnon operis inutilitate in Civitate Montis Politiani, & quod satius futurum esset hæreditatem applicare Monasterio Monialium S. Bernardi, quod paupertate laborabat, cum obligatione tamen, ut unam pauperem Puellam ab ipsis Administratoribus nominandam absque ulla Dote reciperent, examen negotii fuit a Sanctitate Sua ad hanc Sac. Congregationem remissum.

Scriptum fuit, juxta morem, Episcopo tunc temporis pro informatione, & voto, eodemque attestante, vera esse omnia, quæ ab Administratoribus fuerant exposita una cum transmissione status hæreditarii, Sacra hæc Congregatio *die 12. Januar.* 1704. censuit, si Sanctitati Suæ placuisset, Ordinario committi posse, ut superextantes fructus hæreditatis tam decursos, quam decurrendos Monasterio assignaret, ita tamen ut Monasterium, & ejus Officiales in forma juris valida sese obligarent de recipiendo gratis tres Educandas status, & conditionis a Testatore præscriptæ, uti habetur *lib. 54. decret. fol. 54.*

Post lapsum nonnullorum annorum, sub obtentu, quod Monasterium Sancti Bernardi hæreditatem prædictam cum relato onere acceptare noluisset, habitus fuit ad hanc Sac. Congregationem iteratus recursus, & supplices preces exhibitæ sunt pro hæreditatis applicatione favore Seminarii Montis Politiani, sed cum ab hac Sac. Congregatione responsum fuisset, quod terminus præfigeretur Monasterio pro acceptanda, vel repudianda hæreditate, Moniales intra terminum præfixum acceptarunt; quocirca *die 26. Januar.* 1709. demandatum fuit, ut procederetur ad executionem rescripti alias editi *die 12. Januar.* 1704. uti habetur *lib. 59. decret. pag. 23.*

Ab anno 1709. Monasterium est in possessione hæreditatis Salimbeni: cumque moderno Reverendissimo Episcopo in mentem venerit non absolute, & simpliciter exorare, ut Monasterium dicta hæreditate privetur, cum sciat illud revera paupertate laborare, sed instare, ut ejectis tribus Puellis alias introductis, Monasterium libere hæreditate fruatur ad tempus determinatum, ut hoc interim videlicet æs alienum dissolvat, Prædia pecoribus instruat, & plantationibus fœcundet, quibus expletis deveniendum sit ad erectionem Conservatorii a Testatore demandati, & maximopere necessarii in sua Civitate, quam appellat otiosam, & lubricam, non ita tamen, ut Puellæ in illud introducendæ perpetuo in eo persistere deberent, usquequo carnaliter, vel spiritualiter nubant, sed cum hoc, ut ipsarum permanentia debeat esse ad libitum Administratorum, prout majus, vel minus erit pudicitiæ periculum, & Episcopi judicio adhæserit Civitas Montis Politiani, disputanda proponuntur dubia ad calcem restrictus referenda.

Hujusce petitionis momentum stat in obreptione, & subreptione, quarum ope supponitur impetrata fuisse a Monasterio præcedentia pro applicatione rescripta; suppositum quippe fuit Sac. Congregationi, quod tructus hæreditarii vix ascenderent ad annua scuta centum, a quibus essent demenda staria octuaginta frumenti, & scuta septem quolibet anno Canonicis persolvenda, quando juxta statum firmatum a moderno Episcopo annui reditus, deductis memoratis oneribus, ascendunt *ad scuta 180. monetæ Romanæ*, a qua summa demenda tantum dicitur partita *scutorum duodecim*, quæ habetur ex pensionibus duarum domorum, quæ inservire deberent pro novo Conservatorio. Rursus suppositum fuit Sacræ Congregationi, quod nec sæculi decursu fabrica aptari potuisset pro Puellis recipiendis, stante redituum hæreditariorum tenuitate, & magnitudine impensæ pro dicto effectu necessariæ, quando commode, & cum modica impensa duæ Domus hæreditariæ possunt dictæ habitationi aptari. Demum suppositum fuit, quod inutile erat futurum hoc Conservatorium in Civitate Montis Politiani, quando nedum ex Relatione Episcopi, sed ex cæteris attestationibus nedum utilitas, sed necessitas Conservatorii, ne Pauperes Puellæ periclitentur, evidentissima esse videtur.

Adversus hæc autem Monasterium S. Bernardi excipit, asseritque, duram admodum esse provinciam a se hæreditatem avocare, quæ non oscitanter, sed præviis duobus rescriptis hujus Sacræ Congregationis fuit cum onere enuntiato applicata; nedum etenim præcesserunt binæ informationes Ordinarii, sed etiam firmatus fuit status, & ad Urbem transmissus, idemque serio examinatus una cum dispositione Testamentaria Salimbeni, hinc inferendo ad omnimodam applicationis sublistentiam; duplici potissimum concurrente circumstantia, quarum altera desumitur a longo tempore, quo Monasterium est in possessione hæreditatis, & altera deducitur, ex quo modernus Episcopus paupertatem Monasterii admittit, & minus exequibilem agnoscit Testatoris voluntatem, cum proponat aliquid, quod cum ipsa non cohæret. Negatur etiam a Defensoribus Monasterii commoditas Domus aptandæ pro Puellis, & negatur subsistentia Calculi a moderno Episcopo transmissi, unde ex juribus circumferendis, quæritur,

I. An commutatio piæ voluntatis quondam Tarusini Salimbeni facta ad favorem Monasterii S. Bernardi vigore Decretorum hujus Sac. Congregationis emanat. sub diebus 12. Januarii 1704. & 26. dicti 1709. sustineatur in casu &c. & quatenus negative &c.

II. An idem Monasterium restituere teneatur omnia, & singula bona hæreditaria dicti Tarusini Salimbeni ad effectum erigendi ex illis Conservatorium Puellarum ab eodem Tarusino ordinatum in casu &c.

Sacra Congr. die 9. Septembris 1724. respondit,
Ad Primum Affirmative. Ad Secundum satis provisum in primo.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCXCV.

In Causa Bononiensi, die 9. Septembris 1724.

EXTAT in Civitate Bononiæ celeberrimum Sancti Clementis Collegium pro Clericis Hispanis institutum, & fundatum a præclarissimo Viro Cardinali Ægidio Albornotio.

In Statutis hujus Collegii decernitur, quod ante admissionem, debeat admittendus coram Ordinario loci probare puritatem suæ Originis absque ulla macula Maurorum, Judæorum, vel Hæreticorum.

Quinimmo, secuta admissione, devenitur ad secundum examen; eligitur enim a toto collegio unus ex Collegialibus, qui redierit in Hispanias, ut de veritate, & subsistentia primarum probationum per seipsum inquirat, examinando iterum Testes, qui coram loci Ordinario deposuerunt, vel alios, si illi mortui sint, & præter hos alios tres Testes super illorum, & Notarii de prima probatione rogati legalitate.

Et si per hanc secundam inquisitionem prima deprehendatur extorta dolo, vel fraude, expellitur ille, qui in Collegium admissus est, & ad omnes condemnatur expensas.

Rector, & Collegiales memorati Collegii S. Clementis Summo Pontifici supplicarunt, ut Collegiali electo ad faciendam secundam prædictam Inquisitionem in Hispaniis, daretur facultas cogendi per Censuras Ecclesiasticas Testes, renuentes se examini subjicere, remissisque precibus ad hanc Sacram Congregationem negative responsum fuit *die* 21. *Maii* 1718.

Concessa Rectori; & Collegialibus nova audientia, disputatoque dubio, an esset standum, vel recedendum a decisis, nulla fuit *die* 26. *Junii* 1723. capta resolutio, sed dictum, quod scriberetur Nuntio Hispaniarum juxta Instructionem.

Tenor Instructionis fuit, ut Nuntius informaret, an ullæ querimoniæ Episcoporum ex concessione prædictæ facultatis oriri possent, & eidem Nuntio insinuatum fuit, quod Collegialis eligendus pro secunda inquisitione semper debebat esse Clericus.

Supervenerunt Nuntii responsiones, in quibus hæc habentur: *Mi do l' onore di rappresentare umilmente all' EE. VV. che non mi pare, che per una tale facoltà possano giustamente querelarsi gl' Ordinarj de' luoghi, sì perchè il detto Collegio come subordinato immediatamente alla Sede Apostolica non è soggetto alla giurisdizione de' Vescovi, come anche perchè la persona del di lui Delegato non resta esente dall' Ordinario, e giurisdizione, se non nella pura facoltativa d' esercitare questi atti; onde da tutto questo mi pare di poter inferire, che concedendosi questa facoltà, non possa in verun modo considerarsi per esorbitante, tanto più che della medesima facoltà godono senza opposizione i Collegj, che sono in questi Regni, cioè quelli di Salamanca, d' Alcalà, di Vagliadolid, e di Siviglia.*

His stantibus, quæritur

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. responsit,
Prævio recessu a decisis, pro Gratia.

QUÆSTIO CCCXCVI.

In Causa Neapolitana Nullitatis Professionis, die 9. Septembris 1724.

JOANNES Baptista Ageta natus est *die* 20. *Junii* 1684. & Professionem Regularem emisit *de mense Octobris* 1700. inter Clericos Regulares Minores, *& anno* 1714. supplicavit sanctæ memoriæ Clementi XI. pro restitutione in integrum adversus prædictam Professionem, & a Sanctitate sua fuerunt preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Scriptum fuit juxta morem Eminentissimo Archiepiscopo Neapolitano, qui Processum in sua Curia confectum transmisit, & ex Testibus in eodem examinatis desumitur, Joannem Baptistam vix pubertatis annos prætergressum, morbo gallico fuisse inquinatum, & Cajetanum ejus Genitorem, Virum revera doctum, & inter principaliores Civitatis Neapolitanæ Advocatos merito adscriptum, tanto ob dictum morbum furore percitum fuisse, ut comminatione perpetui carceris, suæque indignationis, & adhibitis etiam in subsidium verberibus, ipsum adegerit ad emittendam Professionem Regularem.

Addit Joannes Baptista, nullum sibi ex longo silentio præjudicium derivare posse, tum quia Pater vixit *usque ad annum* 1704. tum quia mortuo Patre, licet exclamaverit adversus Professionem, non potuit tamen sua jura formiter deducere, ex quo Franciscus Ageta frater natu major impedivit, ne Testes pro nullitate deponentes examinarentur, & ne aliquis Procurator hujusce Causæ patrocinio operam præstaret; neque hoc fratris impedimentum cessavit, nisi postquam res domesticæ fuerunt inter ipsos compositæ, qua compositione consecuta Joannes Baptista judicium introduxit.

In Summario, quod exhibetur pro Joanne Baptista, non adest nisi examen Testium, qui deponunt pro nullitate Professionis; habitaque a me notitia, quod alii fuerant in Civitate Neapolitana Testes examinati, qui pro validitate Professionis deposuerant, curavi, ut horum etiam Testium depositiones in forma authentica ad Sacram Congregationem transmitterentur, prout transmissæ fuerunt.

Deveniendo itaque ad horum Testium depositiones, tres Testes fuerunt examinati, Sacerdos Petrus Salzano, Matthæus Vassallo, Nicolaus Zuppa, & omnes hi asserunt super undecimo interrogatorio, se ignorare, an Orator morbo supradicto laboraverit.

Et in eo quod attinet ad vim a Cajetano Patre adhibitam, ut Filius Professionem Regularem emitteret, eadem a Testibus prædictis excluditur, & signanter a primo, & secundo, & secundus ita loquitur: *Io altro non posso deponere circa questo interrogatorio, se non che il detto Padre Giovanni Battista nell' anno* 1699. *se ne fuggì dalla casa del quondam detto Gaetano suo Padre, stando nel secolo, e stiede per più giorni fuori di sua casa, e dopo s' ebbe la notizia, che era il medesimo andato a farsi Religioso dell' Ordine di Santa Maria Maggiore, che ciò saputosi da detto suo Padre, se lo mandò a chiamare in sua casa, ed avanti la presenza mia, e d' altre Persone di sua casa gli disse: Figlio mio tu ti vuoi fare Monaco, è volontà tua? il detto Padre Gio: Battista rispose: Signor sì, è volontà mia; e detto suo Padre gli replicò piangente per l' allegrezza che n' avea, va, fatti Monaco, se vuoi farti Monaco, sii benedetto, se vuoi stare in mia casa, tu sei il padrone, ed è certo, che fu volontà sua farsi Monaco colla saputa di detto suo Padre.*

His stantibus quæritur,

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. responsit,
Negative.

QUÆSTIO CCCXCVII.

In Dubio Matrimoniorum, die 9. Septembris 1724.

IN nonnullis Diœcesibus mos inolevit celebrandi quædam matrimonia secreta, quæ etiam dicuntur *Conscientiæ*, modo sequenti.

Habetur a futuris Conjugibus recursus ad Episcopum, & facta eidem expositione, quod Cajus, & Berta cupiunt matrimonio copulari, & quod exoptant, quod id ad aliorum notitiam non deveniat, vel quia sunt disparis conditionis, vel quia usque tunc habiti fuerunt pro legitimis conjugibus, licet essent concubinarii, vel quia aliæ consimiles urgent circumstantiæ.

Ordinarius nedum indulget, ut deveniatur ad celebrationem matrimonii absque denunciationibus, sed ulterius mandat Parocho, aut alteri Sacerdoti sibi beneviso, ut matrimonio contrahendo interfit una cum duobus Testibus, impositа tum Sacerdoti, tum Testibus lege inviolabilis secreti, & quod ad calcem licentiæ sic contrahendi fiat a Sacerdote attestatio de matrimonio contracto, eademque intra tres dies ad se deferatur asservanda inter matrimonia secreta suæ Diœcesis, & in hypothesi, in qua subdelegetur Sacerdos, qui non sit contrahentium Parochus, ut matrimonio interfit, demandatur, ut restauretur damnum bursale Parocho, qui ad tramites Juris debuisset matrimonio interesse.

Contractis hisce matrimoniis secretis, sive Conscientiæ, datur aliquando casus, quod vel filii ex illis nati, vel consanguinei ad hæreditatem primi mariti vocati, casu quo mulier transeat ad secunda vota, aut alii quomodocunque interesse habentes instent penes Episcopos pro authentica fide matrimonii contracti, & in prædictis circumstantiis insurgit disputatio, an petita attestatio sit, nec ne extradenda.

Episcopus, qui degit in Regionibus, in quibus matrimonia hæc passim contrahuntur, oraculum exposcit hujusce

hujusce Sacræ Congregationis super dubiis infra referendis.

Ad calcem nonnullæ adsunt Secretarii adnotationes; omnibusque perpensis, quæritur,

I. An prædicta matrimonia secreta, seu Conscientiæ sint licita, in casu &c.

II. An instantibus interesse habentibus extradenda sit authentica attestatio matrimonii contracti in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Decembris 1724. responsit,
Ad mentem.

ADNOTATIONES SECRETARII

Postea Benedicti Papæ XIV.

Circa Matrimonia secreta, seu occulta, & quæ dicuntur Conscientiæ.

1. NONNULLA in Sacra Antiquitate, & in Jure Canonico vestigia de matrimoniis secretis, & occultis, licet sine nomine matrimoniorum Conscientiæ, inveniuntur. Sed his omissis, quæ infra in hisce adnotationibus commodius exponentur, transitus faciendus est ad eas matrimoniorum secretorum, & occultorum, & quæ Conscientiæ dicuntur, species, de quibus apud recentiores Auctores sermo habetur, & quæ in nonnullis Regionibus passim contrahuntur.

2. Prima species est earum sacrilegarum conjunctionum, quæ matrimonia Conscientiæ dicta sunt, & quæ de consilio impii Apostatæ Marci Antonii de Dominis secreto contrahi debebant, & semoto quocunque arbitro a viris licet constitutis in Sacris Ordinibus, ad avertendum, ut ipse profitebatur, frequens incontinentiæ periculum.

3. At hæc est abominatio desolationis stans in loco sancto; cæteris etenim prætermissis, anathema est, quicunque dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, & contractum validum esse *juxta Canon. novum sess.* 24. *de Matrim.* & pluribus hanc speciem matrimonii Conscientiæ docte de more impugnat *Theophilus Raynaud. oper. tom.* 16. *in opere, cui titulus Heteroclita spiritualia pag. mihi* 183. *n.* 28.

4. Secunda species matrimoniorum Conscientiæ ea est, quando inter virum, & fœminam matrimonium de facto contrahitur sine denunciationibus, & sine præsentia Parochi, & Testium. Matrimonium hoc revera dicitur clandestinum, sed a plerisque etiam denominatur matrimonium Conscientiæ, teste *Carolo Feuret in tractatu de Abusibus tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 38.

5. Verum in hujusce generis assertis Matrimoniis, vel ut aptius loquar, in eorum examine tempus terendum non est; vel enim in locis, in quibus contrahuntur, publicatum fuit Decretum Concilii Tridentini *sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* & matrimonia nulla sunt; vel Decretum non fuit publicatum, & matrimonia ad summum erunt valida, sed illicita, juxta Textum *in Canon. Aliter, in Canon. Nullus, in Canon. Nostrates* 30. *quæst.* 5. *& in Canon. Lotharius* 32. *quæst.* 2.

6. Tertia species Matrimoniorum Conscientiæ est, quando vir, & mulier, fide sibi conjugii invicem data, matrimonium contrahunt, antequam dispensationem obtineant, quæ pro dicto matrimonio valide contrahendo erat necessaria, & hoc interim copulam exercent, data tamen promissione de celebrando deinde solemniter conjugio coram Parocho, & Testibus, quando supervenerit dispensatio, vel adimpleta fuerit alia conditio, sub qua matrimonium contractum est.

7. At usus conjugii in prædictis circumstantiis nefarius est, nec ullo modo tolerabilis, uti late ostendit *Theophil. Raynaud. loco supra citato pag. mihi* 184. *n.* 29.

8. Quarta species Matrimoniorum Conscientiæ est, quando obtenta ab Episcopo dispensatione a proclamationibus, nec non facultate, ut alienus Sacerdos, qui non sit contrahentium Parochus, matrimonio interfit, contrahitur Matrimonium per Procuratores, qui, ut plurimum sunt Contrahentium Confessarii, binique Testes advocantur, inter se, & Contrahentibus, & Parocho incogniti, hac intentione, ut exsaturata libidine, aut excitata, ut facile fit, offensione, Conjuges impune separentur, & unusquisque acquirat libertatem alterum contrahendi Matrimonium, remanentibus interea liberis natis in classe illegitimorum.

9. Simplex facti expositio detestabilem patefacit hunc agendi modum, & sic contrahentes si non resipiscant, sunt in statu perpetuæ damnationis, uti late, & docte de more ostendit sæpe citatus *Theophil. Raynaud. pag. mihi* 184. *loco allegato n.* 30. *&* 31.

10. Quinta Matrimoniorum Conscientiæ species est, quando ad avertendum scandalum conceditur a Superiore, & signanter a Cardinali Majori Pœnitentiario dispensatio a denunciationibus una cum facultate, ut Parochus contrahentium, qui sunt veri concubinarii, sed pro legitimis conjugibus passim habentur, matrimonio eorum interfit una cum duobus Testibus confidentibus, appositа in litteris Sacræ Pœnitentiariæ consueta clausula *Laceratis*, quæ alias dicebatur *Laniatis*, in cujus sequelam, contracto matrimonio, Epistola dicti Tribunalis laceratur, & matrimonium in libro non adnotatur.

11. Non videtur esse dubitandum de validitate, & legitimitate hujus matrimonii, cum in eo adsint omnia substantialia, & certa sit facultas Summi Pœnitentiarii quoad dispensationem a denunciationibus, & difficile sit circumstantias aptiores invenire pro concedenda absolutione a dictis denunciationibus; si etenim concubinarii passim habentur pro legitimis conjugibus, quotquot audirent, matrimonium esse inter eos contrahendum, scandalum absque dubio paterentur.

12. Ab hac tamen facti serie nemo est, qui non videat, mala aliqua derivare posse; utque res fiat clarior exemplo, sciendum est, olim contractum fuisse coram Parocho, & Testibus matrimonium inter duos, qui habebantur pro legitimis conjugibus, sed erant concubinarii, & laceratam fuisse a Parocho Epistolam Sacræ Pœnitentiariæ, & matrimonium non fuisse in libro adnotatum.

13. Mortuo Parocho, qui matrimonio interfuerat, Conjuges petierunt a Parocho successore attestationem de matrimonio contracto, ut prolis indemnitati consulerent, sed Parochus successor nullam fidem præstans sive Conjugum assertioni, sive Testibus, qui matrimonio interfuerant, & adhuc vivebant, ad amputandam quamcunque controversiam, Virum, & Fœminam admonuit, ut iterum coram se, & duobus Testibus contraherent.

14. Difficultate excitata, an posset consensus hic matrimonialis iterari coram Parocho, & Testibus, quando contrahentes asserunt medio juramento, se eum alias coram Parocho, & Testibus præstitisse, & quæstione delata ad hanc Sacram Congregationem, disputatum fuit *die* 19. *Septembris* 1684. sequens dubium, *an in conscientia, & absque peccato possent præfati contrahentes coram dicto Parocho, & Testibus renovare consensum*, & responsum fuit *negative, & ad mentem*, & mens fuit, uti invenio adnotatum ab R. P. D. Altovito tunc Secretario, *quod modernus Parochus recepta etiam oretenus depositione Testium, qui interfuerunt contractui matrimonii, atque recepto ipsorum Conjugum juramento super veritate dicti contractus matrimonii, sibique per eosdem Conjuges exhibito duplicato Litterarum Pœnitentiariæ, matrimonium describeret in libro.*

15. Salva reverentia, quicumque summis, uti dicunt, labiis, stylum Sacræ Pœnitentiariæ degustavit, bene dignoscere poterit responsum Sacræ Congregationis inexequibile fuisse. Si etenim in Epistola Sacræ Pœnitentiariæ nec nomina contrahentium, nec Parochi, exprimuntur, expeditio duplicati Litterarum Pœnitentiariæ non erat ullo modo practicabilis. Qualis fuerit memoratæ causæ finis, ignoratur; at ad avertenda consimilia inconvenientia mos subinde in Sacra Pœnitentiaria inolevit, ut petentibus concubinariis, qui habentur pro legitimis Conjugibus facultatem contrahendi matrimonium sine denunciationibus, & coram proprio Parocho, & duobus Testibus confidentibus, eadem concedatur, sed absque clausula *Laceratis*, & cum positivo mandato, ut matrimonium a Parocho in libro describatur, & quia aliquando inter concubinarios adest impedimentum impediens, & dirimens matrimonium, sed occultum, binæ fiunt in Sacra Pœnitentiaria expeditiones, altera, quæ Confessario dirigitur pro concedenda dispensatione super impedimento, & in hac apponitur clausula *Laceratis*, & altera, quæ dirigitur proprio contrahentium Parocho, ut matrimonio interfit una cum duobus Testibus confidentibus post receptam tamen dispensationem a Confessario super impedimento, & in hac expeditione, quæ dirigitur Parocho, non apponitur, uti supra dictum est, clausula *Laceratis*, sed additur, ut matrimonium describatur in libro, & si in aliqua urgentissima, sed rarissima cir-

cumſtantia hæc expeditio alteri Sacerdoti, facto verbo cum Sanctiſſimo, & non Parocho dirigitur, huic demandatur Sacerdoti, ut poſt aliquod tempus determinatum adnotare faciat in libro Parochiali Matrimonium una cum facultate ſibi data eidem aſſiſtendi.

16. Sexta Matrimoniorum Conſcientiæ ſpecies eſt, quando Vir, & Fœmina, obtenta a Superiore diſpenſatione a denunciationibus, matrimonio copulantur, aut coram Sacerdote ab Epiſcopo delegato, aut coram Parocho, & duobus Teſtibus confidentibus, quod ſignanter ut plurimum contingit, quando Vir, & Mulier ſunt diſparis conditionis, vel quando conſanguinei contrahentium matrimonio adverſantur, & matrimonium a Parocho deſcribitur in libro, ita tamen ut hujus matrimonii partita obſignetur de mandato Epiſcopi, & cum præcepto, quod non aperiatur niſi de Epiſcopi pro tempore conſenſu, qui modus paſſim practicatur hic in Urbe, vel ſi non deſcribitur in libro, deſcribitur in pagina, quæ Epiſcopo conſignatur, ut in Actis Curiæ Epiſcopalis conſervetur inter matrimonia ſecreta, & in Germania, quando Viri illuſtres, qui primam habuerunt Uxorem nobilem, & ex ea filios procreaverunt, & ad evitandam fornicationem, mortua prima Uxore, contrahunt cum Fœmina inferioris conditionis, ſed ſecreto, licet coram Parocho, & Teſtibus, & prævia diſpenſatione a denunciationibus, pactum apponere conſueverunt, ut hæc Uxor, & Liberi ex ea procreandi certa portione ad ſubſtentationem neceſſaria contenti eſſe debeant, ſed conditionem, & dignitatem Mariti non participent, & a ceteris bonis Avitis, & Paternis, & titulis, & inſignibus abſtineant, & hæc Matrimonia Conſcientiæ in Germania paſſim dicuntur *ad Morganaticam*; Morganegiba etenim apud Saxones donum appellabatur, quod Maritus Uxori offerebat in die nuptiarum, uti habetur in *Spicilegio Acheriano tom.* 12. *pag.* 153. *& in celebri Gloſſario Domini Ducange tom.* 2. *in verbo Morganegiba*.

17. Pugnant pro validitate horum Matrimoniorum Conſcientiæ, quæ dicuntur *ad Morganaticam*, Theologi, & Canoniſtæ Germani. Dicunt etenim, nullam hoc matrimonium præſeferre turpitudinem, ſed honeſtatem ex fine relucere, tum ut Vir non valens continere, ſit extra periculum illiciti concubitus, tum ne liberis prioris matrimonii, aut agnatis per diviſionem bonorum præjudicium afferatur, ut inter Theologos, & Canoniſtas ex Benedictina Familia bene docent *Koningh. ad Titulum de Sponſal. & Matrim. n.* 91. *quæſt.* 1. *Schmier in Tractatu de ſucceſſionibus hæreditariis par.* 2. *cap.* 3. *n.* 45. *& ſeqq. Merl. in tract. juridico de Sponſal. & Matrim. par.* 2. *cap.* 1. *ſect.* 2. §. 4. *n.* 72. *& ſeqq.* & ex Patribus Societatis Jeſu *Vitus Pichler in Summa Juriſprudentiæ Canonicæ lib.* 4. *tit.* 1. *de Matrimon.* §. 1. *ſub num.* 75. *Schmalzgrueber ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 1. *de Sponſal. & Matrim. ſect.* 2. §. 1. *num.* 237. *& plur. ſeqq.*

18. At quidquid ſit de hiſce Matrimoniis, quæ dicuntur *ad Morganaticam*, quæ hic in Italia non ſunt in uſu, in eo quod attinet ad ea occulta, & quæ dicuntur Matrimonia Conſcientiæ, quæ contrahuntur aut coram Sacerdote ab Epiſcopo delegato, aut coram Parocho, & Teſtibus confidentibus, prævia diſpenſatione a denunciationibus, & cum hoc, ut Matrimonium vel adnotetur in libro, ita ut partita obſignetur non aperienda, niſi de ordine Epiſcopi pro tempore, vel adnotetur in pagella Epiſcopo conſignanda, & ab eodem inſerenda in libro particulari Matrimoniorum ſecretorum, videtur, quod hujuſmodi Matrimonia ſint valida, & licita.

19. Et quidem quod ſint valida, patet, quia denunciationes non ſunt de ſubſtantia Matrimonii, & Matrimonium ſine illis contractum validum eſt, juxta communem opinionem, de qua ad tramites reſolutionum hujuſce Sacræ Congregationis late proſequuntur *Gonzal. in cap. cum inhibitio n.* 7. *de clandeſt. diſponſat. Vallenſis ad eundem titulum Decretal. n.* 5. *Pirhing ad lib.* 4. *Decretal. eodem tit. de clandeſt. deſponſat.* §. 4. *n.* 28. *Beccanus in ſumma tract. de Sacram. quæſt.* 3. *tit. de deſponſ. clandeſt. tit.* 3. *Diana in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 6. *de Sacram. Matrim. reſol.* 62.

20. Rurſus Matrimonium hoc licitum dici poſſe videtur; licet enim denunciationes fuerint a Concilio Lateranenſi præſcriptæ in *cap. cum inhibitio de clandeſtina deſponſatione*, eædemque iterum fuerint demandatæ a *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* juſta nihilominus ſubſiſtente cauſa, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut vel eædem non præmittantur ante contractum Matrimonii, ſed poſt illum, & ante conſummationem, vel ut eædem omnino prætermittantur, uti late oſtendunt *Salmanticenſes in curſu Theolog. Moral. tom.* 1. *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 8. *punct.* 7. *n.* 81. & in Matrimoniis hiſce Conſcientiæ, quæ fiunt coram Parocho, & duobus Teſtibus confidentibus, difficile admodum eſt, quod non adſit ſufficiens cauſa diſpenſandi; ut plurimum etenim hæc Matrimonia contrahuntur, vel inter Concubinarios, qui habebantur pro legitimis Conjugibus, vel inter virum, & fœminam diſparis conditionis, vel in hypotheſi, in qua Conſanguinei Matrimonio adverſantur; cumque nihil aliud ad rem, de qua agitur, ſuperſit, quam verba facere de deſcriptione horum Matrimoniorum in libro, mandat utique Sac. Synodus *Seſſ.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. quod Parochus habeat librum, in quo Conjugum, & Teſtium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat, & hoc ipſum præſcribitur in Rituali Romano; ſed prætermiſſo, quod defectus adnotationis in libro non irritat Matrimonium juxta *deciſ.* 251. *n.* 36. *coram Otthobon.* & quod aliunde, quam ex Parochi libro Matrimonium probari valet, juxta *deciſ.* 301. *n.* 5. *& 6. parte* 11. *recent. & deciſ.* 184. *num.* 13. *coram Priolo*; vis ſbat in hoc, quod Matrimonia, de quibus agitur, deſcribuntur in libro, & de mandato Epiſcopi Partita obſignatur non aperienda, niſi de ſuo, vel ſucceſſorum aſſenſu, ita ut adimplerum dici debeat totum id, quod a Concilio ſtatuitur, & a Rituali circa Matrimoniorum deſcriptionem in libro; parum urgente, quod aliquando Matrimonia a Parocho deſcribuntur in pagella, quæ Epiſcopo conſignatur, ut inter Matrimonia ſecreta conſervetur; hæc ſiquidem accidentalis differentia apta nata eſſe non videtur ad efficiendum, ut Matrimonium, quod ſecluſa ipſa eſſet licitum, per ipſam illicitum evadat; & multo magis cum juxta praxim plurimarum Diœceſum, quæ ex Synodis Diœceſanis deſumitur, exemplaria librorum Matrimoniorum proprio ſubſcripta charactere Parochorum quolibet anno ſint deferenda ad Præfectum Epiſcopalis Archivii, ut in eodem cuſtodiantur, & ne obeuntibus Parochis Libri remaneant in manibus hæredum tradendi vel igni, vel Salſamentariis vel fordidis aliis uſibus adhibendi, cum nimio detrimento Parochianorum, & civilis vitæ, atque commercii, uti pluribus habetur apud *Franciſcum Gennetum in Theol. Moral. tom.* 5. *tract.* 9. *cap.* 4. *de Sacram. Matrim. quæſt.* 6.

21. Abſque eo quod ulla adverſus hæc Matrimonia excitari valeat oppoſitio, ex quo aliquando non Parochus, ſed alius Sacerdos iiſdem intereſt; Matrimonium etenim contrahi debet vel coram proprio contrahentium Parocho, vel coram alio Sacerdote de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, juxta *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.* & quando huic Sacerdoti onus imponitur, ut Matrimonium una cum facultate ſibi data intra tempus determinatum debeat adnotare facere in libro Parochi, vel notam ad Epiſcopum delegantem deferre, ut ea inter Matrimonia ſecreta in Archivo Epiſcopali conſervetur, omnis ceſſare videtur amaritudo.

22. Nonnullæ ex antiquo Jure Canonico ſanctiones afferri poſſe videntur pro aſſumpto corroborando; in *Can. eteniм Chriſtiano diſt.* 34. ita legitur: *Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris, ſi conjux deeſt, concubinam*; & in *Canon. is, qui eadem diſt.* 34. hæc habentur: *is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ ſit conjunctione contentus*. Duplex eſt horum Sacrorum Canonum intelligentia. Altera eſt ſingularis eruditi alioquin viri *Ferdinandi de Mendoza ad lib.* 2. *Comment. in Concilium Eliberitanum*, ubi ait, Canones prædictos intelligendos eſſe de Concubinis, quæ erant illicite conjunctæ cum viris, qui tamen erant ſoluti; licet enim taliter conjuncti viverent in ſtatu damnationis, ea nihilominus macula adeo tunc communis erat, ut ad vitandum ſcandala, & plurima graviſſima mala viſum fuerit non negare eis communionem.

23. Altera communior intelligentia eſt, ut nomine Concubinæ legitima uxor intelligatur, ſed copulata cum minori ſolemnitate, aut ſine ſolemnitate, uti adnotavit *Gratians ad finem Canonis omnibus diſt.* 34. ibi: *Concubina hic ea intelligitur, quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis unita eſt, & conjugali affectu aſciſcitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat*; & hanc intelligentiam late exornant *Cardinalis Bellarm. lib.* 3. *de Concil. cap.* 8. *ad* 11. *objectionem*, *Cardinalis de Aguirre in notis ad Can.* 17. *Concil. Primi Toletani tom.* 2. *pag.* 148. *numer.* 25. latiſſime *Pontius de*

de Matrim. lib. 7. *cap.* 54. *per totam*, noviſſime *Canonicus Raynaldus voto* 181. *per totum*.

24. Adeoque ſi juxta antiquam Sacrorum Canonum diſciplinam, Matrimonia erant valida, & licita, licet nonnullæ ſolemnitates deficerent, non niſi quia cætera, quæ erant neceſſaria, & ſubſtantialia, non deerant, hoc ipſum aſſerendum eſſe videtur in Matrimoniis Conſcientiæ, de quibus agitur, cum omnia in illis concurrant, quæ ſunt neceſſaria, & ea, quæ deſunt, inter ſolemnia ſint referenda, uti ad rem argumentatur *Theophil. Raynaud. oper. tom.* 16. *in eo, cui titulus Heteroclita ſpiritualia pag.* 186. ibi: *exiſtimo poſſe in hanc rem transferri, quæ de immuni culpa concubinarum, ideſt uxorum abſque ſolemnitate ductarum uſu etiam poſt Chriſtum ſcribit Baſilius Pontius &c.*

25. Hucuſque deducta ſuadere poſſe videntur, ſextam hanc Matrimoniorum Conſcientiæ ſpeciem eſſe validam, & licitam, ſed prædictis minime obſtantibus, ſcandalum urget, quod ea matrimonia reddere poteſt illicita; multi, & multi etenim ignorantes virum, & fœminam eſſe matrimonio conjunctos, ſcandalizantur, cum vident eoſdem inſimul cohabitare, nec ullum a Superioribus Eccleſiaſticis verbum moveri adverſus prædictas cohabitationes. *Theophil. Raynaud. loco citat. ſub num.* 33. proponit adverſus hæc Matrimonia malum memorati ſcandali, ibi: *certum eſt, nunquemque teneri bene Proximum ædificare, & nulli ſcandalum, ſive offendiculum præbere, juxta illud Chriſti, væ Mundo a ſcandalis. Nec ago de ſcandalo ſpeciali, quod admittitur per directam damni ſpiritualis a proximo incurrendi volitionem; id enim eſt peccatum plane ſatanicum vix cadens in pectus humanum. Ago igitur de ſcandalo dumtaxat generali, in quo volitio ruinæ ſpiritualis alienæ non eſt niſi indirecta, nec eſt peccatum ſpeciale, ſed pertinet ad eam malitiæ ſpeciem, in quam is, qui ſcandalum patitur verbo, vel exemplo, aliave occaſione, ſive cauſa occaſionem datam excuſantem, inducitur, quantum eſt ex vi verbi, vel exempli, aut occaſionis*.

26. Cumque idem Auctor dicat, non eſſe habendam hujuſce ſcandali rationem, quando adeſt juſta cauſa, Matrimonium modo prædicto contrahendi, ibi: *at ſi juſtæ cauſa clam contrahendi interveniat, vacabunt culpa Conjuges ſic contrahendo, & ſcandalum non erit datum, ſed acceptum, neque enim quiſquam cum gravi ſuo damno ſpirituali, aut temporali tenetur conſulere evitationi peccati alieni, quod contingat admitti, male accepta occaſione ex facto ipſius, alioquin bono, vel indifferenti &c. ex quo fundamento excuſantur a culpa, qui vendunt res indifferentes, eaſve exhibent illis, quos vident culpa ſua iiſdem abuſuros &c. & ex eodem fundamento immunes ſunt a culpa, qui per aliquod tempus, dum commodam opportunitatem præſtolantur, Fidem Catholicam publice profiteri differunt, ne incurrant in grave periculum vitæ, aut fortunarum, quamvis alii ex eo tantum, quod videant, eos non profiteri publice Catholicam Fidem, exiſtimaturi ſint eos eſſe hæreticos*.

27. Infertur ex his in abſtracto dici poſſe valida eſſe, & licita prædicta Matrimonia, ſi ſufficiens adſit ſic contrahendi cauſa a Superiore Eccleſiaſtico approbata, ſed a ſingularibus factorum circumſtantiis pendere, an hoc, & illud Matrimonium prædicto modo contractum licitum ſit, & in abſtracto pariter dici poſſe, exhibendam eſſe authenticam atteſtationem Matrimonii contracti, ſi petatur ab his, qui habent intereſſe, ſed a ſingularibus pariter factorum circumſtantiis pendere, an hic, & nunc atteſtatio in hoc, & in illo caſu ſit exhibenda.

Atque hæc dicta ſint ſub cenſura; ſalvo ſemper &c.

QUÆSTIO CCCXCVIII.

In Cauſa Neapolitana, die 30. *Septembris* 1724.

STATIM ac ad aliquam Civitatem certa defertur notitia de obitu Summi Pontificis, ſolemnes debent a Clero, & Populo Exequiæ pro eo celebrari, & uſquequo certa deveniat notitia de Succeſſoris electione, Clerus, & Populus fundere debent preces ad Dominum, ut ipſe, qui concordiam facit in ſublimibus, efficiat eligentium corda in eligendo concordia, uti legitur *in cap. ubi periculum de Electione in* 6.

Ad tramites hujuſce Canonicæ diſpoſitionis, ſtatim ac ad Civitatem Neapolitanam delatum fuit nuntium obitus ſan. mem. Innocentii XIII. Curia Archiepiſcopalis Neapolitana Edictum publicavit, quo publicas Supplicationes, ſeu Proceſſiones indixit, cui Clerus Sæcularis, & Regularis intereſſe deberet pro Ope Divina implorandа in re maximi momenti, qualis eſt illa Electionis Summi Pontificis.

Quæſt. Canonic. Pars II.

Omnes de Clero tam Sæculari, quam Regulari ſtatis, & aſſignatis in Edicto diebus ad Proceſſionem acceſſerunt, exceptis Clero Sancti Joannis ad Mare, S. Angeli ad Nidum, & Patientiæ Cæſareæ; quocirca ne ſub obtentu ignorantiæ memorati Edicti, licet ad Valvas Eccleſiæ Metropolitanæ, & in aliis publicis, & conſuetis locis affixi, ſupradicti ſe eximerent ab interventu Proceſſioni; eadem Curia Metropolitana novum Edictum publicavit, quod etiam perſonaliter intimare fecit, in quo iis omnibus præcepit, ut ad Proceſſiones accederent, quæ aliis ſequentibus diebus fieri debebant pro Summi Pontificis Electione, impoſita ſuſpenſionis pœna, & Interdicti quoad eorum Eccleſias in caſu inobedientiæ.

Hiſce minime obſtantibus Proceſſioni non interfuerunt Sacerdos Marcus Mercadante Rector Eccleſiæ S. Angeli ad Nidum una cum ſuis Cappellanis, & Sacerdos Nuntius Papalordo Sacriſta Eccleſiæ Patientiæ Cæſareæ una pariter cum ſuis Cappellanis, receptiſque formiter Teſtibus ſuper eorum abſentia, Curia Metropolitana ſuſpendi mandavit a Divinis memoratos duos Sacerdotes, ſalva facultate procedendi contra Cappellanos, necnon ad Interdictum quoad Eccleſias, & Cedulones affixi fuerunt ad Valvas Eccleſiæ Metropolitanæ, & perſonalis intimatio facta eſt Sacerdoti Mercadante, & aliis contumacibus.

Fertur, nonnullos animo demiſſo ſupplicaſſe, & obtinuiſſe ſuſpenſionis relaxationem, ſed cum ſæpe memoratus Sacerdos Mercadante Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſubſequenter celebraverit, & functiones Eccleſiaſticas ſubſequenter publice peregerit, poſt receptas ſuper hiſce geſtis probationes, præmiſſiſque cæteris præmittendis, eodemque monito, ut ſe a Miſſæ Sacrificio, & aliis Officiis Divinis abſtineret ſub pœna Excommunicationis majoris, deventum tandem fuit ad declarationem, quod ipſe evaſerat irregularis, & quod majorem Excommunicationem incurrerat, cujus abſolutio Sedi Apoſtolicæ reſervata fuit, & poſt declarationem tam Irregularitatis, quam Excommunicationis noluit Sacerdos Mercadante a Sacrificio Miſſæ abſtinere.

Hæc eſt Hiſtoria facti, quæ primis duobus dubiis Infra exponendis materiam ſuppeditavit, & quia antequam ad actus judiciales procederetur, Eccleſia S. Angeli ad Nidum Monitorium obtinuerat ab A. C. ſuper obſervantia Privilegii ſuæ Exemptionis a Jurisdictione Ordinaria, quo ſtante prætenditur manus Curiæ Metropolitanæ fuiſſe ligatas, nec citra vitium Attentatorum potuiſſe agere ea, quæ egit, hinc in tertio dubio infra memorando promovetur diſputatio de Attentatis.

Circumferuntur ſcripturæ, quæ tamen uſque adhuc ad me delatæ non ſunt, ita ut nihil aliud mihi ſuperſit, quam nonnulla ex Textu Concilii, & ex Regeſtis hujuſce Sac. Congregationis adnotare, quæ ad rem facere poſſe videntur.

Quoad exemptionem, habetur in Concilio Tridentino eam non ſuffragari Exemptis, quominus accedere debeant ad publicas Proceſſiones, uti legitur *ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regul.* ibi: *Exempti autem omnes tam Clerici Sæculares, quam Regulares quicunque etiam Monachi ad publicas Proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt*.

Quoad Proceſſiones, quænam publicæ dici valeant, reſolutum fuit a Sacra Congregatione *in Ferrarien.* 23. *Septemb.* 1609. *lib.* 11. *decret. pag.* 67. *&* die 28. *Novemb.* 1609. *eodem lib. pag.* 69. *a tergo*, ibi: *Sacra ſæpius declaravit publicas Proceſſiones, ad quas exempti ab Epiſcopis vocati accedere tenentur ex Decreto capitis* 13. *ſeſſ.* 25. *de Regul. ejuſdem Concilii, eas eſſe intelligendas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, vel publico honore*; & rurſus *Sacra &c. cenſuit publicas Proceſſiones, de quibus idem Concilium ſeſſ.* 25. *cap.* 13. *de Regul. loquitur, intelligi ſolitas, & conſuetas, nec non eas, quæ indictæ fuerunt pro bono publico, publicove honore*.

Quoad punctum compellendi Exemptos etiam per Cenſuras, ut publicis Proceſſionibus interveniant, adeſt ſequens reſolutio *in Albanen.* 23. *Septemb.* 1617. *lib.* 11. *Decret. pag.* 201. *a tergo*, ibi *Sacra &c. auditis Partibus reſpondit, Monachos S. Hieronymi, ut proponitur, ab Ordinario vocatos teneri, ac potuiſſe compelli etiam pœnis, & Cenſuris Eccleſiaſticis ad Rogationum Divi Marci, aliaſque publicas Proceſſiones accedere*; & concordat alia Reſolutio *in Limana* 16. *Aprilis* 1633. *lib.* 14. *Decret. pag.* 729. ibi: *Sacra &c. cenſuit in illis caſibus, in quibus Epiſcopis commiſſa eſt executio diſpoſitionis Regulares comprehendentis, poſſe eoſdem Regulares, ſi inobedientes exiterint, etiam per Cenſuras ad illius obſervationem compellere*.

Dentum quoad inhibitiones A. C. responsum fuit a Sac. Congregatione in *Spoletana 23. Junii 1629. lib. 14. Decret. pag. 111. a tergo*, ibi; *Sacra &c. respondit, Episcopum procedere posse ad executionem Decreti ejusdem Sacri Concilii cap. 13. sess. 25. de Regul. & declarationis hujus Sacræ Congregationis, inhibitionibus A. C. non obstantibus*,

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac *die 30. Septembr. 1724.* nec tunc ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod proponeretur in prima post Aquas,

Ad tramites hujus rescripti facta fuit nova propositio in Congregatione habita *die 18. Nov. ejusdem anni*, disputatoque primo dubio, *an Curia Archiepiscopalis potuerit cogere Rectorem, seu Sacristam Ecclesiæ S. Angeli ad Nidum ad interveniendum Processioni in casu &c.* responsum fuit *affirmative* juxta *cap. 13. sess. 25. de regul.* nulla habita ratione Exemptionis concessæ in limine fundationis, vel quia huic Exemptioni derogatum fuit *in cap. 22. ejusdem sess. 25. de regul.* vel quia ad effectum obtinendi Exemptionem ab accessu ad publicas Processiones necesse videtur, quod exhibeatur speciale privilegium a Processionibus eximens, quod etiam sit posterius Sacro Tridentino Concilio, juxta Resolutionem *anni 1628. apud Pignatell. consult. 122. num. 2. tom. 1.* cum pluribus aliis, quæ fuerunt allegata a Scribentibus pro Curia Archiepiscopali.

Fuit in eadem Congregatione secundo loco disputatum dubium, *an potuerit hoc facere per Censuras*, & responsum fuit, affirmative, juxta Resolutiones allegatas in citato Folio Congregationis habitæ *die 30. Sept. 1724.* Cumque tertio loco disputatum fuerit, *an Censuræ latæ fuerint attentatæ, seu potius sustineantur, ita ut Rector prædictus incurrerit Irregularitatem ob celebrationem in casu &c.* & super hoc dubio nulla fuit capta resolutio, nec in prima, nec in secunda Congregatione, ex quo videlicet Censuræ latæ fuerunt a Vicario Generali, & non ab Eminentissimo Archiepiscopo; cum etenim nulla sit Controversia quoad Exemptionem Censuratorum, qua concurrente non poterat adversus eosdem ad Censuras procedi, nisi jure Delegato S. Sedis, ponderata fuit distinctio, quæ fit a Doctoribus super puncto, an Vicarius Generalis valeat sine speciali commissione procedere in his, quæ a Sacro Concilio Tridentino committuntur Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, cum dicant, quod Vicarius potest sine speciali commissione dictos actus exercere, si ante Concilium Tridentinum Episcopo competebat facultas eos faciendi jure Ordinario, licet ad excitandam jurisdictionem Ordinariam, & amputandas quascumque controversias fuerit a Sacro Concilio Tridentino constitutus Episcopus Sedis Apostolicæ Delegatus; secus autem, quando facultas actum gerendi non competebat ante Concilium Tridentinum Episcopo jure Ordinario; in hac siquidem facti specie, si actus explicatus a Vicario Generali, & non ab Episcopo, necesse est docere de speciali commissione ab Episcopo facta eidem Vicario Generali, uti videri potest apud *Fagnan. in cap. quoniam num. 4. & pluribus seqq. de Offi. in Delegati*.

Fuerunt hæc Scribentibus communicata, cumque a Succumbentibus impetrata fuerit nova audientia super primo, & secundo Dubio, & resolvendum remaneat tertium, quod numquam fuit resolutum, fuerunt in Congregatione habita die 24. Martii 1725. proposita sequentia dubia

I. An quoad primum, & secundum dubium standum sit, vel recedendum a decisis die 18. Novembris 1724.

II. An Censuræ latæ fuerint attentatæ, seu potius sustineantur, ita ut Rector incurrerit Irregularitatem ob celebrationem in casu, & ad primum responsum fuit *in decisis*, & quoad secundum dictum fuit *Censuras non esse attentatas, & ad mentem*, quæ fuit, ut daretur absolutio una cum dispensatione ab Irregularitate, ad quem effectum S. Congregatio suas impertiebatur facultates.

Nobiles Plateæ Nidi novum habuerunt recursum ad hanc Sac. Congregationem, & instetuerunt pro nova audientia tam super puncto non accedendi ad publicas Processiones, quam super puncto Censurarum, tum quia super puncto Censurarum non aderat nisi unica resolutio, & super puncto accessus ad Processiones fuerat ille quidem bis resolutus, sed in postrema resolutione ipsi suas non exhibuerant informationes, sed pro dilatione supplicaverant; cumque Sac. hæc Congregatio die 14. Aprilis 1725. responderit *pro nova audientia, non retardata executione quoad primum dubium*, in hujus rescripti sequelam concessa dici potest nova audientia quoad primum dubium in devolutivo, & quoad secundum in suspensivo: impetratis hoc interim a Rectore absolutionibus cum reincidentia; & iterum instante Promotore Fiscali, propositoque in Congregatione habita die 4. Augusti currentis anni sequenti dubio: *An sit standum, vel recedendum a decisis die 24. Martii* 1725. responsum fuit *dilata*; cumque hodie Causa iterum reproponatur, ex juribus circumferendis quæritur,

An sit standum vel recedendum a decisis die 24. Martii 1725.

Sacra Congr. die 17. Novembris 1725. respondit,
Proponatur in prima.
Nullibi invenitur decisa.

QUÆSTIO CCCXCIX.

In Causa Cæsaraugustana, die 30. Septembris 1724.

JOSEPH Amat, & Mauleon obtinuit a san. mem. Innocentio XIII. Archidiaconatum Cæsaraugustanum, & quia illum invenit nonnullis contributionibus gravatum, quæ fuerant impositæ in nonnullis litteris Apostolicis expeditis a Clemente Octavo favore Mensæ Capitularis, supplices preces exhibuit pro declaratione, non esse integram contributionem annuorum septingentorum ducatorum, & aliorum ducatorum mille annuorum persolvendam ex fructibus Archidiaconatus, nisi deducta prius congrua quantitate pro ipsius Archidianoni subsistentatione necessaria; id etenim credidit conforme menti memorati Clementis Octavi, qui eatenus dictis contributionibus annuis gravavit Archidiaconatum Cæsaraugustanum, quatenus tunc temporis, deductis contributionibus, fructus ascendebant ad ducatos bis mille, & septingentos, quando hodie proventus Archidiaconatus ab oneribus superantur in libris 701. annuis.

Hujus instantiæ remissio facta fuit a san. mem. Innocentio XIII. ad hanc Sacram Congregationem, quæ juxta morem *die 20. Februar. 1723.* per litteras exquisivit Archiepiscopum Cæsaraugustanum pro informatione, & Voto, & postquam responsiones Archiepiscopi supervenerunt, in quibus exposuit, quod subsistebant ea, quæ fuerant ab Oratore enarrata, & quod nonnullæ Concordiæ, quæ initæ fuerant a Capitulo cum Antecessoribus Archidiaconis, non erant ad rem, de qua agebatur, sufficientes, fuit ab hac Sacra Congregatione *die 31. Julii 1723.* responsum, quod audiretur Capitulum, & quod Archiepiscopus eidem præfigeret terminum competentem ad sua jura deducenda coram ipsa Sacra Congregatione.

Archiepiscopi responsiones datam habent *diei 3. Julii 1723.* adeoque ignoratur, quomodo idem *die 19. Julii* potuerit per specialem Commissionem delegare Causæ cognitionem Doctori Sebastiano Navarro, & eum nominare in suum Judicem proviforem; & multo magis quomodo Doctor hic, reclamante, & appellante Oratore, potuerit se Judicem competentem asserere, & in Causa procedere; quocirca habito ab Archidiacono recursu ad hanc Sac. Congregationem, & de commissis attentatis conquerente, responsum fuit *die 2. Octobris*, quod Archiepiscopus informaret super novis precibus, & quod interim prætensus Judex Subdelegatus omnino supersederet.

Archiepiscopus, qui tenebatur super duabus rebus Sacræ Congregationi respondere, tam videlicet super termini præfixione Capitulo facienda, quam super gestis a Judice Deputato, Doctore videlicet Navarro, suæ incumbentiæ satisfecit; in litteris etenim scriptis *die 10. Octobris 1723.* docuit se voluisse procedere ad termini præfixionem, sed impedimentum intercessisse, quominus id fieret, cum alter ex Ministris Regiæ Curiæ Regni Aragoniæ vigore provisionis ab eadem Curia Regia relaxatæ, sibi fecerit consignari epistolam Sacræ hujus Congregationis, & decretum ab Archiepiscopo factum de termini præfixione Capitulo intimanda, & in aliis litteris datis *die 15. Novembris ejusdem anni 1723.* ingenue fassus est, se ad instantiam Capituli Judicem deputasse, qui de Causa cognosceret, se ulterius ignorare, quid a dicto Judice gestum sit, cum Acta fuerint a Judice Laico occupata, se in sequelam Decreti Regii Senatus non posse exequi Commissiones hujusce Sacræ Congregationis, & tam in primis, quam in aliis litteris enixe rogavit, ut EE. PP. se excusatum haberent, si ad ulteriora non procedebat in Causa præsenti inter Capitulum, & Archidiaconum.

Hisce minime obstantibus, hoc est non obstante impedimento a Regia Curia Regni Aragoniæ præstito, uti supra dictum

dictum est, ne fieret Capitulo præfixio termini ad sua jura deducenda in hac Sac. Congregatione, Archidiaconus sua jura prosequi non destitit, cum per suum legitimum Procuratorem comparuerit coram Judice Subdelegato, eidemque notificaverit præfixionem termini Capitulo faciendam, precesque Archiepiscopo exhibuerit, ut executioni mandaret memoratam termini præfixionem. At habito a Capitulo recursu ad Regiam Audientiam Aragoniæ, expositoque, quod hujusce Sacræ Congregationis epistola, in qua præfixio termini demandabatur, non erat consona Legibus Municipalibus, nec dispositioni Sacri Concilii Tridentini, & quod Causa jam erat legitime introducta in Tribunali Ecclesiastico, cum Regia Audientia respondisset, Capitulum compelli non posse ad comparendum per se, vel per suum Procuratorem in hac Sacra Congregatione, Judex ab Archiepiscopo deputatus animosior factus, contemptisque reiteratis protestationibus a Procuratore Archidiaconi factis, ad plura decreta devenit, quæ in Summario Archidiaconi exhibentur; cumque idem Archidiaconus ad tot gravamina reparanda supplicem libellum impressum circumferri faciat, & in eodem pluribus contendat, suam Causam non esse comprehensam sub dispositiva Sacri Concilii Tridentini *cap. 20. sess. 24. de reform.* ubi præscribitur, quod Causæ omnes ad Forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi Beneficiales sint, in prima instantia coram Ordinariis locorum cognoscantur, sed esse comprehensam sub ejusdem Concilii limitatione, in qua excipiuntur Causæ, quæ juxta Canonicas sanctiones tractari debent apud Sedem Apostolicam, vel quæ ex urgenti, & rationabili Causa a Summo Pontifice aliis Judicibus committuntur; Tum quia disputatio consistit in examinando, an non obstante redituum decremento teneatur Archidiaconus ad subministrandas Capitulo portiones, quas Clemens Octavus in suis litteris Apostolicis eidem subministrari mandavit, tum quia san. mem. Innocentius XIII. hujus ejusdem Causæ cognitionem ad hanc Sacram Congregationem remisit, discutiendum in præsenti proponitur.

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & ad Mentem.

QUÆSTIO CCCC.

In Causa Comensi, die 30. Septembris 1724.

JOANNES Antonius Trincanus Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ S. Euphemiæ Insulæ prætendit, se non teneri ad contribuendum pro Expensis a Capitulo factis in quibusdam litibus, quæ pertractatæ fuerunt tum in hac, tum in alia Sacrorum Rituum Congregatione, sibique idcirco consignandas distributiones, quas interessendo Divinis Officiis acquisivit ab anno 1712. *per totum annum 1717.* & ad ulteriora progrediendo, idem Canonicus Trincanus prætendit, Canonicum Joannem Baptistam Mossium non potuisse lucrari distributiones *ab anno 1712. per totum annum 1720.* non obstante, quod in Urbe permanserit cum Mandato Capituli, ut prædictis litibus assisteret.

Fundamentum Canonici Trincani pro exemptione a contribuendo pro expensis, & sic pro distributionibus obtinendis non solum desumitur ex protestatione ab ipso emissa *anno 1712.* in qua declaravit, se parere velle decretis a Sacra Congregatione editis *anno 1711.* sed etiam a qualitate litium, cum eædem non respicerent utilitatem Ecclesiæ, in quo solo casu sunt a Massa Communi detrahendæ, *Rota in Burgen. servitii 20. Novembr. 1595. §. Nec obstare coram Litta inter ejus Decisiones manuscriptas lib. 2. pag. 90. Ludovis. decis. 263. numer. 3. Manzaned. decis. 157. n. 1. Rota decis. 138. num. 1. & seqq. part. 1. recent.*

Transitum faciendo ad distributiones, quas Canonicus Trincanus ait, non esse debitas Canonico Mossio, admissa regula, quod Canonicus absens pro servitio Capituli tam fructus, quam distributiones lucretur, juxta late deducta per *Barbosam de Canonicis cap. 24. num. 19.* & quod *Textus in cap. unico de Clericis non residentibus in 6.* in quo, Canonico modo prædicto absenti assignantur distributiones, concordetur *cum Capitulo cum non deceat de electione in 6.* ubi dictæ distributiones denegantur, ut hic videlicet procedat in eo rerum statu in quo juxta Ecclesiæ consuetudinem Canonici absentes, ut Ecclesiæ, & Capitulo inserviant, non admittuntur ad distributiones, & ille sibi vindicet locum, cessante prædicta particulari consuetudine, uti resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione, cujus sententiam Summus Pontifex Paulus Papa Quintus approbavit, *Teste Fagnan. in cap. licet n. 159. de Præbendis*.

Vis constituitur: Primo in qualitate litium, quibus Mossius assistentiam præstitit, cum Ecclesiæ utilitatem non respicerent; Secundo in longa temporis intercapedine, quod ab eo fuit insumptum absque ulla necessitate hic in Urbe; Tertio in limitatis Indultis absendi ipsi ab hac Sacra Congregatione concessis, & demum in defectu licentiæ Ordinarii, quæ ad effectum consequendi distributiones est præcise necessaria, ultra concursum Causæ legitimæ, juxta sensum hujus Sac. Congregationis, de quo in *Ripana die 24. Martii 1657. lib. 20. decret. pag. 211. Sacra &c. sæpius censuit, Canonicum absentem a Residentia suæ Ecclesiæ ex quavis causa quamvis justa, & legitima, percipere non debere distributiones quotidianas, nisi copulative obtinuerit expressam licentiam Episcopi Diœcesani, etsi Capitulum vellet ad illas admittere Canonicum absentem*.

Circumfertur scriptura Canonici Trincani, quocirca quæritur,

I. An Rev. D. Joannes Antonius Trincanus Canonicus Collegiatæ S. Euphemiæ Insulæ teneatur ad contributionem expensarum factarum per ejus Capitulum, & Canonicos occasione litium, & quatenus affirmative.

II. Ad quas, & in qua summa.

III. An teneantur Capitulum, & Canonici prædicti sub pœnis Mandati Exequutivi, aliisque &c. consignare eidem Canonico Trincano ejus distributiones quotidianas ab eo acquisitas cum interessentia annorum 1712. 1713. 1715. 1716. & 1717.

IV. An, & quas distributiones quotidianas amiserit Rev. Canonicus Joannes Baptista Mossius ob ejus absentiam a residentia Chori ab anno 1712. inclusive usque ad annum 1720. pariter inclusive, ita ut accrescere debeant interessentibus.

Sacra Congr. respondit,
Ad Ordinarium, qui procedat in omnibus, prout de Jure.

QUÆSTIO CCCCI.

In Causa Amalphitana, die 30. Septembris 1724.

JUXTA Constitutiones Synodales in Ecclesia Metropolitana Amalphitana Hebdomadarii octo esse debent. Cum autem per Turnum isti deservirent, & nonnulli ex his essent inhabiles, Archiepiscopus cum consensu, ut asseritur, sui Capituli, ne Ecclesiæ servitium damnum aliquod pateretur, augendum decrevit numerum Hebdomadariorum diviso in duos quolibet Hebdomariatu in casu vacationis.

Mortuo uno Hebdomadario, fuerunt de Hebdomadariatu provisi Philippus Cimini, & Constantinus Porpora, qui sub obtentu, quod reditus non sint servitio coæquales, insteterunt, ut medietas alterius Hebdomadariatus vacantis alteri ipsorum conferretur, ex quo potissimum prædicta divisio Hebdomadariatuum obstat Constitutionibus Synodalibus,

Scriptum fuit Archiepiscopo pro informatione, & voto, qui die 29. Aprilis 1723. retulit, divisionem factam fuisse, ut servitio Ecclesiæ consuleretur, rescriptumque fuit *die 20. Novembris ejusdem anni* pro nova informatione super natura Hebdomadariatuum, an videlicet sint vera Beneficia, firma interim remanente Hebdomadariatuum divisione per Episcopum facta cum consilio, & assensu Capituli,

Contendunt Philippus Cimini, & Constantinus Porpora, quibus cæteri Hebdomadarii consentiunt, Hebdomadariatus esse vera Beneficia; cum Hebdomadarii sint de gremio Capituli, habeant in illo vocem activam, & passivam, & stallum in Choro, & insignia gerant, hoc est Almutiam, non sint amovibiles ad nutum, & ipsemet Archiepiscopus in actu proportionato Hebdomadariatus appellaverit, & habuerit pro veris Beneficiis, tum quia sic eos nominavit in attestationibus ad Datariam transmissis, tum quia nonnullos ordinavit in Sacris ad titulum eorundem.

Contendunt præterea Hebdomadarii, non potuisse fieri supra memoratam divisionem, ex quo si integra portio uniuscujusque Hebdomadarii est in scutis 25. nemo est, qui non videat, quod facta divisione hujus summæ in binos Hebdomadarios, neuter ex illis habet modum, quo vivere possit; Beneficia quippe dividi non debent juxta *Textum in cap. Majoribus de Præbendis*, & licet

Se-

Sectio admittatur ex causa rationabili, juxta *Textum in cap. vacante, & in cap. cum causa eodem titulo*, causa tamen rationabilis esse non potest, quando fructus non sufficiunt pro omnibus Beneficiatis; nulla habita consideratione prætextus augmenti cultus Divini, quia ante divisionem Ecclesia suis non defraudabatur servitiis, & cultus Divinus præcipue consistit in hoc, ut Divina Officia celebrentur, ut in puncto, & ad rem, de qua agitur, respondit *Rota in Calaguritana Beneficii de Arriola* 18. *Junii* 1593. *coram clar. mem. Cardinali Gipsio*, cujus decisiones habeo apud me manuscriptas, eaque per extensum relata firmavit *Garzias de Benefic. par.* 12. *cap.* 4. *num.* 4. *&* 5.

Archiepiscopus in prima informatione ait, quod si juxta Constitutiones Synodales Hebdomadarii debent esse octo, itaut hic numerus non sit alterandus, debebunt Hebdomadarii non alternatim per hebdomadas, sed quotidie Choro inservire, cum hoc ipsum in iisdem Constitutionibus Synodalibus præscribatur, eædemque non partialiter, sed totaliter sint observandæ, quatenus observari debeant.

Idem Archiepiscopus in alia sua informatione scripta *die* 11. *Februar.* 1724. ait, Hebdomadariatus conferri ab Archiepiscopo ad nominationem Capituli sexaginta ab hinc annis, & ignorari, quomodo hæc præsentatio ad illud pertineat. Idem addit, hos Hebdomadarios olim appellatos fuisse Presbyteros Capituli, & nomen Hebdomadariorum illis impositum fuisse in Synodo Diœcesana anni 1639. & idcirco se opinari, eos non esse veros Beneficiatos, sed Ministros Ecclesiæ inservientes.

His stantibus, quæritur

I. An Hebdomadariatus Ecclesiæ Metropolitanæ Civitatis Amalphi sint Beneficia Ecclesiastica, sive potius Officia in casu.

II. An divisio eorundem facta per Reverendissimum Archiepiscopum sustineatur in casu.

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum affirmative quoad primam, & negative quoad secundam partem. Ad secundum negative.

QUÆSTIO CCCCII.

In Causa Calaritana, die 30. *Septembris* 1724.

NE sub obtentu deficientiæ, aut tenuitatis quotidianarum distributionum servitium negligeretur Ecclesiæ Metropolitanæ Calaritanæ a Canonicis, & Beneficiatis ejusdem servitio adscriptis, supplicatum fuit ab Archiepiscopo, & a Capitulo Summo Pontifici Clementi Octavo pro dismembratione fructuum Parochialis Ecclesiæ Loci *de Nuri*, & respective applicatione pro augmento distributionum quotidianarum, quæ tunc ad unum Julium tantum monetæ Romanæ pro quolibet die ascendebant, & laudatus Pontifex ex fructibus dictæ Parochialis dismembravit reditum annuum bis centum ducatorum auri de Camera, & illum sic dismembratum applicavit pro quotidianis distributionibus, sub assertiva tamen, quod fructus, & reditus memoratæ Parochialis ultra incerta, & centum ducatos pro ejus fabrica, & ornamentis destinatos non excederent ducentos ducatos auri de Camera.

Fuit hæc Bulla expedita anno 1599. & eodem tempore Parochialis collata fuit Cosmo Escarzoni, qui prædictis omnibus suum præstitit assensum, cumque anno sequenti 1600. habito ab eodem Capitulo novo recursu ad eundem Pontificem Clementem Octavum, expositoque, quod distributiones, quæ præstandæ erant iis, qui Divinis Officiis in Choro intererant, tenues erant, & Julium unum pro quolibet Canonico, & Beneficiato dietim non excedebant, & quod quinta pars fructuum Canonicatuum, & Ecclesiarum Parochialium tam ejusdem Ecclesiæ Calaritanæ, quam aliarum Ecclesiarum unitarum, nimirum Doliensis, & Sullensis pro fabrica, & ornamentis applicata, adeo excreverat, ut ad annuam summam ducatorum circiter bis mille, & quadringentorum ascenderet, ita ut commode locus esse posset dismembrationi tertiæ partis prædictæ summæ, ejusque partis applicationi pro augmento quotidianarum distributionum, Papa annuit petitis, indulsitque dismembrationem tertiæ partis, quæ ascendebat ad octingentos ducatos auri de Camera, & in sequelam hujusce dismembrationis erecta fuit nova distributio vulgariter nuncupata *la Bianca*.

Auctis modo prædicto distributionibus, cum Præbenda Doctoralis non adesset in Metropolitana Calaritana, Archiepiscopus, & Capitulum suas preces sæpe memorato Pontifici Clementi Octavo exhibuerunt, cumque narrassent, quod reservatis centum quinquaginta ducatis pro congrua substentatione Rectoris Parochialis Ecclesiæ *de Nuri*, de qua in superioribus sermo habitus est, reliqui fructus dismembrari poterant, & ex eis erigi unus Canonicatus, & Præbenda Doctoralis, Clemens Octavus petitioni adhæsit, secutaque hujusce novi Canonicatus erectione, facta est ejus collatio favore supra relati Cosmi Escarzoni, qui suum præstitit dismembrationi consensum, nec non novi Canonicatus erectioni.

Ab inde citra Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ exigere consuevit a possessore Canonicatus *de Nuri* annuam summam scutorum 252. monetæ Sardiniæ, sed cum anno 1715. idem Canonicatus fuerit collatus a Sede Apostolica Sacerdoti Petro Sanna, reditusque Canonicatus ejus tempore adeo decreverint, ut insufficientes evaserint pro ejus substentatione, non obstante, quod aliquorum annorum spatio solverit Capitulo summam, quæ a suis Prædecessoribus soluta fuerat, prætensionem excitavit, quod detractis centum quinquaginta ducatis annuis Rectori Parochialis Ecclesiæ *de Nuri* persolvendis, cæteri fructus Canonicatus ad se libere spectare debeant absque ulla obligatione solvendi Capitulo summam annuam scutorum 252. monetæ Sardiniæ, & quod summæ per anteactum solutæ, & a Capitulo receptæ sint sibi restituendæ, & hujusce prætensionis examen ab Auditore Sanctissimi fuit ad hanc Sac. Congregationem remissum.

Fundamentum Sacerdotis Sannæ constituitur in hoc, quod in erectione sui Canonicatus ex fructibus Parochialis Ecclesiæ *de Nuri* statutum est, quod omnes fructus dictæ Ecclesiæ spectare debeant ad Canonicum demptis tantum centum, & quinquaginta ducatis Rectori Ecclesiæ *de Nuri* solvendis pro congrua ipsius substentatione.

Neque suæ petitioni censet Sacerdos Sanna ullum præjudicium afferri posse ex antecedenti dismembratione Parochialis Ecclesiæ *de Nuri*, de qua *de anno* 1599. uti supra dictum est, fuerunt Capitulo assignati bis centum ducati de Camera, ait enim non esse fundamentum in hac dismembratione constituendum; primo, quia idem Capitulum, quod hanc dismembrationem obtinuit, biennio post supplicavit eidem Pontifici, qui hanc eandem dismembrationem concesserat pro erectione novi Canonicatus, nec ullam dismembrationis fecit mentionem, sed expresse petiit, & obtinuit, ut omnes fructus ad novum Canonicum pertinerent, demptis tantummodo centum, & quinquaginta ducatis annuatim solvendis Rectori Parochialis Ecclesiæ *de Nuri*.

Secundo, quia inter dismembrationem anni 1599. & erectionem Canonicatus, de quo nunc agitur, nova intercessit supplicatio, & nova a Summo Pontifice facta est dismembratio pro augmento distributionum quotidianarum, super quinta videlicet parte fructuum Canonicatuum, & Ecclesiarum Parochialium tam Calaritanæ Ecclesiæ, quam aliarum unitarum, nimirum Doliensis, & Sullensis, uti supra dictum est; cumque in hac intermedia dismembratione, quæ contigit anno 1600. Capitulum Summo Pontifici exposuerit, quod distributiones julium unum non excedebant, quod ipsum fuerat ab eodem Capitulo expositum eidem Pontifici anno præcedenti 1599. ex his Sacerdos Sanna infert, Capitulum a prima dismembratione recessisse, itaut mirum esse non debeat, si nulla facta hujus dismembrationis mentione, biennio post pro erectione Præbendæ Doctoralis supplicaverit, & consenserit, ut dempta quota Rectori solvenda, cæteri fructus ad Canonicum pertinere deberent.

Tertio, quia ultra prægnantes clausulas derogatorias, quæ habentur in erectione Canonicatus, & ultra regulam, quod posteriora derogant prioribus, ponderatur, quod in erectione Canonicatus facta est expressio valoris per ascensum ad quadringentos videlicet annuos ducatos, cumque centum, & quinquaginta fuerint assignati Rectori, & reliqui bis centum, & quinquaginta fuerint assignati Canonico, calculus ostendit, incompatibilem esse cum hac distributione annuam solutionem ducentorum ducatorum favore Capituli, & sic per posteriorem Canonicatus erectionem fuisse antecedenti dismembrationi derogatum.

Alia plura continentur in scriptura per manus circumferenda, in qua etiam contenditur, observantiam plusquam centenariam non esse habendam in consideratione, ex quo allegata fuit a Capitulo Bulla anni 1599. & in processu Causæ inserta, itaut juxta Theoricam Innocentii *in cap. dudum de Decimis* nulla suffragari debeat, etsi legitima observantia, quando constat de titulo infecto, & quando ejusdem tituli allegatio facta est. In eadem

dem quoque scriptura asseritur, fructus perceptos esse a Capitulo restituendos, posthabita quacumque bona fide, tum quia titulus est redactus ad non titulum, tum quia fructus exacti stant de per se, & principaliter, & induunt naturam Capitalis.

Quid a Capitulo respondeatur ignoro, cum ejus scripturæ ad me non fuerint delatæ; Quocirca ex juribus circumferendis, quæritur,

I. An dismembrationi factæ favore Capituli in litteris Apostolicis Clementis VIII. datis anno 1599. *fuerit derogatum in posteriori erectione Canonicatus, seu Præbendæ Doctoralis, & quatenus affirmative.*

II. An fructus virtute dictarum litterarum Apostolicarum percepti a Capitulo Calaritanæ Ecclesiæ sint restituendi in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Novembris 1724. respondit,
Ad Primum negative, nempe non fuisse derogatum dismembrationi anni 1599. *Ad secundum negative, & amplius.*

QUÆSTIO CCCCIII.

In Causa Fulginatensi, die 30. *Septembris* 1724.

ARCHIPRESBYTER Cathedralis Ecclesiæ Fulginaten. facultatem habet deputandi pro Cura Animarum exercenda in Villa Rovilieti Sacerdotem amovibilem, exortaque controversia circa summam huic Sacerdoti deputato persolvendam, decretum fuit provisionaliter, quod ab Archipresbytero solverentur dicto Sacerdoti annua scuta 16. & quod Sacerdos hic deberet habere emolumenta, quæ dicuntur incerta, & Missarum eleemosynam.

Fundamentum sic decernendi fuit constitutum non solum in depositionibus duorum Testium Sacerdotum, qui de prædicto stipendio testimonium reddiderunt, sed etiam in æquitate, cum difficile admodum sit idoneum reperire Sacerdotem cum minori stipendio, nullatenus attenta responsione de exiguitate fructuum, qui retrahuntur ex bonis Parochiæ, vel quia cum Parochia sit unita Archipresbyteratui, tenetur Archipresbyter ex reditibus Archipresbyteratus solvere Sacerdoti Curam Animarum exercenti in Villa Rovilieti quantitatem pro victu necessariam, vel quia cum decrementum redituum proveniat ex mala cultura bonorum, id cedere non debet in præjudicium Sacerdotis exercentis Curam Animarum, sed Archipresbyteri eum deputantis, cum Archipresbyter sit ille, qui tam bona Parochiæ, quam Archipresbyteratus administrat.

Adversus hæc Archipresbyter excipit, nihil esse innovandum, cum Sacerdotes hucusque deputati ad prædictam Curam exercendam non habuerint nisi habitationem in domo Parochiali, decimas ascendentes ad rubra duo frumenti, quatuor scuta, quæ solvuntur a Parochianis pro officiatura Quadragesimæ, & alia quædam emolumenta recensita *in suo Summario num.* 2. hinc inferendo, quod si Sacerdotes Curam hucusque exercuerunt, & ea sola emolumenta receperunt, non potest esse locus alicui innovationi; & multo magis, cum Sacerdotes habentes Curam Animarum in hac Villa Rovilieti habeant quidem onus residendi tempore nocturno, administrandi Sacramenta, celebrandi diebus festivis, sed absque applicatione pro Populo, cum Archipresbyter huic oneri satisfaciat, & solvat etiam expensas necessarias pro candelis distribuendis in die Purificationis, pro solvenda Episcopo visitanti Procuratione, & aliis consimilibus rebus in ejus scripturis legendis.

Addit Archipresbyter, reditus Curæ Rovilieti ascendere ad scuta 39. & obulos 20. ex quo deducit, non esse Sacerdoti solvendum salarium, seu stipendium juxta decretum provisionale, sed juxta solitum.

Circumferuntur scripturæ; adeoque nunc quæritur,

An, & pro qua summa sit præstandum stipendium, sive salarium Sacerdoti deputato pro exercitio Curæ Rovilieti in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Deberi stipendium ad formam Decreti Domini Secretarii, & amplius.

QUÆSTIO CCCCIV.

In Causa Fæsulana, die 30. *Septembris* 1724.

DOMINI de Mozzis tanquam Patroni Ecclesiæ Parochialis Sancti Romuli de Gaville Fæsulanæ Diœcesis die 5. Maii 1723. ad dictam Plebaniam præsentarunt primo loco Clericum Franciscum de Torsellinis prima Tonsura initiatum, præsentem, & acceptantem, & secundo loco Joseph de Pescettis de Maradio Sacerdotem Faventinæ Diœcesis, & Cappellanum Metropolitanæ Ecclesiæ Florentinæ, & petierunt, ut Clericus de Torsellinis institueretur, & Episcopus Fæsulanus justis de causis animum suum moventibus, & præcipue quia illum de Torsellinis non reputavit dignum, ut ad Sacros Ordines promoveretur, admisit *si, & in quantum de Jure* præsentationem Sacerdotis Josephi de Pescettis, & interim doceri mandavit de Jurepatronatus, & de idoneitate secundi Præsentati.

Appellatione ab illis de Mozzis, & a Francisco Torsellino interposita ad Tribunal Nuntii Florentini, responsum fuit, Causam esse remittendam vel ad Judicem ad quem, vel ad Sacram hanc Congregationem.

Circumfertur scriptura pro Appellantibus una cum documentis suadentibus idoneitatem primi Præsentati, cui contenditur, dandam esse institutionem, cum ad tramites Sacri Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* non liceat Episcopis Præsentatos a Patronis repellere, nisi in hypothesi, in qua non fuerint idonei. Et cum inter duos cumulative a Patronis laicis præsentatos secundus præferatur primo, si secundus obtinuerit institutionem ab Ordinario, sed cum obligatione conferendi primo Beneficium, si malitiose primum non instituerit, *juxta celebrem Textum in cap. Pastoralis de Jurepatronatus*, quod tamen est extraneum a casu præsenti, in quo post admissam cum clausula *si, & in quantum* præsentationem secundi, fuit a primo interposita appellatio ad Superiorem, ad quem per consequens spectat judicium ferre super justitia, vel injustitia non admissionis illius, qui primo loco præsentatus fuit.

Itaque quæritur,

An præsentatio Torsellini sit admittenda in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Novembris 1724. respondit,
Ad Eminentissimum Præfectum juxta mentem.

QUÆSTIO CCCCV.

In Causa Lunensi Sarzanensi Parochialis, die 18. *Novembris* 1724.

PAROCHIALIS Ecclesia S. Vitalis Mirteti vacavit anno 1721. indictoque de more Concursu, tres fuerunt examinati, Antonius videlicet Ceccoperius, Franciscus Ceccoperius, & Dominicus Boldrinus; cumque omnes fuissent ab Examinatoribus approbati, Parochialis ab Episcopo collata fuit Dominico Boldrino, & appellatione interposita, transmissisque actis, cum Antonius Ceccoperius conqueratur de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili judicio Episcopi, quæritur in præsenti, quid sit standum.

Controversia viget inter Antonium Ceccoperium, & Dominicum Boldrinum; Franciscus etenim Ceccoperius nullas in præsenti deducit rationes, cum aliam Ecclesiam Parochialem hoc interim obtinuerit; & in eo, quod attinet ad prædictum Antonium, ipse contendit, se propositis in examine casibus bene respondisse, & e contra sufficienter non fuisse iisdem responsum a Dominico Boldrino, & suas ulterius qualitates maximopere præponderare qualitatibus adversarii.

Exhibentur casus in examine propositi, & responsiones prædictorum Concurrentium. Exhibetur etiam Episcopi relatio, & circumferuntur scripturæ. Adeoque nunc quæritur,

An constet de mala Relatione Examinatorum, aut de irrationabili judicio Episcopi, ita ut Parochialis Ecclesia sit adjudicanda Canonico Antonio Ceccoperio in casu &c.

Sacra Congr. die 2. Decembris 1724. respondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCCVI.

In Causa Romana Dotium, die 18. *Novembris* 1724.

JOSEPH Pavonius exposuit sanctæ memoriæ Innocentio XIII. quod a Venerabili Societate Sanctissimi Sacramenti S. Mariæ in Via facta fuerat Catharinæ Felici S. Angeli suæ Uxori sine liberis defunctæ assignatio unius ex subsidiis dotalibus in summa scutorum 50. relicti a bon. mem. R. P. D. Joanne Baptista Canobio, & quod eadem Societas instabat pro restitutione prædicti subsidii, ex quo prædicta Catharina sine liberis, uti dictum est, erat defuncta, quam rem idem Joseph contrariam esse

esse asserit voluntati prædicti Joannis Baptistæ Benefactoris, & ab eodem Summo Pontifice facta fuit instantiæ remissio ad hanc Sacram Congregationem, quæ jussit, ut describeretur in folio, & in præsenti Consessu proponeretur.

Confraternitas apponit in Schedulis dotium sequentes conditiones, quod Dotata videlicet cautionem idoneam exhibeat, quod dos restituetur vel in casu, quo post contractum matrimonium sine liberis legitimis morereturr, vel inhonestam vitam duceret, vel extra Urbem habitaret, vel a Parochia S. Mariæ in Via exiret absque licentia Guardianorum Confraternitatis.

Confraternitas autem contendit, hæc omnia a se potuisse decerni, & in Schedulis apponi, tum quia idem R. P. D. Canobius tanquam Confraternitatis Primicerius anno 1595. nonnullas dotes distribuit, & cautionem præscripsit restitutionis in hypothesi, in qua Dotata mortua esset sine liberis, quo stante, magna urget verisimilitudo, quod in Testamento deinde ab ipso condito *anno* 1596. in quo distributionem dotium ex suo asse demandavit, prædictam etiam conditionem voluerit, tum quia post obitum Pii Testatoris, exorta inter Confraternitatem, & Bonifacium Canobium controversia, eademque per transactionem terminata, in ea conventum fuit, quod per aliquod temporis spatium Confraternitas supersedere posset a dotium distributione, & quod ad commodum ejusdem Confraternitatis cedere debeant omnes, & singulæ dotes Puellis assignatæ, quæ propter inhonestam earum vitam, aut alias in quemlibet eventum ad ipsam Confraternitatem reverterentur, quæ transactio fuit confirmata in litteris Apostolicis san. mem. Clementis Octavi.

Addit Confraternitas sententiam latam in Tribunali Cardinalis Vicarii anno 1683. pro restitutione dotis in casu dotatæ mortuæ sine filiis. Addit subsecutas ex eodem capite dotium restitutiones, addit denique obligationem a Pavonio initam de restitutione facienda, & mandata adversus ipsum a Judicibus Ordinariis expedita.

Excipit e contra Pavonius, non potuisse Confraternitatem prædictum onus apponere in dotium distributione, cum illud non fuerit injunctum a Testatore, ut ex benigna Testamenti lectura dignoscitur, itaut applicabilis esse videatur conclusio, quod dos constituta ab extraneo, qualis in hac materia reputatur, quicunque non habet Dotatam in potestate, deficiente stipulatione reversionis, nusquam ad ipsum dotantem revertitur, sed libere donata censetur juxta regulam *Textus in leg. unica §. Accedit, Cod. de rei Uxoriæ actione*, quam in casu, & ad effectum, de quo agitur, amplexa est *Rota in Romana Dotis* 28. *Januarii* 1709. §. 6. *coram Reverendissimo Aldovrando*, in qua etiam decisione eadem Rota adstruit, quod Confraternitates, in quarum statutis cavetur, ut Puellæ dotandæ præstent idoneam cautionem restituendi Dotes in casu obitus sine filiis, vel vitæ inhonestæ, possint hanc cautionem exigere, quando agitur de Dotibus constitutis de proprio ab ipsis Confraternitatibus, vel quando agitur de bonis ad dictum effectum relictis ab aliquo pio Benefactore, sed cum expressa declaratione, ut fiat earum distributio ad formam Statutorum, sive soliti earundem Confraternitatum.

Haud urgente, quod eadem cautio restitutionis exigi potest ab iisdem Confraternitatibus, vel in casu inhonestæ vitæ, vel in casu obitus sine filiis, quando bona a pio Testatore relinquuntur, & libera dotium nominatio ad ipsam Confraternitatem defertur; cum enim Societas in hoc themate liberam habeat facultatem nominandi quamcumque puellam incertam de incertis, hinc est, quod etiam personam præelectam gravare potest; quæ beneficium dotalis subsidii unice recognoscit ab ipsius nominantis munificentia, juxta regulam *Text. in leg. unum ex familia §. Si de Falcidia, ff. de Legatis* 2. quam amplexa est *Rota in citata Romana Dotis §. 8.*; tum quia in hypothesi præsenti non habet Confraternitas liberam Dotium distributionem, cum Puellæ dotandæ debeant visitari, & approbari a Visitatoribus, debeant eædem esse ex Parochia S. Mariæ in Via, sed debeant earum nomina in Urna poni, & distributio fieri debeat illis, quarum nomina forte ex Urna extrahentur; tum quia in quadam Causa Spoletana Dotium, in qua pius Testator Antonius Capuccius nonnulla bona Patribus Barnabitis reliquit, injuncto onere dotandi, vel Territorio Spoletano, *& quod eædem eligi deberent quotannis a Perillustri Consilio Spoleti in frequenti Senatu*, cum delata Dotium distributione ad Consilium Spoletanum fuerint ab eodem nonnulla statuta Capitula, quibus cautum fuit, ut Dotes consignarentur prævia cautione de illis restituendis in casu inhonestæ vitæ dotandarum, vel mortis earum sine filiis, Sacra hæc Congregatio *die* 30. *Januarii* 1723. respondit, Dotes esse libere consignandas, & absque cautione, habitaque novo a Civitate Spoletana recursu, allatoque a Scribentibus pro ipsa fundamento, quod habebat liberam eligendi facultatem, hoc est incertas Puellas de incertis, & sic quod poterat onus reversionis imponere, Sacra hæc Congregatio *die* 19. *Augusti* 1724. stetit in decisis, eo potissimum sub fundamento, quod hæc subsidia dotalia, ut plurimum a Viris erogabantur in necessarias Matrimonii impensas, & sic, quod absonum erat dictas cautiones exigere, aut onera reversionis imponere.

Et quia in hypothesi præsenti, vis a Confraternitate constituitur in facto pii Testatoris, in transactione confirmata a Clemente Octavo, & in subsecuta observantia, nec non in obligatione ab ipso Pavonio emissa, juxta ea, quæ in superioribus dicta sunt, respondetur a Pavonio, quod si Testator vivens cautionem prædictam exegit uti Confraternitatis Guardianus, & hoc onus in suo Testamento non expressit, hinc potius deduci, quod illud noluit, & multo magis, cum agatur de Testatore, qui non erat idiota, sed Vir legalis, & in eo, quod attinet ad transactionem, subdit, in ea nullum verbum legi de reversione in casu obitus sine filiis, & in eo, quod spectat ad observantiam, ait, eam non esse undequaque pacificam, cum adsint decreta individua S. Congregationis Visitationis, in quibus cautio prædicta reprobatur exigenda in Dotibus relictis ab R. P. D. Canobio, concluditque, sibi esse ignoscendum, si obligationem restituendi emisit, cum eadem ex falsa causa processerit, & cum nunc quæstio pendeat in hoc Supremo Tribunali, quod tricis judicialibus non est alligatum, & ad quod a Summo Pontifice facta fuit remissio, non obstantibus mandatis, quæ a Judicibus Ordinariis relaxata fuerunt, quique, & in sua, & in aliis consimilibus causis eodem modo se gerere debuerunt, utpote adstricti juris rigori.

Jura circumferuntur, unde quæritur,

An onera apposita in Schedulis impressis assignationis subsidii Dotalis scutorum 50. *sustineantur, itaut Pavonius teneatur ad restitutionem in casu &c.*

Sacra Congr. die 2. Decembris 1724. respondit,
Negative ad utramque partem.

QUÆSTIO CCCCVII.

In Causa Auximana, die 18. *Novembris* 1724.

COMMUNITAS Cinguli, & Rectores Beneficiorum, cæterique Sacerdotes Missam celebrantes in Collegiata Ecclesia dicti loci, contendunt, se non teneri ad contributionem utensilium favore Capituli.

Hujus prætensionis fundamenta desumuntur, primo ex constructione ipsius Ecclesiæ Collegiatæ; cum etenim Communitas obtinuerit ab illis de Simonettis facultatem demoliendi Ecclesiam Sancti Salvatoris, quæ ad eosdem pertinebat, ut novam amplam Collegiatam construere posset, inter cætera conventum fuit, ut in Ecclesia construenda illi de Simonettis novam haberent Cappellam, additis his aliis verbis, *che li Signori Prepoſto, e Canonici ſiano obbligati ſomminiſtrare per officiare, o dir Meſſa nella Cappella, che hanno detti Signori Simonetti nella nuova Chieſa, tutti li Paramenti neceſſarj per li Sacerdoti celebranti, conforme ſomminiſtrano, ed hanno ſomminiſtrato per le altre Cappelle.*

Secundo, ex quo Cardinalis Verospius Episcopus Auximanus mandavit, ut Cappellani obligati ad celebrandum in Collegiata Ecclesia, & non celebrantes solvant quinque obulos pro qualibet Missa, quam diebus feriallibus non celebrabunt, & julium unum pro qualibet Missa, quam diebus festivis de præcepto omittent, & mulctas has applicavit pro supellectilibus ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ; cumque hoc Decretum fuerit in Sacristia affixum, & suam etiam habuerit executionem, infertur, non posse de jure esse locum solutioni utensilium.

Tertio, ex quo sufficientes habet Ecclesia Collegiata proventus, qui eidem a piis Benefactoribus non multo ab hinc tempore relicti fuerunt, ita ut absonum esse videatur, quod Ecclesia velit exigere utensilia post redituum incrementum, quando hanc exactionem non faciebat tempore antecedenti, quo minores ex ipsa reditus habebat.

Quarto denique, ex consuetudine tum in hac Collegiata, tum in aliis loci Ecclesiis practicata, ad cujus tramites asseritur, utensilia a celebrantibus nec in præteritum fuisse soluta, nec solvi in præsenti.

Ex adverso, Præpositus, & Canonici asserunt, celebrantes in sua Ecclesia eximi non posse a solutione utensilium,

lium, tum quia exactio hæc est juri consona, tum quia est confirmata a Decretis editis in Visitatione hujusce Diœcesis, & a clar. mem. Cardinali Bichio Episcopo Auximano, & a clar. pariter mem. Card. de Abdua Visitatore Apostolico, quæ Decreta suam habuerunt executionem, & demum quia in aliis Ecclesiis Cinguli passim fit.

Utensilium exactio, & in eo, quod attinet ad pacta conventa in constructione novæ Ecclesiæ, & ad supra relatum Decretum Cardinalis Verospii, plures a Scribente pro Capitulo dantur responsiones, quarum tamen præcipua ea esse videtur, quod non obstantibus prædictis duobus fundamentis, tam Cardinalis Bichius, quam cæteri Episcopi successores statuerunt, utensilia a celebrantibus in Collegiata Ecclesia esse persolvenda.

Post edita tempore Urbani Papæ Octavi anno 1625. Decreta hujusce Sacræ Congregationis super celebratione Missarum, nonnulla dubia fuerunt super illis excitata, & septimum erat sequentibus verbis conceptum, *quæritur, an permittendum sit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem pro expenſis manutentionis Eccleſiæ, Altarium, Inſervientium, Paramentorum, Luminum, Vini, Hoſtiæ, & ſimilium*, & huic dubio responsum fuit, *permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac Loca Pia, ſeu illorum Adminiſtratores ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & Loca Pia alios non habent reditus, quos in uſum earundem expenſarum erogare licite poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantum Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeundæ, & nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab Offerentibus eleemoſynam.*

Proposita fuit hæc Causa in hac Congregatione habita die 18. Novembris 1724. cumque tunc nulla fuerit capta resolutio, sed in Congregatione habita die 16. Decembris ejusdem anni responsum fuerit, quod expectaretur novus Episcopus, supervenit novi Eminentissimi Episcopi informatio, quæ circumfertur, quocirca nunc quæritur,

An Rectores Beneficiorum, Cappellani, aliique Celebrantes in Eccleſia Collegiata Cinguli teneantur ſolvere utenſilia Capitulo dictæ Eccleſiæ, & pro qua ſumma in caſu &c.

Sacra Congr. die 23. Februarii 1726. respondit,
Rectores Beneficiorum, Cappellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Cappellanias perpetuas, & ipſum Capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad ſolutionem utenſilium Sacriſtiæ ad rationem unius obuli pro qualibet Miſſa, exceptis tantum a ſolutione utenſilium Miſſis adventitiis, & amplius.

QUÆSTIO CCCCVIII.

In Causa Montis Faliſci, die 18. *Novembris* 1724.

DOMINICUS Gentilis, in ultimo, cum quo decessit Testamento, quod condidit anno 1582. hæredes instituit Gentilem filium, & Aliprandum ex Bernardino altero filio nepotem; *in omnibus autem aliis ſuis bonis &c. inſtituit &c. & ore proprio nominavit ſuos hæredes univerſales Gentilem ejus filium, & Aliprandum ejus nepotem ex quondam Bernardino ejus filio ex Domina Diana ejus prima Uxore æquis portionibus, & caſu, quo Gentilis ſine filiis legitimis, & naturalibus deceſſiſſet, ſubſtituit Cappellam S. Andreæ in Eccleſia S. Petri Caſtri Criptarum*, impositoque onere celebrationis a Cappellano adimplendæ quatuor Missarum qualibet hebdomada pro suffragio Animæ suæ, eandemque Cappellam pariter vocavit in hypothesi, in qua Aliprandus sine filiis mortuus fuisset; in quo rerum statu celebrationem aliarum quatuor Missarum in hebdomada, uti supra, demandavit, cæterisque ad partes positis, idem Testator sequentibus verbis disposuit, *item reliquit, voluit &c. quod infraſcripti ejus hæredes teneantur, & debeant ſtatim poſt mortem ipſius Teſtatoris diſpenſare, & dare omnia ejus veſtimenta pauperibus perſonis amore Dei, & ſimiliter teneantur, & debeant celebrari facere Miſſas Sancti Gregorii pro anima ipſius Teſtatoris. Et ſimiliter teneantur, & debeant annuatim celebrari facere unum Anniverſarium, & Miſſas annuales in dicta Eccleſia Sancti Petri, & in eventum, quod dicti hæredes eſſent negligentes, & moroſi in exequendo prædicta, non dando dicta ſua veſtimenta pauperibus perſonis, & non faciendo celebrari dictas annuales, ſint privati dicta hæreditate dicti Teſtatoris per annos quinque continuos, & nullos percipere poſſint fructus dictæ ſuæ hæreditatis, & bonorum, & in eventum prædictum eorum loco ſubſtituit pro dictis quinque annis Venerabilem Confraternitatem Miſericordiæ Caſtri Criptarum in Eccleſia Sancti Petri, hoc tamen onere, quod dicta Confraternitas teneatur annuatim dictos fructus diſtribuere hoc modo &c. & finitis quinque annis, dicta hæreditas, & illius fructus redeant, & deveniant ad infraſcriptos ſuos hæredes, & utile dominium cum directo conſolidetur pro dictis ſuis hæredibus.*

Secuto Testatoris obitu, hæreditas divisa fuit inter Gentilem, & Aliprandum, mortuoque Aliprando sine filiis, & descendentibus, ejus portio devenit ad Cappellaniam S. Andreæ in Testamento substitutam, & portio Gentilis delata fuit ad ejus filias superstites, & post varias divisiones, & subdivisiones unica, & dimidium dictæ portionis delata est ad Josephum Philippum Virgultum; cumque ad ejus notitiam devenerit Testamentum Dominici Gentilis, una cum notitia oneris Anniversarii, & Missarum annualium, de quibus supra, idemque pro serenitate suæ conscientiæ huic S. Congregationi supplicaverit pro infrascriptorum dubiorum resolutione, responsum fuit *die* 11. *Januar.* 1721. quod audiretur Episcopus super puncto, per quantum temporis spatium fuerit adimpletum onus Anniversarii, & Missarum.

Supervenerunt Episcopi responsiones, ex quibus habetur, quod perquisitis scripturis, & libris antiquis, & novis Cancellariæ Episcopalis, & signanter Sacrarum Visitationum ab Episcopis pro tempore peractarum *ab anno* 1584. *usque ad præſentem diem*, nulla prorsus reperitur memoria Anniversarii, & Legati Missarum celebrandarum in Ecclesia S. Petri ex Testamento Dominici Gentilis, mentionemque tantum fieri cujusdam Cappellaniæ sub titulo S. Andreæ in eadem Ecclesia S. Andreæ erectæ ab eodem Dominico cum onere Missarum quatuor in qualibet hebdomada, quod onus supponitur reductum, cum in Tabella onerum Ecclesiæ habeantur hæc verba, *Beneficiatus S. Andreæ teneatur celebrare Miſſam unam in qualibet hebdomada in dicto Altari, & Miſſam Conventualem die Feſti S. Andreæ, ac die ſequenti Anniverſarium pro Fundatoribus dicti Beneficii.*

His stantibus, quæritur,

I. An onus Anniverſarii, & Miſſarum annualium ſit perpetuum, vel potius temporale ad vitam hæredum Teſtamentariorum.

II. Quæ quantitas Miſſarum intelligatur ſub nomine Anniverſarii, & Miſſarum annualium.

III. An ſub nomine Anniverſarii, & Miſſarum annualium intelligatur unum, & idem onus, ſeu potius ſint onera diverſa, & diſtincta.

IV. An pœna injuncta in caſu contraventionis ſit temporalis, reſtricta ad primos hæredes, vel potius perpetua, repetita in aliis ſucceſſive hæredibus.

V. An Orator teneatur in ſolidum, vel pro ſua virili tantum, & quid ſuper aliis bonis per ipſum poſſeſſis, & emptis ab aliis Cohæredibus.

Sacra Congr. die 16. Decembris 1724. respondit,
Ad Primum negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam, & in reliquis ſatis proviſum in primo.

QUÆSTIO CCCCIX.

In Causa Romana Nullitatis Profeſſionis, die 2. *Decembris* 1724.

SACRUM Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 19. *de regul.* statuit, ut quicumque Professionem regularem emiserit in aliqua Religione, si intra quinquennium prætendat eam nullitatis vitio laborare, causas prætensæ nullitatis deducat coram Ordinario, & Superiore Locali.

Ad tramites hujus sanctionis Conciliaris P. Lelius a S. Rosa, qui *anno* 1717. Professionem Regularem emisit in Conventu S. Mariæ de Scala de Urbe in Religione Carmelitarum Excalceatorum, nondum elapso quinquennio, prætensionem nullitatis excitavit, eamque deduxit coram Eminentissimo Urbis Vicario, & Superiore Locali memorati Conventus.

Cumque Eminentissimus Urbis Vicarius senserit, Professionem fuisse validam, & legitimam, & non constitisse, aut constare de ejus nullitate; & e contra Superior Localis pronuntiaverit pro ejus nullitate, & invaliditate, hinc factum est, ut devoluta Causa ad hanc Sacram Congregationem, disputandum in præsenti fit dubium ad calcem Restrictus referendum.

Cavetur in Conſtitutionibus Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, quod ad habitum non recipiatur ſive pro Choriſta, ſive pro Donato, quicunque caret aliquo membro, vel ejus uſu, & laborat aliquo morbo communes Congregationis labores non ferente, niſi forte ſuper hiſce defectibus obtenta fuerit diſpenſatio a Definitorio Generali, & Capitulo Provinciali. In iiſdem Conſtitutionibus prohibetur, ne ad Habitum, & Profeſſionem admittatur Irregularis aliqua irregularitate irretitus, in qua difficile diſpenſetur, item laborans aliqua infirmitate incurabili, & habituali, niſi forte poſt obtentam a Sede Apoſtolica diſpenſationem in caſibus ipſi Sedi Apoſtolicæ reſervatis accedat diſpenſatio Definitorii Generalis, & Capituli Provincialis.

Et in hypotheſi, in qua aliquis celaverit unum ex defectibus mox recenſitis, ſæpe memoratæ Conſtitutiones ſic diſponunt *ſtatim ac ſcietur expellatur, etiamſi Profeſſionem emiſerit; Congregationis quippe animus eſt, eos, qui prædictos defectus patiuntur, & celant, ad Profeſſionem non recipere.*

Cohærenter ad hæc, P. Lelius a S. Roſa ſuſtinet, Profeſſionem a ſe emiſſam nullitatis vitio laborare, cum tali oculorum morbo laboret, & laboraverit ante Noviciatum, & tempore Novitiatus, & Profeſſionis, & poſt ipſam Profeſſionem uſque ad diem præſentem, ut poſt lectionem quatuor, vel quinque linearum obumbrationem patiatur, nec lectionem ullo modo proſequi valeat, uti deſumitur ex Teſtibus in ejus Summario legendis, inter quos reperitur Pater Laurentius ab Annuntiatione, qui erat Prior Conventus Scalæ tempore Profeſſionis, quique refert, ſe in tantum Profeſſioni aſſenſum præſtiriſſe, in quantum credidit, morbum non eſſe habitualem, & inſanabilem, ſed ſanabilem, & accidentalem.

In ſui quoque aſſumpti corroborationem recenſitus P. Lelius affert dicta quatuor Peritorum Urbis, qui ſentiunt pro morbi incurabilitate propter pravam affectionem Organorum ad viſionis perfectionem conducentium, concluditque, non eſſe de nullitate ſuæ Profeſſionis dubitandum, tum propter ſuam infirmitatem incurabilem, & habitualem, tum propter irregularitatem, in qua difficile diſpenſatur; quidquid enim ſit de habente unum oculum, vel de cæcutiente poſt receptum Sacerdotium, notorium eſt, diſpenſationem a Sede Apoſtolica non concedi ad effectum, ut non obſtante dicto defectu, incapacitatis videlicet ad profecutionem integræ lectionis Miſſæ, quis ad Sacros Ordines promoveri poſſit.

Excipit e contra Religio Carmelitarum Excalceatorum, morbum non eſſe ſufficienter probatum, & probatum non relevare, nec ullum eſſe conſtituendum fundamentum in ſupradicta irregularitate.

Quod autem morbus non ſit probatus, deſumitur ex Teſtibus, qui pro cujuſcunque morbi excluſione depoſuerunt tempore, quo P. Lelius Profeſſionem emiſit, necnon ex cæteris diligentiis, quæ juxta Conſtitutiones præmitti debent, antequam aliquis ad habitum, & Profeſſionem admittatur.

Quod deinde morbus, quatenus eſſet probatus, non relevaret, colligitur ex ipſis Conſtitutionibus, quæ requirunt infirmitatem incurabilem, & habitualem, & habitualis dici nequit illa Patris Lelii, cum tempore Profeſſionis qualificata fuerit tanquam accidentalis, eademque pro incurabili non ſit prædicanda, ex quo alii Periti dicunt, eam eſſe curabilem.

Quod tandem nulla ſit habenda ratio irregularitatis, comprobatur, quia irregularitas, de qua fermo habetur in Conſtitutionibus, dicitur eſſe illa, quæ provenit ex delicto, & non ex defectu, & multo magis quando, prout hic, defectus eſt compatibilis cum Profeſſione, cum poſſit quis eſſe profeſſus, & ad Sacros Ordines non aſcendere.

Hæc ſunt, quæ pertinent ad factum, & poſt hæc tranſeundo ad jus, Contendit P. Lelius illud ſibi opitulari, ſi etenim Conſtitutiones dicunt, non eſſe animum Religionis ad Profeſſionem recipere eos, qui laborant aliqua infirmitate incurabili, & habituali, id ſufficere prætenditur pro adſtruenda nullitate Profeſſionis, propter naturam videlicet contractus correſpectivi, & ultro, citroque obligatorii, &, e contra Religio Carmelitarum Excalceatorum reſpondet, nihil aliud ex Conſtitutionibus deſumi, quam quod Religio expellere poſſit ſic profeſſum in pœnam ſui delicti, quia videlicet morbum, quem habebat, celavit, non autem ex Conſtitutionibus inferri poſſe ad nullitatem Profeſſionis, nolente Religione, & in ipſius præjudicium, & ſignanter quoties, ut in præſenti, Conſtitutiones carent decreto irritante.

Actum fuit de hoc Articulo in terminis Religionis Patrum Cappuccinorum 31. *Julii* 1723. *& 7. Julii currentis anni* 1724. nec ulla fuit capta reſolutio, cum auctoritate Eminentiſſimi Protectoris Religio ſuum præſtiterit aſſenſum egreſſui Profeſſorum, qui non obſtante morbo habituali Profeſſionem emiſerant.

Actum fuit de hoc eodem Articulo in terminis Conſtitutionum Religionis noſtræ Carmelitarum Excalceatorum *die 2. Octobris 1717. & die 3. Septembris 1718.* & reſponſum fuit pro nullitate Profeſſionis emiſſæ ab eo, qui morbo comitiali laborabat, ſed Scribens pro Religione contendit, haſce reſolutiones non eſſe applicabiles, ex quo in caſu tunc diſputato Religio ſuum præſtabat pro egreſſu conſenſum.

His ſtantibus, quæritur,

An conſtet de nullitate Profeſſionis in caſu &c.

Sacra Congr. die 16. Decembris 1724. reſpondit,
Negative.

QUÆSTIO CCCCX.

In Cauſa Aurienſi Unionis, die 2. Decembris 1724.

CAPITULUM Cathedralis Eccleſiæ Aurienſis ſupplicavit ſan. mem. Innocentio XIII. pro unione duarum Eccleſiarum Parochialium ſub invocatione S. Euphemiæ in ſua Cathedrali Eccleſia exiſtentium favore fabricæ ejuſdem Eccleſiæ, quæ tali paupertate laborare dicitur, ut nequeat ſupportare onera pro cultu Divino neceſſaria. Valor dictarum Eccleſiarum Parochialium expreſſus fuit in ſupplicatione in ducatis auri de Camera 8o. pro unaquaque, computatis certis, & incertis, & ne cura Animarum damnum pateretur, additum fuit, ut mortuis Parochis actu eam exercentibus, nominandi eſſent a Capitulo, & Canonicis duo Presbyteri ad nutum amovibiles, qui dictum munus exercerent, & a prædicto Summo Pontifice remiſſæ fuerunt preces ad hanc Sacram Congregationem.

Auditus fuit juxta morem Ordinarius, qui ample teſtatus eſt de fabricæ paupertate, & impotentia, necnon de morali impoſſibilitate parandi alio modo neceſſaria pro cultu Divino. In eadem quoque Relatione Ordinarius ſuum unioni præſtitit aſſenſum, ita tamen, ut Sacerdotes ad nutum amovibiles eſſent a ſe, ſuiſque Succeſſoribus eligendi.

Circumfertur ſcriptura, in qua concurrente ſupradicta paupertate, contenditur, locum eſſe poſſe Apoſtolicæ benignitati pro gratiæ conceſſione.

Sacrum Concilium Tridentinum, *Seſſ. 24. cap. 13. de Reform.* prohibet unionem Eccleſiarum Parochialium quibuſcumque Monaſteriis, aut Abbatiis, ſeu Dignitatibus, ſive Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſed prætermiſſo, quod hæc prohibitio afficit Ordinarios, nec manus ligare poteſt Summo Pontifici, a prædicta prohibitione Conciliari excipiuntur uniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conſervatione Collegiorum, & aliorum Piorum Locorum ad Fidei Catholicæ defenſionem, & propagationem, & bonarum artium cultum, & ſic multo magis ad cultus Divini manutentionem, juxta late deducta per *Barboſam ad dicti Concilii locum num. 11.*

Quoad Sacerdotes ad nutum amovibiles pro exercenda cura Animarum deputandos, idem Concilium *Seſſ. 7. de reform. cap. 7.* decrevit, quod Epiſcopi in Parochialibus unitis Cathedralibus, Collegiatis, Monaſteriis, aut aliis Locis Piis exercere facerent curam Animarum *per idoneos Vicarios etiam perpetuos*, a quorum verborum tenore inferunt Doctores, pendere ab arbitrio Epiſcopi a circumſtantiis regulando deputationem Vicariorum ſive Perpetuorum, ſive Temporalium, uti ad *dictum cap. 7.* adnotarunt *Barboſ. num. 15. & num. 31. & 32. ibique Gallemart num. 5. Garz. de Benef. par. 11. cap. 2. num. 8. Card. de Luca in annot. ad Concil. diſc. 9. num. 6. & alii paſſim.*

Sanctus vero Pius Quintus *in ſua Bulla 47. Bullar. tom. 2.* in qua ſtatuit quantitatem reditum aſſignandorum Vicariis Parochiarum Monaſteriis, aut Capitulis unitarum, loquitur retento themate Vicariorum perpetuorum, idemque S. Pontifex *in alia ſua Conſtitutione 139. Bullar. tom. 2.* præſcripſit Conſtitutionem Vicariorum perpetuorum in Parochialibus Eccleſiis, quæ ſunt unitæ Capitulis Urbis, & *Fagnan. in cap. ex part. num. 9. & ſeqq. de Officio Vicarii*, late oſtendit, utilius ſervitium Eccleſiis Parochialibus præſtari tam a Vicariis perpetuis, quam a temporalibus.

His

His ſtantibus, quæritur,

An ſit locus unioni Parochialium, de quibus agitur, fabricæ Cathedralis Eccleſiæ Aurien. in caſu &c.

Sacra Congr. die 16. Decembris 1724. reſpondit,
Negative, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCCXI.

In Cauſa Montis Regalis, die 2. Decembris 1724.

PETRUS Coſta unus ex Cappellanis, qui Choro, proceſſionibus, & functionibus interſunt in Cathedrali Eccleſia Montis Regalis *anno 1719.* donavit Collegio dictorum Cappellanorum libras 1000. impoſito onere duarum Miſſarum quolibet menſe, & alterius Miſſæ ſolemnis in ſuo Anniverſario, nec non admittendi ad Cappellaniam primo vacaturam Sacerdotem Joannem Michelettum; juxta etenim receptam in hac Eccleſia conſuetudinem, in caſu vacationis Cappellani habent jus eligendi, nec ullam expoſcunt confirmationem, vel inſtitutionem ab Ordinario.

Donatio fuit acceptata a Cappellanis, & libræ 1000. fuerunt exburſatæ, nec non favore eorundem inveſtitæ; cumque adhuc non contigerit caſus vacationis: & hoc interim quæſtio inſurrexerit circa validitatem pacti ſupra memorati, Cappellani proteſtati ſunt, ut vel obtineretur ſanatio Contractus, vel Donatio reſcinderetur, reſtituta pecunia jam recepta, uti ſupra dictum eſt.

Cohærenter ad hanc proteſtationem, Petrus Coſta ſan. mem. Innocentio XIII. pro ſanatione ſupplicavit, remiſſaque inſtantia ad hanc Sacram Congregationem ſcriptum fuit Epiſcopo pro informatione, & voto, eodemque reſpondente, quod expoſita in facto ſubſiſtebant, & quod Contractus ſanari poterat, *die 20. Novembris* 1723. reſponſum fuit *pro ſanatione*; cumque ante Decreti expeditionem appoſitum fuerit in Secretaria *nihil tranſeat* a Cappellanis, diſputandum in præſenti proponitur dubium ad calcem Reſtrictus referendum.

Certum eſt juxta Sacrorum Canonum ſtatuta, Simoniam ab eo committi, qui bona ſua largiatur appoſito pacto, ut vel ipſe, vel alius ab eo nominandus Beneficium obtineat, uti habetur *in cap. tua nos de Simonia.* At Petrus Coſta inquit, hanc ſimoniam non eſſe, niſi juris Eccleſiaſtici, & proinde ſanabilem intercedente Summi Pontificis auctoritate, & eo fortius, cum non verſemur in Beneficio Curato, ſed ſimplici, juxta doctrinam *Zabarellæ in cap. 1. n. 2. ibique Abbas n. 6. & Felin. n. 2. de ſimonia.*

Addit, conſimiles pactiones non eſſe in Collegio, de quo agitur, novas, cum *anno* 1711. Canonicus Trombetta quædam bona donaverit, & conditionem appoſuerit, ut Cappellani in prima vacatione eligerent Sacerdotem Joannem Dominicum Marencum, qui etiam ſubſequenter electus fuit, & etiam de præſenti eſt in albo Cappellanorum.

E contra, Collegium Cappellanorum inquit, pactionem fuiſſe illicitam, utpote infectam vitio ſimoniæ, nec eſſe ſanabilem, & multo magis, cum in contractu adſit læſio; pro fructu quippe capitalis ſcutorum 200. impoſitum fuit onus duarum Miſſarum quolibet menſe, uti dictum eſt, & alterius ſolemnis in die Anniverſaria, ultra carentiam libertatis eligendi in caſu vacationis perſonam ſibi beneviſam, quæ poſtquam in Collegium erit admiſſa, poteſtatem obtinebit ſuffragium præſtandi in futuris Cappellanorum electionibus, concluditque, non eſſe deſumendum argumentum a donatione Canonici Trombettæ, cum ipſe donaverit ſcuta decem millia.

His ſtantibus, quæritur,

An relaxanda ſit gratia pro ſanatione Contractus initi a Coſta in caſu &c.

Sacra Congr. die 16. Decembris 1724. reſpondit,
Ad mentem.

QUÆSTIO CCCCXII.

In Cauſa Lauretana, die 16. Decembris 1724.

CLERICUS Dominicus Curtius præſentari a Patronis obtinuit ad unum ex quatuordecim Beneficiis reſidentialibus Eccleſiæ Parochialis Caſtri Fidardi, & Epiſcopus noluit ipſum inſtituere.

Interpellatus Epiſcopus de cauſa recuſationis, reſpondit, Clericum Dominicum non eſſe integræ probitatis, eſſe in litteris imperitum, natalibus obſcurum, & Ec-

cleſiam indigere Sacerdote, nec eum propter ætatem, in qua eſt conſtitutus, cæteroſque defectus ſupra recenſitos poſſe ad Sacerdotium aſcendere, ſeque idcirco Patronos monuiſſe, ut alium idoneum præſentarent.

Recepta hac Epiſcopi informatione, relataque inter ſummaria precum inſtantia Dominici petentis, ut Epiſcopo demandaretur, quod ſe ad Beneficium inſtitueret, in Congregatione habita die 26. Julii 1723. reſcriptum fuit *Lectum*, ſed impetrata ab eodem nova audientia, proponuntur in præſenti diſcutienda bina dubia ad calcem Reſtrictus referenda.

Primum dubium reſpicit naturam Beneficii, an videlicet dicendum ſit Sacerdotale, nec ne, & Clericus Dominicus contendit, non eſſe Sacerdotale, cum id non colligatur ex fundatione, ipſumque fuerit alias collatum ſimplicibus Clericis, & ſignanter Joanni Franciſco de Philippis, per cujus obitum idem actu vacat. Secundum dubium reſpicit inſtitutionem, an ea videlicet ſit eidem Clerico Dominico danda, & ipſe exorat pro conceſſione, cum nullum determinatum delictum ſibi opponatur, & imperitia litterarum ſit excluſa ab atteſtationibus, quas affert pro ſua idoneitate; & defectus ætatis ad rem, de qua agitur, non ſubſiſtat, cum ſit conſtitutus in vigeſimo anno ſuæ ætatis.

E contra Promotor Fiſcalis excipit, & quoad naturam Beneficii afferit, illud eſſe Sacerdotale, cum ex Fundatione habeatur, illud una cum aliis fuiſſe inſtitutum, ut Beneficiatus opem ferret Parocho in Sacramentis adminiſtrandis, & in eo, quod attinet ad inſtitutionem aliis licet non Sacerdotibus ad hoc Beneficium conceſſam, ſubdit, id contigiſſe, vel quia agebatur de Clericis, qui intra annum poterant ad Sacerdotium aſcendere, vel quia agebatur de Compatronis, vel tandem quia tunc inter cæteros Beneficiatos Parocho inſervientes, plures aderant idonei pro eodem coadjuvando in adminiſtratione Sacramentorum, quæ circumſtantia hodie non concurrit; & in eo, quod ſpectat ad petitam a Clerico inſtitutionem, ait quoad mores eſſe deferendum informationi Ordinarii, & quoad litteraturam Magiſtro Scholæ, qui favorabiliter non eſt teſtatus favore Oratoris.

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An Beneficium, de quo agitur, ſit Sacerdotale, nec ne in caſu &c. & quatenus negative.

II. An præſentatus ſit inſtituendus in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Ad Primum affirmative.
Ad Secundum ſatis proviſum in primo.

QUÆSTIO CCCCXIII.

In Cauſa Turritana, die 16. Decembris 1724.

ARCHIEPISCOPATUS Turritanus vacat, & Decanus Capituli ſuſcepit adminiſtrationem ſpolii, & fructuum dicti Archiepiſcopatus vacantis, accedente fidejuſſione quinque perſonarum, & ſignanter Joannis, & Simonis de Ryo.

Durante adhuc adminiſtratione, Joannes, & Simeon judicium introduxerunt coram Vicario Capitulari pro liberatione a fidejuſſione ſupra memorata, vocatoque ad cauſam Capitulo, Œconomus Capituli Cedulam exhibuit recuſationis perſonæ Vicarii Capitularis ex motivis, & rationibus ſuis tempore, & loco diſcutiendis coram Arbitris; cumque hoc minime obſtante Vicarius Capitularis ad ulteriora proceſſerit, & propoſitam recuſationem rejecerit ad Devolutivum, interpoſita fuit Appellatio ad Delegatum Apoſtolicum Appellationum in Regno Sardiniæ; & ab hac facti ſerie ortum ducit prima controverſia inter Capitulum, & Vicarium Capitularem, de qua in primo dubio infra recenſendo.

Præter controverſiam mox memoratam, aliæ etiam inſurrexerunt inter Vicarium, & Capitulum; Capitulum quippe contendit, ſibi competere facultatem recipiendi recuſationes Vicarii Capitularis propoſitas, & proponendas a Diœceſanis, & ad ſe pertinere deputationem Arbitrorum pro admittendis, ſeu rejiciendis recuſationum cauſis, & in ſequelam hujuſce facultatis ſe rite, & recte recepiſſe recuſationes, & ſuſpiciones contra Vicarium propoſitas ab illis Parochis Eccleſiarum Parochialium de Oſſi, & de Ofilo, ita ut ſæpe memoratus Vicarius injuſte proceſſerit ad Cenſuras adverſus Archipresbyterum, Decanum, & Canonicum antiquiorem Eccleſiæ propter receptas ſuſpicionum cauſas a prædictis Parochis contra ſe propoſitas; Vicarius ſe hiſce prætenſionibus Capituli op-

ponit, & in sequelam hujusce oppositionis secundum, tertium, & quartum dubium referuntur ad calcem hujusce Restrictus.

Quando contra Judicem legitima suspicionis causa assignatur, Arbitri sunt eligendi, qui de causis suspicionis cognoscant, ita ut causa suspicionis coram Judice sit alleganda, sed ejus cognitio ad Arbitros sit deferenda, qui de ea cognoscere debent intra terminum competentem, juxta *Textum in cap. secundo requiri. §. Tertio postulas, & in cap. cum speciali de appellationibus, & in cap. legitima eodem titulo in 6.* si Vicarius autem Episcopi allegetur suspectus, causa recusationis coram Episcopo probanda est, nisi causa suspicionis ipsum etiam Episcopum respiciat, in quo rerum statu recurrendum erit ad Arbitros, juxta *Textum in cap. si contra unum, ibique Passerin. n. 37. de officio Judicis delegati in 6.* & in terminis Vicarii Capitularis, qui suspectus allegetur, nonnulli asserunt, ad Capitulum pertinere electionem Arbitrorum, qui cognoscant de causis suspicionis, juxta late deducta per *Pellegrin. in praxi Vicariorum part. 1. sect. 4. subject. 4. sub num. 13.* & alii sustinent, non posse Capitulum hos Arbitros deputare, sed debere per seipsum de causis suspicionis cognoscere, juxta nonnullas Resolutiones impressas apud *Garziam de Benefic. 5. part. cap. 7. n. 23.*

Ad tramites harum juris dispositionum, ait Capitulum, non potuisse Vicarium Capitularem in Causa procedere propter oppositam adversus ipsum allegationem suspicionis in pluribus rationibus fundatam, & signanter in lite, plerisque in Tribunalibus, & etiam in hac Sac. Congregatione agitata inter ipsum, & Decanum, cui major pars Capituli adhærebat. Cohærenter quoque ad ea, quæ in superioribus deducta sunt, idem Capitulum sustinet, ad se spectare facultatem recipiendi recusationes Vicarii, quæ proponuntur a Diœcesanis, & se juste recepisse eas, quæ propositæ fuerunt a Parochis de Offi, & de Osilo; absque eo quod dici valeat, eundem Vicarium adversus memoratos Parochos processisse in actu Visitationis, cum processerit judicialiter, & compilato processu, & in eo, quod attinet ad Censuras a Vicario laxatas adversus Archipresbyterum, Decanum, & Canonicum antiquiorem Ecclesiæ, plura opponuntur, tum ex defectu validitatis, tum ex defectu justitiæ, & signanter quia procedendum erat cum Adjunctis, cum Vicarius Capitularis teneatur procedere cum Adjunctis in illis casibus, in quibus, si processisset Episcopus, debuisset procedere cum Adjunctis, *Garz. de benefic. part. 5. cap. 7. n. 23. Barbos. ad cap. 6. sess. 25. de reform. num. 14. Gallemart ad cap. 16. sess. 24. §. Dubitatum fuit, Sbroz de offic. Vicar. lib. 2. quæst. 145. Ludovicus a Saravia in tract. de Adjunctis impresso post Francesc. de Eccles. Cathedral. edit. Venetæ anni 1698. quæst. 17. n. 35.* & ab hac Sac. Congregatione *die 10. Jul. 1694.* responsum fuit, Archiepiscopum Turritanum debere adhibere Adjunctos in cognoscendis Causis Criminalibus Canonicorum, idemque servandum esse, quando declarare vellet aliquem ex ipsis incursum in Censuras a Jure latas, si Processus sit compilatus.

Jura circumferuntur, sed ea Vicarii Capitularis, licet sæpe petita, ad me delata non sunt, ita ut mihi impossibile sit eadem exponere.

Quæritur itaque

I. An Vicario Capitulari Turritano liceat procedere in Causis Canonicorum Ecclesiæ Metropolitanæ tam in communi, quam in particulari, non obstante illius suspicione, seu recusatione per eosdem Canonicos, seu Capitulum allegata in casu &c.

II. An comperat Capitulo Metropolitano Turritano facultas recipiendi recusationes Vicarii Capitularis per Diœcesanos Turritanos propositas, seu proponendas, & respective deputandi Arbitros pro admittendis, seu rejiciendis causis earundem recusationum in casu &c.

III. An præfato Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ licitum fuerit recipere suspiciones, seu recusationes ejusdem Vicarii coram ipso propositas per Rev. D. Antonium Murgiam Rectorem Ecclesiæ Parochialis de Ossi, & Rev. D. Antonium Franciscum Serram Plebanum Ecclesiæ Parochialis de Osilo in casu &c.

IV. An Censuræ relaxatæ per eundem D. Vicarium Capitularem adversus Archipresbyterum, Decanum, & Canonicum antiquiorem prædictæ Ecclesiæ, sustineantur in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum, & tertium affirmative, Ad quartum negative,

Proposita fuit hæc Causa in ultima Congregatione, eademque fuit resoluta, informante tantum Capitulo. Impetrata autem a Vicario Capitulari nova audientia, & proposito dubio,

An, & in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis die 16. Decembris 1724.

Sacra Congr. die 13. Januarii 1725. respondit,

Ad Primum, & Secundum in decisis. Ad Tertium recedendum a decisis. Ad Quartum in decisis.

QUÆSTIO CCCCXIV.

In Causa Namurcensi dispensationis, die 16. Decembris 1724.

Joseph Franciscus Germain Sacrum Subdiaconatus Ordinem recepit anno 1718. cumque san. mem. Innocentio XIII. supplicasset pro dispensatione a Voto Continentiæ, ut matrimonium contrahere posset, fuerunt a Sanctitate Sua preces remissæ ad hanc Sacram Congregationem; cumque juxta morem scriptum fuisset pro informatione, & Voto Episcopo Namurcensi, in cujus Diœcesi Orator obtinet Canonicatum, ejus informatio supervenit, in qua plura deducuntur circa vim, & metum Oratori a suo Genitore incussum, ut Sacrum Subdiaconatus Ordinem reciperet. Adduntur Testium depositiones a prædicto Episcopo examinatorum super metu memorato, ex quibus cum in scriptura per manus circumferenda prætendatur metum cadentem in constantem Virum esse probatum, & sic, non obstante charactéris impressione, Votum Continentiæ Subdiaconatui annexum non esse obligatorium, juxta late deducta *in Dec. 870. coram Emerix juniore*, & resoluta ab hac Sac. Congregatione in terminis alterius Subdiaconi *in Ipren. Dispensationis 16. Decembris 1719.*

Quæritur itaque,

I. An Orator teneatur ad Votum Continentiæ in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An sit locus dispensationi in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum negative.

QUÆSTIO CCCCXV.

In Dubio Oratorii privati, die 16. Decembris 1724.

Licet in Indultis Oratorii privati, quæ a Sede Apostolica conceduntur, excipiantur nonnulli dies, & signanter dies Nativitatis Domini, quibus permissum non est Missam in eis celebrare, aut audire, in nonnullis nihilominus ejusdem Sedis Apostolicæ Indultis, quæ dantur Infirmis, qui e domo egredi non possunt, non solum dicti dies non excipiuntur, sed expresse permittitur, ut ipsis diebus exceptis, & signanter die Nativitatis Domini Missa in prædictis Oratoriis privatis celebrari possit; cumque exorta fuerit dubitatio, ejusque examen fuerit ad hanc Sac. Congregationem remissum, an stante antiqua consuetudine a temporibus Telesphori Papæ introducta, juxta quam quilibet Sacerdos die Nativitatis Domini tres Missas celebrare potest, possint eædem tres Missæ ab eodem Sacerdote celebrari in Oratorio, quod est a Sede Apostolica concessum Infirmo, nec aliquod adsit in Secretaria Brevium monumentum ad hujus dubii resolutionem pertinens, Secretarius hujusce Sacræ Congregationis, ne muneri suo deesset, Discursum exaravit ad calcem impressum, eoque benigne perlecto, reliquum erit, ut decernatur,

An in Oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur, ut Missa die Nativitatis Domini celebretur, tres Missæ ab eodem Sacerdote celebrari possint, vel unica tantum Missa sit celebranda in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Januarii 1725. respondit,

Ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative.

DISCUR-

DISCURSUS SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

Circa tres Missas celebrandas, vel non celebrandas in die Nativitatis Domini in illis Oratoriis privatis, in quibus dicta die Missa ex Indulto Apostolico celebrari potest.

Ad tramites Synodi Agathensis, de quo in *Canone 35. de Consecrat. dist. 1.* ubi decernitur, quod si quis Oratorium habeat in agro, possit in eo cum sua familia Missam diebus festis audire, excepto Paschate, excepta die Natali Domini, exceptis Epiphania, Ascensione, Pentecoste, & Natali S. Joannis Baptistæ, & si qui alii dies inter magnas festivitates habeantur; consuevit Sedes Apostolica in concessione Oratoriorum privatorum nedum dictas solemnitates, sed alias etiam excipere, ita ut dictis solemnitatum diebus nec liceat Sacerdoti in Oratorio privato celebrare, nec liceat aliis in eodem Oratorio Missam audire.

Quia vero aliquando hæc Oratoria privata a Sede Apostolica conceduntur ex causa infirmitatis, & quoad personas infirmas, quæ e domo exire non possunt, absonum esset dies solemniores excipere, uti ponderat *La Croix Oper. Moral. tom. 2. lib. 6. part. 2. num. 271.* Hinc est, quod eadem Sedes Apostolica infirmitate laborantibus concedere consuevit, ut Missam in Oratorio privato audire possint etiam diebus illis solemnioribus, qui in aliis concessionibus excipiuntur.

Et formula consimilis concessionis pro infirmis est hæc, quæ sequitur: *Cum, sicut nobis nuper exponi fecisti, alias tibi asserenti te nobilem existere, auctoritate Apostolica sub certis modo, & forma tunc expressis indultum fuerit, ut in privatis domorum tuæ habitationis Oratoriis &c. unam Missam pro unoquoque die, Paschatis tamen Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini &c. festis diebus exceptis, in tua, ac familiæ tuæ præsentia celebrari facere, ac libere, & licite posses, & valeres &c. Tu vero quibusdam corporis infirmitatibus labores, propter quas domo etiam diebus supra exceptis Missam audiendi causa egredi non potes &c. nos te specialibus volentes &c, tibi, ut durantibus infirmitatibus hujusmodi, prædictam unicam Missam in privatis Oratoriis, supradictis etiam diebus uti supra exceptis, si in illis propter corporis infirmitatem domo Missam audiendi causa egredi non potes, ut præfertur, in tua, ac unius personæ servitiis tuis necessariæ dumtaxat præsentia celebrari facere libere, & licite possis &c. tenore præsentium concedimus, & indulgemus.*

A qua formula occasio nascitur dubitandi, an habentibus usum Oratorii privati ex causa infirmitatis, & absque exceptione diei Nativitatis Domini permissum sit, nec ne, tres Missas ab uno, eodemque Sacerdote in dicto Oratorio die Nativitatis Domini audire, vel unica tantum Missa contenti esse debeant.

Et quidem, quod dicta die permissum esse possit habentibus Oratorium privatum, in eodem tres Missas audire die Nativitatis Domini, nonnulla facere posse videntur.

Primum est, quod non potest Sacerdos pluries eodem die celebrare juxta *Textum in cap. consuluisti, & in cap. te referente de celebratione Missarum*, cum quibus concordat alius *Textus in Canone sufficit de Consecrat. dist. 1.* cumque non obstante hac prohibitione, permissum sit Sacerdotibus die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, uti colligitur ex *Textu in Canone Nocte de Consecrat. dist. 1.* & quatenus id ex dicto Textu non probetur, desumitur ex antiqua consuetudine, quæ, teste S. Gregorio in *Homilia de Nativitate Domini*, initium habuit tempore Telesphori Papæ, licet hujus Pontificis Constitutio, quæ consuetudini fomentum dedit, sit deperdita, & non reperiatur, uti profequitur *Gonzal. in cap. Consuluisti litt. B. de celeb. Missarum*, ex hoc inferri posse videtur, licitum esse tres Missas audire in Oratorio privato die Nativitatis Domini, licet Apostolicum Indultum ad unicam tantum Missam etiam dicto die restrictum esse prætendatur, ne plus videlicet operetur Indulti, quam Juris communis, & Sacrorum Canonum prohibitio.

Secundum est, quod non est ita clarum, quod in Indulto prohibeatur celebratio trium Missarum die Nativitatis Domini, tum quia in Indulto fit quidem mentio *unius*, & etiam *unicæ Missæ*, sed absque particula *dumtaxat*, quæ in Indulto est apposita, quando sermo est de persona, quæ infimul cum infirmo Missæ assistere potest, *in tua, ac unius personæ &c. dumtaxat præsentia celebrari facere libere, & licite possis*, & quando fit mentio unius Missæ sine particula *tantum*, *vel dumtaxat*, probabilis est opinio, quod plures Missæ prohibitæ non intelligantur, juxta *March. in resolut. miscell. cas. 33.* & quatenus vox *una*, aut *unica* etiam sine particulis *tantum*, *aut dumtaxat* esset plurium Missarum exclusiva, id tamen commode referri potest ad plures Missas a pluribus Sacerdotibus eadem die, & in eodem Oratorio celebrandas, & non ad plures Missas eodem die ab eodem Sacerdote, & in eodem Oratorio celebrandas, die videlicet Nativitatis Domini, in quo juxta supradicta tres Missæ a quolibet Sacerdote celebrantur.

Tertium est, quod tres Missæ diei Nativitatis Domini haberi quodammodo possunt pro unica Missa, ex quo videlicet in tribus prædictis Missis Christi Nativitas semper recolitur, æterna videlicet, temporalis, sed spiritualis, & temporalis infimul, & corporalis, juxta doctrinam Divi Thomæ *3. part. quæst. 83. art. 2. ad secundum*, ibi: *in die autem Nativitatis plures Missæ celebrantur propter triplicem Christi Nativitatem, quarum una est æterna, quæ quantum ad nos est occulta, & ideo una Missa cantatur in nocte &c. Alia autem est temporalis, sed spiritualis, qua scilicet Christus oritur tanquam Lucifer in cordibus nostris, & propter hoc cantatur Missa in aurora. Tertia est Christi Nativitas temporalis, & corporalis, secundum quam visibilis nobis processit ex utero Virginali carne indutis.*

Quartum est, quod in Indulto, de quo nunc agitur, non videtur esse stricte procedendum; quocirca licet in Indulto, quo citra casum infirmitatis conceditur usus Oratorii privati, excipiantur dies Festi, Paschatis signanter Resurrectionis, & Pentecostes, sub quorum tenore verborum non tantum prima dies utriusque Paschatis, sed etiam duæ immediatæ utriusque Paschatis Festivitates comprehenduntur, passim nihilominus admittum est, ut in prædictis Oratoriis, excepta prima die utriusque Paschatis, Missæ celebrentur in duabus immediate Festivitatibus tam Paschatis Resurrectionis, quam in aliis Paschatis Pentecostes, *Pasqualig. de Sacrific. novæ Legis tom. 1. quæst. 639. num. 2. Gavant. in Thesaur. Sacr. Rituum par. 1. tit. 20. §. Ordinarii Locorum*, & quando stricte non est procedendum in horum Indultorum interpretatione, nil prohibet, quin in sequelam Indulti, quod Infirmis conceditur, tres Missæ in iisdem celebrari valeant in die Nativitatis Domini.

Ultimum est, quod alias discurrendo sequeretur absurdum; sequeretur etenim, quod Sacerdos vocatus ad celebrandum in Oratorio concesso pro infirmis, unicam tantum Missam celebraret die Nativitatis Domini, quando cæteri Sacerdotes dicta die tres celebrant Missas; nec enim congruum est, ut prædictus Sacerdos primam Missam dicat in uno loco, & alias duas celebret ex intervallo, & in alio loco, sequeretur ulterius, quod Infirmus a Papa habilitatus ad audiendam in Oratorio domestico Missam die Nativitatis Domini, hac ipsa die unicam tantum Missam audiret, quando eadem die cæteri tres audiunt Missas.

Adversus autem hucusque deducta, plura profecto alia opponi possunt, ad effectum scilicet demonstrandi, quod unica tantum Missa celebrari possit in Oratorio privato, quod Infirmis conceditur die etiam Nativitatis Domini.

Utque id ponatur in claris, ponderanda est littera, & ponderanda est ratio Indulti, & in eo quidem, quod attinet ad litteram, Pontifex in Indulto exponit, se alias Oratori concessisse Oratorium privatum, in quo *una Missa* celebretur, excepto die Nativitatis Domini, & exceptis aliis diebus in dicto Indulto memoratis; cumque Pontifex in eodem Indulto prosequatur afferendo, se velle supplicationibus Infirmi annuere, & idcirco concedat, ut etiam diebus exceptis, & sic die Nativitatis Domini *prædictam unicam Missam* in privato Oratorio audire valeat, verbum illud *prædictam*, & eo fortius si uniatur cum alio verbo *unicam*, utpote relativum, *ad eam unam Missam*, quam Orator audire potuisset diebus non exceptis, si non fuisset Infirmus, plene ostendit, nullatenus posse die Nativitatis Domini tres Missas ab Infirmo audiri in Oratorio privato, sed unicam tantum Missam in eo Oratorio dicta die esse celebrandam, ut in proximis terminis bene argumentantur *Pasqualig. de Sacrif. novæ Legis tom. 1. quæst. 635. num. 3. Quartus ad Rubr. Missalis dub. 6. pag. 598.*

Uno

Uno verbo; Pontifex in Indulto pro Infirmo æquiparat diem Nativitatis Domini cæteris aliis diebus, qui non sunt excepti in Indulto, quod conceditur citra casum Infirmitatis; cumque in terminis hujus postremi Indulti certum sit, diebus non exceptis, unam tantum Missam celebrari posse, hoc ipsum dicendum est in terminis Indulti concessi pro Infirmo, quod scilicet die Nativitatis Domini unica tantum Missa in Oratorio privato celebrari possit.

In eoque, quod spectat ad Indulti rationem, nulla alia excogitabilis esse posse videtur, quam ea, quod in tantum Pontifex annuat petitis, in quantum commiserando statum Infirmi, & ne afflictio addatur afflicto, modum ipsi suppeditare intendit, quo devotioni consulere possit, Missam audiendo, & præceptum adimplendo Missam audiendi die adeo celebri, qualis est illa Nativitatis Domini; cumque ad effectum, de quo agitur, satis sit, ut Infirmus unicam audiat Missam die Nativitatis Domini, bene infertur ex his, quod unica tantum Missa dicta die in Oratorio privato sit celebranda; nulla cadente quoad infinuatum assumptum dubitatione, quod satisfiat scilicet præcepto audiendi Missam die Nativitatis Domini, unicam tantum Missam eadem die audiendo; quandoquidem certa esse videtur Theologorum opinio, quod secluso Voto, juramento, promissione, vel Statuto, aut alia obligatione speciali, nullus Sacerdos tenetur die Nativitatis Domini tres Missas celebrare, nec Fideles dicta die tres Missas, sed unam tantum tenentur audire, *Navar. consil. primo de celebratione Missarum*, *Bonacin. oper. moral. tom. primo de Sacram. Eucharistiæ disput. 4. quæst. ultima puncto 11. propositi. prima num. 10. Castropal. oper. moral. tom. 4. tract. 22. disput. unica punct. 7. num. 7. Salmanticenses in cursu Morali tom. 1. tract. 5. de Missæ Sacrificio cap. 4. punct. primo num. 9.* subduntque Scribentes, quod Sacerdos obligatus ad dicendam Missam quotidianam pro aliquo, non tenetur tres Missas in Nativitate Domini pro eodem applicare, sed unam tantum, nisi forte Fundator Beneficii, seu Cappellaniæ expresse dixisset, se velle trium Missarum applicationem die Nativitatis Domini, *Fraxinell. de Sacerdotum obligat. ad Missam sect. 4. conclus. 4. §. 21. Diana in edit. coord. tom. 2. tract. 1. resolut. 64. num. 2. Pasqualig. de Sacrif. novæ legis tom. 2. quæst. 1133. num. 2. & 3.* & sola remanet quoad Parochos dubitatio, cum nonnulli absolute dicant, eos dicta die teneri tres Missas celebrare propter Populi utilitatem, & devotionem, *Persic. de divinis offic. lib. 1. dub. 15. num. 128. pag. 221.* & alii in ea sint opinione, quod secluso scandalo, aut contemptu, Parochi prædicta die non teneantur ad tres Missas celebrandas, *Leander oper. moral. par. 2. tract. 8. disput. 5. quæst. 20.*

Hisque positis, non obstant ea, quæ pro trium Missarum celebratione ponderata fuerunt; non obstat, inquam, primum, quod scilicet, sicuti non obstante Juris prohibitione, tres Missæ celebrantur die Nativitatis Domini, ita hoc ipsum fieri possit, non obstante prohibitione Indulti; Jus etenim prohibet cæteris diebus plurium Missarum celebrationem ab uno, & eodem Sacerdote faciendam, & Jus ipsum permittit unicuique Sacerdoti celebrationem trium Missarum die Nativitatis Domini, & e contra Indultum prohibet in Oratorio privato plurium Missarum celebrationem, non tantum aliis diebus, sed etiam ipsa die Nativitatis Domini, uti supra probatum est, ita ut disparitas inter unum, & alium casum sit evidentissima.

Nec est majoris roboris secundum, quod plurium Missarum celebratio non sit clare in Indulto prohibita, ex quo fit quidem mentio unius Missæ, sed sine particula *tantum*, vel *dumtaxat*; primo quia numerus de sui natura est taxativus, ita ut qui dicit unum, duo excludat, & de facto si quis diceret, sex esse Sacramenta, puniretur uti Hæreticus, tanquam scilicet negans Catholicam veritatem de septem Sacramentis a Christo Domino institutis; Secundo quia in terminis indulti, de quo agitur, Doctores firmiter asserunt, unam Missam, & non duas, aut plures in Oratorio privato celebrari posse, *Pellizar. in Manual. Regul. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subsect. 2. num. 144. Anaclet. ad lib. 3. decretal. tit. 41. de celeb. Missarum num. 17.* Tertio, quia prava Indulti intelligentia, de qua in contrario argumento, de medio sublata fuit a Decreto hujus Sac. Congregationis edito anno 1703. & confirmato a san. mem. Clemente XI. & per extensum relato in ejusdem Bullario pag. 540. & seqq. ubi ad exclusionem plurium Missarum eadem die celebrandarum in Oratoriis privatis sic legitur, *in reliquis vero diebus*, sermo est de diebus, qui non sunt excepti in Indulto Oratorii privati, *prædictis Regularibus, seu Sacerdotibus quibuscumque etiam Episcopis in præfatis Oratoriis celebrare non licere, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit, super qua celebraturus teneatur diligenter inquirere, & de eo se optime informare.*

Consimilis generis est tertium, quod tres Missæ diei Nativitatis Domini haberi valent pro una, sunt enim tres Missæ realiter inter se distinctæ, uti sunt realiter distinctæ plures Missæ, quæ eodem die celebrantur ad recolenda plura Dei beneficia, hoc est quando una celebratur pro Festo, alia pro jejunio, & alia pro mortuis, uti prosequitur *Divus Thomas loco supra citato.*

Neque majoris roboris est quartum, quod in horum Indultorum interpretatione non sit stricte procedendum; hæc quippe Indulta sunt contra jus, ita ut in eorum interpretatione stricte sit procedendum, ut in puncto docent *Capon. discept. 183. num. 67. Monacel. in formul. legal. tom. 4. pag. 85. n. 468.* & in tantum, excepta prima Festivitate Paschatum, in reliquis aliis immediatis earundem festivitatibus Missæ celebrantur in Oratoriis privatis, in quantum pacifica, & antiqua observantia Superioribus Ecclesiasticis cognita, & ab illis non improbata sic interpretata est verba Indulti, uti bene docent *Pasqualig. & Gavant. locis supra allegatis*; cumque hæc circumstantia in casu, de quo agitur, non concurrat, & verba Indulti in hac parte sint clara, nec indigeant interpretatione, nemo est, qui non videat, non posse ab uno ad alium casum inferri.

Ultimum superest ex adverso excitatum objectum, quod Sacerdos scilicet unicam tantum Missam celebraret, & Infirmus unicam tantum Missam audiret, quando die Nativitatis Domini tres Missæ a cæteris Sacerdotibus celebrantur, & a cæteris Fidelibus eadem die tres Missæ audiuntur; in primis etenim juxta dicta in superioribus, pro adimplemento præcepti satis est, quod Sacerdotes unam Missam die Nativitatis Domini celebrent, & Fideles unam Missam audiant eadem die; adeoque Doctores figurantes casum, quod Sacerdos unam tantum Missam celebrare velit die Nativitatis Domini, dicunt, quod tenetur celebrare tertiam, *Piscar. in Praxi Cæremoniarum lib. 3. sect. 2. cap. 4. num. 1.* & alii magis ample procedendo sustinent celebrare debere aut primam, aut tertiam *Pellizar. in manual. tom. 2. tract. 8. cap. 2. sect. 2. subsect. 1. num. 101.*

Rursus, in fortioribus receptum videmus, quod in aliquo casu, die ipsa Nativitatis Domini Sacerdotes abstinent a celebratione etiam unius Missæ, puta si in Missa solemni Diaconi, aut Subdiaconi munere fungantur, uti passim fit in Cappella Pontificia, & in Basilicis Urbis, & Sac. Communionem a celebrante recipiant; non solum enim in dicto casu possunt, sed tenentur a Missæ celebratione ea die abstinere, *Cardinalis de Lugo de Sacram. Euchar. disput. 20. sect. 3. num. 43. Tamburin. de Sacrif. Missæ lib. 1. cap. 6. §. 3. num. 6. Diana in edit. coord. tom. 1. tract. 1. resolut. 96. num. 2. & seqq.*

Et quod omnem tollit difficultatem, est, quod Sacerdos, qui primam Missam celebravit in Oratorio privato Infirmi, bene potest in aliis Ecclesiis reliquas duas Missas celebrare; in terminis etenim primæ Missæ, quæ nocte Nativitatis Domini canitur in Ecclesiis, prohibitum est a Decretis Congregationis Sacrorum Rituum, & Sacræ Visitationis, quod aliæ duæ immediate canantur, & quod Fidelibus media nocte confluentibus Eucharistia exhibeatur, *Matthæucc. in offic. Cur. Eccles. cap. 10. §. 2. num. 65. Schmalzgrueber ad lib. 3. Decretal. tit. 41. de celeb. Miss. num. 40. in fine, Monacell. in formul. legal. par. 2. pag. 160. num. 16. & seqq. Ursaya instit. Criminal. lib. 1. tit. 10. §. 2. num. 65.* Reliqui vero Sacerdotes privatim Missam celebrantes possunt tres Missas die Nativitatis Domini celebrare cum intervallo, aut sine intervallo, ut in puncto docet *Sylvester in sum. in verbo Missa primo num. 7.* Et quando possunt cum intervallo celebrare, nil prohibet, quin Sacerdos post celebratam die Nativitatis Domini primam Missam in Oratorio infirmi subsistat, & post tempus sibi benevisum in alia Ecclesia celebret duas alias Missas eadem die Nativitatis Domini.

Atque hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCXVI.

In Causa Camerinensi, die 13. Januarii 1725.

IN Terra Mathelicæ Diœcesis Camerinen. Sacra Concio tempore Quadragesimæ per Turnum sit una vice in Ecclesia Collegiata, alia vice in Ecclesia Patrum Augustinianorum, & alia vice in Ecclesia Patrum Minorum de Observantia, & quando Concio fit in Ecclesia Collegiata, munus concionandi, ut plurimum confertur Patri Cappuccino, & quando adimpletur in Ecclesia Patrum Augustinianorum, confertur Patri Augustiniano, & quando in Ecclesia Minorum Observantium, confertur Religioso hujus Ordinis, & semper præcedente nominatione Consiliatorum Communitatis.

Anno 1722. juxta Turnum munus concionandi erat deferendum ad Religiosum ex Familia Minorum Observantium, sed cum pium quoddam desiderium supervenerit audiendi Conciones Quadragesimales Abbatis Mancini Clerici Sæcularis, sic res compositа fuit, ut prædictus Abbas prædicaret in Ecclesia Collegiata anno supra memorato 1722. & quod anno 1723. Concio fieret in Ecclesia Minorum Observantium a Religioso dicti Ordinis, & anno 1724. in sua Ecclesia a Religioso Augustiniano; cumque hæc omnia fuerint executioni mandata, orta est quæstio ab hac S. Congregatione resolvenda, an currenti anno 1725. Concio sit explenda a Patre Cappuccino in Ecclesia Collegiata, vel a Patre Minoris Observantiæ in sua Ecclesia.

Contendunt Minores Observantes, Concionem in sua Ecclesia fieri debere ab uno ex suis Religiosis; cum etenim anno 1722. juxta Turnum Concio fieri debuisset in prædicta sua Ecclesia, & facta fuerit in Ecclesia Collegiata, & anno 1723. Concio expleta fuerit, uti dictum est, in ipsa Minorum Observantium Ecclesia, & anno 1724. in Ecclesia Patrum Augustinianorum, Turnus expletus dici debet, itaut cum dari debeat principium novo Turno, non potest hic incipere, nisi a Religioso ex Minoribus Observantibus, & in Ecclesia eorundem Minorum Observantium.

Multoque magis, quia licuti Ecclesia Collegiata, & Ecclesia Minorum Observantium potuerunt inter se convenire, ut Concio, quæ anno 1722. fieri debebat in sæpe memorata Ecclesia Minorum Observantium, fieret in Ecclesia Collegiata, sic subingressa Ecclesia Collegiata in locum Ecclesiæ Minorum Observantium, & Ecclesia Minorum Observantium in locum Ecclesiæ Collegiatæ, & non alio modo res post annum 1722. & duos sequentes se habere debet, quam novi Turni initium deducendo pro anno 1725. ab eadem Ecclesia Patrum Minorum Observantium, in qua Concio fieri debuisset anno 1722. si non intercessisset conventio inter hanc Ecclesiam, & Ecclesiam Collegiatam.

Spreto quocunque præjudicio Patrum Cappuccinorum, tum quia jus ex Turno descendens est jus locale ipsas Ecclesias respiciens, tum quia jus Patrum Cappuccinorum prædicandi in Ecclesia Collegiata non est undequaque firmum, cum plura exhibeantur exempla Religiosorum alterius Ordinis, qui in Ecclesia Collegiata tempore Quadragesimæ prædicaverunt.

Patres e contra Cappuccini, sive Syndicus ipsorum nomine inquit, Concionem anno 1725. fieri debere a Patre Cappuccino in Ecclesia Collegiata; cum etiam anno 1722. quo Concio fieri debebat a Religioso ex Minoribus Observantibus, facta sit ab Abbate Mancino, anno 1723. facta fuerit a Minore Observante, & anno 1724. a Patre Augustiniano, sequitur, quod anno 1725. eadem fieri debeat a Religioso Cappuccino in Collegiata Ecclesia, & alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod Religio Cappuccina beneficio Turni intra triennium privaretur, quando e contra si Concio fit a Patre Cappuccino anno 1725. & anno 1726. a Minore Observante, intra curfum novem annorum Concio per tres vices in Ecclesia Collegiata erit expleta a Cappuccinis, per tres alias vices a Minoribus Observantibus in sua Ecclesia, & per tres alias vices a Patribus Augustinianis in propria pariter Ecclesia. Ad partes posito, quod jus Turni respicit Ecclesias, & non Religiones; quandoquidem videtur, quod etiam Religiones respiciat, adeoque cum anno 1705. contigisset impedimentum, quod obstitit Patri Cappuccino electo ad concionandum, ne in Ecclesia Collegiata concionaret, electus quidem fuit Pater Silvestrinus, sed cum protestatione a Communitate emissa, quod id non transiret in exemplum, & citra quodcunque præjudicium PP. Cappuccinorum.

Jura circumferuntur, unde quæritur,

I. An, & quis ex Religiosis familiarum existen. in Terra Mathelicæ sit eligendus in Prædicatorem pro futuro anno 1725. in eadem Terra in casu &c.

II. An data futuris annis electione Prædicatorum alterius Religionis, sit locus reintegrationi Turni, vel aliter providendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum, esse eligendum P. Cappuccinum. Ad secundum satis provisum in primo.

QUÆSTIO CCCCXVII.

In Causa Rossanensi, die 13. Januarii 1725.

PER obitum Sacerdotis Caroli Murgia vacavit quædam Cappellania sub invocatione S. Francisci de Assisio in Ecclesia Archipresbyterali S. Mariæ de Platea Terræ Coriolani Diœcesis Rossanen. & bini fuerunt ad eam præsentati, Canonicus videlicet Horatius de Stephano a Dominico Antonio Interzato, & Joanne Vincentio Mannarino, & Attilius Murgia a Dominico, Attilio, Joanne Maria, Carolo, & Januario de Murgia.

Contendunt Dominicus Antonius Interzatus, & Joannes Vincentius Mannarinus, quod Cappellania fuerit fundata a Clerico Hercule Murgia, & quod jus nominandi ad eam non sit familiare, aut gentilitium, sed hæreditarium, ita ut jus præsentandi ad se pro medietate debeat pertinere; Fundator etenim hæredes instituit Fabium, Alpherium, Franciscum Mariam, Attilium, Carolum, & Clericum Hyacinthum Murgiam, & ulterius demandavit, quod erigeretur Cappellania, & quod jus præsentandi Cappellanum, *sia e debba essere toties, quoties casus vacationis evenerit di detto Fabio per una parte, e per l'altra parte di detto Alfiero, Francesco Maria, Attilio, Carlo, e Chierico Giacinto, e loro Eredi, e Successori in perpetuum.*

Contendunt ulterius iidem, Cappellaniam esse adjudicandam Canonico Horatio de Stephano, cum ejus præsentatio expleta fuerit intra Quadrimestre datum Patronis ad præsentandum, & cum nec tempore vacationis, nec tempore dicti Quadrimestris ullus adfuerit ex Familia Murgia, qui capax esset obtinendi Cappellaniam, in quo solo casu Fundator Juspatronatus passivum restrinxit ad eos de Familia Murgia, *con espressa dichiarazione però, che essendoci qualche Prete della Familia di Morgia, sia quello preferito, ed essendoci più Preti, sia preferito il più dotto, e di buona vita, fama, e costumi, ed in caso, che non ci fossero della Famiglia, si debba presentare per Cappellano in detto Juspatronato di quattro Messe la settimana, ut supra, un Sacerdote, che a loro piacerà, che sia persona virtuosa, da bene ec.*

Absque eo quod Attilio Murgiæ præsentato ab illis de Murgia suffragari possint prorogationes tum ab Ordinario, tum ab hac Sacra Congregatione obtentæ, quibus decurrentibus, Clericatum assumpsit, cum eædem emanaverint subreptitie, nulla videlicet facta expressione alterius præsentationis obtentæ a Canonico Horatio de Stephanis.

Excipitur e contra ab Attilio Murgia præsentato, & ab aliis ex eadem Familia, qui ipsum præsentarunt, quod Juspatronatus est familiare, seu gentilitium, tum quia licet Fundator meminerit Hæredum, & Successorum, id commode referri potest ad Hæredes, & Successores sanguinis, & eo fortius, quia in Jurepatronatus passivo idem Fundator respexit Familiam de Murgia, & a Jurepatronatus passivo valet argumentum ad activum; tum quia ex Actibus subsecutis, & late recensitis a Scribentibus pro Attilio prætenditur, quod quatenus Juspatronatus fuisset in fundatione hæreditarium, immutaverit subinde naturam, & gentilitium evaserit, & demum in eo, quod attinet ad hunc punctum, iidem Scribentes instant, quod remittatur ad Judices suos, cum ejus examen exquirat confectionem processus, & sic ejus discussio fieri non valeat in hac Sacra Congregatione, *juxta Constitutionem 71. san. mem. Innocent. XII.* ita ut sola disquisitio sit ad secundum punctum rediganda, hoc est ad videndum, an Cappellania sit Attilio, aut Canonico Horatio adjudicanda; probato siquidem, quod Juspatronatus passivum sit Familiare, & restrictum ad Familiam Murgiam, parum referre debet, quod Juspatronatus activum sit hæreditarium, vel gentilitium, & an Attilio suffragetur præsentatio obtenta ab illis de Fami-

milia Murgia, vel etiam requireretur præsentatio Interzati, & Mannarini; cum etenim Attilius sit ex dicta Familia Murgia, censetur præsentatus a Fundatore, & nulla etiam concurrente præsentatione, debet institutionem obtinere.

Transitum idcirco faciendo ad Juspatronatus passivum, cum ex verbis supra recensitis habeatur, datam fuisse a Fundatore prælationem Presbyteris de Familia Murgia, & tantum permissum fuisse Patronis alium præsentare extra Familiam in casu, in quo Sacerdotes ex dicta Familia non adessent, concludunt Scribentes pro Attilio, non esse dubitandum de qualitate Gentilitia in puncto Jurispatronatus passivi.

Et quia a Scribentibus pro Horatio sustinetur, factum fuisse casum vocationis Personæ extra Familiam, ex quo nec tempore obitus ultimi possessoris, nec in termino Quadrimestris, ullus ex Familia Murgia capax erat Cappellaniam obtinendi, ad id de medio tollendum, præter alia in scripturis legenda exhibetur epistola Archiepiscopi Rossanensis.

In hac epistola primo habetur, quod mortuo Carolo Murgia ultimo possessore Cappellaniæ, sibi fuit exhibita instantia pro collatione Primæ Tonsuræ cuidam Hyacintho Murgiæ.

Secundo habetur, excitatam fuisse a Potestate Laicali magnam controversiam ex quo prædictus Hyacinthus erat filius unicus, sed dictam controversiam non habuisse ulteriorem progressum, quia ab Examinatoribus Synodalibus Hyacinthus repertus est minus idoneus pro Prima Tonsura.

Tertio habetur, mortuam hoc interim fuisse Uxorem Attilii Murgiæ, ipsoque instante pro Prima Tonsura, fuisse ab eodem Archiepiscopo, qui tunc Neapoli commorabatur, demandatum suo Vicario Generali, ut ante expirationem Quadrimestris Patronis concessi ad præsentandum, prorogationem alterius Quadrimestris iisdem indulgeret; id etenim reputavit maximopere necessarium, ne Attilius videlicet, qui est Vir probus, & maximopere aptus ad Sacerdotium, Sacerdotio, & Cappellania privaretur.

Quarto habetur, eundem Archiepiscopum ad Residentiam se contulisse, & ante termini prorogati terminationem Primam Tonsuram Attilio contulisse, & subinde alios Ordines, ita ut in via sit ad Sacerdotium.

Hæc sunt, quæ continentur in Epistola Archiepiscopi Rossanensis, quo stante quæritur,

I. An jus præsentandi ad Cappellaniam, seu Abbatiam fundatam per quondam Herculem Murgia in Ecclesia S. Mariæ de Platea Coriolani privative spectet ad Familiam Murgia, sive potius cumulative etiam ad Familiam Interzato, & Mannarino in casu &c. & quatenus affirmative ad secundam partem.

II. An, & cui ex Præsentatis sit adjudicanda dicta Cappellania, seu Abbatia in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad Primum ad Judices suos.
Eadem Sacra Congr. die 3. Februarii 1725. respondit,
Ad Secundum esse adjudicandam Cappellaniam, sive Abbatiam Attilio Murgiæ tanquam passive vocato.

QUÆSTIO CCCCXVIII.

In Causa Provinciæ Romanæ, die 13. Januarii 1725.

JOANNES Baptista Haltmeyer Helveticæ Nationis anno 1700. nomen dedit Ordini S. Francisci in Conventu Ponticellorum Provinciæ Romanæ, qui Conventus specialiter spectat ad Recollectos, & in eodem Regularem Professionem emisit, & ad Sacerdotium subinde ascendit; cumque Sanctissimo Domino Nostro supplicaverit pro absolutione a vinculo Religionis ex capite Nullitatis Professionis a se emissæ, & Sanctitas Sua examen precum ad hanc Sacram Congregationem remiserit, in præsenti juxta morem quæritur, an sit concedenda in integrum Restitutio.

Fundamentum Joannis Baptistæ Oratoris, qui in Professione nomen assumpsit Patris Paschalis de Lucerna, consistit in hoc, quod cum ipse Romam advenisset, ut linguam italicam disceret, & paupertate oppressus, eleemosynas quæreret pro sui substentatione, eleemosynis, muneribus, precibus, & suasionibus sibi factis, & respective adhibitis a quodam Patre Pio de S. Columba, qui tunc munere Guardiani in Monasterio S. Bonaventuræ de Urbe fungebatur, & tunc mortuus est, inductus fuit, ut habitum Religiosum assumeret, iisdemque modis fuit ab eodem Patre impeditus, ne tempore Novitiatus Religionem desereret, a qua exire meditabatur, ut ad Patriam redeundo, opem ferret suo miserabili Genitori, & quatuor sororibus in sæculo relictis, concludendo, nihil sibi in dictis circumstantiis reliquum fuisse pro suo dissensu in Professione exprimendo, & ne indignationem Patris Pii sui Benefactoris incurreret, quam Professionis actum hoc modo subscribere: *Ego Fr. Paschalis a Lucerna confirmo, ut supra mit gvvalt feci*: quæ verba Germanica in Latinum sermonem conversa *vim, & metum* important.

Addit Orator, se voluisse intra Quinquennium reclamare, & a suis Superioribus fuisse impeditum, & impedimenta durasse usque ad tempus præsens, cum magnas in Religione vexationes, licet immerito passus sit, & fere continuas, modo in uno, modo in alio Conventu per plures, & plures annos, carcerationes; cumque anno 1716. a S. Pœnitentiaria transitum obtinuisset ad Minores Observantes, ut quietem inter illos, & commoditatem instandi pro Nullitate suæ Professionis invenire posset, sua spe frustratum fuisse, cum etiam inter Observantes infortunia, & impedimenta invenerit, quæ invenerat inter Reformatos, ita ut fuerint sibi etiam subtractæ scripturæ quæ ad rem facere poterant.

Auditus fuit super his Pater Generalis, qui in sua informatione refert, Oratorem anno 1705. fuisse transmissum ad Reformatam Provinciam Tirolensem & deinde in Bavariam, & tandem constructo processu condemnatum fuisse anno 1721. ad pœnam Relegationis in Provincia Observante Dalmatiæ, quam sententiam ipse executus non est. Subdit idem Pater Generalis, se non habere notitiam reclamationis intra Quinquennium, & quod idem Pater Paschalis in constitutis a se emissis occasione confectionis memorati processus, se agnovit vere, & legitime professum in Conventu S. Mariæ de Ponticellis, & conquestus est de expulsione a sacro recessu, concluditque, eum audiri non debere super asserta Nullitate suæ Professionis, nisi se constituat in carceribus.

Hæc sunt, quæ continentur in dicta informatione Patris Generalis; cumque Pater Paschalis ad extremam revera, & ignominiosam miseriam redactus, ita ut nec vestimentum Religiosum, quo sufficienter indui possit, nec alimenta ad vitam habeat necessaria, ex indulgentia hujus Sac. Congregationis morem trahens Habitu suæ Religionis indutus in Conventu S. Francisceæ Romanæ PP. Trinitariorum Calceatorum, scripturas pro se a Pio Curiali Josepho, Chrysostomo de Sanctis exemplare, & ad unumquemque ex EE. VV. transmittere nequeat, operæ pretium esse censui hic inferere documenta, quæ mihi consignavit.

Quoad statum suæ paupertatis in sæculo ante Professionem, & subventiones ipsi a Patre Pio subministratas, attestationes nonnullorum Testium exhibuit, & quoad extremam paupertatem Patris, & sororum etiam tempore præsenti Processiculum exhibuit inter Helvetios factum.

Quoad Professionem modo supra recensito emissam, & verborum Germanorum sensum exhibuit partitam Professionis, & attestationem Peritorum linguæ Germanicæ.

Quoad reclamationem intra Quinquennium, cum Professio emissa fuerit *die 26. Maii* 1701. exhibuit epistolam Patris Vice-Commissarii Generalis sibi scriptam 8. *Maii* 1706. in qua præcedentes Oratoris instantias, & impedimenta adversus reclamationem factam supponit, *Vostra Paternità gli anni passati ha fatto già più volte li tentativi per comprovare la nullità della sua Professione, come costa da due Memoriali conservati appresso il Padre Francesco da Brandellio Procuratore Generale, e pure mai è stata intesa, e perciò segno è, che il Padre Pio da S. Colomba Guardiano di S. Bonaventura in Roma non voglia ammettere le vostre ragioni, e senza il suo consenso già si sa, che non sarà riuscibile il vostro pensiero. Onde è necessario, che Vostra Paternità per sua quiete metta il suo cuore in pace.*

Quoad subtractionem scripturarum, exhibet supplices libellos a se tempore non suspecto præsentatos super hac re Sac. Congregationi Episcoporum, & Regularium.

Denique aliqua ab Oratore documenta afferuntur pro sua comprobanda innocentia, non obstante, quod tot ærumnas, & carcerationes passus sit, quæ tamen referre superfluum mihi visum est, cum pertineant ad justitiam, vel injustitiam carcerationum, & in præsenti tantummodo

modo quærendum sit de nullitate Professionis. Et in eo, quod attinet ad confessiones in constitutis emissas de valida Professione facta inter Recollectos, ait idem Orator id non subsistere in facto, nec in jure relevare, ex quo etiamsi in facto subsisteret, unusquisque facili negotio percipere potest, eas fieri potuisse ad effectum obtinendæ libertatis, & leniendæ iræ Superiorum.

His stantibus, quæritur,

An sit locus restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congreg. die 3. Februarii 1725. respondit,
Dilata, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCCXIX.

In Causa Tusculana, die 13. Januarii 1725.

PHILIPPUS Magnus Comestabilis Columna anno 1707. concessit unum rubrum Terreni in summitate Montis Cavi Edmundo de Buisson ad habendum, meliorandum, & fabricandum ad usum Eremi cum horto, & viridario, & Fabritius Magnus Comestabilis Columna filius Philippi anno 1718. concessionem a Patre factam extendit ad alios centum terræ passus, & Communitas Arcis Papæ, quæ habet jus ligandi in toto circuitu Montis Cavi, a dicto onere liberavit situm omnem Edmundo, uti supra, concessum.

Fabricavit Edmundus Cappellam, Chorum, octo Cellas, & alias quasdam Mansiones, ut alios Eremitas eo in loco recipere posset; sed cum subinde, ut major Deo Optimo Maximo cultus in prædicto loco exhiberetur, situm, & omnia prædicta donaverit die 8. Maii anno 1723. Ordini SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum Congregationis Hispaniarum in Conventu S. Caroli ad Quatuor Fontes in Urbe degentium, prævia reservatione consensus, & approbationis Magni Comestabilis Columnæ, & sub reservatione Beneplaciti Apostolici, & consensus Eminentissimi Episcopi Tusculani, quatenus de jure essent necessarii, instantia apud dictum Magnum Comestabilem promota fuit pro approbatione, & consensu.

Comestabilis omnia benigne approbavit, sed cum introducto tractatu cum Eminentissimo Judice tunc Episcopo Tusculano, nonnullæ difficultates exortæ fuerint, ita ut Patres timuerint, se ab Eminentia sua approbationem non esse reportaturos, habitus est ab iisdem recursus ad hanc Sacram Congregationem, quæ juxta morem rescripsit, ut audiretur Eminentissimus Ordinarius.

Supervenit expetita informatio, in qua plura continentur, & primo, quod in loco fabricæ factæ ab Edmundo aderat Ruralis Ecclesia S. Petri, quæ usque de anno 1598. fuit unita Ecclesiæ Parochiali Beatæ Mariæ Arcis Papæ; secundo, quod fabrica Patribus donata, fuit ex Piorum eleemosynis constructa, ita ut Eremita de eadem favore Patrum disponere non potuerit sine consensu Ordinarii; tertio, quod in donatione non adest pactum non quæstuandi, sine quo difficile est, quod Patres Trinitarii locum donatum obtinere possint, stante potissimum oppositione aliorum Religiosorum Matris Dei Redemptionis Captivorum, qui habent in Arce Papæ Conventum; quarto, quod nullatenus suffragari potest cessio facta ab Archipresbytero Arcis Papæ favore Edmundi, cum Archipresbyter cessionem fitus ad suam Ecclesiam pertinentis sine causa, & solemnitatibus facere non posset; & quinto tandem, quod Vicarius Generalis Tusculanus, citatis citandis, & servatis servandis sententiam protulit, tum super nullitate cessionis factæ ab Archipresbytero favore Edmundi, tum super nullitate Donationis factæ ab Edmundo favore Trinitariorum.

Communicata fuit, ut moris est, Patribus Trinitariis informatio, udemque in scriptura per manus circumferenda contendunt, situm fuisse sub pleno dominio Comestabilis, nec in loco concesso unquam fuisse Ecclesiam S. Petri, quæ fuit unita Ecclesiæ Parochiali, tum quia antiqui Testes dicunt, eo in loco nullam unquam Ecclesiam fuisse, tum quia in constructione novæ fabricæ nulla vestigia antiquæ Ecclesiæ reperta sunt, sed rudera quædam Templi Jovi, uti fertur, a Gentilibus dicati, & tandem quia non valet argumentum ab unione Ecclesiæ sitæ in Monte Cavo, quæ facta est Ecclesiæ Parochiali, ad effectum statuendi, quod Ecclesia S. Petri sita esset in summitate Montis Cavi, & eo præcise in loco, in quo Edmundus fabricavit; non attenta cessione, quam Edmundus ab Archipresbytero reportavit, cum fuerit reportata ad majorem cautelam, eademque facta sit non de juribus, quæ competerent, sed de juribus, si aliqua forsan ad Archipresbyterum spectare potuissent.

Et post hæc cætera prosequendo, quæ in supra relata informatione continentur, negatur, quod fabrica piorum eleemosynis in totum facta fuerit, cum Edmundus plura de proprio impenderit, & eleemosynæ, quas habuit, non fuerint factæ pro fabrica, sed pro alimonia quærentis, qui bene idcirco potuit de illis disponere, cum parce vivendo necessaria sibi subtraxerit, ut fabricam perficeret, concludendo, quod quatenus hucusque deducta non sufficerent ad probandum, quod Edmundus habebat facultatem libere de fabrica disponendi, pro validitate actus suffragari semper deberet Apostolici Beneplaciti reservatio, quæ in Instrumento fuit apposita.

Pro complemento superest, ut verba fiant tum de Quæstuatione, tum de sententia prolata a Curia Episcopali Tusculana. Et in eo quidem, quod attinet ad Quæstuationem, subdunt Patres Trinitarii, statutum esse in suis Constitutionibus, quod in qualibet Provincia locus quæratur desertus, in quo Religiosi vitam solitariam desiderantes vivere possint, se idcirco locum controversum obtinuisse, ut in eo duo Religiosi sumptibus Conventus Sancti Caroli ad Quatuor Fontes alendi vitam solitariam ducere possint, se ulterius in precibus Magno Comestabili porrectis Quæstuationi renunciasse, & iterum libentissime renuntiare, ita ut cesset quodcunque præjudicium Patrum Redemptionis Captivorum, qui habent Conventum in Arce Papæ; parum urgente replicatione, quod in Donationis Instrumento mentio fiat Conventus progressu temporis erigendi ex legatis, & aliis, quæ a piis Benefactoribus tractu temporis conferri possent, quandoquidem quæstio præsens non est nisi de simplici Eremo cum sola Cappella, seu Oratorio ad privatum commodum duorum Religiosorum, qui vitam ducant solitariam, quo stante examen novi Conventus erigendi differendum est ad tempus, quo de ejus erectione tractabitur; tunc etenim citandi erunt omnes illi, qui sua putabunt interesse, ne novus aperiatur Conventus; & in eo, quod spectat ad Sententiam Curiæ Episcopalis Tusculanæ, dicitur, de ea non esse habendam rationem, tum quia innixa est fundamentis supra rejectis, tum quia prolata est post Causam ad hanc Sac. Congregationem devolutam.

Jura Patrum Redemptionis Captivorum ad me delata non sunt, & sic de illis verbum facere non possum, & solum addidisse fas sit, quod delato Episcopatu Tusculano ad Eminentissimum Pignatellum, novam ab ipso quæsivi informationem, & Eminentia Sua respondit, se expectare Resolutiones hujus Sac. Congregationis, quæ aptum judicium proferre poterit, tum visa informatione Eminentissimi Sui Prædecessoris, tum visis juribus, quæ a Patribus Trinitariis afferuntur.

Quo stante, quæritur,

I. *An Donatio, seu Cessio Ædificii, & Terreni in summitate Montis Cavi per Dominum Edmundum de Buisson facta ad favorem Conventus S. Caroli ad quatuor Fontes sustineatur in casu &c. & quatenus negative.*

II. *An sit locus revalidationi, & quatenus affirmative ad alterutrum.*

III. *An liceat dicto Conventui S. Caroli manutenere in perpetuum, & de continuo in eadem Eremo Montis Cavi duos saltem Religiosos Sacerdotes ex eorum Ordine & Congregatione Hispaniarum cum obligationibus præscriptis in Instrumento dictæ Donationis in casu &c.*

Sacra Congr. die 3. Februarii 1725. respondit,
Ad Primum affirmative, & amplius. Ad Secundum provisum in primo, & amplius. Ad Tertium exhibeantur Constitutiones.

In hujus rescripti executionem facta fuit exhibitio Constitutionum, quæ fuerunt confirmatæ in forma specifica a Clemente X. *die prima Julii 1676.* & in earum *cap.* 3. hæc habentur, *in Ordine nostro quatuor sunt differentiæ Conventuum. Prima Novitiorum, & Professorum, ubi a Magistris in ceremoniis, mortificatione, vitaque spirituali instruantur. Secunda Collegiorum, ubi jam Professi Philosophiam, Sacramque Theologiam edoceantur. Tertia Conventuum, in quibus Religiosi spirituali profectui tam proprio, quam proximorum incumbant. Quarta demum Domorum in Desertis, ubi soli Deo vacant. Statuimus ne fiat nova Conventus fundatio, nisi in eo numerus Religiosorum a Regula nostra stabilitus, commode cum observantia, & sine distractione substentari queat. Situs Conventus, si fieri possit, eligatur intra Civitatem, vel Oppidum, in loco tamen ad Religiosorum quietem opportuno, & in quo permansurus sit, nec in eo assistant ultra*

tres, vel quatuor Religiosos, qui de fabrica curent, donec Ecclesia & habitatio cum sufficienti Clausura constructa sit: & rursus *cap. 4. in nostris Conventibus, & Collegiis sit competens numerus Fratrum, juxta prudentem Patris Provincialis dispositionem, nunquam tamen sint infra tresdecim, sicut præcipit Regula, præterquam in aliqua nova Fundatione, ut supra dictum est.*

Procedendo cum hisce Constitutionibus, colligitur, quartam dari speciem Domorum in Desertis, ubi Religiosi soli Deo vacare debent, & in novis Conventibus non adesse posse nisi duos, aut tres Religiosos, qui de fabrica curent.

Hisque suppositis, iterum quæritur,

An liceat Conventui S. Caroli ad Quatuor Fontes manutenere in perpetuum, & de continuo in Eremo Montis Cavi duos Religiosos Sacerdotes ex eodem Ordine, & Congregatione Hispaniarum cum obligationibus præscriptis in Instrumento Donationis ipsis factæ ab Edmundo de Buisson in casu &c.

Sacra Congr. die 3. Martii 1725. respondit,

Licere pro nunc duos, vel tres Religiosos retinere pro Fabrica perficienda.

QUÆSTIO CCCCXX.

In Causa Placentina, die 13. Januarii 1725.

DIE 27. Maii 1721. contractum fuit matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ videlicet S. Pauli Civitatis Placentiæ inter Bartholomæum Malaspinam, & Rosam de Corvis coram duobus Testibus, & coram Parocho ejusdem Rosæ, nullis præcedentibus Denunciationibus, Parochoque prædicto sub alio prætextu vocato, & reluctante; cumque die 19. Junii ejusdem anni Procurator Bartholomæi comparuisset coram Ordinario, & exposuisset, quod agebatur de Matrimonio rato, & non consummato, & quod suus Principalis intendebat ad Religionem transire, die 23. Julii ejusdem anni prolata fuit a memorato Ordinario Sententia, in qua pronunciatum fuit pro validitate Matrimonii, sed ex quo contractum fuerat sine denunciationibus, ita ut illicitum reputandum esset, additum fuit, quod Conjuges incurrerant pœnam Excommunicationis, necnon subjecti remanserant mulctæ scut. 100. pro unoquoque Locis Piis applicandorum ad tramites Constitutionum Synodalium, prohibitumque iisdem fuit, ne insimul cohabitarent, nisi post obtentam absolutoriam, & quia uti supra dictum est, Bartholomæus animum aperuerat Religionem ingrediendi, fuit ipsi præfixus terminus duorum mensium, ut eam ingrederetur, debitoque tempore Professionem emitteret, imposita Excommunicationis pœna in hypothesi, qua prædicto termino elapso, nec ingressu facto in Religionem, cohabitare recusaret cum Rosa, quam etiam Judex liberam a vinculo matrimoniali declaravit, si Bartholomæus Religionem ingressus fuisset, & in ea solemnem Professionem emisisset.

Bimestre a Judice assignatum elapsum est, absque eo quod Bartholomæus Religionem ingressus sit, cumque alii termini subinde fuerint assignati, nec idem alicui Ordini Regulari nomen dederit, promota fuit instantia, ut ad Excommunicationem, & Cedulonum affixionem Judex deveniret, qui sub obtentu contumaciæ, & posthabitis protestationibus interpositis a Procuratore Bartholomæi super continuatione desiderii Religionem ingrediendi, quod exequi non potuerat, licet reverenter instetisset, ut reciperetur inter Canonicos Regulares S. Euphemiæ Civitatis Placentinæ, & inter Monachos Monasterii S. Theodori Civitatis Januen. die 4. Maii 1722. Bartholomæum excommunicavit, & Cedulones affigi mandavit, & die 27. ejusdem mensis stetit in decretis.

Contendit Bartholomæus, quod quidquid sit de validitate Matrimonii a se cum Rosa contracti, nunquam tamen esse possit locus executioni Censurarum, in eo enim, quod attinet ad modum, quo prædictum Matrimonium contractum est, coram videlicet Parocho reluctante, & omissis denunciationibus, nec Episcopus, nec ejus Constitutiones Synodales imponere poterant pœnam Excommunicationis, cum hæc nec a Sacris Canonibus, nec a Sacro Concilio Tridentino sit imposita, & eo fortius, cum alia adsit in iisdem Constitutionibus imposita pœna, scut. videlicet 100. pro unoquoque Conjuge Locis Piis applicandorum; hæc siquidem incompatibilis dicitur cum alia pœna Excommunicationis, & in eo, quod spectat ad non consummationem Matrimonii, subdit se non potuisse ex hac causa excommunicari, cum ante consummationem possit Conjux intra Bimestre Religionem ingredi, juxta Textum *in cap. ex publico de conversione Conjugatorum*; & anathema sit, quicumque dixerit Matrimonium ratum non consummatum per solemnem Religionis Professionem alterius Conjugum non dirimi, uti definitum est a Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 6. de Matrimonio*; parum urgente lapsu Bimestris absque ingressu in Religionem; quandoquidem aliquando prorogationes a Judice obtinuit, quod Judici vetitum non est, juxta ea, quæ docet Sanchez *de Matrimonio lib. 2. disput. 24. quæst. 3. num. 12.* & tam tempore prorogato, quam extra prædictum tempus diligentias adhibuit, ut Religionem inveniret, & demum quia benevolum invenit receptorem, hoc est Patrem Priorem Conventus Beatæ Mariæ Virginis Assumptæ, in quo rerum statu, licet elapsum sit Bimestre, & licet elapsi sint termini prorogati, potest Conjux Religionem ingredi, & in ea Professionem emittere, cum nequeat præjudicare privilegio Religiosæ Professionis, ut per eam videlicet dissolvatur Matrimonium ratum, & non consummatum, uti late ostendit *Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 24. quæst. 6. n. 27. Salmanticenses in cursu Moral. tom. 2. tract. 9. de Matrim. cap. 4. puncto 4. n. 90.*

Alia plura ab eodem Bartholomæo cumulantur contra validitatem Censurarum, quæ legi possunt in ejus informatione per manus circumferenda.

Adversus hæc autem Rosa excipit, asseritque, nullum dubium moveri posse de validitate Matrimonii; cum fuerit contractum coram Parocho, & duobus Testibus, nec ullum pariter dubium moveri posse adversus Censuras, cum clarissimum sit, Bartholomæum nectere moras, nec animum habere ingrediendi Religionem, & in eadem profitendi, uti ex ejus facto desumitur, cum nec Religionem ingressus sit intra bimestre eidem a Judice præfixum, nec intra terminos prorogatos, nec postquam inveniisse dicit benevolum Receptorem; agitur quippe de Matrimonio contracto *die 27. Maii 1721.*, pluresque anni elapsi sunt tum a die præfixionis termini, tum a fine prorogationum obtentarum, & demum a die, quo se inveniisse dicit benevolum receptorem, absque eo quod Religionem ingressus sit; non attento, quod valida sit Professio etiam post Bimestre, & etiam post terminum prorogatum, quia valida est Professio, sed illicita, uti docent Salmanticenses loco citato, & valida est Sententia Excommunicationis a Judice lata ob non ingressum intra terminum prorogatum, eademque durat usquequo Religionem ingrediatur, cum tunc sit a Judice absolvendus, uti docet *Innocentius in cap. Ex publico n. unico de conversione Conjugatorum.*

His stantibus, quæritur,

I. *An constet de validitate Matrimonii, de quo agitur, & quatenus affirmative.*

II. *An Censuræ sint exequendæ in casu &c.*

Sacra Congreg. die 3. Februarii 1725. respondit,

Ad primum affirmative. Ad Secundum sustineri Censuras latas a Constitutionibus, & quoad alias latas ob contumaciam procedat ex integro, præfixo termino unius mensis, quo elapso, & non parito, omnino procedat ad ulteriora, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXI.

In Causa Portucallensi, die 13. Januarii 1725.

MONASTERIUM Monialium de Ave Maria S. Benedicti Civitatis Portus, quod habet jus præsentandi, seu nominandi Vicarium Curatum ad Parochialem Ecclesiam S. Christophori, secuta vacatione Vicariæ, nominavit, seu præsentavit Sacerdotem Joannem de Tavora, sub ea tamen lege, & conditione, quod idem ultra oblationem Altaris, Domum, Pomarium, & Prædia Domui annexa, obtinere deberet annua scuta 80. monetæ Romanæ loco Decimarum *de Baguin*, & Primitiarum Territorii *de Pegonegro*, quæ a prædecessoribus Vicariis exigebantur.

Reservatum fuit in hac nominatione Apostolicum Beneplacitum, obtentaque a nominato institutione in sequelam Decreti ab Ordinario una cum jure percipiendi omnes Decimas, Sacerdos nominatus in actu capiendæ possessionis declaravit, se velle frui fructibus Vicariæ, Decimis, & Primitiis iisdem modis, & formis, quibus sui Prædecessores obtinuerant.

Ex hoc facto lis inter Monasterium, & Sacerdotem exorta est, eademque delata ad hanc Sacram Congregationem, propositoque *die 13. Julii 1720.* dubio, an sit locus

locus reductioni, seu confirmationi reductionis Congruæ in casu, cum nulla capta fuisset resolutio, sed dictum, quod coadjuvarentur probationes, *die tandem 18. Decembris 1723.* responsum fuit, esse locum commutationi Congruæ, augendo summam oblatam a scutis 80. ad scuta 150. & die 12. *Februarii* 1724. proposito dubio, an esset standum, vel recedendum a decisis, rescriptum fuit in decisis, & quod Causa amplius non proponeretur; cumque inter Causæ propositionem habitam anno 1720. & alias anni 1723. & 1724. Moniales in Sacra Congregatione instetissent pro appositione sequestri super Decimis, & Primitiis, de quibus erat controversia, ne nominatus hoc interim eas perciperet, & litem cum alienis pecuniis prosequeretur, Sacra hæc Congregatio *die 2. Augusti* 1721. rescripsit, non esse locum sequestro, sed fructuum descriptioni, facta obligatione restituendi in casu succumbentiæ.

Hæc quoad ea, quæ hucusque in hac Sacra Congregatione processerunt; cumque in præsenti in scriptura per manus circumferenda Moniales instent, ut Sacerdos adigatur ad restitutionem Decimarum, & Primitiarum, a die vacationis Vicariæ, & possessionis ab eo habitæ, demptis tamen annuis scutis 150. eidem Sacerdoti assignatis ab hac Sac. Congregatione, disputandum proponitur dubium ad calcem Restrictus referendum.

Scribens pro Monialibus contendit, hanc restitutionem descendere, primo ex contextu litis in hac Sacra Congregatione resolutæ, secundo ex Decreto anni 1721. quo dictum est, Decimas a Sacerdote esse retinendas in forma depositi, cum obligatione restituendi in casu succumbentiæ, tertio ex dispositione juris, qua attenta, quando fructus, prout hic, petiti fuerunt, tanquam fors, & capitale, non tanquam meri fructus; & accessiones rei, fundi, aut juris alicujus in lite, & controversia cadentis, eorum restitutio sibi vindicat locum usque ab initio, præscindendo a bona, mala, vel media lite percipientis, qui in lite succumbit, *juxta decisionem tertiam a num. 6. ad 12. par. 7. rec.* & ultimo demum a mala fide, in qua nominatus usque a principio constitutus est, cum a cæteris præscindendo nominationem qualificatam Monialium acceptaverit, & deinde se intruserit in possessionem omnium Decimarum, & Primitiarum, quæ a suis Prædecessoribus fuerant obtentæ.

His stantibus quæritur,

An, & a qua die Decimæ, & Primitiæ Locorum de Baguin, & Pegonegro per D. Joannem Tavora de Noronha Vicarium Ecclesiæ Parochialis S. Christophori de Riotinto sint per istum restituendæ Ven. Monasterio Sactimonialium de Ave Maria Civitatis Portus in casu &c.

Sacra Congr. die 3. Martii 1725. respondit,

Decimas, & primitias, de quibus in dubio, deberi a die motæ litis, demptis annuis scut. 150. favore Vicarii.

QUÆSTIO CCCCXXII.

In Causa Aquilana, die 3. Februarii 1725.

JUXTA antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem Sacra Olea sunt conficienda ab Episcopo Feria quinta in Cœna Domini, uti habetur *in Canone listeris de Consecrat. dist. 3.* & concordat alius *Textus in cap. Te referente de celebratione Missarum*, & licet *in Canone omni de consecrat. dist. 4.* dicatur, quod omni tempore licet Episcopo Chrisma conficere; id tamen non est intelligendum de omni tempore utcumque, sed accommodate de omni tempore annali, quod ad conficiendum Chrisma præscriptum est, uti late prosequitur *Gonzal. in allegato cap. Te referente in verbo Chrisma conficere de celebrat. Missarum*, & in Pontificali Romano edito a Clemente VIII. & subinde recognito sub Urbano VIII. præscribitur, quod pro confectione Sacrorum Oleorum Feria quinta in Cœna Domini, ultra Episcopi Ministros, duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, & alii necessarii assistant Vestibus albi coloris suo ordini congruentibus induti, & in casu tantum necessitatis, quando videlicet agitur de Episcopis parvum Clerum habentibus, quique in partibus Infidelium existunt, a Sede Apostolica permittitur, ut dicta Feria quinta in Cœna Domini Sacra Olea conficiant, sed cum minori numero Assistentium, ut videri potest apud *Pignatell. consult. 41. n. 1. & seqq. tom. 6.*

Ad tramites harum Sacrarum Constitutionum, cum Aquilanus Episcopus Sacra Olea Feria quinta in Cœna Domini conficere voluisset, & ad assistentiam vocasset Præpositum Collegiatæ S. Justæ, & Archipresbyteros Collegiatarum S. Mariæ de Paganica, & S. Petri de Popleto, hique accedere recusassent, retroactis annis quæstio exorta est, pro cujus decisione in præsenti exoratur, plura etenim, & plura provisionalia decreta jam emanarunt hic inutiliter non referenda, quibus cautum est, ut hoc interim, & usque ad Causæ decisionem, Sacrorum Oleorum Confecratio in Cathedrali Aquilana citra scandalum, & perturbationem adimpleatur.

Contendunt autem Præpositus, & Archipresbyteri, se non teneri accedere.

Primo, quia sunt in Dignitate constituti, & Pontificale statuit vocandos Presbyteros.

Secundo, quia vocari possunt ad assistentiam Canonici Cathedralis, item Presbyteri servitio Cathedralis Ecclesiæ adscripti, & in omnem casum alii Presbyteri adscripti servitio inferiorum Collegiatarum.

Tertio, quia habent onus Curæ Actualis Animarum, ita ut ipsis impossibile reddatur facere in sua Ecclesia functiones, quæ fieri debent Feria Quinta in Cœna Domini, & eodem mane accedere ad Cathedralem, ut Confecrationi Sacrorum Oleorum assistant.

Ultimo tandem, quia quidquid sit de attestationibus extrajudicialibus in contrarium afferendis, in nullo, aut fere nullo, quod reperiatur, præcedentium Episcoporum Edicto invenitur, quod ipsi fuerint ad dictam functionem vocati.

Excipit e contra Promotor Fiscalis, primo, non posse Præpositum, & Archipresbyteros effugere Assistentiam confectioni Oleorum Sacrorum, cum non sint nisi simplices Presbyteri, & Pontificale de Presbyteris loquatur.

Secundo, quia undecim tantum Canonici cum Archidiacono adsunt in Cathedrali Aquilana, ita ut demptis infirmis, nec non absentibus, cæterisque, qui debent assistere Episcopo Pontificalia celebranti, de necessitate sequatur, ut ad assistentiam confectioni Sacrorum Oleorum vocari debeant illi de Clero, qui primum obtinent locum post Canonicos Cathedralis Ecclesiæ.

Tertio, quia Prædecessores Præpositi, & Archipresbyterorum vocati ad prædictam assistentiam semper accesserunt, & quidem a tempore antiquissimo; haud urgente, quod in aliquibus Edictis non inveniantur vocati, cum facultativum sit Episcopis modo hos, modo alios Parochos ad dictam functionem vocare.

Quarto, quia alii Parochi Civitatis, quando vocantur, assistunt, & Archipresbyter Collegiatæ SS. Martialis, & Nicandri, qui Edicto Episcopali, in quo vocabatur, refragatus fuerat, a lite tandem recessit.

Ultimo, quia ponderato modico numero Animarum in Parochiis degentium, & animadversa hora, qua Olea conficiuntur in Cathedrali, bene possunt Præpositus, & Archipresbyteri utrumque munus adimplere, in Parochia videlicet, & in Cathedrali.

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur,

An Præpositus Collegiatæ S. Justæ, & Archipresbyteri Collegiatarum Sanctæ Mariæ de Paganica, & S. Petri de Popleto teneantur intervenire Feria Quinta in Cœna Domini in Confecratione Olei Sancti in casu &c.

Sacra Congr. die 3. Martii 1725. respondit,

Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXIII.

In Causa Tridentina Fructuum, die 3. Februarii 1725.

CAROLUS Ferdinandus Comes de Lodron Canonicatum, & Præpositurum obtinet in Cathedrali Ecclesia Tridentina, & ulterius est Archipresbyter Villæ Lagarinæ cum Cura Animarum.

Prædictus Comes obtinuerat a san. mem. Clemente Papa XI. dispensationem a Residentia in Villa Lagarina, sed hæc dispensatio subinde revocata fuit, eidemque injunctum, ut per sex menses resideret in dicta Villa, & per alios sex menses in Civitate Tridentina, in qua est Canonicus.

Conquestus fuit Episcopus, quod Comes non residebat in Villa, & Capitulum Tridentinum aliam querimoniam excitavit super dispensatione residendi per sex menses tantum in Civitate Tridentina, quando tam juxta Statutum, quam juxta immemorabilem Consuetudinem Canonici Cathedralis Tridentinæ non faciunt fructus suos, si non resident per octo menses.

Delatis hisce querimoniis ad Sacram Congregationem, eadem *die 31. Maii* 1721. rescripsit, quod Episcopus uteretur Jure suo quoad punctum Residentiæ in Villa Lagarina,

& quod præfigeretur terminus tam Capitulo, quam Comiti ad sua Jura deducenda in Sacra Congregatione, habitoque ab eodem Comite novo recursu adversus captam resolutionem, & ulterius instante pro relaxatione fructuum tam incertorum, quam certorum Canonicatus, & Præposituræ, qui fuerant a Capitulo sequestrati, perstitum fuit in decisis *die* 23. *Augusti ejusdem anni*, quo stante deventum fuit ad infrascripti Dubii propositionem.

Contendit Comes, fructus sequestratos esse relaxandos, & omissa quidem quæstione super Præpositura, ex quo illa non habet onus Residentiæ, in eo, quod attinet ad Canonicatum, inquit, se octo mensium spatio quolibet anno, ex mensibus a Capitulo controversis resedisse in Civitate Tridentina, & sic nullam supersesse excusationem pro sustinendo sequestro, & addit ulterius, quod quatenus sex mensibus resedisset in Canonicatu, & sex mensibus in Parochiali, eidem semper essent fructus relaxandi; tum quia paruit legi sibi a Summo Pontifice impositæ, tum quia quidquid esset de Jure antiquiori, juxta jus recentius ille, qui obtinet Canonicatum, & Parochialem, tenetur residere in Parochiali, & residendo in Parochiali lucratur omnes fructus sui Canonicatus, exceptis tantummodo Distributionibus, juxta *Bull. 65. S. Pii V. Bullar. tom. 2.* & prosequuntur *Fagnan. in cap. licet n. 67. de Præbendis, Gonzal. super regul. 8. Cancellar. glos. 6. n. 268. & seqq.*

Quæ sint Jura Capituli ignoro, cum ad me delata non fuerint.

Tam in Congregatione habita *hac die 3. Februarii*, *& die 3. Martii Anno* 1725. quam in Congregatione habita *die 23. Februarii, & die 26. Martii* 1726. disputatum fuit de justitia sequestri, nec ulla fuit capta resolutio, & in ultima dictarum Congregationum responsum fuit *pro meliori informatione juxta Instructionem.*

Utque EE. PP. justum, & maturum de more ferre valeant judicium, reminisci dignabuntur, quod Scribens pro Comite in præteritis dicebat, hic, & nunc non agi de fructibus Parochialis, sed de fructibus Canonicatus, & Præbendæ, hinc inferendo, quod si Comes non resedisset in Parochiali, potuisset privari fructibus Parochialis, sed numquam fructibus Canonicatus, atque Præbendæ, & eo fortius, quia non solum ille sex mensibus residerat in Canonicatu ad tramites Indulti Clementini, sed octo mensibus residentiam in eodem Canonicatu expleverat, juxta præscripta in Statuto, quam residentiam probabat depositione Punctatoris, subdendo, huic residentiæ opponi non posse, quod non fuerit continua, sed interpolata per Accessum, & Recessum a Parochiali, tum quia Statutum admittit computationem dierum Accessus, & Recessus, tum quia quando in hac re irrepsisset abusus, non poterat illico deveniri ad sequestrationem, sed præcedens interpellatio erat necessaria.

Discursus hic aperuit viam novæ informationi juxta instructionem, & instructio fuit, ut Episcopus informaret super usu, & observantia Statuti, & quomodo ad ejus tramites admittatur frequens adeo Accessus, & Recessus; & Episcopus novam suam transmisit informationem, in qua sequentia continentur.

Primum est, quod in antiquo Statuto Capitulari, & in recentiori Constitutione edita a Cardinali Madrutio præscripta fuit norma a Canonicis observanda pro acquirendis Distributionibus quotidianis.

Secundum est, quod tam juxta Statutum, quam juxta Constitutionem Residentia Canonicorum incipere debet a Vigilia Nativitatis Domini, & durare per integros octo menses ibi expressos, & designatos sub pœna amissionis omnium fructuum, & quod tam Statutum, quam Constitutio sunt in viridi observantia.

Tertium est, quod licet in Constitutione Madrutiana provideatur, quod dies Accessus, & Recessus non imputentur, id tamen est intelligendum cum grano salis, & secluso quolibet abusu, hoc est quando dies Accessus, & Recessus rarius contingunt, nempe ter, aut quater infra tempus ad complendam Residentiam præfinitum.

Quartum tandem est, quod frequentes, & abusivi fuerunt Accessus, & Recessus Comitis de Lodron, ita ut idem Episcopus asserat, se a quadraginta Annis, quibus Ecclesiæ Tridentinæ, tanquam Canonicus inservivit, nunquam vidisse Canonicum adeo irregulari modo residentem, & contendentem, ut pro residentialibus sui favore computentur tot frequentes dies Accessus, atque Recessus, uti factum fuit a Comite, & uti ab eodem prætenditur.

Communicata fuit Informatio Scribenti pro eodem Comite, quocirca quæritur,

An Capitulum Ecclesiæ Tridentinæ teneatur ad relaxationem fructuum tam certorum, quam incertorum Canonicatus, & Præposituræ, & Præbendæ in casu &c.

Sacra Congr. die 7. Junii 1727. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXIV.

In Causa Januensi, die 3. Februarii 1725.

EXHIBITUS fuit huic Sac. Congregationi supplex libellus, in quo relatum fuit, praxim invaluisse in Monasteriis Monialium Civitatis Januensis tam subjectarum Ordinario, quam Regularibus, ut nulla Monialis Sacram Eucharistiam sumere valeat extra dies, quibus juxta Constitutiones omnes Moniales communicant, nisi accedat consensus Capituli Monasterii, quamvis communio esset petenti permissa, aut præscripta a Confessario, quæ res vergere dicebatur in desolationem nonnullarum piarum Animarum, quæ frequentiorem, & aliquando quotidianam Eucharistiæ sumptionem ex consilio, aut præcepto Confessarii desiderant, cumque scriptum fuisset Eminentissimo Ordinario pro informatione, & idem respondisset, quod in aliquibus Monasteriis Monialium non poterant singulæ Moniales etiam cum licentia Confessarii sumere Sacram Synaxim extra dies a Constitutionibus, vel consuetudine præscriptos, & quod in aliis Monasteriis sumptio Eucharistiæ extra prædictos dies Monialibus permittebatur annuente Confessario, Sacra hæc Congregatio *die* 12. *Februarii* 1724. respondit, quod observaretur decretum *anni* 1679. in quo ab hac Sacra Congregatione, accedente approbatione Venerabilis Dei Servi Innocentii XI. sic resolutum fuit *die* 12. *Februarii ejusdem anni* quoad frequentem Communionem in ordine ad Moniales: *itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut diebus ex earum Ordinis Instituto præstitutis communicent. Si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur.*

Delata hujus decreti notitia ad Civitatem Januensem, incœperunt nonnullæ Moniales Sacram sumere Eucharistiam etiam extra dies Communitati præfixos absque ulla licentia Confessarii Ordinarii, & Superiorissæ, sed de solo consensu spiritualis Directoris uniuscujusque Monialis, ita ut Superiorissæ nonnullorum Monasteriorum coactæ fuerint, ad avertenda frequentia incommoda, non amplius retinere apud se clavem parvæ fenestræ, per quam Moniales Eucharistiam recipiunt, sed eam relinquere arbitrio Monialium communicare volentium. Admonitaque de hac re Sac. Congregatione, cum novæ datæ fuerint litteræ ad Eminentissimum Ordinarium, idem respondit, quod computatis diebus, qui a Constitutionibus, vel a communi consuetudine sunt Monialibus præscripti pro sumenda Communione, eædem in toto anni decursu vix ab ea abstinent quadraginta, aut quinquaginta diebus, & quod in tantum introductum est, quod Moniales communicent extra memoratos dies, cum solo consilio, aut præcepto Directoris spiritualis cujuscunque Monialis, & citra consensum, aut approbationem Confessarii Ordinarii, in quantum nonnulli asseruerunt, quod nomine *Superiorum*, de quibus in decreto *anni* 1679. comprehensi dici debent Directores spirituales uniuscujusque Monialis, quibus melius, quam cæteris innotescit puritas conscientiæ, seu fervor spiritus in eodem decreto requisiti pro frequentiori, vel quotidiana perceptione SS. Sacramenti, concluditque idem Ordinarius, necessariam sibi videri prædicti decreti explicationem, & ne etiam tolerandum sit in futurum, quod Superiorissæ clavem parvæ fenestræ, per quam sumitur Eucharistia, non amplius apud se retineant, sed relinquant arbitrio Monialium communicare volentium.

Decretum *anni* 1679. quando loquitur de Laicis Negotiatoribus, ait, *quod frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus*, & hoc ipsum statuit quoad Conjugatos. Rursus regulam generalem statuendo meminit Parochorum, seu Confessariorum, ibi: *in hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti, vel quotidiana Sacræ Communionis sumptione, unica præcepti formula, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum per se, aut per Parochos, seu Confessarios sibi decernendum putet*, uti habetur *lib.* 30. *decret. pag.* 265. *& seqq.* Quo stante inferri posse videtur, quod quando idem Decretum loquendo de Monialibus meminit Superiorum, *id illis a Superioribus permittatur*, intelligendum sit, quod frequentior, aut quotidiana Communio a Superioribus Monasterii permittatur etiam extra dies statutos a Constitutionibus, vel communi consuetudine, sed semper retento themate permissionis, seu consilii illius personæ, cui puritas mentis, & fervor spiritus innotescunt, quæ alia non videtur esse posse, quam Persona Confessarii Ordinarii, cui cordis secreta sunt aperta.

Hæc quoad frequentiorem Sacræ Eucharistiæ sumptionem. Quoad clavem vero jam a Sacris Congregationibus edita fuerunt super ea re decreta, quod videlicet clavis Custodiæ SS. Sacramenti non potest Monialibus committi, sed esse debet penes Sacerdotem, ad quem spectat cura illud administrandi, uti late prosequuntur *Pellizar. de Monial. cap. 7. quæst. 4. Tamburin. de Jure Abbatiss. disput. 24. quæsito 2. num. 5. Barbosa in collectaneis in verbo Monialis num. 27.* & loquendo de parva fenestra per quam recipitur Sacr. Eucharistia, jam a Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium resolutum fuit *die* 15. *Septembris* 1617. quod duæ adsint januæ hujus parvæ fenestræ, una interior, & alia exterior, & quod clavis januæ interioris semper retineatur ab Abbatissa, seu Priorissa, & clavis januæ exterioris a Confessario, & quod parva dicta fenestra nunquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiæ, vel dandi habitum, seu velum alicui Novitiæ, aut Consecrationem alicui Moniali, aut Confirmationem alicui personæ in clausura degenti.

His stantibus, quæritur,

I. *An, & de cujus licentia Sacram Eurharistiam recipere debeant Moniales, quæ eam recipere volunt ultra dies statutos a Constitutionibus, vel a consuetudine Monasterii, ut in illis omnes Moniales communicent.*

II. *Quomodo se gerere debeat Superiorissa Monasterii circa retentionem clavis parvæ fenestræ, per quam sumitur a Monialibus Eucharistia in casu &c.*

Sacra Congr. die 14. Aprilis 1725. respondit,
Ad Primum de licentia Confessarii Ordinarii, & non Directorum, prævia participatione Prælati Ordinarii. Ad Secundum servandum esse decretum Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium die 15. *Sept.* 1617.

QUÆSTIO CCCCXXV.

In Causa Tridentina Laudi, die 3. *Martii* 1725.

ANNO 1719. Sacerdos Joseph Scocchera Confrater Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti Oppidi Vastigirardi ab hac ipsa Confraternitate recepit titulo locationis triennalis magnum Gregem Ovium, & Equarum, & Dux hujus ejusdem Oppidi accessit tanquam Fidejussor pro cautione solutionis affictus conventi, prævio Episcopi Decreto, quod fuit in contradictorio judicio confirmatum a Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium.

Sacerdos Conductor, post annum, judicium intentavit coram Episcopo super restauro capitalis Animalium demortuorum, & remissione pensionum, nec non refectione damnorum ob Oves consignatas morbo contagioso infectas, & ob casum insolitæ, & gravissimæ, quæ contigit, tempestatis, propter quam plura Animalia mortua sunt, idque in sequelam pacti in Instrumento affictus appositi favore ejusdem Conductoris.

Confraternitas prætensionem insubsistentem excitavit, quod Causa hæc esset in Tribunalibus Laicis judicanda, quocirca ad novam hanc periculosam contentionem evadendam, communi Partium consensu, prævia licentia hujus Sac. Congregationis, factum fuit compromissum in Persona Prælati Romanæ Curiæ, & in licentia apposita fuit consueta clausula, ut Laudum ante executionem Sacræ Congregationi exhiberetur, ut ipsa scilicet dignoscere posset, an in Laudo considerari valeret aliquod Ecclesiæ damnum in linea Laudi, in quo, uti notum est, proceditur extrajudicialiter, & ex æquo, & bono, ut expensæ judicii ordinarii evitentur.

In executionem Rescripti Sac. Congregationis assumpta fuit negotii cognitio ab Arbitro, auditis Procuratoribus, & Advocatis utriusque Partis, & adhibito Perito Curiali in hisce rebus versatissimo, ad propriam instructionem; cumque editum ab eodem fuerit Laudum, non fuit ulla Appellatio interposita, & in fine Triennii Grex a Conductore restitutus est Confraternitati locatrici, & ut omnia rite, & recte adimplerentur, cum Laudum fuisset Sacræ Congregationi exhibitum, prævia Partium intimatione, facta est deputatio Eminentissimi Domini mei Cardinalis Gualterii, qui Laudum perpenderet, & suum Votum propalaret super contentis in eodem.

Spatio sexdecim mensium prædictus Eminentissimus Relator Partes audivit, & jura consideravit coram Arbitro producta, & suam tandem edidit Relationem, quæ una cum ejus Voto impressa circumfertur, utque aliqua habeatur notitia contentorum in Relatione, & Voto, operæ pretium est sequentia adnectere.

In Relatione itaque distincte continentur pacta Instrumenti affictus, & recensentur quinque Laudi capita, una cum rationibus ab utraque Parte allatis super unoquoque capite, & in singulis capitibus Eminentia Sua deferre videtur Arbitri judicio, ex rationibus in suffragio perpensis, & etiam deferre videtur aliquo modo nonnullis gravaminibus a Conductore prætensis in aliquibus capitibus Laudi, & nullatenus ab Arbitro bonificatis; cumque in Laudo Confraternitas fuisset condemnata ad solutionem scutorum 1783. favore Conductoris, qui contendebat se damnum fuisse passum in summa ducatorum 3256. pro expensis factis in Gregis manutentione, ultra damnum habitum in reditus diminutione propter morbum contagiosum, & tempestatem, de quibus supra, Eminentia Sua Votum concludit arbitrando, ut Confraternitas condemnetur favore Conductoris in solis Ducatis 1500. pro omni, & toto eo, quod ille prætendere posset, & absque ulteriori damnorum liquidatione, quæ fuerat in Laudo præservata.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An, & quomodo sit concedendum Beneplacitum pro executione Laudi in casu, &c.

Sacra Cong. respondit,
Concedendum esse Beneplacitum juxta modum præscribendum ab Eminentissimo Præfecto.

QUÆSTIO CCCCXXVI.

In Causa Asculana, die 3. *Martii* 1725.

CUM a Confraternitate Sanctissimi Suffragii erecta in Ecclesia Sanctissimæ Trinitatis Terræ Offidæ Diœcesis Asculanæ expeditum fuisset Monitorium A. C. adversus Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis super nonnullis assertis juribus ipsam eximentibus ab Ordinarii jurisdictione, instante Curia Episcopali, Causa ab Auditore Sanctissimi remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem, & sequentia dubia disputanda proponuntur, & jura utriusque Partis circumferuntur; & in eo, quod attinet ad primum dubium, in quo quæritur, an possint Confratres convocare Congregationes Generales, & Particulares pro expediendis negotiis Confraternitatis absque licentia, & assistentia Episcopi, vel Vicarii Foranei, aut alterius Personæ ab eodem Episcopo deputandæ, Episcopus protestatur se non prætendere, quod Confratres habere non possint suas Congregationes sine sua licentia, & interventu, sed se tantummodo prætendere, quod possit, si velit, intervenire Congregationibus vel per se, vel per suum Vicarium, ut in secundo dubio, subditque, quod in hypothesi, in qua interveniat, vel per se, vel per alium, nullam habet prætensionem circa suffragii præstationem, ut in tertio dubio; cumque in quinto dubio quæratur, an Officiales teneantur reddere rationem administrationis Ordinario, sive in actu visitationis, sive alio tempore, Confraternitas, quæ se exemptam asserit, admittit nihilominus, suos Officiales teneri ad redditionem rationis Episcopo tanquam Delegato Sedis Apostolicæ, eamque explendam esse tam coram Ordinario, quam coram duobus Syndicis a se electis, ita ut absolutus, vel condemnatus censendus sit ille, qui computatis suffragio Episcopi & Syndicorum fuerit a majori parte absolutus, vel condemnatus *juxta cap.* 8. *& 9. Sess.* 22. *de Refor.*

Quocirca quæritur,

I. *An liceat Confratribus Confraternitatis Sanctissimi Suffragii Terræ Offidæ convocare Congregationes tam Generales, quam Particulares, ac devenire ad electionem Officialium aliaque negotia Confraternitatis proponere, ac determinare absque licentia, & assistentia Reverendissimi Episcopi, seu Vicarii Foranei, aut alterius Personæ per Reverendissimum Episcopum deputandæ. Et quatenus affirmative.*

II. *An saltem Reverendissimus Episcopus in aliquo casu per se, vel per alium ab ipso deputandum possit intervenire dictis*

dictis Congregationibus Generalibus; & quatenus affirmative.

III. *An Episcopus, seu Persona per eum deputanda possit suffragium ferre.*

IV. *An liceat Reverendissimo Episcopo removere Officiales, & Ministros a Confratribus electos, quatenus non sint idonei, & graves exceptiones patiantur.*

V. *An Officiales teneantur reddere rationem eorum administrationis Ordinario, sive in actu Visitationis, sive alio tempore, & in quo loco.*

VI. *An Officiales, sive Confratres possint acceptare Legata, & pecunias relictas a Testatoribus investire, vel in usus a Testatoribus destinatos, sive in alios erogare absque licentia Ordinarii.*

VII. *An dicta Confraternitas Sanctissimi Suffragii teneatur contribuere expensis Visitationis ejus Ordinarii.*

Sacra Congr. die 24. Martii 1725. respondit,
Ad Primum, Secundum, Quartum & Septimum affirmative. Ad Tertium negative. Ad Quintum affirmative tam in actu Visitationis, quam extra, & in loco ab Episcopo designando, in terra tamen Offidæ. Ad Sextum negative, & quoad legata pure lucrativa, & erogationem in usus a Testatoribus designatos affirmative, sed cum participatione Episcopi.

QUÆSTIO CCCCXXVII.

In Causa Sancti Marci, die 3. Martii 1725.

SAcrum Concilium Tridentinum *Sess. 21. cap. de Ref.* decrevit, ut Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati possent facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum Parochialium, & aliorum Beneficiorum Curatorum, vel non Curatorum cum Curatis propter paupertatem Parochiarum, & ut illis subveniatur.

Ad tramites hujus Sanctionis Theodorus Fantonus Episcopus S. Marci *anno.* 1657. cum in actu visitationis, sumptis debitis informationibus, cognovisset, Parochialem Ecclesiam S. Petri Terræ Roggiani paupertate laborare, eidem univit Beneficium simplex Sanctæ Mariæ de Constantinopoli, instante Fabio Scaramuzza Parocho, & insimul dicti Beneficii simplicis possessore, præservatis tamen oneribus Missarum eidem Beneficio annexis, quæ a Parocho, & ejus Successoribus voluit adimpleri, impositio ulterius eisdem onere personaliter quolibet anno comparendi in Cathedrali die Festo S. Nicolai, & Episcopo præsentandi quatuor Libras ceræ albæ in signum reverentiæ.

Ab inde citra quinque numerantur Parochi, qui Parochiam, & Beneficium uti Parochiæ unitum possederunt, cumque in collatione Parochiæ ultimo loco facta ab Episcopo Sacerdoti Thomæ Lippo dismembratum ab ea fuerit Bæneficium S. Mariæ de Constantinopoli cum enunciativa, quod non constabat per legitima documenta de bono Jure, & possessione Parochianorum, & quod hoc Beneficium unire intendebat Præbendæ Theologali, aut Pœnitentiarii, quæstio exorta est inter memoratum Sacerdotem Lippum, & Promotorem Fiscalem super hac dismembratione.

Contendit autem Sacerdos, dismembrationem non sustineri, cum de unione facta favore Parochiæ constet ex ipso authentico actu facto a Theodoro Fantono Episcopo S. Marci *usque ab anno* 1657. uti supra dictum fuit, & ulterius certa sit paupertas Ecclesiæ Parochialis, quæ non habet in reditu nisi scuta octo monetæ Romanæ, & Beneficium unitum, demptis oneribus, non excedat summam Ducatorum novem monetæ Neapolitanæ.

Excipit e contra Promotor Fiscalis, ignorari quo jure potuerit Episcopus Fantonus unire Beneficium Parochiæ, cum Beneficium esset de corpore redituum Mensæ Episcopalis. Addit, cessasse paupertatem Parochialis ob Legata eidem facta, & concludit in Cathedrali deesse Præbendas Theologalem, & Pœnitentiariam, & earum erectionem fuisse specialiter Episcopo commissam tunc cum san. mem. Clemens Papa XI. eidem Episcopo contulit Episcopatum.

Jura circumferuntur, unde quæritur,
An dismembratio sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Martii 1725. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXVIII.

In Causa Neapolitana, die 24. Martii 1725.

COmparuit coram Vicario Generali Neapolitano Candida Carola, quæ expositi, Ardicinum Calistum sibi dedisse fidem Matrimonii, & secum sponsalia contraxisse, eumdemque postmodum scalas suæ Domus ascendisse, & sibi sub Matrimonii promissione osculum dedisse. Addidit ad sui notitiam devenisse, quod volebat Matrimonium cum alia contrahere, & idcirco instetit pro debita provisione capienda, & Vicarius Generalis decrevit, quod sumeretur informatio Parte citata, & quod interim inhiberentur Parochi, & Notarii, ut decretum Matrimonii expedirent.

Eadem Candida Carola citationem pariter expedivit adversus Ardicinum in Magna Curia Vicariæ, introduxitque judicium criminale sub obtentu, quod sibi ab ipso datum fuerit osculum præcedente tractatu Matrimonii, & a Judice dictum fuit, quod citaretur, & caperetur.

Ardicinus noluit se in Carceribus constituere, sed spatio fere duorum annorum stetit in confugio; cumque subinde ad Urbem accessisset, in qua Matrimonium contrahere intendebat cum Nobili Virgine, dum juxta stylum instabat pro licentia contrahendi Matrimonium, appositum invenit nihil transeat in Actis Curiæ R. P. D. Vicesgerentis, qui licet prima vice senserit, esse locum remotioni impedimenti, secunda nihilominus vice, post exhibita in Actis Jura Candidæ, hoc est recursum habitum in Civitate Neapolitana pro osculis sibi datis sub fide Matrimonii, tam in Curia Ecclesiastica, quam in Curia Laicali, recessit a decretis, devolutaque ex Rescripto Sanctissimi Causa ad hanc Sac. Congregationem, fuit proposita in Congregatione habita *hac die* 24. *Maji curventis anni* 1725. cumque tunc nulla fuerit capta resolutio, sed dictum, quod audiretur Eminentissimus Archiepiscopus, & ejusdem informatio supervenerit, quæritur.

An constet de Sponsalibus in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Junii 1725. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXIX.

In Causa Ratisbonensi, die 24 Martii 1725.

JOannes Kleydorfer Parochus Ecclesiæ Lindkurchensis accusatus apud Tribunal Ecclesiasticum Ratisbonæ Consistorium nuncupatum, quod Georgio Baurt Rustico Sacramentum Eucharistiæ denegasset tanquam publico Peccatori, & interrogatus quid ageret, si a suo Episcopo præciperetur, ut eidem Eucharisticum daret Sacramentum, cum respondisset, se nec in hisce circumstantiis daturum esse Rustico prædicto Communionem, tanquam convictus de crimine, & confessus privatus fuit Parochia a Consistorio, & Parochia alteri Sacerdoti collata fuit; interpositaque per Succumbentem Appellatione ad Tribunal Rotæ, & remissa Causa ab Auditore Sanctissimi super privatione Beneficii ad hanc Sacram Congregationem, & super reintegratione contra novum provisum ad prædictum Rotæ Auditorium, disputatoque *die* 27. *Novembris* 1717. dubio, an privatio sustineretur, responsum fuit *negative*, & quod Causa amplius non proponeretur, & in eo, quod attinet ad reintegrationem, Rota sensit, Parochum esse reintegrandum, uti colligitur ex Decisione edita *die* 13. *Junii* 1718. *coram bon. mem. Foscaro*, quin etiam subdelegavit Judicem in Partibus, Episcopum scilicet Eystetensem pro liquidandis fructibus perceptis a Parocho intruso tempore Spolii.

Varia impedimenta apposita fuerunt, ne reintegratio suum haberet effectum, sed incassum, cum Parochus intrusus a Parochia fuerit *die* 24. *Octobris* 1718. ejectus, ita ut sola superesset executio judicati super liquidatione fructuum, qua pendente, cum tempore Paschali *anni* 1719. nova inter Joannem ad Parochiam reintegratum, & supra memoratum Georgium Rusticum insurrexerit controversia super non admissione ipsius ad Sacram Eucharistiam, idemque Parochus monitus a Consistorio Ratisbonensi ad comparendum, & allegandam causam, quare Sacram Communionem dicto Rustico denegasset, appellationem ab hujusmodi præceptis interposuerit, & suspectam allegaverit Curiam Ratisbonensem, Curia *die* 12. *Maii* 1719. eum declaravit suspensum ab exercitio Curæ: interpositaque per ipsum appellatione

latione ad Sanctam Sedem, datisque sæpe de more litteris pro Actorum transmissione, deventum tandem fuit ad Dubii subscriptionem, & ad ejus in Folio propositionem, non obstante Actorum deficientia.

Porro contendit Joannes, esse locum resolutioni Dubii, non obstante defectu Actorum, cum sæpius fuerint ab ipso petita, oblata mercede pro transcriptione, & transportatione, & cum Sac. Concilium Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 3. statuat, Judicem a quo debere intra triginta dies Acta postulanti exhibere, quibus non exhibitis, procedatur in Causa Appellationis, prout justitia suaserit.

Addit, nullam, & injustam fuisse suspensionem, nullam quidem, quia cum lis penderet super fructuum restitutione occasione expulsionis a Parochia, in Curia Episcopali Ratisbonensi, a qua etiam nonnulla gravamina receperat, cogi non poterat ad comparendum coram Ministris Consistorialibus ejusdem Curiæ, & in eo, quod attinet ad injustitiam, inquit, de ea dubitandum non esse, cum denegaverit Georgio Communionem, ex quo tempore Paschali ausus fuerat confiteri alteri Sacerdoti sine sua licentia, *& Textus in cap. Omnis utriusque sexus de Pœnitentiis, & Remissionibus*, sic statuat: *si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere, vel ligare.*

Quoad punctum, an sine proprii Parochi licentia possit quis alterio Sacerdoti confiteri tempore Paschatis, nonnulli negative respondent, exceptis tantum illis Diœcesibus, in quibus Episcopi non curant, nec curarunt observantiam *Capituli Omnis utriusque sexus*, uti late ostendit *Juvenin de Sacramentis dissert. 6. de Pœnitentia q. 5. cap. 4. art. 3. §. 1. & 2.* sed cum proprius Sacerdos in Textu allegato non sumatur exclusive ad communem Sacerdotem, sed ad alienum, hinc est, quod præscripta *in cap. sæpe citato Omnis utriusque sexus* adimpleta dicuntur, statim ac quis confitetur Sacerdoti ab Episcopo approbato pro audiendis Confessionibus in Diœcesi, uti prosequitur *Fagnan. ad dictum Textum sub num. 56.*, & est Doctrina *Divi Thomæ in opusc. 19.* contra impugnantes Religionem *tom. 17. pag. mihi 136. a tergo*, ibi: *dicendum est, quod Sacerdos proprius non solum est Parochialis, sed etiam Episcopus, vel Papa, ad quos etiam pertinet magis cura ejus, quam ad Sacerdotem, ut multipliciter ostensum est; proprium enim hic non accipitur secundum quod dividitur contra communem, sed secundum quod dividitur contra alienum; unde qui confessus est Episcopo suo, vel alicui habenti vicem ejus, confessus est proprio Sacerdoti.*

Adeoque quoad Regulares simpliciter approbatos pro excipiendis Confessionibus in Diœcesi sic statutum fuit a Clemente Papa X. *Constit. 7. §. 5. Bull. tom. 6.* ibi: *& eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit Omnis utriusque sexus quoad Confessiones dumtaxat satisfecisse censendos.*

Et quoad Presbyteros sæculares simpliciter quoque approbatos pro excipiendis Confessionibus in Diœcesi extat Resolutio hujus Sacræ Congregationis *in Aretina 26. Octobris 1613. lib. 11. Decret. pag.* 137. ibi: *Sacerdotes ab Ordinario ad audiendas Confessiones per Diœcesim approbatos posse omnino Diœcesanorum Confessiones audire absque ulla Parochorum licentia, eosque, qui sic confessi fuerint, nisi aliud exiterit, esse legitime absolutos*, & concordat Resolutio Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium apud *Pignatell. consult.* 8. *num.* 37. *tom.* 7.

Dictum est, posse Sacerdotes tam Regulares, quam Sæculares simpliciter approbatos pro Diœcesi excipere quocumque tempore, & etiam Paschali Confessiones etiam sine licentia Parochi si etenim in approbatione Episcopi adesset limitatio excludens tempus Quadragesimæ, vel alia æquipollens e. g. *salvo jure Parochorum*, tunc sic approbatus Confessiones excipere non posset dicto tempore sine Parochi licentia, uti late ostendit *Duard. in comment. ad cap. Omnis utriusque sexus §. 1. disput. 8. sect. 10. num. 4. & plurib. seqq.* ubi congregat concordantes, & in hoc rerum themate licentia a Parocho danda excipiendi Confessiones, dari non potest Sacerdotibus simpliciter approbatis ab Episcopo quoad idoneitatem, sed approbatis ab eodem, & quoad idoneitatem, & quoad jurisdictionem, & sic expressam facultatem habentibus excipiendi Confessiones, uti late ostendit *Clericat. de Pœnit. decis. 37. num. 25. & plurib. seqq.* ita ut præsens controversia, quæ disputanda proponitur, consistere videatur in approbatione excipiendi Confessiones habita ab illo Sacerdote, cui Georgius confessus est, quemque Parochus contendit, non potuisse tempore Paschali sine sua licentia dictam Confessionem excipere.

Circumfertur scriptura Parochi, & sic quæritur,
An suspensio ab exercitio Parochialis Lindkurchen. sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Augusti 1725. respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXX.

In Causa Caputaquensi, die 24. Martii 1725.

IN Ecclesia Terræ Novarum Diœcesis Caputaquen. Feria quinta in Cœna Domini fit quædam panis distributio Pauperibus, & etiam Sacerdotibus Participantibus; cumque hoc ministerium pertineret ad Presbyterum Paulum Positanum, jurgium quoddam inter ipsum, & Sacerdotem Thomam Positanum exortum est super qualitate Panis, quem hic asserebat non esse bonæ conditionis, & res eo usque processit, ut post prolata a Thoma injuriosa verba adversus Paulum, ipsum etiam alapa percusserit tempore, quo Lotio pedum juxta Ecclesiasticum institutum fiebat, absque eo quod Adstantes potuerint dissidium componere, cum Thomas semper minatus sit, quod ea die volebat Paulum interficere, *e poi nell' atto della lavanda de' piedi ebbe anco l' avdire di darli uno schiaffo, nè fu possibile farlo quietare da altre persone, che l' insinuavano la quiete, minacciandolo di volerla finire in quella giornata*, uti legitur in informatione Episcopi.

Terminata Lotionis pedum functione, & dum Sacerdotes, qui eidem interfuerant, in Sacrario Ecclesiæ permanebant, supervenit Cajetanus Positanus Frater Thomæ, qui postquam interrogavit quid accidisset, & a Paulo responsum habuisset *Vostro Fratello D. Tommaso non vuol farsi li fatti suoi*, inquit, *tu sei un Briccone*, habitoque a Paulo responso, *tu sei un Briccone, e mezzo*, ipsum non solum baculo in capite percussit, sed desumpto e proprio latere parvo sclopo vulgo *pistola*, prædictum infelicem Paulum ad mortem vulneravit, idemque procidens in terram vitam cum morte commutavit vix recepta sacramentali absolutione.

Cajetanus occisor fugam arripuit, utque Thomas ejus Frater auxilium Fratri fugienti præstaret, offendit in corpus Pauli, quod humi jacebat, illudque calcibus, & fuste percussit, absque eo quod certa notitia haberi valeat, an tunc revera Paulus esset mortuus, prolatis adversus ipsum injuriosissimis verbis, uti pariter habetur ex Relatione Ordinarii, *dopo un Omicidio così sacrilego fatto dall' accennato Gaetano, volendo il predetto Don Tommaso Positano suo Fratello ajutarlo a fuggire, perchè intoppò nel Corpo del suddetto Sacerdote, che li Testimonj non distinguono, se era già spirato, o pure stava spirando l' Anima, diede alcuni calci, e bastonate al povero Sacerdote, o agonizzante, o già morto, dicendo queste parole, muori briccone.*

Curia Episcopalis hujusce facinoris cognitionem assumpsit, eademque Excommunicatos declaravit Thomam, & Cajetanum, & post retentum aliquo tempore Thomam in Carceribus, eum condemnavit ad exilium decennale a Diœcesi, & incursum dixit in irregularitatem, ex quo causam dedit dissidio, a quo mors Sacerdotis Pauli secuta est; cumque occisio secuta sit *anno* 1721. & post obtentam absolutionem ab Excommunicatione Sacerdos Thomas pluries insteterit pro dispensatione ab Irregularitate, & eam obtinere non potuerit, habita tandem a Consanguineis Occisi pace, iteratas exhibuit supplicationes in ultima Congregatione, illisque inter summaria precum relatis, demandatum est, quod instantia proponeretur in folio, & cohærenter ad hæc bina proponuntur dubia disputanda, quæ ad calcem Restrictus legi possunt.

Nonnulla a Thoma exhibentur Documenta, primum est pacis habitæ a Michaele Angelo Fratre germano Pauli occisi. Secundum consistit in attestatione, quod ipse est Sacerdos bonæ famæ, & in sua Ecclesia diligentissime sua ministeria adimplevit, & Patrem, & Matrem habet in decrepita ætate constitutos, & quatuor Sorores Nubiles; Tertium in depositione extrajudiciali Michaelis Angeli Positani Fratris, uti dictum est, Sacerdotis occisi, qui ait, quod jam cessaverat dissidium inter Thomam, & Paulum, & quod Cajetanus occisor, qui

instru-

instructus fuit a nonnullis Mulieribus de rixa, & cum additione, quod Paulus injuriosis verbis Thomam lacessiverat, accessit ad Sacristiam, & homicidium in ea commisit, & quod modo prædicto factum se habuit, *benchè sedotti alcuni Testimonj con alcune Donne Meretrici cercavono d' incolpare detto D. Tommaso, e testificare con alcuni Sacerdoti suoi malevoli in presenza del Signor Don Niccola Saracino, che in quel tempo si trovava Vicario Generale in questa Diocesi di Capaccio, & era inimico della sua Casa;* Ultimum denique ad binas alias reducitur extrajudiciales attestationes, in quibus habetur, Thomam fuisse absentem a Sacristia tempore, quo homicidium secutum est, ipsumque subinde ad dictum loum accessisse, & super corpus occisi transitum fecisse, cum alius ipsi exeundi modus non suppeteret, sed absque eo, quod illud ullo modo percusserit, aut verba contumeliosa protulerit.

Hæc sunt, quæ habentur tum in informatione Ordinarii, tum in documentis ab Oratore exhibitis; hisque præsuppositis, nonnulla in jure examinanda videntur; alterum est, an Orator censendus sit Irregularis, ex quo dedit causam diffidio, in cujus sequelam secuta est mors Sacerdotis Pauli, quemadmodum censuit Ordinarius in sua informatione, ibi, *è stato dichiarato anco irregolare, perchè diede causa alla rissa, onde n' è seguita la morte del quondam Don Paolo*, qua in re pro affirmativa opinione facere videtur *Text. in cap. Petrus de homicidio, ubi Barbosa num.* 3. ait, *non tamen excusatur ab irregularitate ille, qui dedit causam rixæ, ut ejus amici, famuli, vel consanguinei alterum cum eo contendentem, vel pugnantem occiderent præter ejus voluntatem, ac contra ejus prohibitionem, quia dedit culpam præambulam*: & pro negativa militare videtur circumstantia, quod præambula rixa in casu, de quo nunc agitur, cessasse aliquo modo supponitur, antequam sequeretur homicidium, quod etiam accidisse supponitur, absente Thoma Sacerdote, ita ut si homicidium non fuit commissum voluntate ejus, nec interveniente ejus prævisione, qui causam dedit rixæ, nunquam dici valeat voluntarium respectu ipsius, quod satis dicitur a nonnullis pro exclusione Irregularitatis, uti cæteris allegatis argumentatur *Leander oper. moral. part.* 5. *tract.* 2. *disp.* 10. *quæst.* 71. §. *Sed probabilius.*

Alterum est, an Irregularitas incursa fuerit ex ratihabitione homicidii, quæ constitui potest in eo, quod occisor offendens corpus occisi verba protulit supra recensita, & facta edidit, de quibus in citata informatione Ordinarii. De hoc articulo sermonem faciendo, quando quis consensit homicidio, dum actu fit suo nomine, vel occasione, dicitur a nonnullis reus homicidii, & quod Irregularitatem incurrit, si potissimum consensum per actum externum expresserit, sed in eo, quod attinet ad consensum in homicidium ab alio jam factum, aliqui censent per ratihabitionem facti præteriti contrahi Irregularitatem; at alii oppositum sentiunt, nullam videlicet contrahi Irregularitatem, cum id in jure scriptum non sit, & cum ratum habens homicidium jam antea patratum licet occasione a se præstita, non committat homicidium, nec libere & efficaciter in illud influat, vel influxerit, uti late docent *Suarez de Censuris sect.* 3. *disput.* 43. *num.* 23. *& pluribus seqq. Layman in Theolog. Moral. tom.* 1. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 4. *num.* 6. *Pirhing ad lib.* 5. *Decretalium tit.* 12. *sect.* 1. §. 5. *num.* 28.

Ultimum denique est, an admissa facti circumstantia relata in informatione Episcopi, cui tamen nonnulli Testes refragantur, quod videlicet Orator calcibus, & fuste percusserit Sacerdotem, aut agonizantem, aut jam mortuum, potuerit ex hac causa incurrere Irregularitatem, & quidem si Sacerdos Paulus tunc erat mortuus, nulla videtur incursa Irregularitas, quia fæviens in cadaver inimici, & occisurus, si vivum reperiisset, non committit homicidium, & sic non fit Irregularis, ut in terminis firmat *Gibalin. de Irregular. cap.* 4. *quarta par. consect.* 1. At si tunc Sacerdos non erat mortuus, applicabilis esse posset conclusio, quod leviter percutiens hominem lethaliter vulneratum incurrit Irregularitatem, si ille moriatur, quia ex postremis percussionibus licet levibus acceleratur mors percussi, quam primum vulnus lethale causasset, sed non tam facile, nec tam propere, juxta late deducta per *Leand. oper. moral. tom.* 5. *part.* 5. *tract.* 2. *disput.* 10. *quæst.* 68. *per totum.*

Hæc quoad punctum Irregularitatis; quia vero in hypothesi, in qua incursa fuerit Irregularitas, Orator instat pro dispensatione, operæ pretium est adnotare, quod Episcopus censet, esse posse locum gratiæ petitæ, si ita Sac. Congregationi videatur.

Quæritur itaque,

I. *An Orator sit irregularis in casu &c. & quatenus affirmative.*

II. *An eidem sit concedenda dispensatio in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad secundum negative.

QUÆSTIO CCCCXXXI.

In Causa Sancti Miniati, die 24. *Martii* 1725.

FRANCISCUS Cecchellus in suo ultimo, cum quo decessit, Testamento condito *die* 20. *Januarii* 1714. voluit, quod duodecim Missæ annuæ celebrarentur in Ecclesia S. Petri Villæ Salettæ pro Anima suorum Consanguineorum perpetuis futuris temporibus, *item per ragione di Legato, ed in vimedio dell' Anima sua ec. lascio, e volle, che dall' infrascritto suo Erede si celebri, o si faccia celebrare ec. in perpetuo numero dodici Messe l' anno ec.*

Idem quoque Testator demandavit, quod a suo Hærede quolibet anno distribuerentur una, duæ, tres, aut quatuor dotes scutorum decem pro qualibet, Puellis Villæ Salettæ, quæ nonnullas haberent qualitates latius in Testamento descriptas, *item per ragione di Legato, ed in ogni ec. lascio, e volle, che dall' infrascritto suo Erede ogni anno in perpetuo si diano una, due, tre, o quattro doti di scudi dieci di lire sette piccole per scudo, per maritare povere Fanciulle della Villa Saletta.*

Addit Testator in Testamento, quod pro fundo annuæ celebrationis Missarum, & distributionis dotium ultra suum reliquum assem relinquebat scuta 200. in quodam cambio investita, & scuta 400. quæ habebat in pecunia numerata, nec non domum, & terram ad suam hæreditatem devolvendas post obitum Uxoris, & quod pariter volebat, quod pecuniæ retrahendæ ex fuorum mobilium, & bestiarum venditione investirentur, vel in stabilibus, vel in censibus, aut locis Montium; *acciò si faccia un comodo fondo per la celebrazione di dodici Messe annue, e per le doti suddette, che come sopra ha disposto in perpetuo.*

Et demum in reliquis suis Bonis immobilibus, actionibus, & juribus ad se quomodocunque pertinentibus, hæredem universalem scripsit, & nominavit Sacerdotem Antonium Donninum tanquam Priorem, & Parochum Ecclesiæ Curatæ S. Petri Villæ Salettæ, cui, & Successoribus in Parochia stricte demandavit adimplementum operum præscriptorum, & de quibus supra habitus est sermo.

Puellæ Villæ Salettæ ad dotalia subsidia vocatæ recursum habuerunt ad Episcopum, conquerentes de administratione præsentis Prioris, seu Parochi Ecclesiæ Curatæ S. Petri, ex quo potissimum in hypothesi, in qua Puellæ non adsunt capaces subsidiorum dotalium, ipse loco investiendi pro dotibus, quæ annis subsequentibus distribui potuissent, faciebat earum investimenta favore propriæ Ecclesiæ, & Episcopus in sua Visitatione nonnulla edidit Decreta, in quibus signanter cavit, quod quoliber anno fieret distributio dotium ad ratam reditus a Testatore relicti pro dotibus distribuendis, ita tamen, ut quælibet dos non sit minor scutis decem, & quod in hypothesi, in qua una tantum adesset Puella legati capax, fieret eidem assignatio reditus anni currentis, idemque in plures divideretur, si plures concurrerent Puellæ capaces, & quod tandem in hypothesi, in qua nulla adesset Puella, quæ pro dote instaret, idem Episcopus admoneretur, ut deliberaret, quid de pecunia esset faciendum, & ab hisce Decretis exorta est controversia inter Puellas, & Promotorem Fiscalem ex una, & Parochum Villæ Salettæ ex altera partibus, quæ est in præsenti Congregatione definienda.

Contendit autem Parochus, prædicta decreta esse insubsistentia, & sibi præjudicialia; cum enim ipse sit scriptus Hæres universalis in Testamento, ad se, inquit, pertinere debere fructus hæreditatis illius anni, in quo non adsunt Puellæ capaces legati relicti, idemque judicium ferendum esse in hypothesi, in qua aliquid supereset, facta distributione dotium ad rationem scutorum decem pro qualibet; nullatenus urgente, quod omnia bona fuerint a Testatore relicta pro fundo Missarum, & dotium, cum id resolvatur in specialem hypothecam pro securiori onerum adimplemento, absque eo quod hinc ullum derivare valeat præjudicium adversus jura sibi tanquam Hæredi universali competentia.

Excipitur e contra pro parte Puellarum, non esse in libertate Rectoris existentibus Puellis capacibus, tradere unam, vel alteram dotem, quando fructus sunt sufficientes pro

tes pro majori numero dotium, nec eidem licere residuum in propriam, seu suæ Ecclesiæ utilitatem convertere, sed illud esse reservandum, & conjungendum cum altero residuo sequentis anni pro distributione alterius dotis, ita ut idem contentus esse debeat jure celebrandi Missas, & eleemosynam exigendi, nec non nominandi Puellas, cum vera Testatoris intentio fuerit, ut reditus suæ hæreditatis erogarentur in celebrationem Missarum, & distributionem dotium, in quo rerum themate Hæres nihil habet, quod consequatur, & assimilatur Executori Testamentario.

Addunt, hujusce voluntatis argumenta non solum desumi ex Testamento, de quo nunc agitur, sed etiam ex altero antecedenter facto ab eodem Testatore, in quo, constituto Executore Testamentario Marchione Riccardo, expresse demandavit, ut omnia erogarentur in dotes, nec desunt Testes, inter quos adest Parochus Testatoris, qui dicunt, eum etiam in secundo Testamento voluisse, ut universa sua hæreditas inserviret pro fundo Missarum, & dotium, ita ut in tantum inductus fuerit ad scribendum Hæredem universalem Parochum Villæ Salettæ, in quantum supposito ipsi fuit, quod Testamentum suo effet effectu frustrandum, si hæres in eo aliquis scriptus non esset.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An, & quomodo Decreta Ordinarii sint exequenda in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Esse exequenda Decreta Episcopi juxta modum præscribendum ab Eminentissimo Præfecto.

QUÆSTIO CCCCXXXII.

In Dubio Regularium ad Triremes damnatorum, & expleta pœna a triremibus redeuntium, die 24. *Martii* 1725.

SANCTÆ memoriæ Pius Papa Quartus Decretum approbavit hujus Sac. Congregationis, quod etiam supponitur intimatum fuisse Procuratoribus Generalibus Ordinum Regularium, quo Decreto cautum fuit, ne aliquis Regularium, etiamsi esset incorrigibilis, e Monasterio ejici posset, sed quod a Superioribus ignominia, & carcere in Monasterio castigaretur, & etiam severioribus pœnis, si delictum eas mereretur.

Tempore Summi Pontificis Urbani Papæ Octavi actum fuit de viribus prædicti Decreti, & post rationes hinc inde allegatas, & bene discussas, & plene relatas apud *Fagnan. in cap. Ne Religiosi de Regularibus*, tandem resolutum fuit, Religiosos vere incorrigibiles ejici posse, & tales esse censendos eos omnes, in quibus concurrunt requisita de jure communi necessaria ad effectum constituendi aliquem incorrigibilem, additumque est, non posse aliquem qualificari tanquam incorrigibilem ad effectum ejectionis, nisi in sua pertinacia perseveraasset post carcerationem annalem in Religione, in jejunio, & pœnitentia, & quia Summus Pontifex Gregorius Nonus *in cap. Ne Religiosi de Regularibus* statuit, fugitivos, & ejectos e Monasteriis esse a Superioribus Regularibus singulis annis requirendos; ut ad pœnitentiam, & Claustra redeant, in citatis Decretis sub Urbano Octavo editis declaratum est, hanc Gregorianam Constitutionem sibi locum vindicare etiam in illis, qui juris ordine servato, expulsi fuissent a Religione, quos proinde Religio recipere teneretur, quoties adesset spes evidens emendationis, comprobata litteris Testimonialibus Ordinariorum, & quandiu ejecti permanent extra Religionem, statutum est, quod incedere debeant in habitu Clericali, & subesse subjectioni, & jurisdictioni Ordinarii loci, & quod si fuerint initiati Sacris Ordinibus, suspensi remaneant ab eorum exercitio, sublata Ordinariis facultate relaxandi, aut moderandi prædictam suspensionem, uti latius videre est in citatis Urbani Octavi Decretis in Bullario Romano impressis, & etiam apud *Fagnan. in citato capitulo Ne Religiosi sub n.* 71. *de Regular.* revocataque tempore san. mem. Innocentii XII. hac eadem ejectorum materia ad novum examen, reque discussa in Congregatione Particulari, nonnullæ moderationes determinatæ fuerunt, & inter cæteras, quod annus integer pœnitentiæ, & jejunii præscriptus pro efficiendis incorrigibilibus, ad sex menses tantum continuos in posterum coarctaretur, & reintegretur, uti habetur *in Decreto* 101. *in parvo Bullario prædicti Innocentii XII.*

Horum Decretorum vigore methodus apta statuta est super puncto ejectorum tam quoad modum videlicet ejectionis, quam etiam quoad statum eorundem ejectorum durante ejectione, & Religionum obligatione ad eosdem recipiendos, sed res ita se non habuit, nec se habet quoad Religiosos a suis Superioribus damnatos ad Triremes, & expleta pœna a Triremibus redeuntes; tempore etenim Summi Pontificis Pauli Quinti Sacra hæc Congregatio fuit in sensu, quod Regulares delinquentes nunquam afficerentur pœna Triremium, nisi talia commisissent crimina, quæ dicto supplicio essent in perpetuum vindicanda, quo casu in perpetuum ad Triremes damnarentur; at prædictus Pontifex Paulus Quintus noluit hoc Decretum approbare, cum ex una parte difficile sit damnare Regulares in perpetuum ad Triremes, & ex alia plura sint crimina, quæ pœnam ad tempus merentur, & ad quæ perpetranda Regulares fierent animosiores, si scirent se ad Triremes non esse damnandos, & eorum crimen esse plectendum carcere etiam formali intra Claustra, uti plene refertur apud *Fagnan. sæpe citato in cap. Ne Religiosi n.* 67. *& seqq. de Regularib.* & a tempore Pauli Quinti ad tempus præsens, plures excitatæ sunt controversiæ quoad prædictos Regulares e Triremibus expleta pœna redeuntes, & quod caput est, cum Sanctissimo Domino Nostro plures supplices libelli horum Regularium exhibiti fuerint, vel pro reditu ad suam Religionem, vel pro relaxatione Votorum in hypothesi, in qua Religio eosdem admittere nolit, & a Sanctitate Sua emanaverit responsum huic Sacræ Congregationi directum, pro capienda debita provisione, operæ pretium esse existimatum est, materiam adeo exemplarem in folio describere.

Doctores de hac re tractantes dicunt, Religiosos ad Triremes damnatos teneri etiam tempore pœnæ ad observantiam Votorum Religionis, quantum tamen patitur eorum status infelix, uti late ostendunt cæteris allegatis *Donat. in praxi ver. Regul. tom.* 1. *tract.* 8. *de Ejectis quæst.* 23. *& tract.* 9. *de Galeotis Religiosorum quæst.* 16. *&* 17. *& Rotarius, sive Roverius in sua moderna Theologia Regulari tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 2. *punct.* 8. *n.* 7. & in eo, quod attinet ad Reditum ad Religionem, expleta pœna, subdit *Donatus dicto tract.* 9. *quæst.* 22. teneri Religionem eosdem recipere, utendo hisce verbis, *sicut Uxoratus egressus de Carcere, ac peracto exilio ad suam spectat Uxorem, ita Regularis finito Triremium tempore, ad suam attinet Religionem, cum qua per publicam professionem matrimonium contraxit*; & quia a nonnullis dicitur, indecentissimum esse, ut Religiosi puniti infami punitionis genere iterum habitu Religioso induantur, & eo fortius, quia a Triremibus redeunt pejores, & pecus morbida totum inficere potest Ovile, respondet *Rotarius loco cit. num.* 4. *non intendit Religio recipere incorruptum a Triremibus, sed recipere flagellatum, ita ut factus sit Delinquentium terror, & hoc procul dubio obtinuit. Cæterum eum recusare non potest, sed debet admittere cum ea differentia, quam meretur qualitas personæ redditæ infamis, & a culpa, & a pœna. Et si præterita afflictio ei adhuc intellectum non dedit, forte dabit iterandæ afflictionis comminatio; quod dicit Peyrinus indecentissimum esse Galeotas istos tam infami punitionis genere punitos, iterum Religiosorum sancto, & honesto habitu reindui, neque mihi placet, nam etiam sanctus, & honestus est habitus Clericorum sæcularium, & tamen eo reinduitur rediens a Triremibus, neque Ecclesia quoad hoc magnam indecentiam agnovit, ita ut eos privandos habitu, & tonsura judicaverit, cum redeunt. Deinde nunquid sancto habitu privabitur, si ejiciatur e Claustro, nonne incedere debebit in habitu Clericali, qui sanctus est? &c. Religio ergo, quæ sensit ex tali pœna commodum, sentiat etiam & incommodum, det ei habitum, & provideat meliori modo, quo potest circa consortium cum aliis, quibus si forte placebunt consilia malitiosa, erit sufficiens pharmacum tam terribilis pœnæ vivum ante oculos exemplum, quod utique displicebit.*

Apud Minores Reformatos extare dicitur Constitutio in forma specifica confirmata anno 1662. in cujus *cap.* 7. sic legitur: *nullus expulsus, & ad Triremes damnatus amplius ad Ordinem admittatur*, & ab inde citra in dicta Religione inolevit consuetudo, ut redeuntes a Triremibus, expleta pœna, remaneant in sæculo liberi, uti testati sunt Patres Religionis graviores, & videri potest apud *Ursayam discept. part.* 2. *tom.* 1. *discept.* 18. *per tot.* & licet ejecti, si dederint signa pœnitentiæ, non possint a Religione arceri, nonnulli tamen sentiunt, id non procedere, quoties aliter statuatur in Constitutionibus Ordinis, *Sanchez ad Præcepta Decalogi lib.* 6. *n.* 32. quod tamen non videtur admittendum, cum in supra citatis Decretis Urbani Octavi derogetur Constitutionibus etiam

in forma specifica confirmatis a Sede Apostolica, & Pater Generalis Ordinis Minorum a me requisitus pro informatione, & Voto super instantia cujusdam Fratris Thomæ del Tiro sui Ordinis, qui post expletam pœnam Triremium, & inutiliter petitum Regressum ad suum Religionem, Sanctissimo Domino Nostro supplicaverat pro dispensatione a Votis, hisce verbis respondit: *questo per esser stato condannato in Galera per molti furti sacrilegi, ed altri eccessi, la Religione lo ha per espulso, e le Costituzioni Generali vogliono, che non si riprendano più all' Ordine come persone infami, e se la Religione medesima fosse da Potestà maggiore obbligata a riceverli, ordinano, che si prendano in abito da Terziarj senza Cappuccio, e si applichino agli Offici vili della Casa, onde dal Voto dell' Obedienza, e povertà, resta sciolto, come era sciolto in Galera.*

His præmissis, quæritur,

An, & quomodo sit in similibus providendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Audiantur Procuratores Generales Ordinum.

QUÆSTIO CCCCXXXIII.

In Causa Neapolitana Cappellaniarum, die 14. Aprilis 1725.

CUM Domus Sanctissimæ Annunciationis Civitatis Neapolitanæ multis Missarum oneribus in præteritum non celebratarum, & in posterum celebrandarum esset maximopere gravata, & ejusdem Officiales recursum habuissent ad Sedem Apostolicam pro aliquo opportuno remedio, san. mem. Clemens Octavus demandavit, ut pro satisfactione prædictorum onerum quatuor erigerentur Cappellaniæ perpetuæ, & inamovibiles cum dote ducatorum sexaginta pro qualibet, quæ quatuor Presbyteris essent conferendæ, qui deberent personaliter residere, & singuli eorum per seipsos in Altari Privilegiato S. Joannis Baptistæ quotidie celebrare, ita tamen, ut si aliqua die cujusvis hebdomadæ legitime impediti fuissent, facultatem haberent suum munus explendi per alios Sacerdotes; secutaque post multam temporis intercapedinem, anno videlicet 1707. decoctione famigerati Banci memoratæ Domus Sanctissimæ Annunciationis, habitoque ab Administratoribus novo recursu ad san. mem. Clementem Papam XI. pro aliqua provisione capienda super oneribus Missarum, quæ supervenerant, & non fuerunt adimpleta, Summus ille Pontifex demandavit, ut aliæ quatuor erigerentur Cappellaniæ cum eodem proventu pro quolibet Cappellano, & cum aliis legibus, & conditionibus expressis in citato Brevi sui Prædecessoris Clementis Octavi; cumque pro recta horum Brevium Apostolicorum executione, & pro fideli adimplemento eorum, quæ in memoratis Brevibus demandata fuerunt, nonnullæ fuerint exortæ controversiæ inter Administratores, & Cappellanos, & super eis advenerit petita informatio Eminentissimi Ordinarii, recursus habetur ad EE. VV. super his, quæ sequuntur.

Primum, an Cappellani possint obtinere Beneficia Curata, vel Œconomias Ecclesiarum Parochialium, aut incumbentias excipiendi Confessiones Monialium, aut alia onera incompatibilia cum celebratione Missarum, eas tamen adimplendo per Substitutum.

Et super hoc puncto censent Administratores, esse negative respondendum, tum quia juxta Breve Clementis Octavi debent Cappellani personaliter residere apud Ecclesiam, & quotidie Missas per seipsos celebrare; in quo rerum themate non videtur, quod ab ipsis assumi possint onera, quæ dictam personalem residentiam, & celebrationem Missarum per seipsos impediunt, tum quia si in citato Brevi Clementino solummodo Cappellanis indulgetur, ut si aliqua die cujusvis hebdomadæ fuerint legitime impediti, munus hoc adimpleant per alios Sacerdotes, restrictiva hæc excludit quodcunque aliud voluntarium impedimentum, quod sit vel perpetuum, vel ad longum tempus.

Et e contra excipitur a Cappellanis, affirmative super prædicto primo dubio esse respondendum, & præcipue, quia Breve Clementinum non procedit ad privationem Cappellaniæ in casu non residentiæ, in quo rerum statu residentia non est præcisa, sed causativa, & sic minus apta ad inducendam incompatibilitatem; eoque fortius, quia unaquæque Cappellania non habet in reditu nisi quinque ducata quolibet mense, qua tenuitate concurrente, infertur ad residentiam causativam, & etiam quia si Breve Clementinum in casu impedimenti contingentis in qualibet hebdomada permittit adimplementum Missarum per alium Sacerdotem, idem judicium ferendum esse videtur in hypothesi, in qua impedimentum ad perpetuum tempus, vel ad aliud temporis spatium ultra hebdomadale protrahatur.

Secundum, quod disputandum proponitur, consistit in videndo, an Cappellani, qui pro aliqua die cujuslibet hebdomadæ sunt legitime impediti, quique ad tramites Brevis Clementini satisfacere possunt per alium Sacerdotem, debeant huic persolvere ratam stipendii unicuique Cappellano assignati, vel potius eleemosynam manualem.

Et super hoc puncto dicunt Cappellani, se non teneri nisi ad eleemosynam manualem, cum ipsorum Cappellaniæ sint Bullatæ, & Administratores, qui bene callent dispositionem Decretorum generalium Urbani Octavi, in quibus statutum fuit *satis esse, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in Fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit*, contendunt, hæc sibi debere vindicare locum in hypothesi, in qua legitimum concurrat impedimentum in hebdomada, ad tramites Brevis Clementis Octavi; secus autem quando Cappellani extra dies, & casus Brevis Clementini celebrare vellent per alios; in hac quippe facti specie dicunt, non posse eosdem dare celebranti eleemosynam manualem, & reliquum pro se retinere, ne commodum videlicet percipiant ex actu illicito.

Tertium dubium est, an ad Gubernatores, sive ad Officiales Domus, vel ad Cappellanos impeditos spectet substituere Sacerdotes pro Missis celebrandis, & in eo, quod attinet ad hunc punctum, contendunt Administratores, substitutionem Sacerdotum ad se pertinere, cum erectio Cappellaniarum facta fuerit pro celebrandis Missis in præteritum non celebratis, & in posterum celebrandis, hinc inferendo, quod sicuti, non erectis Cappellaniis, electio Sacerdotum celebrare debentium ad se absque dubio pertinuisset, ita juxta naturam subrogatorum ad seipsos jus spectare debeat deputandi Sacerdotes celebrare debentes casu, quo Cappellani sint impediti ad celebrandum per seipsos, & e contra id absonum videtur Cappellanis, cum hæc facultas in Brevi Clementino non detur Administratoribus, sed simpliciter demandetur Cappellanis, ut celebrent per seipsos, & in casu impedimenti teneantur celebrare per alios.

Quartum, & ultimum dubium est, an in casu infirmitatis teneantur Cappellani satisfacere oneri Missarum per Substitutum, & agendo de hoc ultimo puncto, & in terminis tum Juris Communis, tum Antiquarum Resolutionum hujusce Sacræ Congregationis, distinguendum esse videretur inter infirmitatem brevem, & longam, ita ut in primo casu Cappellani non tenerentur celebrare per Substitutum, sed tantum in secundo, sed cum habito a Cappellanis recursu ad san. mem. Paulum Papam Quintum, eidemque expositio, quod unaquæque Cappellania non habebat in reditu, nisi annuos ducatos 60. & quod in casu infirmitatis non poterant Cappellani expensas Medicorum, & Pharmacopolarum persolvere, & simul, & semel Missas celebrari facere per alium, idem Summus Pontifex eos durante infirmitate absolverit a dicto onere celebrationis per alium, uti colligitur ex Brevi ejusdem Pontificis nuper reperto, & expedito, ut tunc moris erat per Organum Sacræ Pœnitentiariæ, quæ tunc in utroque Foro procedebat, examinandum tantummodo supereft, an Apostolicæ Litteræ Pauli Papæ Quinti, de infirmitate ad paucos dies restricta intelligendæ sint, vel etiam de quacunque longa infirmitate, in qua fortior viget ratio expensarum pro medicinis parandis, & solvendis Medico stipendiis.

Jura circumferuntur; quocirca quæritur,

I. An Cappellani, de quibus agitur, possint obtinere Beneficia Curata, vel Œconomias Ecclesiarum Parochialium, aut incumbentias excipiendi Confessiones Monialium, vel alia onera cum celebratione Missarum incompatibilia acceptare satisfaciendo per Substitutos oneri prædictarum Missarum.

II. An Cappellani pro aliqua die cujuslibet hebdomadæ legitime impediti, qui Missarum celebrationem per alium Sacerdotem satisfaciunt, debeant huic Sacerdoti persolvere stipendium pro Cappellanis statutum, vel solam eleemosynam manualem.

III. An ad Cappellanos uti supra impeditos, vel potius ad Officiales, vel Gubernatores Domus pertineat substituere Sacerdotes Missam celebrare debentes.

IV. An

IV. An Cappellani durante infirmitate teneantur oneri Missarum satisfacere per Substitutum in casu.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum Negative, hoc est quoad incompatibilia cum celebratione Missarum per se ipsos. Ad Secundum Negative quoad Primam partem, Affirmative quoad Secundam. Ad Tertium affirmative ad Primam partem, Negative quoad Secundam. Ad Quartum affirmative quoad Cappellanos institutos a Clemente VIII. & quoad institutos a Clemente XI. exhibeatur Breve, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXXIV.

In Causa Mediolanensi Sponsalium, die 14. Aprilis 1725.

JULIA Guidetta sub obtentu, quod Joannes Stephanus Bicinettus secum sponsalia contraxisset, instantiam promovit in Curia Archiepiscopali Mediolanensi, ne illi facultas daretur contrahendi Matrimonium cum alia fœmina, nisi se citata, & audita, & ad effectum probandi prædicta Sponsalia produxit Epistolam dicti Joannis Stephani sibi scriptam anno 1717. in qua hæc habentur, *V.S. non dubiti, che la lontananza possa pregiudicare nè a quel leale affetto, che le professo, nè alle promesse fattele, glielo rinuovo con questa, protestandole di non prendere altra Moglie, che V. S. e perciò stia assicurata de' miei sentimenti.*

Procedendo ad tramites Juris, ex mox recitatis Epistolæ verbis Sponsalia dici non poterant probata; promittens etenim se aliam non ducturum in Uxorem, nisi talem Mulierem, non dicit se absolute, & simpliciter obligasse ad contrahendum Matrimonium cum illa, sed tantum in hypothesi, in qua statum eligere velit conjugalem, juxta originalem Theoricam *Antonii de Butrio in cap. ex parte il primo tit. de Sponsalib.* cum aliis, quos bene cumulat, & sequitur *Guttier. Canonic. quæst. lib. 1. cap. 21. num. 13. & plur. seqq.* exemplo ejus, qui promittit, se fundum non venditurum, nisi Titio, cum hic non obligetur præcise ad fundum Titio vendendum, sed in casu tantum, in quo fundum vendere velit, juxta *Text. in l. si sterilis §. penultimo vers. sed, & si tibi ff. de actionibus Empti, & in l. qui fundum la seconda ff. de contrahenda emptione;* sed cum a Theorica hucusque firmata recedatur, quando ex aliis conjecturis deprehendi posset, quod promittens modo prædicto habuisset intentionem contrahendi Sponsalia *juxta decis. 1635. coram Coccino*, hinc est, quod in sequelam aliorum verborum, quæ in citata Epistola legebantur *la prego a mantenersi stabile, e ferma nel concertato*, Judex existimavit ex Epistola probatum esse plene consensum Joannis Stephani, & esse semiplene probatum consensum Juliæ, cui idcirco in supplementum plenæ probationis deferendum censuit juramentum, & Julia juravit non solum Joannem Stephanum promisisse se ipsam ducturam in Uxorem, sed etiam se eidem repromisisse ipsum ducturam in Virum, ita ut nulla de veris Sponsalibus rationabilis supereffe posset dubitatio.

Adversus hæc Joannes Stephanus reposuit se contraxisse quidem prædicta Sponsalia, non absolute tamen, sed conditionate, putanus videlicet accederet consensus Josephi sui Genitoris, & ad probandam hanc qualitatem Sponsalibus appositam nedum verba nonnulla citatæ Epistolæ ponderavit, *e lei non debba stancarsi nella sofferenza in attendere il tempo opportuno per eseguirli;* ex illis etenim deduxit, Sponsalia non fuisse libere, & sine conditione contracta, sed etiam produxit attestationem Testis mediatoris pro concordanda quantitate dotis, qui ait tam Juliam, quam ejus Matrem secum protestatas fuisse de non contrahendo unquam Matrimonio, nisi accedente tam suorum consanguineorum, quam memorati Josephi, Patris videlicet Joannis Stephani consensu; cumque Judex semiplene ex his probatam existimaverit conditionem Sponsalibus appositam, Juramentum detulit Joanni Stephano in supplementum probationis, emissoque per ipsum juramento, & attento, quod conditio non advenerat, & quod ejus adventus sperari non poterat, stante renitentia Josephi, qui minabatur, se Joannem Stephanum exhæredaturum, si matrimonium cum Julia contraxisset, ad sententiam devenit, in qua pronuntiavit, licuisse, & licere eidem Joanni resilire a Sponsalibus, & nubere cuicumque alii mulieri sibi magis benevisæ, sublato impedimento a Julia appositio in Curia Archiepiscopali.

Hæc sunt, quæ habentur in Informatione Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanen. & in Processu ab eodem transmisso; cumque Joannes Stephanus dissoluta contendat sponsalia propter sui Genitoris dissensum, & timorem exhæredationis, juxta deducta *per Addens. ad Ludovis. decis. 376.* & etiam ex quo inter se, & Juliam inimicitiæ supervenerunt, cum, ipsa instante, fuerit a Judice Laico in Carceribus detentus, licet ex post fuerit relaxatus, statim ac ad eundem Judicem devenit notitia, quod Causa Sponsalium pendebat in Foro Ecclesiastico, & e contra Julia excipiat, dissensum Patris non sufficere ad effectum, de quo agitur, & vanum esse timorem exhæredationis, *juxta decis. 415. & 526. coram Cavalerio*, nec ullo modo posse dici probatam assertam conditionem in Sponsalibus appositam, de consensu videlicet exquirendo, & obtinendo sæpe memorati Josephi, qui est Pater Joannis Stephani; proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac *die 14. Aprilis 1725.* nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, ut scriberetur Eminentissimo Archiepiscopo Mediolanen. juxta instructionem, quæ fuit, ut idem Eminentissimus ad se vocare faceret Genitorem Joannis Stephani Bicinetti, eumque interrogaret de causa, propter quam renuit præstare consensum, ut executioni mandentur Sponsalia inita inter ejus Filium, & Juliam Guidettam.

Supervenerunt responsiones memorati Eminentissimi Archiepiscopi, in quibus asserit, se dictum Patrem Joannis Stephani interrogasse, & ab eo sibi responsum, quod Julia Guidetta erat nobilioris conditionis suo Filio, qui quatenus ducere vellet Uxorem, eam ducere debebat pariis conditionis, & quæ non recusaret peragere etiam viliora domestica servitia, si opus esset, ita exigente Mercatura, quam exercet, & rei familiaris angustia.

Addidit, se fuisse gravi injuria affectum, tunc cum Julia curavit Joannem Stephanum in carcerem detrudi, & quidem dum erat in propria Mercatoria officina, & meridiano tempore, & dum frequens Populus aderat, ex quo facto ortum fuit in præjudicium propriæ æstimationis murmur, quod carceratio processerat vel ab aliqua fraude commissa, vel a nimia copia æris alieni.

Et demum concluſit, suum Filium esse paratum ad subeundum quodlibet genus vitæ laboriosum, & durum, dummodo Matrimonium cum Julia non contrahat.

Hæc sunt, quæ continentur in citata informatione, adeoque nunc quæritur,

An Sponsalia, de quibus agitur, sint dissoluta, ita ut liceat alteri nubere in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Julii 1725. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO CCCCXXXV.

In Causa Bononiensi, die 14. Aprilis 1725.

ANNO 1691. Soror Laura Maria Margarita Vinciguerra assumpsit habitum Sororum Tertiariarum S. Mariæ Servorum Civitatis Bononiæ, & ante professionem facta fuit Collegio Sororum solutio consuetæ Dotis librarum mille, quæ a dicto Collegio datæ fuerunt Augustinæ de Fabris Matri memoratæ Sororis Lauræ Mariæ Margaritæ Vinciguerræ, quæ super suis bonis extradotalibus Censum imposuit, vendiditque Collegio pretio annuarum librarum sexaginta, reservatis fructibus, seu reditibus favore Sororis Mariæ Lauræ, quo ad usque viveret, & servatis Collegio tam fructibus, quam Capitali post obitum ejusdem.

Sæpe memorata Soror Laura Maria vitam cum morte commutavit anno 1722. sibique scripsit hæredem Augustinam Matrem, dicti Census debitricem, introductoque a Sororum Collegio judicio pro fructibus Census decursis, & non solutis, excitata fuit ab Augustina controversia de labe simoniaca, quæ in assignatione librarum mille juxta suam prætensionem contigerat, & quæ totum idcirco inficiebat contractum, & pro hac sua prætensione adstruenda, & confirmanda, duplex proposuit fundamentum, alterum; quod in Regulis Collegii approbatis a Summo Pontifice Martino Quinto non fuerat ulla solutio præscripta; alterum, quod Sorores istæ Tertiariæ vivunt de proprio, nec aliquid a Collegio recipiunt, in quo rerum themate subdidit, non esse dubitandum de labe simoniaca in solutione librarum mille ante professionem, cum cesset titulus alimentorum, per quem simonia in dictis solutionibus omittatur.

Judex, coram quo Causa pendebat, substitit, delataque Articuli cognitione ad hanc Sac. Congregationem, datæ fuerunt litteræ ad Eminentissimum Ordinarium pro informatione, & Voto, & in ejus responsione hæc continentur.

Primo, quod Census legitime impositus fuit, & cum omnibus requisitis famigeratæ Bullæ S. Pii V.

Secundo, quod solutio librarum mille non solum Bononiæ persolvitur Collegio harum Sororum, antequam aliqua in eo emittat professionem, sed etiam cæteris Tertiariarum Collegiis, quæ multiplicia fuit in dicta Bononiæ Civitate.

Tertio, quod Collegium suis Sororibus plura subventionum commoda exhibet tempore infirmitatis, & mortis, quo ad medelas videlicet, sepulturam, suffragia, & alia communia servitia, dum vivunt.

Quarto, quod solutio hæc librarum millè initium habuit ab anno 1662. antea etenim Sorores sua Patrimonia, & industriam in unum conferebant, & collegialiter vivebant sub electa Prioriffa in Domo mercede conducta.

Ultimo tandem, quod cumulatis originalibus patrimoniis, quæ uti dictum est, antea assignabatur, nec non dotibus, & eleemosynis; Collegium anno 1719. habebat Capitale librarum viginti quatuor millium, quarum major pars, cum fuerit erogata in emptione Domus, in qua de præsenti habitant triginta quinque Consorores, & in ornamentum Ecclesiæ, non habet hodie Collegium in reditu annuo, nisi libras quinquaginta novem, & obulos 18.

Hæc sunt quæ continentur in informatione Eminentissimi Ordinarii, & in documentis ab eodem transmissis, Cæterum in eo, quod attinet ad regulam harum Sororum Tertii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, eadem fuit approbata a Summo Pontifice Martino Quinto, uti habetur *in ejus Constit. 15. Bullar. tom. 1.* & in eo, quod spectat ad articulum Simoniæ, vel illicitæ exactionis in casu Dotium, quæ a Monialibus persolvuntur Monasteriis occasione professionis, ille ob pluralitatem quæstionum, nec non Canonum, & Doctorum de eo tractantium dicitur intricatissimus a Gibalino *de Simonia quæst. 18. consect. 9. in principio*, sed communissima, & recepta esse videtur Sententia, quod vera committatur Simonia, quando fit pactio dandi Dotem; vel aliquid aliud Monasterio; sive Diviti, sive Pauperi tamquam pretium ingressus in Religionem, vel professionis, sed quando fit pactio dandi Dotem, vel aliquid aliud Monasterio in causam alimentorum ingredientis, vel professentis, tunc si Monasterium est opulentum, pactio redolet speciem simoniæ, & avaritiæ, secus autem, quando Monasterium est inops; tunc quippe pactio permissa est, & totius Ecclesiæ consuetudine approbata, uti late firmant *Fagnan. in cap. non amplius num. 24. de institutionibus, Araux. decis. Moral. part. 2. disput. 14. notabili 4. num. 12. Pirhing sup. lib. 5. Decretalium tit. 3. sect. 3. per totam, Cardinalis de Luca de Dote discursu 11. num. 2. cum duobus seqq. & discursu 167. num. primo cum sequentibus, Gonzal. in cap. veniens per totum, & signanter num. 6. & 7. de Simonia.*

De hoc articulo actum fuit in hac Sacra Congregatione anno 1683. editaque consultatione a Belgio transmissa satis ampla, & luculenta, *die 18. Septembris ejusdem anni* in Causa Belgii subsidiorum Dotalium propositum fuit sequens dubium, *cum in Belgio fuerit dubitatum, an Simoniacum sit recipere Dotem solvendam pro victu, amictu, supellectili, & aliis necessariis ad substentationem Puellæ volentis ingredi Monasterium, supplicantur EE. PP. pro hujusmodi dubii Resolutione*, & Sacra Congregatio respondit *non esse Simoniacum*, uti habetur *lib. 33. decret. fol. 310. a tergo*.

Cumque in præsenti casu Moniales vivant de proprio, & a Collegio tantum recipiant medelas tempore infirmitatis, & tempore mortis sepulturam, suffragia, & alia communia servitia, dum vivunt, & de paupertate Monasterii constet ex his, quæ supra dicta sunt, dubitatur an id, quod dictum est de victu, amictu, supellectili, & aliis necessariis pro substentatione Puellæ, sibi vindicet locum etiam in terminis exiguæ Dotis, & supradictarum expensarum, quæ fiunt a Collegio pro Sororibus in hypothesi præsenti, & sic quæritur,

An in casu, de quo nunc agitur, adsit Simonia, vel aliquid illicitum, ita ut Monasterium, sive Collegium agere non valeat pro fructibus decursis, & non solutis census impositi anno 1691.

Sacra Congr. respondit,

Non esse Simoniam, & Monasterium agere posse pro fructibus Census decursis, & non solutis.

QUÆSTIO CCCCXXXVI.

In Causa Lucana, die 14. Aprilis 1725.

ANno 1715. Bartholomæus Turrianus de Plebe Fossiana Lucanæ Diœcesis obtinuit a suo Episcopo Lucano Litteras Dimissorias, ut a quocumque Catholico Episcopo promoveri posset ad primam Tonsuram, & quatuor Ordines Minores, & in sequelam harum litterarum Dimissorialium recepit ab Episcopo Mantuano primam Tonsuram, & Ordinem Ostiariatus, & successive ab Abbate sæculari Ecclesiæ Collegiatæ S. Barbaræ ejusdem Civitatis Mantuanæ alios tres Minores Ordines, cumque novum habuisset recursum ad suum Episcopum Lucanum pro habendis novis litteris Dimissoriis ad effectum suscipiendi Sacros Ordines, & documenta exhibuisset Ordinum receptorum a dicto Abbate, Episcopus substitit, tum quia existimavit, Abbatem non posse comprehendi sub nomine Antistitis, cui præcedentium Dimissoriarum executio fuerat directa, tum quia dixit se ignorare, an Abbas prædictus facultatem haberet conferendi Ordines Minores, & præcipue prout in casu præsenti, in quo Abbas in sua Testimoniali testabatur, se dictos Ordines Turriano contulisse tanquam addicto servitio suæ Ecclesiæ, & ad majorem abundantiam, & jura juribus addendo, in sequelam Dimissorialium eidem concessarum a suo originis Episcopo.

Habito a Turriano recursu ad hanc Sacram Congregationem, datisque de more litteris ad Episcopum Lucanum, ipse in suis responsionibus factum retulit in superioribus expositum, & quoad punctum Ordinum ab Abbate receptorum se remisit judicio hujus Sac. Congregationis, addiditque, memoratum Turrianum non fuisse inter Clericos Numerarios, sed Supranumerarios, qui Ecclesiæ S. Barbaræ inserviunt, & Sacra Congregatio *die 26. Martii 1718. & 11. Junii ejusdem anni* rescripsit, quod exhiberetur privilegium Abbatis, & anno 1719. quod audiretur Episcopus Mantuanus, & demum quod etiam audiretur novus Episcopus Lucanus suffectus in locum præcedentis Episcopi, hoc interim defuncti; Turrianus etenim, & dictis, & documentis asseruit, & comprobavit, sibi impossibile esse exhibere privilegium Abbatis, cum Abbas nolit illud exhibere, & dicat, se a sæculari Potestate impeditum, ne dictam faciat exhibitionem.

Episcopus Mantuanus retulit, Ecclesiam Collegiatam S. Barbaræ esse exemptam a sua jurisdictione, & Turrianum se ejus servitio mancipasse, & hac de causa tribus Minoribus Ordinibus fuisse ab Abbate insignitum, & se noluisse eum promovere ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, tum quia non erat suus subditus, tum quia noluit approbare tanquam legitimam ordinationem factam ab Abbate, & Episcopus Lucanus in eo est sensu, ut Orator absolvi possit a suspensione, & ad Sacros Ordines suscipiendos habilitari, cum dicatur, Abbatem S. Barbaræ esse in possessione immemorabili conferendi Ordines Minores his, qui sunt adscripti servitio suæ Ecclesiæ, & Turrianus multas exhibet authenticas attestationes exaratas ab Ecclesiasticis, aliisque personis Nobilibus Civitatis Mantuanæ tam anno 1719. quam anno 1722. in quibus prævio juramento, asserunt, Abbatem Collegiatæ Ecclesiæ S. Barbaræ ex privilegiis sibi a Sede Apostolica concessis, Minores Ordines conferre adscriptis tam Numerariis, quam Supranumerariis servitio suæ Ecclesiæ tamquam sibi subditis, idque in Civitate Mantuana esse certum, & notorium,

Ad rem, de qua nunc agitur, facit dispositio Sacri Concilii *Sess. 23. cap. 10. de Reform.* ubi sic legitur: *Abbatibus, ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines ulicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi Nullius Diœcesis, vel exemptis esse dicatur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre.*

Attentaque hujusmodi dispositione, inolevit in hac Sac. Congregatione distinctio inter Abbatem Regularem, & Abbatem Secularem, quod Abbas videlicet Regularis, si sit Presbyter, & solemniter benedictus, conferre valeat suis subditis Regularibus Primam Tonsuram, & Minores Ordines, juxta Textum *in canone Quoniam dist. 69. in cap. cum contingat de ætate, & qualitate, & in cap. Abbates de Privilegiis in 6.* nisi forte Episcopus ter cum humilitate requisitus noluerit benedictionem impartiri, vel nisi forte Abbates habeant a Sede Apostolica Privilegium, ut etiamsi non sint benedicti, facere possint ea, quæ fiunt ab Abbatibus benedictis; in utroque etenim ex hisce casibus Abbas Regularis etiam non benedictus conferre potest suis subditis Regularibus Primam Tonsuram, & Minores Ordines, ut in terminis primi casus est Textus *in cap. Statuimus de supplenda negligentia Prælatorum*, & in terminis secundi casus late prosequuntur *Tambur. de jure Abbatum tom. primo disputat. 11. quæst. 3. num. 3. & seq. & eodem tom. 1. disput. 11. quæst. 13. & tom. 2. disput. 2. quæst. 3. per totam, Barbosa Voto 89. num. 28. lib. 3. Pirhing ad primum lib. Decret. tom. 1. tit. 11. sect. prima §. 6. num. 43. Clericat. de Sacrament. Ordinis decis. 15. num. 7. & pluribus seqq.* & in hoc rerum statu, si Abbas Regularis habens subditos Regulares conferat Clericis Sæcularibus Primam Tonsuram, aut Minores Ordines, cum funditus non careat ordinandi potestate, valida dicitur ordinatio, sed illicita, & hi sæculares ordinati remanent suspensi.

At si agatur de Abbate Sæculari, & tunc, vel hic habet Privilegium conferendi Sæcularibus Tonsuram, & Minores Ordines ante Concilium, vel post Concilium. Si ante Concilium, nec Tonsuram, nec Minores Ordines conferre potest, cum hæc privilegia fuerint a Concilio sublata, & in hac facti specie Ordinatio ab ipso facta non solum est illicita, sed invalida. Sed si privilegium habeat post Concilium, ipse licite, & valide confert Primam Tonsuram, & Minores Ordines Personis Sæcularibus in privilegio designatis, & quatenus conferat Personis Sæcularibus in privilegio non designatis, ordinatio est valida, sed illicita, & ordinati remanent suspensi, uti materia funditus examinata ad sensum hujus S. Congregationis, bene probat *Fagnan. in cap. statuimus num. 11. & seqq. usque ad finem de supplenda negligentia Prælatorum*, tantoque cum rigore proceditur, ut sive Abbas sit Sæcularis, sive Regularis, habeatque jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & Populum, & Territorium separatum, Personis tamen Sæcularibus Dimissorias concedere non possit, nisi speciale super hoc habeat a Sede Apostolica Privilegium, juxta sensum hujus S. Congregationis, de quo apud *Fagnan. in cap. significasti num. 12. & seqq. de officio Archidiaconi.*

Hæc sunt, quæ habentur in facto, & in jure; cumque miserabilis Turrianus ignoret, quid sibi agendum sit, & humillime exoret pro opportuno remedio, ut ad Sacros Ordines ascendere possit, proposita instantia in Congregat. habita hac *die 14. Aprilis 1725.* nulla fuit capta resolutio, sed rescriptum *ad mentem*.

De professione Abbatis conferendi Ordines Minores his, qui sunt adscripti servitio suæ Ecclesiæ, non fuit excitata controversia, tum propter facti notorietatem, tum propter recensitam attestationem Episcopi Lucani, & demum, quia Turrianus exhibuit authentica testimonia tum Ecclesiasticorum, tum aliarum Personarum Nobilium Civitatis Mantuanæ, qui prævio juramento asseruerunt, Abbatem S. Barbaræ ex privilegiis sibi a Sede Apostolica concessis Minores Ordines conferre adscriptis tam Numerariis, quam Supranumerariis servitio suæ Ecclesiæ tanquam sibi subditis, idque in Civitate Mantuana esse certum, & notorium, quocirca punctus redactus fuit ad titulum, ad examen videlicet, an Abbas privilegio Apostolico per Concilium Tridentinum nullatenus revocato potiretur conferendi Tonsuram, & Ordines Minores.

Si etenim Abbas hoc non potitur Privilegio, vel quatenus illud fuerit a Concilio Tridentino revocatum, Ordinatio Turriani non erit illicita, sed invalida, nec Oratori succurri poterit alio modo, quam per validam repetitionem Ordinum ab Abbate nulliter receptorum.

E contra vero si Abbas memoratum habet Privilegium, & illud nullatenus a Concilio Tridentino revocatum est, Ordinatio Turriani erit valida, & licita, si ipse est inter comprehensos in dicto Privilegio, & si non est inter comprehensos, ordinatio erit valida, sed illicita, & Oratori non erit succurrendum per repetitionem Ordinum, sed per relaxationem a Suspensione, & rehabilitationem ad Ordines, quæ non ita difficile poterit Oratori concedi tum propter bonam fidem, in qua constitutus Ordines recepit ab Abbate S. Barbaræ, tum propter expressum consensum Episcopi Lucani, ut ex ejus responsione supra memorata plene colligitur.

Et cohærenter ad hæc, cum in prædicta Congregatione habita *die 14. Aprilis 1725.* sub illis responsi verbis *ad mentem* mihi Secretario fuerit demandatum, ut ex officio colligerem ea, quæ facere possent super articulo excitato, an Privilegium concessum a Summo Pontifice Pio Papa IV. Abbati S. Barbaræ, conferendi Tonsuram, & Minores Ordines, fuerit ab eodem Pontifice revocatum *in Constitutione 94. ejusdem Pontificis Bullar. tom. 2.* Mandatis ea, qua decet reverentia, morem gessi, ut ex adnotationibus ad calcem Quæstionis impressis colligi potest, & in eo quod attinet ad instantiam Bartholomæi Turriani, ipse iterum asserit, se tres Minores Ordines ab Abbate S. Barbaræ bona fide recepisse, cum idem publice, & palam Minores Ordines conferat in Civitate Mantuana Clericis addictis servitio suæ Ecclesiæ tam numerariis, quam supranumerariis, ut ab exhibitis attestationibus desumitur, & se esse promptissimum, vel ad supplicandum suo Episcopo pro relaxatione suspensionis, quatenus Privilegium Abbatis S. Barbaræ habeatur pro limitato ad Clericos numerarios, vel se esse promptum ad recipiendos a suo Episcopo tres Minores Ordines, quatenus Privilegium Abbatis habeatur pro revocato a Concilio Tridentino juxta distinctionem, de qua apud *Fagnan. in cap. Statuimus num. 11. & seqq. de supplenda negligentia Prælatorum*, cum sua tantum interfit ad Sacros Ordines ascendere.

Eadem Causa cum fuerit reproposita die 26. Januarii anni 1726. & responsum fuerit, quod omnino proponeretur in prima post Cineres, & aliqua supervenerint transmissa ab Abbate S. Barbaræ, quæ ad calcem commodioris studii gratia referentur, quæritur

An & quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. die 16. Martii 1726. respondit,

Pro relaxatione suspensionis Oratoris arbitrio Episcopi Lucani.

ADNOTATIONES PRIMÆ SECRETARII

Postea Benedicti Papæ XIV.

In Causa Lucana.

SANCTÆ memoriæ Pius Papa IV. Ecclesiam S. Barbaræ Civitatis Mantuanæ in Collegiatam erexit, & in ea Abbatem constituit, *qui ipsius Ecclesiæ Caput existeret, & ordinariam in ea jurisdictionem haberet, & exerceret.*

Præter Abbatem, Pontifex in eadem constituit Archipresbyterum, Archidiaconum, Præpositum, & Decanum, demandavitque, ut absente Abbate, jurisdictio ab Archipresbytero exerceretur, & in defectu Abbatis, & Archipresbyteri, ab Archidiacono, & sic usque ad ultimam Dignitatem. Additi fuerunt Canonicatus, & Cappellaniæ, & jus præsentandi tam ad Dignitates, quam ad Canonicatus, & Cappellanias reservatum fuit Guillelmo Duci Mantuæ, tunc viventi, & deinde *ejus hæredibus, & in d. Ducatu Mantuæ successoribus* cum expressione, quod id ei non competebat ex Privilegio Apostolico, *sed ex vera fundatione, & vera dotatione.*

Ecclesia Mantuana tunc administrabatur a Cardinali Federico Gonzaga, & Pontifex Ecclesiam S. Barbaræ, Abbatem, Archipresbyterum, & alias Dignitates, & Canonicos, & Cappellanos tam præsentes, quam futuros eximit ab omni superioritate, correctione, visitatione, jurisdictione, dominio, & potestate tam prædicti Federici Cardinalis, quam pro tempore existentis Episcopi Mantuani, *dummodo ipsius Federici Cardinalis ad hoc accederet assensus*, reservato tantum jure Episcopo pro tempore Civitatis Mantuæ visitandi, & corrigendi, in hypothesi negligentiæ Abbatis, vel Archipresbyteri, & sic successive aliarum Dignitatum, & post eis assignatum terminum duorum mensium, ut ea explerent, quæ ad ipsorum ministerium pertinebant.

Multa a Pontifice Abbati, & Dignitatibus concessa sunt privilegia, quæ fuse legi possunt in Bulla inferius alleganda, sed in eo, quod attinet ad Ordinum collationem, hæc in eadem habentur, *ipsique Abbas, & alii Dignitates obtinentes gradatim, ut præfertur, ejusdem Ecclesiæ S. Barbaræ, personis ad id idoneis de Federici Cardinalis prædicti consensu Primam Tonsuram, seu Clericalem Charactherem, ac quatuor Minores Ordines conferre, ac quoscumque dictæ suæ Ecclesiæ Clericos, & Beneficiatos etiam in Sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutos suis existentibus demeritis, quoties opus fuerit debitis pœnis juxta sanctiones canonicas punire &c., necnon Sacrum Chrisma ab Ordinario loci pro tempore existente, vel alio quocumque Catholico Antistite receptum iidem Abbas, & Archipres-*

byter,

byter, ac subsequenter alias Dignitates obtinentes respective, ut præfertur in eadem Ecclesia S. Barbaræ, & alibi de ejusdem Federici Cardinalis consensu habere, tenere, & Clerici dictæ Ecclesiæ, alioquin idonei sub solo stipendio suo duodecim scutorum præfato ad Sacros Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines promoveri.

Hæc sunt, quæ continentur in Bulla Pii Quarti, cujus sumptum de verbo ad verbum, prout habetur in ejus Originali regesto, penes me est cum authentica subscriptione Domini Jacobi Antonii Prioris de Pretis Præfecti Custodiæ Archivii secreti Vaticani; & ab hac Bulla Abbas S. Barbaræ suam desumit auctoritatem, Tonsuram, & Minores Ordines conferendi, nec non Sacramentum Confirmationis administrandi, prout a præsenti Abbate in proxime præteritis festivitatibus Pentecostes factum fuisse non vulgares Epistolæ Civitatis Mantuæ ad notitiam hujus Sac. Congregationis detulerunt.

His positis, nonnulla ex ordine quæreuda, & investiganda esse videntur; Primum est, an allegatum Pii Quarti Summi Pontificis privilegium fuerit a Concilio Tridentino revocatum.

Secundum, an illud sit limitatum ad eos, qui sunt addicti servitio Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ, vel sit indefinitum quoad omnes.

Tertium quid statuendum sit in casu præsenti Turriani Oratoris.

Et quartum denique, an aliqua providentia fumenda sit quoad Sacramentum Confirmationis, quod ab Abbate S. Barbaræ administratur.

Quoad primum operæ pretium est perpendere, an privilegium Pii Quarti sit anterius, vel posterius Concilio Tridentino; si etenim fuit concessum ante Concilium Tridentinum, illud ab eodem Concilio dicendum erit revocatum; cum Concilium *sess.* 23. *cap.* 10. *de Ref.* non præservaverit jus conferendi Tonsuram, & minores Ordines, nisi Abbatibus habentibus subditos Regulares: quo stante idem Concilium ademisse dicendum est facultatem conferendi Tonsuram, & Minores Ordines Abbatibus sæcularibus, qui nullos habent, prout in casu, subditos Regulares; secus autem se habebit res, si Privilegium sit Concilio Tridentino posterius, cum Concilium sustulerit antecedentia Privilegia, non futura, uti bene ponderat *Fagnan. in cap. Statuimus n.* 14. *& sub num.* 53. *in fine de supplenda negligentia Prælatorum.*

Ad hoc ergo examen descendendo, si Tridentinum fuit sub eodem Pontifice Pio Quarto conclusum, & ab eodem fuit confirmatum septimo Kalendas Februarii anno 1564., uti habetur in *Bulla 73. prædicti Pontificis Bull. tom.* 2. si idem Pontifex decrevit, quod Concilium Tridentinum circa reformationem, & jus positivum tantummodo incipiebat obligare a Kalendis Maii ejusdem Anni 1564., uti habetur *in ejus Bulla* 80. *Bull. tom.* 2. concludi posse videtur, Bullam Pii Quarti, in qua concessit Abbati S. Barbaræ facultatem conferendi Tonsuram, & Minores Ordines, esse Concilio posteriorem, cum data fuerit pridie idus Octobris eodem anno 1564., & sic eam non fuisse a Tridentino sublatam, & multo fortius, cum in hac Bulla Summus Pontifex derogaverit quibuscunque Apostolicis Constitutionibus in contrarium facientibus, & licet non meminerit Concilii Tridentini, id tamen obstare nullo modo videtur, cum statim ac Summus Pontifex aliquid statuit Tridentino contrarium, eidem derogasse dicatur, etsi expressam ejusdem non faciat mentionem, uti late ostendunt *Maresc. variar. resolut. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 11. *& seqq. Gratian. discept.* 940. *n.* 15., *&* 16.

Quoad secundum, cum quidam Abbas S. Barbaræ esset olim decoratus charactere Episcopi in partibus, contentiones inter ipsum, & Episcopum Mantuanum exortæ sunt, propositisque in hac Sacra Congregatione sequentibus Episcopi Mantuani querelis adversus ipsum die 12. Augusti 1679. uti habetur *lib.* 30. *Decret. fol.* 381.

Primo, *Prætendit Abbas adscribere posse ad servitium ejusdem Ecclesiæ numerum indefinitum, ac effrænatum Clericorum, eisque Minores Ordines conferre, etiamsi prædictæ personæ, & Clerici adscripti Nobiles existant, vel ex alia qualitate nunquam prædictæ inserviant Ecclesiæ, quinimmo sæpe sæpius mediante eadem adscriptione Ordines confert illismet, qui per ipsum Episcopum Mantuanum fuerunt rejecti, & improbati.*

Secundo, *præsumit aliis etiam quibuscumque exteris, & forensibus, neque sibi, neque Mantuano Episcopo subjectis eosdem Ordines conferre, & contingente, ut ad præsens, quod idem Abbas accidentaliter existat decoratus aliquo titulo Episcopatus in partibus Infidelium, prætendit pariter alienigenas posse ad omnes Sacros Ordines promovere.*

Tertio, *attribuit sibi potestatem concedendi Dimissorias eisdem Clericis adscriptis, ut a quocumque alio Catholico Antistite independenter ab Ordinario Mantuano valeant promoveri.*

Cum in Congregatione habita die 16. Martii 1680. responsum fuerit ad primum *non licere*, ad secundum *negative*, ad tertium *non posse*, uti habetur *lib.* 31. *Decret. pag.* 60. *a tergo*, concludi posse videtur, Abbatis privilegium quoad Tonsuram, & Minores esse restrictum ad eos qui sunt addicti servitio Ecclesiæ S. Barbaræ, & non esse indefinitum quoad omnes.

Quoad tertium, cum admittatur servitium a Turriano præstitum fuisse Ecclesiæ S. Barbaræ non inter Clericos Numerarios, sed Supernumerarios, ejus ordinatio ad Minores ad summum esse poterit illicita, sed non invalida; quando etenim Abbas habet privilegium concessum post Concilium Tridentinum, valide confert, & licite Primam Tonsuram, & Minores Ordines personis sæcularibus in privilegio designatis, & quatenus conferat personis sæcularibus in privilegio non designatis, ordinatio est valida, sed illicita, & ordinati remanent suspensi, ut late ostendit *Fagnan. in cap. statuimus n.* 11. *& seqq. usque ad finem de supplenda negligentia Prælatorum;* in quo rerum themate, quatenus huic Sacræ Congregationi videatur, posset Turriano succurri per relaxationem suspensionis, & eo magis, cum ex deductis in folio non desit assensus Episcopi Lucani, qui est ejus Ordinarius.

Quoad quartum, & ultimum, admissa opinione in Sacris Congregationibus recepta, quod possit Summus Pontifex facere simplicem Sacerdotem Ministrum Extraordinarium Sacramenti Confirmationis, Chrismate ab Episcopo benedicto, vis est in videndo, an Pius Papa Quartus voluerit, Abbatem S. Barbaræ, & in ejus defectu cæteras ejusdem Ecclesiæ Dignitates, Ministros extraordinarios constituere Sacramenti Confirmationis, quando iisdem dedit facultatem habendi, & retinendi in Ecclesia S. Barbaræ Sacrum Chrisma ab Ordinario loci, aut alio Catholico Antistite benedictum, illudque distribuendi, & conferendi Christi fidelibus, qua in re profecto videtur negative respondendum.

Licet etenim Chrisma non sit simplex Oleum, sed Oleum Balsamo mixtum, juxta *Textum in cap. unico de Sacra Unctione*, & balsami mixtura sit necessaria in Sacramento Confirmationis, sive deinde hoc sit de necessitate Sacramenti, sive de necessitate Præcepti, juxta varias Scribentium opiniones, de quibus apud *Eminentissimum D. meum Cardinalem Petra tom.* 3. *ad Constitutiones Apostolicas pag.* 139. cum Sacrum nihilominus Chrisma in tot aliis consecrationibus, ordinationibus, & benedictionibus adhibeatur, sensus idcirco privilegii Piani esse poterit, ut Sacrum Chrisma ab Episcopo benedictum conservetur in Ecclesia S. Barbaræ, ut casibus opportunis confignetur illis, qui eo uti possunt, absque ulla necessitate adstruendi, quod Abbas, & cæteræ Dignitates eodem uti valeant in conferendo Confirmationis Sacramento.

Adeoque cum inter cætera dubia proposita die 12. Augusti 1679. inter Episcopum Mantuanum, & Abbatem S. Barbaræ Nonum conceptum esset sequentibus verbis: *denique attribuit sibi facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis, seu Chrisma*, huic dubio *die 16. Martii* 1680. responsum fuit, *non licere*.

Et in tantum tunc responsum fuit, *non licere*, & non fuit responsum, *non posse*, in quantum tunc Abbas S. Barbaræ characterem habebat Episcopalem, si enim Abbas fuisset, prout nunc est, simplex Sacerdos, responsum fuisset, *non posse*, juxta celebrem *Textum in cap. Quanto de consuetudine*.

Et hæc sunt, quæ mei muneris esse censui EE. PP. reverenter insinuare, licet de hoc ultimo puncto nulla sit mota controversia a Turriano; satis etenim est, ut factum fuerit deductum ad notitiam Sac. Congregationis, quæ invigilare debet super executione Concilii Tridentini, & ex officio procedere ad abusuum extirpationem in toto Christiano Orbe, juxta *Constitutionem* 74. *Sixti V. Congreg.* 8. *Bull. tom.* 2.

A D-

ADNOTATIONES SECUNDÆ SECRETARII

Postea Benedicti Papæ XIV.

In Causa Lucana.

POTERUNT EE. VV. reassumere Folium Congregationis habitæ *die* 1. *Septembris currentis anni* 1725. ad cujus calcem impressæ habentur aliæ ejusdem Secretarii Adnotationes in hac eadem Causa Lucana, ex quibus, ut inutilis evitetur repetitio, sequentia inferuntur.

Primo, quod Summus Pontifex Pius Papa Quartus concessit Abbati Sanctæ Barbaræ facultatem conferendi primam Tonsuram, & quatuor Ordines Minores illis saltem, qui sunt addicti servitio suæ Ecclesiæ.

Secundo, quod hæc Piana concessio edita fuit pridie Idus Octobris anno 1564., & sic quod est posterior Concilio Tridentino, quod fuit confirmatum ab eodem Pontifice Pio IV. septimo Kalendas Februarii eodem anno 1564., ut habetur *in Bulla* 73. *prædicti Pontificis Bullar. tom.* 2., & quod in eo, quod attinet ad reformationem, & jus positivum, obligare incœpit *a Kalend. Maii ejusd. anni* 1564. uti habetur in *ejus Bull.* 80. *Bullar. tom.* 2.

Tertio demum non posse dici, quod Privilegium Pianum concessum Abbati S. Barbaræ fuerit a Concilio Tridentino revocatum; cum idem Concilium *sess.* 23. *cap.* 10. *de reformatione* sustulerit antecedentia Privilegia & non subsequentia, seu futura, uti ex mente hujus Sacræ Congregationis bene ponderat *Fagnan. in cap. Statuimus n.* 14. *& sub n.* 53. *in fin. de supplen. negligent. Prælatorum.*

Quia vero 13. *Kalen. Martii*, hoc est *die* 17. *Februarii anni* 1564. idem Pontifex aliam edidit Constitutionem, quæ publicata fuit *die* 24. *mensis Februarii anno* 1565. in qua omnia, & quæcumque Privilegia, & Indulta, quæ essent contraria Statutis, & Decretis Concilii Tridentini revocavit, cassavit, & annullavit, & ad terminos ejusdem Concilii reduxit, etiamsi non solum ab aliis Romanis Pontificibus, sed a se ipso concessa fuissent, uti habetur *in ejus Constitutione* 94. *Bullar. tom.* 2., hac de causa rationabilis dubitatio in postrema Congregatione excitata fuit, an per hanc *Constitutionem* 94. revocata dicenda esset facultas ab eodem Pontifice concessa Abbati S. Barbaræ conferendi Tonsuram, & Minores Ordines.

Ut vis hujus objecti funditus examinaretur, operæ pretium esse existimavi manum admovere ad jura, quæ fuerunt in hac Sac. Congregatione exhibita *anno* 1679. occasione controversiæ inter Episcopum Mantuanum, & Abbatem S. Barbaræ, de qua in aliis meis præcedentibus adnotationibus, & in scripturis exaratis pro Episcopo, inveni, quod ejus defensores strenue pugnarunt pro revocatione Privilegii a Pio IV. concessi, revocationem, & annullationem constituendo *in allegata Bulla* 94. *ejusdem Pii Papæ IV.*, & quod in scripturis exhibitis pro parte Abbatis ultra Privilegium citatum prædicti Pii Papæ IV. hæc alia jura exhibita fuerunt.

Primum constitutum fuit in Litteris Apostolicis Sancti Pii Papæ V. editis *die ultima Januar.* 1570. & directis Ascanio Majorensi Episcopo, Abbatiam Sanctæ Barbaræ tunc obtinenti, in quibus habentur hæc verba: *hinc est, quod nos motu proprio &c. Venerabili Fratri Ascanio Majorensi Episcopo Abbatiam Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ Mantuæ dignitatem &c. obtinenti, ut quoscumque suos, videlicet ipsius Abbatis subditos, alios vero Litteras dimissorias a suis Ordinariis habentes, & prius ab Episcopo Mantuano, seu ejus Deputatis examinatos, idoneosque repertos quarumcumque Civitatum, & Diœcesum Clericali charactere insignire, & ad quatuor Minores, & Sacros etiam Presbyteratus Ordines statutis a jure temporibus promovere &c. concedimus, & indulgemus*, uti plene habetur in eisdem litteris Apostolicis, ad calcem harum adnotationum impressis.

Secundum fuit constitutum in Litteris Apostolicis Gregorii XIII. expeditis die 20. Septembris 1579. in quibus, postquam idem Pontifex protestatus fuit, se privilegia Abbati concessa velle ad novam formam reducere, sic §. 4. de facultate conferendi Ordines locutus est: *ipsique Abbas, & alii Dignitates obtinentes gradatim, ut præfertur, ejusdem Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ personis, necnon Regularibus quibuscumque ad id tamen idoneis Primam Tonsuram, seu Clericalem charactererem, ac quatuor Minores Ordines conferre &c. & Sacrum Chrisma a quocumque Catholico Antistite receptum, idem Abbas, & subsequenter alii alias Dignitates obtinentes, respective, ut præfertur, in eadem Ecclesia Sanctæ Barbaræ, & alibi habere, tenere, & Christi fidelibus distribuere, & conferre possint*: & rursus §. 8. *& quoscumque suos, videlicet Abbati Subditos, alios vero Litteras Dimissorias a suis Ordinariis habentes quarumcumque Civitatum, & Diœcesum Clericali charactere insignire, & ad quatuor Minores Ordines, & Sacros etiam Presbyteratus Ordines promovere possit &c.* quæ tamen secunda concessio limitata fuit ad casum, in quo Abbas esset insignitus charactere Episcopali, ut habetur ex principio citati §. 8. ibi: *necnon pro tempore ejusdem Ecclesiæ Abbas, si Episcopus erit &c.*

Tertium deductum fuit ex Libro Constitutionum Ecclesiæ S. Barbaræ, in quo sic legitur: *Ad Ordines Minores Clerici hujus Ecclesiæ ordinandi a Magistro suo, sive ab Abbate Deputatis examinati juxta Concilii Tridentini decreta idonei Abbati offerantur, qui eos temporibus a Jure statutis ad Ordines Minores promovet, ad Sacros vero Ordines, videlicet Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus promovendi ab eodem Abbate, si fuerit Episcopus, a Jure statutis temporibus ordinantur.*

A defensoribus Episcopi responsum fuit, revocationem facultatis concessæ a Pio IV. clarissime comprobari etiam ex litteris Apostolicis Sancti Pii V. in quibus nulla fit mentio memoratæ facultatis, & quod postremæ hæ litteræ Sancti Pii in eo saltem, quod attinet ad collationem Ordinum, fuerunt personales, hoc est directæ ad solam personam Ascanii Majorensis Episcopi, & tunc Abbatis Sanctæ Barbaræ, & signanter quia in illis conceditur facultas non solum promovendi ad Minores Ordines, sed etiam ad Sacros, & ad ipsum Presbyteratum, quod utique simplici Presbytero concedi nequit, uti colligitur ex Concilio Tridentino *sess.* 22. *Can.* 2. *& Sess.* 23. *Can.* 7. & est doctrina D. Thomæ in *quartum Sententiarum distinct.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. ibi: *Papa qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Dignitatem Episcopalem pertinent, dummodo illa non habeat immediatam relationem ad verum Corpus Christi, & ideo ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre Minores Ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos, nec interim Sacerdos, Majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem Potestatem, quam simplex Sacerdos.*

Et privilegium concessum Abbatibus Cistercienfibus ab Innocentio VIII. conferendi suis Monachis Subdiaconatum, & Diaconatum dicitur a nonnullis, quod fuerit revocatum a Concilio Tridentino, *Suarez. de Religione tom.* 4. *lib.* 2. *c.* 29. *n.* 17. *& n.* 24. *&* 25. & ab aliis dicitur apocryphum, *Sylvius in* 3. *partem Divi Thomæ quæst.* 28. *art.* 1. & innuit *Navarr. lib.* 5. *Consilior. cons.* 13. *de Privileg.*

Transeundo ad Litteras Gregorii XIII. Defensores Episcopi nonnullas in forma authentica exhibuerunt, expeditas die 5. Augusti 1579. in quibus, licet directis ad Gulielmum Mantuæ Ducem, & plura statuentibus de Ecclesia S. Barbaræ, nulla habetur mentio facultatis Ordines conferendi, & sermonem habendo de aliis supra recensitis ab Abbate exhibitis, & expeditis die 20. Septembris 1579., & in quibus continentur ea, quæ in Superioribus dicta fuerunt de facultate Ordines conferendi, dixerunt eas fuisse extractas ab Archivio Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ, & ex quodam Transumpto simplici, uti testatus fuit Notarius, qui Bullam collationavit, & authenticam attulerunt attestationem, quod perquisitis Indicibus Brevium Gregorii XIII. editis anno 1579., non fuit repertum nisi illud expeditum die 15. Augusti, nec ullo modo fuit repertum aliud expeditum die 20. Septembris 1579. & tandem asseruerunt, nullum momentum reponi posse in allegatis Statutis Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ, cum ignoretur, qua auctoritate fuerint edita, & an auctoritate Apostolica fuerint roborata.

Hæc sunt, quæ continentur in voluminosis informationibus exhibitis Sacræ Congregationi anno 1679., & cum tunc Abbas S. Barbaræ esset charactere Episcopali insignitus, quando hodie non est tali charactere decoratus, Sacra hæc eadem Congregatio respondit, non licere dicto Abbati adscribere ad servitium suæ Ecclesiæ indefinitum numerum Clericorum, & eis Minores Ordines conferre, etiamsi non inserviant Ecclesiæ, eidem pariter

non

non licere Alienigenas ad omnes Sacros Ordines promovere, nec posse se concedere Clericis adscriptis Dimissorias, ut a quocumque alio Catholico Antistite independenter ab Episcopo Mantuano valeant promoveri, & demum eidem non licere ministrare Sacramentum Confirmationis seu Chrisma, uti habetur in resolutionibus, quæ fuerunt indicatæ in meis præcedentibus adnotationibus.

Sola indago circa facultatem Ordines Minores conferendi satis est pro resolutione Dubii respicientis Bartholomæum Turrianum, sed cum habita fuerit etiam notitia, quod Abbas Sanctæ Barbaræ administrat Sacramentum Confirmationis, duo videntur examinanda. Primum, an id ei competat ex privilegio supra recensito Pii Papæ IV. edito pridie Idus Octobris anno 1564. & secundum, an in hypothesi, in qua competat, illud dicendum sit revocatum *ex citata Constitutione 94. ejusdem Bullar. Pii IV. tom. 2.*

Quoad primum, verba privilegii recensita in aliis adnotationibus præseferunt facultatem Sacrum Chrisma a quocumque Catholico Antistite recipiendi, & conservandi in Ecclesia, & Christifidelibus distribuendi, & conferendi, sed illis minime obstantibus Sacra Congregatio die 16. Martii 1680. respondit *Abbati non licere Sacramentum Confirmationis conferre*, licet Abbas, uti dictum est, tunc esset Episcopus in Partibus.

Quoad secundum, punctus est in examinando, an concessio facta simplici Presbytero conferendi Sacramentum Confirmationis adversetur Concilio Tridentino, quod *sess. 7. can. 3.* anathema dixit adversus asserentes, Ordinarium Ministrum Confirmationis non esse solum Episcopum, hocque *articulo in S. Congregatione* proposito, tres Cardinales fuerunt in sensu, quod dicta facultas quodammodo adversetur Tridentino, & quatuor alii in oppositam iverunt Sententiam, ex quo Concilium ibi loquitur de ministro Ordinario & non de Ministro Extraordinario, ut habetur apud *Fagnan. in cap. Cum vemisset §. Per frontis n. 9. de Sacra Unctione.*

Aliæ demum notitiæ ad Urbem delatæ referunt, Abbatem S. Barbaræ Confessarios approbare, qui in ipsius Ecclesia Confessiones excipiunt Personarum ad eam accedentium; quod non videtur, competere posse simpliciter exempto, vel ad summum habenti limitatam Jurisdictionem in loco, sed carentem vero Territorio separato, & Jurisdictione activa in Clerum, & Populum.

Atque hæc sunt, quæ in executionem muneris commissi Secretarius potuit adnotare.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

PRÆCLARA dilecti Filii nobilis Viri Guglielmi, & aliorum Prædecessorum suorum Ducum Mantuæ erga Romanam Ecclesiam, Sedemque Apostolicam merita suo quodam Jure exposcunt, ut Ecclesiarum præsertim insignium ipsorum Ducum expensis, & bonis magnifice constructarum, & dotatarum, illarumque personarum decori, quantum cum Deo possumus, salubriter consulamus. Hinc est, quod nos motu proprio, & ex certa scientia nostra, contemplatione tamen, & intuitu prædicti Guglielmi Ducis Venerabili Fratri Ascanio Majorensi Episcopo Abbatiam Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ Mantuæ Dignitatem inibi principalem ex concessione, seu Dispensatione Apostolica in titulum, vel in Commendam obtinenti, ut dictam Ecclesiam, quæ de Jurepatronatus prædicti Guglielmi Ducis ex fundatione, & Dotatione existit, illiusque Altaria in forma consueta auctoritate nostra consecrare, & reconsecrare, ac reconciliare; necnon in prædicta Ecclesia Pontificalibus insigniis, Pontificiaque auctoritate uti, & quoscumque suos, videlicet ipsius Abbatis subditos, alios vero Litteras Dimissorias a suis Ordinariis habentes, & prius ab Episcopo Mantuano, seu ejus Deputatis examinatos, idoneosque repertos, quarumcumque Civitatum, & Diœcesum Clericali charactere insignire, & ad quatuor Minores, ac Sacros etiam Presbyteratus Ordines statutis a Jure temporibus promovere, & denique in dicta Ecclesia alia Pontificalia officia perinde, ac si in sua Civitate, & Diœcesi esset, exercere: Necnon pro tempore existenti ipsius Ecclesiæ Abbati, etiamsi Episcopus non existat, vel absente Abbate cuivis inibi aliam Dignitatem obtinenti, quod is, quando sibi videbitur, singulis horis benedictionem solemnem super Populum elargiri, & impartiri: ac insuper pro tempore existenti ipsius Ecclesiæ Archipresbytero, quod ille absente ipso Abbate in prædicta Ecclesia tantum Mozzettam super Toga Mantelletto nuncupata deferre, & gestare Ordinarii Loci, seu cujusvis alterius licentia, & consensu minime requisitis, libere, & licite valeant, Apostolica auctoritate per præsentes concedimus, & indulgemus. Districtius inhibentes Episcopo Mantuano, præterquam in Extraneis promovendis, ut præfertur, ac quibuscumque aliis personis, ne super præmissis, & illorum exequutione Ascanium, & alium post se futurum Abbatem, ac obtinentem aliam Dignitatem, necnon Archipresbyterum prædictos quovis quæsito colore, vel ingenio, vel prætextu directe, vel indirecte molestare, perturbare, vel inquietare audeant, vel præsumant: Non obstantibus quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Januarii 1570. Pontificatus nostri anno quinto.

Cel. Glorierius.

ADNOTATIONES TERTIÆ SECRETARII,

Postea Benedicti Papæ XIV.

In Causa Lucana.

1. ANNO 1715. Bartholomæus Turrianus obtinuit a suo Episcopo Lucano litteras dimissorias, ut a quocumque Catholico Antistite ad primam Tonsuram, & quatuor Ordines Minores promoveri posset, & post receptam primam Tonsuram, & Ordinem Ostiariatus ab Episcopo Mantuano, tres alios Minores Ordines recepit ab Abbate Seculari Ecclesiæ Collegiatæ S. Barbaræ ejusdem Civitatis, uti addictus servitio prædictæ Ecclesiæ, & Jura juribus addendo, in sequelam etiam Dimissorialium ipsi concessarum ab Episcopo Originis.

2. Turrianus instetit apud Episcopum Lucanum pro Dimissoriis ad effectum suscipiendi Sacros Ordines, exortaque usque de anno 1718. controversia circa Ordines receptos a prædicto Abbate S. Barbaræ, de ea pluries actum fuit in hac Sacra Congregatione; tam inter summaria precum, quam in folio, nec ipsa umquam potuit terminari.

3. Protestante semper Turriano, se esse promptum, & paratum ad executionem omnium, quæ sibi ab hac S. Congregatione demandari contigerit, vel videlicet instando apud suum Episcopum pro receptione trium minorum Ordinum, quatenus Abbas S. Barbaræ careat privilegio primam Tonsuram, & minores Ordines conferendi, vel instando apud eundem Episcopum pro relaxatione suspensionis, quatenus Abbas dictum Privilegium haberet, sed eodem illicite usus fuisset, conferendo sibi minores Ordines, utpote non adscripto inter Clericos numerarios, sed supranumerarios sæpe memoratæ Ecclesiæ S. Barbaræ.

4. Et etiam subdente Episcopo Lucano in suis informationibus, quod attenta bona fide Turriani, & attentis cæteris ejusdem requisitis, suppeditandum videbatur esse ab hac Sac. Congregatione remedium, ut idem ad Sacros Ordines ascenderet.

5. Hinc factum est, quod opus fuit manum admovere ad examinanda, & perpendenda Privilegia Abbatis S. Barbaræ, eodemque non comparente, ipse pro mei incumbentia muneris binos alios exaravi super dictis Privilegiis Discursus impressos ad calcem fol. Congregationum habitarum *die prima Septembris, & die 17. Novembris* 1725. & quod ulterius EE. VV. tam in dictis Congregationibus, quam in omnibus aliis, in quibus actum fuit de Ordinatione Turriani, de prædictis Privilegiis verba fecerunt, & sequentes statuisse visæ sunt propositiones.

6. Prima est, quod Abbati S. Barbaræ fuit a Summo Pontifice Pio IV. concessum Privilegium conferendi Personis idoneis primam Tonsuram, & quatuor minores Ordines, juxta verba Bullæ Pianæ relata in primo meo discursu §. *Multa.*

7. Se-

7. Secunda est, quod huic privilegio non fuit derogatum a Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 10. de Reform.* cum illud sit Concilio posterius, & Concilium derogaverit antecedentibus, & non subsequentibus Privilegiis, uti ad rem firmavit *Fagnan. in cap. Statuimus num. 15. & sub num. 53. in fine de supplenda negligentia Prælatorum*, & latius habetur in allegato Discursu §. *Quo ad primum.*

8. Tertia est, quod citata Bulla Piana, cui a Concilio Tridentino non fuit derogatum, revocata, & abrogata fuisse visa est a Bulla 94. ejusdem Pii V. Bullarii *Tom. 2.* in qua omnia, & quæcumque Privilegia, & Indulta, quæ essent contraria Statutis, & Decretis Concilii Tridentini, revocavit, cassavit, & annullavit, & ad terminos ejusdem Concilii reduxit, etiamsi non solum ab aliis Romanis Pontificibus, sed *a se ipso* concessa fuissent, ut in meo secundo discursu §. *Quia vero.*

9. Quarta est, quod nullum, vel modicum momentum constitui posset in litteris Apostolicis S. Pii V. impressis ad calcem allegati secundi Discursus, licet in illis perspicua detur Abbati facultas conferendi Tonsuram, & minores Ordines, cum prædictæ litteræ videantur fuisse personales, & respicientes solam Personam Ascanii Majorensis Episcopi, & tunc Abbatis S. Barbaræ, & sic nullo modo progressivæ ad Successores in prædicta Abbatia, juxta ponderata in citato discursu §. *A defensoribus.*

10. Ultima est, quod verum fundamentum constitui posset in aliis litteris Apostolicis Gregorii XIII. in his quippe datur Abbati facultas conferendi primam Tonsuram, & minores Ordines, quatenus sit simplex Sacerdos, & conferendi etiam Sacros Ordines, & Presbyteratum, quatenus charactere Episcopali decoratus esset, sed quod difficultas urgebat, quod hæc Bulla nunquam fuit exhibita in forma authentica, & quod perquisitis regestis Vaticanis, eadem nunquam fuit reperta.

11. In hoc rerum statu, transmissa fuit a Civitate Mantuæ nomine Abbatis S. Barbaræ quædam scriptura, in qua Auctor post visa ea, quæ a me deducta fuerunt in citatis binis Decisionibus, docte, & ingeniose suadere conantur, Abbatem S. Barbaræ potiri facultate conferendi primam Tonsuram, & minores Ordines, & ordinationem Turriani non solum fuisse validam, sed etiam licitam, quamvis recensitas litteras Gregorii non transmiserit, nec earum meminerit, sed alias quasdam ejusdem Gregorii XIII. Bullas exhibuerit, de quibus infra, & quæ nihil habent commune cum facultate Ordines conferendi, de qua in præsenti.

12. Primo, quia certa est Abbatis facultas desumpta ex prima Bulla Pii IV. cui derogatum dici non potest ex citata posteriori Bulla, in qua revocavit omnia indulta Concilio Tridentino adversantia, & concessa tam ab aliis Pontificibus, quam a se ipso, tum quia primum Indultum, seu Privilegium fuerat concessum in limine fundationis, & in remuneratione meritorum, & intuitu Ducis Mantuæ illustris ex fundatione, & dotatione Patroni, nec defuerat Ordinarii consensus; tum quia imperceptibile est, quod in hac secunda Bulla voluerit Pontifex primam revocare, cum secundam Bullam ediderit *die 17. Februarii anno* 1564. licet eam publicaverit *die 24. Februarii* 1565. & primam Bullam favore Abbatis Sanctæ Barbaræ ediderit *pridie idus Octobris anno* 1564. & alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod Papa revocatoriam edidisset, tunc quando Privilegium concessit.

13. Secundo quia in prima sua Bulla Summus Pontifex Pius Papa IV. clausulas adeo efficaces, & insolitas derogatorias derogatoriarum adhibuit, ut nunquam dici possit, eidem fuisse derogatum a Bulla posteriori; In prima siquidem datur facultas Duci Mantuæ, Abbati, & Capitulo pro tempore, quandocumque dictæ Bullæ datam semper posteriorem, quibuscumque futuris derogationibus apponere, ibi: *& de novo etiam sub data per eosdem Guglielmum, & pro tempore existentem Ducem, ac Abbatem, Archipresbyterum, & alios alias Dignitates obtinentes, & Capitulum eligenda, concessas fore, & censeri.*

14. Tertio, quia observantia est optima cujuscumque Constitutionis interpres, & interpretatio ab eadem deducta prævalet cuicumque alii interpretationi, etiamsi esset de jure verior, cumque tam ex documentis a Turriano exhibitis, quam ex aliis modo a Civitate Mantuana transmissis, & ex ipsa confessione Episcopi Mantuani habeatur, Abbatem S. Barbaræ semper contulisse primam Tonsuram, & minores Ordines, signum evidentissimum hoc est, quod ejus Privilegium non fuit derogatum a posteriori Bulla Pii IV.

Quæst. Canonic. Pars II.

15. Quarto, quia ex resolutionibus alias editis ab hac S. Congregatione die 12. Augusti 1679. & relatis in meo primo Discursu colligitur, Sac. hanc Congregationem non negasse facultatem Abbatis conferendi primam Tonsuram, & minores Ordines, sed tantum statuisse, ei non licere id facere in numero infinito, & effrænato Clericorum, & in ordine ad eos, qui suæ non inserviunt Ecclesiæ, quo stante tantum abest, quod facultas fuerit a Sac. Congregatione rejecta, quod potius fuit admissa, sed cum restrictione ad numerum determinatum, & ad eos, qui Ecclesiæ inserviunt.

16. Hæc quoad validitatem Ordinationis Turriani. Quo vero ad punctum an eadem fuerit licita, subdit Scribens, in Ecclesia S. Barbaræ duodecim Pueros inservire, qui mercedem accipiunt, & alios, inter quos fuit Turrianus, reperiri, qui habitu Clericali incedunt, & qui studiis vacant, ut ad Ordines suscipiendos idonei efficiantur, quique sine stipendio in solemnioribus, & toties quoties vult Abbas, eidem Ecclesiæ inserviunt, & hujus secundi generis Clericos, adhibita debita moderatione, posse ab Abbate ascribi servitio suæ Ecclesiæ, & eosdem posse insignire prima Tonsura, & minoribus Ordinibus, cum sub Privilegio eidem Abbati concesso a S. Pio Quinto absolvendi ab omnibus peccatis, injuncta salutari pœnitentia Presbyteros sibi subditos, in articulo mortis constitutos, & eisdem plenariam Indulgentiam impertiendi, Gregorius XIII. in suis litteris Apostolicis in forma Brevis expeditis, & in forma Authentica exhibitis comprehensos esse voluerit, *Clericos in minoribus constitutos &c. etiamsi aliquod beneficium in dicta Ecclesia non obtineant, vel salarium aliquod eis vatione servitii dictæ Ecclesiæ constitutum non extiterit, dummodo dictæ Ecclesiæ Abbatis jurisdictioni iidem subjecti sint.*

17. Hæc sunt, quæ in substantia continentur in Scriptura de Partibus transmissa, in ordine ad quam duo tantum videntur adnotanda.

14. Alterum, quod non subsistit in facto, quod Pius Papa IV. quando primum Privilegium concessit, dici valeat, quod revocatoriam edidisset; licet enim revocatoriam ediderit die 17. Februarii anno 1564. & Privilegium concesserit pridie Idus Octobris eodem anno, semper tamen Privilegium fuit anterius revocatione, cum in Bullis Annus non computetur a Nativitate, sed ab Incarnatione juxta tradita *per Covarr. variar. lib. 1. cap. 12. num. 1. & 2.*

19. Alterum est, quod exposita derogatoria subsistit in facto, ut colligitur ex Bulla in forma Authentica exhibita.

20. Alia supersunt, quæ facultatem respiciunt conferendi Sacramentum Confirmationis, approbationem Confessariorum, & concessionem litterarum dimissorialium, sed cum hæc non pertineant ad casum Turriani, de illis habebitur sermo, quando demandabitur.

QUÆSTIO CCCCXXXVII.

In Causa Brugnatensi Collegialitatis, die 14. Aprilis 1725.

ECCLESIA S. Stephani Pontis Sigestri posita est in quadam Villa circumdata montibus ex parte anteriori, & distat a loco Sigestri per quingentos fere passus. Prope hanc Ecclesiam habitant Rustici, & excepto tempore autumnali, quo tempore nonnulli Nobiles ad locum, in quo sita est Ecclesia, accedunt recreationis causa, nulla adesse dicitur Persona, quæ rustica non sit, quæ ibidem habitet. Unum adest in Ecclesia Altare Majus, & duo alia in partibus lateralibus. In eadem non celebratur Missa Conventualis, & si contingat occasio Processionum, aut Exequiarum faciendarum, Archipresbyter cogitur convocare Sacerdotes aliarum Parochiarum, sæpe sæpius in eorum defectum etiam Personas Sæculares, uti colligitur ex informatione Ordinarii Brugnaten. ad hanc Sacram Congregationem transmissa, cumque inter hujus Episcopalis Curiæ Brugnaten. Promotorem, & Sacerdotem Dominicum Fogonam Archipresbyterum prædictæ Ecclesiæ S. Stephani Pontis Sigestri exorta fuerit controversia circa prædictæ Ecclesiæ Collegialitatem, contendente Promotore, eam non esse Collegiatam, & asserente Sacerdote Dominico, eam vere, & proprie Collegiatam esse, & dici debere, & controversiæ examen fuerit ad hanc Sacram Congregationem delatum, disputandum in præsenti proponitur dubium ad calcem Restrictus referendum.

Et quia pro adstruenda Collegialitate Sacerdos affert quoddam Transumptum assertæ Bullæ Benedicti Octavi, qui dicitur, hanc Ecclesiam in Collegiatam erexisse, contendit Promotor Fiscalis, nihil esse dictæ assertæ Bullæ deferendum, cum sit apocrypha, & inter cætera indicia asserat illud, quod in Bulla fit mentio *Archiepiscopi Januensis, & consensus ab eodem præstiti*, necnon cujusdam Relationis præcedenter factæ *a quodam Cardinali Bona*, quando in Elenchis S. R. E. Cardinalium unus tantum cognomine Bona recensetur, qui a san. mem. Clemente Papa Nono inter Cardinales adscriptus fuit, & quando certum est, Episcopum Januensem fuisse evectum ad Archiepiscopi Dignitatem *anno* 1133. ab Innocentio Papa II. qui pacem inter Pisanos, & Januenses composuit, & sic longe post tempora Benedicti Octavi, qui creatus fuit Pontifex anno 1013., & vixit annis fere duodecim, uti colligitur ex Bulla dicti Innocentii Secundi impressa apud Ughellium *in Italia Sacra cap. 4. ultimæ editionis pag. mihi* 859., ubi sic legitur: *Te igitur*, Bulla est directa ad Sirum antea Episcopum Januensem, *Frater Charissime Sive Archiepiscopo Paliigenio decorantes, & gratia ampliori donantes in Archiepiscopum promovemus, & tres Episcopatus in Corsica, Maranen. videlicet, Nepolensem, & tertium, cujus sedem constituimus Ecclesiam S. Petri de Acci, & illum de Brugnate, quem modo novum statuimus, Tibi, tuisque Successoribus Metropolitico jure subjicimus*; & quia Sacerdos Dominicus ultra prædictam Bullam Benedicti Octavi alia quædam signa, & indicia cumulat, ex quibus contendit, probatam esse suæ Ecclesiæ Collegialitatem, ait Promotor Fiscalis, signa, & indicia nullum sibi posse locum vindicare, quando primordialis titulus Collegialitatis, qui est allegatus, suspicionis vitio laborat; præterquam quod signa, & indicia ad rem, de qua agitur, debent esse necessario concludentia, & univoca, ita ut excludantur ea, quæ sunt æquivoca, & convenire possunt etiam simplicibus Congregationibus Cappellanorum, seu Beneficiatorum, juxta late deducta per *Rotam in Placentina prætensæ Collegialitatis 19. Novembris* 1703. *coram Eminentissimo D. meo Cardinali Scotto*. Subditque sæpe memoratus Promotor Fiscalis, quod signa, & indicia a Sacerdote deducta non ad primam, sed ad secundam classem sunt referenda.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An constet de Collegialitate Ecclesiæ S. Stephani Pontis Sigestri in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXXXVIII.

In Causa Gnesnensi, die 14. Aprilis 1725.

Cum Archiepiscopatus Gnesnensis vacasset *anno* 1721., & juxta morem, convocato Capitulo, electi fuissent in Administratores Bonorum Mensæ Archiepiscopalis nonnulli Canonici, unus videlicet pro administratione nonnullorum bonorum, & alii pro aliis bonis administrandis, & ad Archiepiscopatum promotus subinde fuisset *anno* 1724. Theodorus Potochi, idemque urgere cœpisset pro redditione rationis, & recusantibus Canonicis Robertson, & Drialynski, qui bona Archiepiscopatus administraverant, comparere, sub obtentu potissimum, quod Archiepiscopus procedere non poterat ad exigendam dictam rationem sine adjunctis, novus Archiepiscopus ad Censuras processit, exortaque inter ipsum, & dictos Canonicos controversia, ea fuit ab Eminentissimo Auditore Sanctitatis Suæ ad hanc Sacr. Congregationem remissa, cum advertentia tamen, quod in præsenti tantum agitur de memoratis duobus Canonicis, & non de Vitekosascki, qui fuisse dicitur Administrator Generalis, & modo est Episcopus Calmensis, de quo particulariter suis loco, & tempore videndum erit.

Contendit autem Archiepiscopus, se rite, & recte processisse ad Censuras, cum de administratione Bonorum nulla esset dubitatio, & certa esset contumacia Administratorum in non comparendo, & omnia de jure, & praxi Regionis necessaria servata fuerint, antequam ad Censuras deventum sit.

Et in eo, quod attinet ad exigendam rationem sine Adjunctis, ponderandum esse videtur primo, quod Sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 24. cap. 16. de Reform.*, decernit, Episcopum promotum exigere debere ab Officialibus, & Administratoribus a Capitulo deputatis, etiamsi sint ex eodem Capitulo, rationem administrationis, & posse eos punire, si in administratione deliquerint, etiamsi iidem absolutionem, aut liberationem a Capitulo reportassent. Secundo quod idem Concilium *Sess. 25. cap. 6. de Reform.* decernit, quod si Episcopus extra visitationem adversus aliquem ex Canonicis procedere velit, teneatur id facere cum duobus Adjunctis ex Gremio Capituli, & quia *hoc caput sextum sess. 25. de Reform.* est consecutivum *ad caput quartum Sess. 6. de Reform.*, in quo sermo fit de Capitulis exemptis, hinc inolevit opinio innixa Resolutionibus hujus Sacræ Congregationis, quod *caput 6. Sess. 25.* sibi vindicat locum in Capitulis tantum exemptis ab Episcopi jurisdictione, juxta firmata per *Rotam in dec. 743. par. 1. Diversi., & dec. 321. par. 2. Diversi.*, & in *Giennen. Adjunctorum 13. Februarii* 1702. *cor. bo. me. Molines, quæ est decisio 13. in Mantissa ad Cardinalem de Lucæ tom. 1. lib. 3.*, & tertio demum, quod in Capitulis exemptis non tenetur Episcopus ad tramites *Capituli sexti Sess. 25. de Reform.* procedere cum Adjunctis, quando vult exigere rationes administrationis a Canonicis Officialibus deputatis a Capitulo sede vacante, nisi in casu, quo vellet ad eorum punitionem, & correctionem procedere, juxta Resolutionem hujus Sac. Congregationis apud *Garz. de Benef. parte 5. cap. 7. num. 23. in fine, & apud Barbos. ad cap. 6. Sess. 25. num. 24.*

Demum Archiepiscopus addit, non esse ullum momentum constituendum in Transactionibus, & Statutis Synodalibus ex adverso afferendis, cum sint relativa ad *caput sextum Session. 25. de Reformat.*, vel ad ejus tramites intelligenda.

Quæ sint jura Canonicorum ignoro, cum ad me delata non fuerint, quocirca quæritur,

I. An Archiepiscopus Gnesnen. potuerit procedere ad exigendam redditionem rationis absque Adjunctis in casu &c.

II. An Censuræ relaxatæ per eumdem Archiepiscopum sustineantur in casu &c.

Sacra Cong. respondit,
Ad Primum Affirmative.
Ad Secundum Negative.

QUÆSTIO CCCCXXXIX.

In Causa Leopolien si Matrimonii, die 9. Junii 1725.

Postquam Archiepiscopus Leopolien sis validum esse sensit Matrimonium *die 16. Novembris* 1708. contractum inter Regium Principem Constantinum Subjeski, & Comitissam Josepham de Wessel, delataque Causa ad hanc Sacram Congregationem, hæc eadem pariter pro validitate respondit, ad petitionem prædicti Regii Principis demandatum fuit a san. mem. Clemente Papa XI. ut hæc ipsa quidem Sacra Congregatio in ejusdem Causæ cognitione procederet, sed cum voto Rotæ; cumque præviis duabus decisionibus, altera videlicet edita *die 6. Martii* 1722. coram bon. mem. Lancetta Decano, & altera *die 19. Februarii* 1725. coram R. P. D. Cerro, Rotæ Auditorium suum tulerit Votum, in quo ait, *Matrimonium sustineri*, quæritur in præsenti, *an Votum Rotale sit exequendum in casu &c.*

Porro percurrendo Rotæ decisiones habetur, Matrimonium contractum fuisse coram Parocho Gedani, & duobus Testibus, & dictum Parochum fuisse proprium Parochum Principissæ, quod satis est, cum pro validitate Matrimonii sufficiat, quod fuerit celebratum coram Parocho habitationis alterius ex contrahentibus.

Ad effectum autem demonstrandi, quod Parochus Gedani erat proprius Principissæ Parochus, Rota ponderavit, quod Principissa habitaverat in dicto loco per decem menses ante contractum Matrimonium, & quod in eodem loco permansit duobus fere annis post illud contractum.

Decisiones circumferuntur, quocirca quæritur,

An Votum Rotale sit exequendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCCXL.

In Causa Melevitana Seminarii, die 9. Junii 1725.

Episcopus Melevitanus huic Sac. Congregationi exposuit, suum Seminarium esse in Civitate Notabili, &

li, & se suam habere ordinariam residentiam in Civitate Vallettæ, quæ quinque milliaribus distat a Civitate Notabili, seque idcirco magna cum difficultate posse illud administrare, & visitare, exoravitque pro facultate illud transferendi ad memoratam Vallettæ Civitatem sub obtentu, quod in eadem Scholæ reperiuntur apertæ, in quibus aptius Alumni studiis essent vacaturi, nullo habito respectu vel ad locationem Domus conducendæ in Civitate Vallettæ, vel ad servitium præstandum Cathedrali, quæ est in Civitate Notabili, tum quia Seminarium propriam domum non habebat in Civitate Notabili, tum quia Alumni solemnioribus Festis, quibus Episcopus ad suam accedit Cathedralem, debitam poterant præstare assistentiam, & Sacra hæc Congregatio *die 5. Junii* 1723. facultatem Episcopo concessit transferendi Seminarium, & translatio fuit ab ipso executioni mandata.

Capitulum Cathedralis Melevitanæ conqueritur de hac translatione; primo quia Cathedralis Ecclesia est a viginti annis in possessione habendi prope se Seminarium, & servitium recipiendi ab Alumnis singulis Dominicis diebus, & omnibus Festis de præcepto; Secundo quia Capitulum habet coæqualem administrationem bonorum Ecclesiæ, & Fabricæ una cum Episcopo, hinc inferendo, quod sine suo consensu translatio Seminarii fieri non poterat; Tertio quia Sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 23. cap. 18. de reform.* præscribit, quod Seminaria erigantur prope Cathedralem Ecclesiam, & licet detur Episcopo facultas illud constituendi in loco sibi magis benevisо, id tamen intelligendum est, ut procedat, vel quando prope Cathedralem Ecclesiam locus aptus non reperitur, vel saltem in loco sito in eadem Civitate, in qua est Cathedralis Ecclesia, & eo fortius, quia in Civitate Notabili aderant, & adsunt Domus capaces pro Seminario, & Civitas Notabilis est primaria, & antiquissima Civitas Insulæ Melevitanæ, quando Civitas Vallettæ est recentior, & condita fuit pro Conventu Equitum Hierosolymitanorum.

Addunt Canonici, quod aucta est pensio Domus pro Alumnis Seminarii, cum in Civitate Notabili solverentur aut scuta triginta, aut scuta octuaginta, ex computatis tamen fructibus annexi Viridarii, & pensio in Civitate Vallettæ ascendat ad scuta 130. quod imperceptibile est, ut Alumni degentes in Civitate Vallettæ suam assistentiam præstare possint Cathedrali diebus solemnioribus, cum Cathedralis sita sit in Civitate Notabili, quæ pluribus milliaribus distat a Civitate Vallettæ, uti supra dictum est, & quod permanente Seminario in Civitate Vallettæ, Canonici deputati ad ejus gubernium erunt adstricti ad suam residentiam deferendam, & quia Episcopus præcipue innititur majori Alumnorum profectui, qui sperari poterit, si accedant ad Scholas jam apertas in Civitate Vallettæ, subdunt, quod laudabilius fuisset, si eædem Scholæ essent apertæ in Civitate Notabili.

Episcopus e contra inquit, se transtulisse Seminarium post habitum Oraculum Sac. Congregat. & se subsequenter ante translationem rem notificasse Capitulo, & ejus consilium requisivisse, ad quam requisitionem adstrictus tantummodo dici poterat absque necessitate illud amplectendi. Ait præterea, quod post adventum Religionis Hierosolymitanæ in Insulam Melitensem, Major pars Diœcesanorum habitat in Civitate Vallettæ, & in aliis geminis propinquis Victoriosæ, & Sanglea, derelicta fere Civitate Notabili, ex quo factum est, ut Episcopi pro tempore Melitenses continuam ducant moram in Civitate Vallettæ, & in ea suam Curiam retineant, in quo rerum themate nemo non videt, quod si Episcopus debet vigilantiam super Alumnis Seminarii, & ejus gubernio præstare, congruum omnino est, & etiam forte necessarium, quod illud situm sit non in Civitate Notabili, sed in Civitate Vallettæ; cumque Sacrum Tridentinum Concilium citata *Sess. 23. cap. 18.* statuat, ut Seminaristæ bonarum artium disciplina, & studiis Ecclesiasticis imbuantur, inquit idem Episcopus, hæc haberi non potuisse in Civitate Notabili, in qua Seminarium non habebat nisi unicam Scholam Grammaticæ, quando in Civitate Vallettæ adest Collegium Patrum Societatis Jesu Gymnasiis instructum, Grammaticæ, Humanitatis, Philosophiæ, Theologiæ Scholasticæ, & Moralis, adsunt publicæ Scholæ Patrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum, & Seminarium de præsenti Præceptores habet pro omnibus dictis facultatibus, qui degunt in ædibus ipsi contiguis, absque eo quod id sperari potuisset, si Seminarium permansisset in Civitate Notabili, cum Collegia, & Conventus non sint in eadem, & forte nullus potuisset aptus Ecclesiasticus reperi-

ri, qui a Domo sua discedere voluisset ob mercedem quadraginta Ducatorum Melitensium, & se conferre ad habitandum in Civitate Notabili modici incolatus, & aeris rigidi, & absque eo quod ipse in Civitate Notabili potuerit Gymnasia aperire, quæ aperuit in Civitate Vallettæ, cum major Cleri pars, pro cujus commodo Scholas instituit, habitet in Civitate Vallettæ, & in aliis duabus conterminis Victoriosæ, & Sanglea ab ea per breve maris tractum distantibus, concludendo, quod si Sacrum Tridentinum Concilium præscripsit, Seminarium esse erigendum prope Cathedrales Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo, locus conveniens pro Seminario sibi visus est ille Civitatis Vallettæ ex rationibus supra ponderatis, & aliis pluribus, quæ in ejus Scriptura legi possunt; non attento defectu servitii Ecclesiæ Cathedrali præstandi ab Alumnis Seminarii, tum quia Cathedralis Ecclesia instructa est competenti numero Canonicorum, Beneficiatorum, Cappellanorum, & aliorum Ministrorum, tum quia in Civitate Vallettæ est insignis Ecclesia Parochialis, & Collegiata Divi Pauli, cujus servitio Seminaristæ diebus statutis vacare poterunt, eoque magis, quia Sacrum Tridentinum Concilium non præscribit taxative, quod inserviant Cathedrali, sed aliarum etiam Ecclesiarum mentionem facit: *Cathedrali, & aliis loci Ecclesiis diebus Festis inserviant.*

Felicem quoque suo consilio eventum contigisse, asserit Episcopus, tum quia post translationem Œconomia Seminarii ad meliorem statum redacta est, tum quia ante translationem duo tantum aderant in Seminario Seminaristæ, & iidem hodie sunt decem, & ne novitatis insimuletur, tria subnectit, primum est, quod R. P. D. Petrus Duzzina Delegatus Apostolicus, & Visitator Generalis Diœcesis Melitensis *anno* 1575. in actu visitationis erigi mandavit Seminarium, vel in Civitate Vallettæ, vel in altera Victoriosa, & Visitatoris decreta fuerunt *anno* 1577. approbata per Sacram Congregationem specialiter deputatam. Secundum est, quod Episcopus Gargallus verbalem quidem fecit determinationem pro aperitione Seminarii in Civitate Notabili, sed intentionem semper habuit pro eodem constituendo in Civitate Vallettæ, uti ex nonnullis circumstantiis in scriptura Episcopi perlegendis desumi prætenditur, & signanter ab Epistola R. R. D. Innocentii de Bubalo Inquisitoris Melitensis scripta *anno* 1597. ad Cardinalem Matthæjum Præfectum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, *e se bene è vero, che fu fatto il Decreto dell' Erezione del Seminario, non si venne però ad esecuzione alcuna &c. nè meno stabilito il luogo ove debba essere il Seminario, poichè i Canonici lo vorrebbero alla Città Vecchia, ed il Decreto fatto da Monsignor Duzzina Visitatore Apostolico ordina, che si facci nella Valletta.* Et tertium tandem est, quod Episcopus Cocco Palmerius, qui circa annum 1703. Seminarium aperuit in Civitate Notabili, prætermisso, quod id facere non poterat contra Decretum Visitatoris Apostolici, si morte præventus non fuisset, illud transtulisset ad Civitatem Vallettæ, uti colligi prætenditur ex Testibus.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
In decisis, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXLI.

In Causa Romana, seu Januensi Legati, die 9. Junii 1725.

Cum super intelligentia celebris Legati relicti a clar. mem. Marchione Vincentio Justiniano Pauperibus suæ Familiæ, aliqua adesset disceptantia inter hanc Sacram Congregationem, & Rotæ Auditorium; Sacra hæc etenim Congregatio, admittendos esse putabat ad Legati participationem Justinianos Chienses, & Rotæ Auditorium in ea erat opinione, ut hi non possent nisi de quadam modica summa participare, & quod ad pingue Legatum non essent admittendi, nisi Justiniani Januenses, deputata tandem fuit a san. mem. Clemente Papa XI. particularis Congregatio composita ex nonnullis EE. PP. huic Sacræ Congregationi adscriptis, & ex nonnullis Sac. Rotæ Auditoribus, & me Secretario, prædictaque Congregatio Particularis *die 13. Septembris* 1720. plene auditis & discussis rationibus tum Familiæ Justinianæ Januensis, tum Justinianorum Chiensium, sententiam tulit, in qua pronuntiavit, Justinianos Chienses non commorantes in Insula Chiensi, & probantes suam descendentiam a Familia Justinianorum

Januæ, mediante descriptione vel propria, vel alicujus ex Progenitoribus in libro Aureo Reipublicæ esse admittendos ad participationem Legati Marchionis Vincentii, ita ut modica illa annua summa, ad quam solam Rota senserat esse vocatos Justinianos Chienses, dicta sit spectare debere ad Justinianos Chienses, & in Insula Chiensi degentes, & quod Justiniani Chienses extra dictam Insulam degentes, & qui qualitates haberent supra recensita, excludi non deberent a participatione pinguis Legati relicti a Marchione Vincentio Pauperibus Familiæ Justinianæ, & hæc sententia fuit a Collitigantibus acceptata.

Post latam hanc sententiam, cum Thomas, & Marietta de Justinianis, & Marianna, & Magdalena filiæ recursum habuissent ad Summum Pontificem, ut admitterentur ad participationem Legati Marchionis Vincentii, & instantia ad hanc Sacram Congregationem remissa fuisset, scriptum fuit Eminentissimo Archiepiscopo Januensi pro informatione, ut videlicet haberi posset notitia, an in facto subsisteret assertum Familiæ Justinianæ Januensis, quæ prætendebat, quod Justiniani Chienses admissi ad participationem Legati Marchionis Vincentii essent quatuordecim, & haberent scuta decem pro unoquoque quolibet mense, & quod e contra Justiniani Januenses essent septuaginta quatuor, & quod unusquisque ex eis non haberet ex multiplico quolibet anno nisi scuta novem, & obulos nonaginta sex, superventisque responsionibus, *die 7. Februarii* 1722. facta fuit Thomæ, & Mariettæ, & binis filiabus assignatio in totum scutorum quindecim quolibet mense.

Thomas, & Marietta nonnullorum annorum spatio assignamentum prædictum scutorum quindecim receperunt, sed cum aucta filiarum ætate prædicti Conjuges inierint consilium eas collocandi in Monasterio Sancti Laurentii in Pane, & Perna, ut in ipso educarentur, ad quem effectum necessaria sunt menstrua scuta decem, & sic viderint pro sua substentatione nihil aliud superesse quam summam scutorum quinque, novum ad Summum Pontificem habuerunt recursum pro summæ augmento, remissaque instantia ad hanc Sacram Congregationem, hæc audito Voto Eminentissimi Cardinalis Vicarii sub die 20. Januarii currentis anni, respondit pro augmento quinque scutorum tantum pro singulis mensibus, sed instante Familia Justiniana Januensi, cum nova fuerit concessa audientia una cum descriptione in folio, disputandum occurrit in præsenti, *an sit standum, vel recedendum a decisis*.

Familia Justiniana Januensis in præterita propositione exaggerabat, non posse esse locum alicui augmento, cum Thomas, & Marietta, & ipsorum Familia, hoc est Xaverius frater Thomæ, & binæ filiæ fœminæ, & bini filii masculi ejusdem Thomæ haberent annua scuta 410. cum ultra scuta 180. assignata ab hac Sacra Congregatione Thomæ, & Mariettæ, & binis filiabus fœminis, ab hac Sacra Congregatione factum etiam fuerit aliud annuum assignamentum scutorum 98. Xaverio fratri Thomæ, & aliud annuorum scutorum 140. Pantaleoni, & Francisco filiis ejusdem Thomæ, quando juxta relationem Cardinalis Archiepiscopi Januensis nulla adest in Civitate Januæ Familia Justiniana, quæ participet de tertia parte conspicuæ summæ scutorum 410. ad quam Thomas, & Marietta, aliique prædicti unam Familiam constituentes Justinianorum Chiensium, admissi sunt, eoque fortius sustinebat, esse non posse alicui augmento locum, ex quo memoratus Pantaleo filius Thomæ est inter Aulicos Eminentissimi Domini mei Cardinalis Marefuschi, & habet menstrua scuta decem pro servitio, quod eidem Eminentissimo præstat, & quia in præterita propositione suppositum fuit a Justinianis Chiensibus, quod Justiniani Januenses ultra Legatum Marchionis Vincentii participarent de aliis subsidiis relictis a Stephano Cardinali Benedicto, Josepho, & Cardinali Vincentio de Justinianis, in nova scriptura per manus circumferenda ostenditur, hæc alia subsidia esse parvi, aut nullius momenti, ita ut de illis non sit habenda ulla consideratio ad effectum, de quo agitur.

Justiniani e contra Chienses dicunt, de sua vocatione ad participationem Legati Marchionis Vincentii non esse dubitandum, eamque ad mensuram, & tramites indigentiæ esse regulandam, & imperceptibile omnino esse, quod Pater, & Mater, & duæ filiæ inter Moniales educandæ vivere valeant menstruo assignamento scutorum quindecim, absque eo quod vis ulla fieri possit in participatione ejusdem Legati concessa Xaverio, Francisco, & Pantaleoni, uti supra dictum est, vel quia hi separati vivunt a Thoma, & Marietta, vel quia quatenus insimul convixerent, summa annua scutorum 410. in septem personas divisa, est adeo tenuis, ut locum aperiat augmento retrahendo ex Legato Marchionis Vincentii.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
In decisis, & amplius.

QUÆSTIO CCCCXLII.

In Causa Lunensi Sarzanensi Præeminentiarum, die 9. Junii 1725.

PRÆVIIS duabus Relationibus clar. mem. Cardinalis Tanarii Sac. hæc Congregatio concessit, ut Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis de Populo existens in Terra Pontremoli Diœcesis Lunen. Sarzanen. & intra limites Parochialis Ecclesiæ S. Geminiani erigi posset in Collegiatam, sed retardata Decretorum executione propter oppositiones excitatas a Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Lunen. Sarzanen., item a Rationatoribus Comitatus, a Rectoribus Ecclesiarum Parochialium Sancti Columbani, Sancti Nicolai, & Sanctæ Christinæ, ab Archipresbytero Sanctorum Hippolyti, & Cassiani de Saliceto, a Parochianis Sancti Geminiani, & a Confratribus Confraternitatis in ea Ecclesia erectæ, necessarium fuit die 7. Maii 1718. proponere dubium, *An, & quomodo essent relaxanda Decreta edita die 26. Januarii, & 19. Julii super erectione Collegiatæ in Oppido Pontremoli in casu &c.* & huic dubio responsum fuit *affirmative*, expressis nonnullis conditionibus, quæ non pertinent ad Causam præsentem, & de quarum executione nulla adest in præsenti dubitatio.

Quando Causa hæc anno 1718. proposita fuit, exhibita fuerunt in Summario Informantis pro erectione Collegiatæ folia oppositionum tum Archiepresbyteri Sanctorum Hippolyti, & Cassiani, tum cæterorum Parochorum; cumque idem Informans ostenderit, nonnullas oppositiones utpote connexas cum erectione Collegiatæ non esse habendas in consideratione, cum gratia erectionis ex sui natura sit præjudicialis, & statim ac aliqua Ecclesia erecta est in Collegiatam, eidem competant nonnullæ prærogativæ, quæ antecedenter non competebant, & quæ forte ante erectionem ad alias pertinebant Ecclesias, *juxta decis.* 1445. *coram Seraphino*, hac de causa responsum fuit pro erectione Collegiatæ, non obstantibus foliis prædictis.

Folia eadem in præsenti propositione ab eodem Informante iterum exhibentur, cumque unum ex eis pertineat ad oppositiones Archipresbyteri Sanctorum Hippolyti, & Cassiani, & aliud ad alios Rectores Ecclesiarum Parochialium, agitur in præsenti tantum de oppositionibus a dicto Archipresbytero excitatis, & de aliis suis loco, & tempore tractabitur,

Quocirca quæritur,

I. An post erectam Ecclesiam S. Mariæ de Populo in Collegiatam competat Archipresbytero Sanctorum Hippolyti, & Cassiani de Saliceto jus canendi Missam in dicta Ecclesia Collegiata die Festo Sanctissimi Corporis Christi.

II. An Processio dicta die facienda cum Venerabili competat dicto Archipresbytero illam inchoando a dicta Ecclesia Collegiata, vel ab alia Ecclesia intus Oppidum Pontremoli privative ad dictum Præpositum, & Capitulum dictæ Collegiatæ, sive potius jus faciendi dictam Processionem prælative pertineat ad eumdem Præpositum, & Capitulum, respectu dicti Archipresbyteri, & aliorum Parochorum dicti Oppidi.

III. An idem Præpositus Collegiatæ teneatur recipere Oblea Sacra e manibus dicti Archipresbyteri Sanctorum Hippolyti, & Cassiani, seu potius iste teneatur illa recipere per manus dicti Præpositi.

IV. An Præpositus prædictus, & Capitulum teneantur processionaliter quotannis in Vigilia Ascensionis Domini Nostri adire, & visitare dictam Ecclesiam Sanctorum Hippolyti, & Cassiani in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad primum negative. Ad secundum negative quoad primam partem, & affirmative quoad secundam. Ad tertium negative ad utramque partem. Ad quartum affirmative ratione piæ consuetudinis tantum.

Petiit Præpositus, & obtinuit novam Audientiam super

per hunc quarto dubio; quocirca die 4. Maii 1726. iterum quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis die 9. Junii 1725. quoad quartum dubium, in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Maii 1726. respondit,
Standum in decisis quoad Præpositum tantum tamquam Parochum.

QUÆSTIO CCCCXLIII.

In Causa Civitatensi Vicariatus, die 9. Junii 1725.

QUANDO Ecclesia Suffraganea caret Capitulo, electio Vicarii Capitularis pertinet ad Metropolitanum, juxta Resolutionem hujus Sac. Congregationis *super dubio Administrationis Ecclesiarum* 28. *Augusti* 1683. *lib.* 33. *Decret. pag.* 271. ibi: *quæritur primo, an vacante Ecclesia Suffraganea Capitulo carente, illius administratio, & Vicarii, Sede Vacante, deputatio spectet ad Metropolitanum, & quatenus Metropolitana Ecclesia Pastore careat*

Secundo, an spectet ad Capitulum ejusdem Ecclesiæ Metropolitanæ, vel potius ad antiquiorem Suffraganeum Episcopum,

Sacra &c. ad primum respondit affirmative; ad secundum spectare ad Capitulum Metropolitanæ. Excitataque ab Episcopo Ologherensi controversia super justitia dicti responsi, sub obtentu potissimum, quod concurrente inveterata consuetudine, nec non Concilii Provincialis Constitutione, ad se tanquam ad antiquiorem Suffraganeum pertinebat jus deputandi Vicarium Capitularem, vacante Ecclesia, quæ Capitulo carebat, Sacra Congregatio stetit in decisis, ut colligitur *ex Rescripto edito die* 14. *Aprilis* 1685. *lib.* 35. *Decret. pag.* 190.

Ad tramites eorum, quæ hucusque dicta sunt, cum tempore Julii Papæ Secundi facta fuerit unio duarum Diœcesum Ampurien. & Civitaten. & destructa subinde Urbe Civitaten. ita ut solum in Oppido de Tempio remanserit Capitulum cujusdam Ecclesiæ Collegiatæ, resolutum fuit, quod in casu vacationis jus deputandi Vicarium Capitularem spectaret ad Metropolitanum Turritanum, & de facto cum anno 1717. ex hac vita migrasset Episcopus prædictarum Diœcesum Ampurien. & Civitaten. facta est a Metropolitano Turritano deputatio in Vicarium Capitularem Diœcesis Civitaten. quidam Sacerdos Petrus Gabriel Doctor in utroque Jure, & Decanus, & prima Dignitas Ecclesiæ Oppidi de Tempio.

Sacerdos in Vicarium Capitularem electus munus sibi commissum per spatium fere trium annorum pacifice exercuit, sed cum Metropolitanus, qui eum elegerat, subinde mortuus fuerit, & in Vicarium Capitularem Metropolitanæ electus fuerit Decanus Gavinus Delyperi, hic devenit ad remotionem Sacerdotis a Metropolitano electi ab Officio Vicarii Capitularis Civitaten. & Vicariatum contulit Gavino Pes Valentino simplici Presbytero, qua stante nova deputatione, exorta est inter Gabrielem, & Gavinum Valentinum controversia, pro cujus definitione subscriptum fuit dubium ad calcem restrictus referendum.

Quæ sint jura Valentini ignoro, cum ad me delata non fuerint, licet sæpius ejus Procurator fuerit citatus, sed in eo quod attinet ad Sacerdotem Gabrielem, plura ab ipso deducuntur in scriptura per manus circumferenda, & signanter, quod ipse sine ulla causa fuit remotus a Vicariatu, uti colligitur ex Epistola ipsius Vicarii removentis, ibi: *essendo in mio arbitrio, e volontà il rimovere V. S. da Vicario, e deputare un altro, trovandomi eletto benchè indegno nella Carica di Vicario, Sede vacante, di questa Diocesi Turritana, senza che in ciò abbia preteso offenderlo in cosa alcuna, mi è parso conveniente alla mia libera volontà rimoverlo, e deputare per Vicario, Sede vacante Civitaten. il Molto Reverendo Nobile Don Gavino Pes Valentino:* Quando Vicarius Capitularis amoveri non potest sine justa causa, juxta decreta Sacrarum Congregationum *apud Monacell. in formul. legal. par.* 1. *tit.* 1. *formul.* 2. *num.* 14.

Absque eo quod quidquam relevet responsio, quod hæc procedunt in Vicario electo a Capitulo, & non in Vicario electo a Metropolitano, tum quia distinctio hæc innititur cuidam Decreto hujus Sac. Congregationis, quod ad Auctoribus allegatur, sed in regestis non reperitur, tum quia una, eademque urget ratio, dedecoris videlicet sine causa non inferendi Vicario, sive hic sit electus a Capitulo, sive a Metropolitano.

Quæritur itaque,

An remotio Rev. D. Decani Petri Gabriel a Vicariatu Civitaten., & deputatio respective R. D. Gavini Pes Valentini factæ per Rev. D. Decanum Delyperi sustineatur, sive potius D. de Gabriel sit reintegrandus in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad primam Dubii partem negative, ad secundam affirmative.

QUÆSTIO CCCCXLIV.

In Causa Viennensi Jurium Parochialium, die 9. Junii 1725.

THEUTONICORUM Equitum Ordo habet in Civitate Viennensi Commendam, quæ nunc obtinetur a Comite Guidone a Starembergh Mareschallo Sacræ Cæsareæ Majestatis.

Hujus Commendæ reditus constituunt in locatione amplæ Domus, quæ pro magna parte habitatur a Commendatariis, & eorum familia, & pro alia parte locari consuevit, & sub ipsa Domo reperitur Ecclesia, quæ a moderno Commendatario fuit mirifice instructa; cumque inter Parochum S. Stephani, in cujus Parochia Commenda sita est, & Commendatarium exortæ fuerint controversiæ circa jus administrandi Sacramenta, & alia jura Parochialia exercenda intra dictæ Commendæ septa, deventum fuit ad dubiorum subscriptionem, quæ ad calcem Restrictus referuntur.

Ab Ordinaria jurisdictione excipiuntur ii, qui Militiis etiam S. Joannis Hierosolymitani, de cujus privilegiis Ordo Theutonicorum amplissime participat, actu inserviunt, & intra eorum Septa, ac Domos residents, & sub eorum obedientia vivunt, sive ii, qui legitime, & secundum regulam dictarum Militiarum professionem fecerint, de qua Ordinario constare debet, *juxta sess.* 24. *cap.* 11. *de Refor.*, quæ dicta tria requisita copulative concurrere debent *juxta Constitutionem* 67. *Gregorii XIII. Bull. tom.* 2.

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac *die* 9. *Junii* 1725.; cumque tunc nulla fuerit capta resolutio, propositis in sequenti Congregatione habita *die* 13. *Julii* ejusdem anni, sequentibus Dubiis,

I. An, & cui competat jus administrandi Sacramenta, & alia Jura Parochialia exercendi in Domo, & intra Septa Commendæ Sacri Ordinis Theutonici, Civitatis Viennen., tam quoad Familiam Commendatarii, quam quoad Subditos, Vassallos, & Colonos Commendæ, & alios Inquilinos ejusdem Domus in casu &c. & quatenus affirmative respectu Parochi, quoad meye Inquilinos.

II. An Parochus teneatur petere licentiam a Commendatario pro tempore ad effectum ingrediendi dictam Domum, & Septa Commendæ, ibique administrandi eisdem Inquilinis Sacramenta, ac alia Jura Parochialia exercendi in casu &c.

Et dicta *die* 13. *Julii* sic responsum fuit, *ad primum competere Parocho quoad Inquilinos, & quoad reliquos scribatur Nuntio, & Archiepiscopo juxta instructionem; ad secundum negative.*

Instructio vero reducta fuit ad capita sequentia, primo, an adesset aliquis Sacerdos deputatus pro regimine Ecclesiæ Commendæ; secundo, an hic Sacerdos sit approbatus ab Ordinario pro excipiendis Confessionibus; tertio, an nominetur a Commendatario; quarto, quanta sit familia Commendatarii; quinto, an habeat bona Jurisdictionalia; sexto, an Coloni pro majori anni parte vivant expensis Commendatarii; ultimo, quantus sit numerus Vassallorum, & an in eos Commendatarios exerceat Jurisdictionem.

Resolutiones hujus Sacræ Congregationis captas *die* 13. *Julii* Commendatarius reverenter excipit, sed prosequendo Jura sua, disputanda proponit dubia hæc, quæ sequuntur.

I. An, & cui competat jus administrandi Sacramenta, & alia Jura Parochialia exercendi in Domo, & intra Septa Commendæ S. Ordinis Theutonici, Civitatis Viennen. tam quoad Familiares Commendatarii, quam quoad Subditos, Vassallos, & Colonos Commendæ.

II. An, & qua pompa Parochus ingredi debeat Domum, & Septa Commendæ occasione administrandi Sacramenta Inquilinis ejusdem Domus in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Februarii 1727. respondit,
Ad primum, competere Cappellano Commendæ per Ordinarium approbando Jus administrandi Sacramenta familiaribus tantum actu

actu inservientibus intra septa Domus Commendæ, & sub obedientia Commendatarii viventibus juxta Bullam Gregorii VIII. & quoad reliquos negative, & scribatur Nuncio juxta Instructionem.

Ad secundum, ingredi debere cum pompa majori, quæ fieri solet in Urbe Viennen. & scribatur eidem Nuncio juxta Instructionem.

QUÆSTIO CCCCXLV.

In Causa Salernitana Sponsalium, die 9. Junii 1725.

VItus Antonius Fortunatus Patruus Beatricis Fortunatæ *anno* 1720. promisit eam tradere in Uxorem Salvatori Calce cum Dote ducatorum 1500. eidemque ad computum dotis dedit Ducata 700. sed cum sponsalia hæc fuissent contracta absente Beatrice, exortaque circa eadem controversia, Vicarius Generalis Salernitanus Mulieris voluntatem exploraſſet, tandem compilato processu ad Sententiam deventum fuit, in qua idem Vicarius dixit, Beatricem non esse cogendam ad contrahendum Matrimonium cum Salvatore, sed bene posse a Sponsalibus resilire suo nomine a Patruo factis; delataque ad hanc Sacram Congregationem ab hac Sententia appellatione, tria proponuntur dubia disputanda, quorum alterum respicit Sonsalium validitatem, alterum facultatem resiliendi a Capitulis Matrimonialibus, & alterum denique restitutionem ducatorum septingentorum in causam dotis receptorum, uti supra dictum est.

Beatrix autem contendit, Sponsalia valida non fuisse, cum fuerint a Patruo contracta se absente, & ignorante, nec unquam a se fuerint ratificata, juxta *Textum in cap. unica §. Porro de desponsatione Impuberum in 6.* non urgente quadam acceptatione muneris aureæ catenæ, & Crucis adamantibus ornatæ, cum hæc non sibi, sed Teresiæ Sorori fuerint consignata, & per ejus manus recepta, non sponte, sed quasi per quandam stratagemmatis speciem, in quo rerum statu ait, non posse ex muneris acceptatione inferri ad ratificationem sponsalium.

Addit ex alio capite, sponsalia invalida fuisse, ex quo videlicet ipsa est in quarto, & quinto gradu consanguinitatis conjuncta cum Salvatore, & quamvis de Jure communi nulla dispensatio in hoc casu esset necessaria, cum tamen in Diœcesi Salernitana vigeat consuetudo, ut conjuncti quarto, & quinto consanguinitatis gradu, si volunt inter se Matrimonium contrahere, petant ab Episcopo dispensationem, circumstantia hæc operatur, ut sponsalia contracta ante dictam dispensationem, nulla sint, etiamsi fuissent contracta sub conditione dispensationis obtinendæ, juxta firmata per *Card. de Luca de Matrim. discurs. 7. num. 4.*

Hæc sunt, quæ a Beatrice afferuntur pro nullitate sponsalium; at quatenus eadem valida essent, ipsa contendit, se semper ab illis posse resilire, tum quia Salvator est debitis involutus, quæ circumstantia antea ignorabatur, tum quia supervenerunt dissensiones inter suos Consanguineos, & prædictum Salvatorem, & tandem quia Beatrix protestata est, & protestatur, se nec posse, nec velle cum eo contrahere Matrimonium, ex quo Animæ suæ periculum timet, & quando legitimæ causæ concurrunt, sponsalia etiam licite contracta dissolvuntur, & in eo, quod attinet ad restitutionem ducatorum septingentorum, cum de eorum consignatione constet, inquit, nullam esse quoad ipsorum restitutionem in hypothesi nullitatis Sponsalium, vel dissolutionis eorundem, difficultatem.

Quocirca quæritur

I. An constet de validitate Sponsalium in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An Beatrix Fortunata sit cogenda ad Matrimonium contrahendum cum Salvatore Calce, vel potius valeat a Capitulis Matrimonialibus ejus nomine factis resilire.

III. An dictus Salvator teneatur restituere dictos ducatos 700. habitos in causam dotis pro dicto Matrimonio in casu &c.

Sacra Congr. die 13. Julii 1725. respondit,
Ad Primum affirmative. Ad Secundum negative ad primam partem, & affirmative ad secundam. Ad Tertium ad Judices suos.

QUÆSTIO CCCCXLVI.

In Causa Vigilienſi Matrimonii, die 23. Junii 1725.

AGITUR de Matrimonio contracto inter Marcum Brunum, & Joannam Soldani, & quæritur, an illud sit nullum, necne.

Porro ex attestatione extrajudiciali, & formali examine Abbatis Horatii Borelli, qui tanquam Parochus dicto prælitit assistentiam Matrimonio, & ex Testibus matrimonialibus, & aliis probationibus fuse legendis in Summario Marci hæc habentur.

Primo, quod ipse Parochus, dum erat in publica Civitatis Vigilien. Platea, vocatus fuit a Nicolao Soldano sub obtentu, quod ejus Pater, qui e Fabrica quadam cecidisse dicebatur, Confessionem Sacramentalem, instante mortis periculo, facere volebat.

Secundo, quod Domum, ad quam vocatus fuerat, ingressus, invenit Nicolai fratres armis stipatos, & in quodam obscuro cubiculo Marcum Brunum vulneratum, & sanguine undique manante conspersum.

Tertio, quod Marco Bruno implorante Parochi auxilium, & exponente, se fuisse injuste vulneribus confossum, Nicolaus ipsi Parocho demandavit, ut Marcum cum Joanna sua sorore Matrimonio conjungeret.

Quarto, quod Marco adversus hoc Matrimonium fortiter reclamante, & sæpe Parochum interrogante, an esset, necne futurum validum, si illud in eo statu contraheretur, res eo devenit, ut Parochus memoratus, instante mortis periculo, ab ipso obtinuerit, ut sacramentaliter confiteretur.

Quinto, quod expleta confessione Marcum Matrimonio conjunxit cum Joanna coram tribus ejusdem Fratribus, & tribus Mulieribus in eodem cubiculo existentibus.

Sexto, quod excitata a Fratribus Joannæ quæstione, an propter interessentiam Testium consanguineorum dubitari posset de validitate Matrimonii, eorum opera vocati fuerunt bini Sacerdotes, coram quibus Marcus coactus fuit, & etiam coram Parocho iterum Matrimonium cum Joanna contrahere.

Ad horum omnium comprobationem afferuntur depositiones Medici, & Chirurgi, qui de multiplicitate vulnerum, & quidem mortalium Marco Bruno illatorum plenum testimonium reddiderunt, & aliorum, qui testati sunt, Fratres de Soldanis, & eorum etiam Mulieres, secuto facto statim ad Ecclesiam confugisse, & ab his omnibus, aliisque pluribus in scriptura, & Summario legendis infert Marcus, Matrimonium a se contractum cum Joanna nullum esse, utpote contractum propter vim, & metum cadentem in constantem Virum.

Et quia idem Marcus nonnulla prævidet sibi a Joanna opponenda, primo videlicet, quod ejus domum fuerat ingressus, ut secum copulam haberet, & quod a suis Fratribus pro vindicanda injuria percussus, obtulerit se eam in Uxorem ducturum, & secundo, quod ante Matrimonium contractum fuerat ab ipso stuprum passa sub spe legitimi Conjugii, & tertio demum, quod post contractum Matrimonium ad ejus domum iterum accessit, plura in facto, & in jure deducit ad hæc objecta de medio tollenda.

Et in eo quidem, quod attinet ad factum, memoratas omnes circumstantias inquit, inniti nonnullorum Testium assertioni, qui magnas patiuntur in personis, & in dictis exceptiones in ejus scriptura fuse legendas.

Et in eo, quod spectat ad jus, quidquid sit de quæstione speculativa, quæ promovetur a Doctoribus ad ornatum *Textus in cap. veniens il secondo de sponsalibus*, an videlicet valeat Matrimonium ab eo contractum, qui a consanguineis Mulieris deprehensus se eam obtulit in Uxorem ducturum, ut minas mortis evaderet, sibi illatas non ad præcisum finem, ut Matrimonium contraheretur, sed ad effectum injuriam ulciscendi, inquit, in praxi, & in foro fori Matrimonia hæc nullitatis vitio laborare, statim ac constat, fuisse contracta post metum ab armatis illatum, & eo fortius post mortalia vulnera inflicta, ut ad rem bene ponderant *Sperell. decis. 6. num. 10. Raynald. in supplem. ad cap. 23. supplet. 5. num. 55. & seqq.* Suppositum quoque antecedens stuprum sustinet in jure non relevare etiamsi Matrimonii promissio accessisset, cum attenta disparitate inter se, & Joannam tam ratione natalium, quam ex causa divitiarum, potuisset ipsa juxta communem Doctorum assertionem bene cognoscere promissionem Matrimonii factam fuisse, ut stuprum extorqueret, & sine animo eam exequendi, *Sanchez de matrimon. lib. 1. disp. 10. quæst. 1. num. 5.* & loquendo demum de novo ad Domum accessu post contractum Matrimonium, concludit eum in puncto juris nullam constituere relevantiam; supposito quippe metu, & quod Matrimonium contractum fuerit dependenter a metu cadente in constantem Virum, subsequens cohabitatio illud validum efficere non potest, nisi novus accedat consensus, adhibita forma a Concilio Tridentino præscripta, juxta resolutionem hujus Sac. Congregationis *in Hispalen. 20. Junii 1609. lib. 11. decret. fol. 58. a tergo*, ibi: *Sacra &c. sæpius respondit hodie post Tridentinum Concilium matrimonium metu contractum, & purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rursus ejusdem Concilii forma*, & juxta aliam resolutionem *in Constantinopolitana 2. Decembris 1634. & 16. Decembris ejusdem anni*, uti habetur *lib. 15. decret. fol. 130. & fol. 140. a tergo.*

Quæ alia esse possint jura Joannæ ignoro, cum ejus scripturæ ad me delatæ non fuerint.

Proposita fuit hæc Causa in hac Congregatione habita die 23. Junii 1725. nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod proponeretur in prima etiam unica, Parte informante, & quod scripturæ distribuerentur omnibus Eminentissimis Cardinalibus.

Itaque quæritur,

An constet de nullitate Matrimonii in casu &c.

Sacra Congr. die 3. Julii 1725. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCCXLVII.

In Causa Bituntina Sponsalium, die 23. Junii 1725.

DOMINICUS Jannonus prætendit, non constare de Sponsalibus a se initis cum Teresia Visconti, & quatenus de Sponsalibus constaret, se cogi non posse ad eam in Uxorem ducendam.

Prætendit autem Dominicus, non constare de dictis Sponsalibus, licet exaraverit schedulam cum promissione futuri Matrimonii, cum inductus fuerit ad eam scribendam hortante Teresia, quæ eam requisivit cum protestatione, quod eadem uti nolebat ad effectum ineundi Matrimonii, cum bene sciret magnam natalium, & divitiarum disparitatem intercedentem inter se, & dictum Dominicum, sed tantum, ut cum eo e fenestra libere loqui posset, uti colligitur ex ipsius Teresiæ epistola præambula ad memoratam Dominici scripturam: *mi faccia V. S. il favore di far il biglietto di promettermi essere mio sposo, non per altro fine, che mi possi discorrere di parlare dalla finestra con V. S. perchè non credono essere discorsi leciti, ed io per non esser tormentata da lo, che mai mi parla di cose male, nè ci sono passate per la mente, come è la pura verità, sicchè per questo solo fine favorisca mandarmi il biglietto, e non per altro, non potendo avere una tal pretensione, non essendo sua pari, tanto più che non è succeduto tra noi nessun male, promettendo con giuramento non servirmi mai nè di questo, nè d' ogn' altro suo biglietto, o promessa, restando V. S. libero d' accasarsi con chi vorrà, e piacerà &c.*

Prætendit deinde idem Dominicus, quod quatenus constaret de Sponsalibus, nunquam ipse cogi posset ad contrahendum Matrimonium, tum propter magnam disparitatem natalium, & divitiarum, tum propter indignationem Parentum, & Consanguineorum, & demum propter mala, quæ in Civitate sequerentur, si hoc Matrimonium contraheretur.

In hac Congregatione habita die 23. Junii, nulla fuit capta resolutio, eademque repropositia in Congregatione habita die 4. Augusti 1725. responsum fuit *dilata, & quod recognoscerentur formiter Jura hinc inde producta.* Cumque eadem in Congregatione habita die 4. Maii 1726. reponi contingat, quæritur,

I. An constet de Sponsalibus, & quatenus affirmative.

II. An Jannonus sit cogendus ad contrahendum Matrimonium in casu &c.

Sacra Congr. die 18. Maii 1726. respondit,
Ad primum affirmative. Ad Secundum Dilata, & ad mentem.

QUÆSTIO CCCCXLVIII.

In Causa Neocastrensi Parochialis, die 23. Junii 1725.

CUM Episcopus Neocastren. faciendo suæ Diœcesis visitationem anno 1720. reperiisset, in Oppido S. Blasii Animarum curam exerceri sex mensibus a quodam Sacerdote sub nomine Archipresbyteri, & sex aliis mensibus anni a Sacerdote sub nomine Cappellani, & ad nutum amovibili, quique eligebatur a Thesaurario Ecclesiæ Cathedralis, cujus Dignitati Parochia dicebatur unita, quique in casu electionis rem hic gerebat, ut per publicas schedulas invitaret Sacerdotes, qui titulo Cappellanorum curam Animarum exercere intendebant, eamque deinde conferret illi, qui se offerebat ad eam assumendam minori stipendio, decretum edidit, in quo præcepit, ut loco Cappellani Vicarius perpetuus imposterum eligeretur.

Exorta ab hoc Decreto controversia, eademque ad hanc Sac. Congregationem delata, rescriptum fuit *die 19. Augusti* 1724. quod Episcopus præfigeret terminum Capitulo ad sua jura deducenda in Sacra Congregatione, cumque Capitulum liti cessisset, responsum fuit *die 20. Januarii currentis anni* pro observantia Decreti ab Episcopo editi super erectione Vicariæ perpetuæ.

Edito Decreto, Thesaurarius comparuit, eidemque se opposuit, ita ut ipso instante opus fuerit devenire ad subscriptionem dubiorum, quæ ad calcem Restrictus referuntur.

Quæ sint Thesaurarii jura ignoro, cum sæpius fuerint petita, & nunquam delata. In eo autem, quod attinet ad jura Episcopalia, contendit Promotor Fiscalis, non constare de unione portionis Ecclesiæ Parochialis Dignitati Thesaureatus, cum instrumentum unionis non afferatur, nec concurrat immemorabilis, aut Quadragenaria cum titulo.

Addit idem Promotor, quod in hypothesi, in qua constaret de unione, semper nihilominus subsisteret Decretum Episcopi super deputatione Vicarii perpetui juxta *cap. 7. sess. 7. de reform.* ibi, *ut per idoneos Vicarios, etiam perpetuos*, & conferunt late deducta per *Fagnan. in cap. ex parte num. 9. & seqq. de officio Vicarii, & per Monacell. in formul. legal. pract. tom. 4. pag. 54. num. 172. & seqq.*

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac die 23. Junii 1725. Tria erant dubia.

I. An constet de unione Portionis Ecclesiæ Parochialis S. Pancratii Oppidi S. Blasii Dignitati Thesaureatus Ecclesiæ Cathedralis Neocastren. & quatenus affirmative.

II. An Decretum Episcopi super Erectione Vicariæ perpetuæ in dicta Ecclesia Parochiali sustineatur in casu &c. & quatenus negative.

III. An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Et ad primum responsum fuit *dilata, & coadjuventur probationes, & scribatur juxta instructionem.*

Ad secundum responsum fuit *negative.*

Et ad tertium, quod *Episcopus per modum provisionis mandet, ut Archipresbyter per totum annum exerceat Curam Animarum, & deputet Cappellanum Coadjutorem cum salario ab eodem Episcopo statuendo, sumptibus Thesaurarii.*

Instructio vero demandata consistebat, ut fieret diligens animadversio Collationum antiquarum Thesaureatus, an videlicet in illis adsit id, quod adest in Collatione anni 1672. circa dismembrationem Parochialis, seu applicationem partis fructuum ejusdem ad dictam Dignitatem. Item, ut videretur, quanti sint reditus Dignitatis, & præscindendo a fructibus Parochialis, an possibile esset Parochiam in duas dividere, utrumque proprium Parochum præficiendo, & a quo tempore incœperit expositus abusus, quod Archipresbyter inserviat pro sex mensibus anni, & Cappellanus ad nutum amovibilis pro aliis sex mensibus.

Supervenerunt Episcopi responsiones, eædemque exhibentur; quocirca quæritur,

I. *An constet de unione Portionis Ecclesiæ Parochialis S. Pancratii Oppidi S. Blasii Dignitati Thesaureatus Ecclesiæ Cathedralis Neocastren. & quatenus affirmative.*

II. *An Decretum Episcopi super erectione Vicariæ perpetuæ in dicta Ecclesia Parochiali sustineatur in casu &c. & quatenus negative.*

III. *An, & quomodo sit providendum in casu &c.*

Sacra Congr. die 10 Maii 1727. respondit,
Ad primum, non constare de unione portionis tituli, sed fructuum.
Ad secundum in decisis.
Ad tertium, ad Archipresbyterum pertinere totam Curam Animarum per totum annum, & deputandum esse in ejus Cappellanum Coadjutorem Sacerdotem a Thesaurario nominandum, & ab Episcopo prævio examine approbandum, stataque eidem per Episcopum congrua ex reditibus Thesaurarii, & amplius.

QUÆ-

QUÆSTIO CCCCXLIX.

In Causa Atrien si, die 23. Junii 1725.

MICHAEL Græcus Terræ Silvi Diœceſis Atrien., poſt completum ſtudiorum curriculum, a ſuo recepit Ordinario primam Tonſuram & quatuor Ordines Minores; cumque ſpatio novem annorum in eo ſtatu permanſerit, cupieritque ad Sacros Ordines aſcendere, & id obtinere non potuerit propter defectum Beneficii, & Patrimonii, ad nuptias carnales convolavit, & Mercatorem agere cœpit, ſed adverſantem ſibi paſſus fortunam, poſt nonnulla contracta debita, ut ſe ab imminenti carceratione liberaret, ceſſit bonis in Curia Laicali Neapolitana anno 1721., & ſic quæcumque ſua bona Creditoribus dimiſit.

Anno 1722. Uxor Michaelis mortua eſt, ſuperſtitibus duobus liberis; cumque prædictus Michael prævio decreto, & Epiſcopi permiſſione Clericalem habitum reaſſumpſerit, & a quodam Pio Benefactore ſufficientis Patrimonii conſtitutionem reportaverit, ut ad ejus titulum ad Sacros Ordines aſcendere poſſet, ſuas Epiſcopo exhibuit preces pro Sacrorum ordinum collatione, & Epiſcopo excipiente, ſe dubitare, an ipſe propter infamiam ex ceſſione bonorum reſultantem irregularis effectus eſſet, quædam ab eodem Michaele modeſtæ querelæ adverſus Epiſcopi dubitationem Summo Pontifici in ſupplici libello expoſitæ fuerunt, qui proinde earum examen ad hanc Sacram Congregationem pro voto remiſit.

Juxta morem ſcriptum fuit Epiſcopo pro informatione, qui omnia confirmavit, quæ in ſuperioribus relata fuerunt, addititeque, ſe oraculum expectare hujus Sacræ Congregationis ſuper ſcrupulo, qui ſibi exortus eſt occaſione petitæ a Michaele promotionis ad Sacros Ordines, licet admittat, ceſſionem Bonorum factam fuiſſe abſque ignominia, & abſque eo, quod cedens pileum viridem deportaverit, aut aliud ignominiæ indicium.

Pro Michaele facit diſertus *Textus in leg. Debitores, Cod. de quibus cauſis infamia irrogatur*, ibi: *debitores, qui bonis ceſſerint, licet ex ea cauſa bona eorum venierint, infames non fiunt*, ubi *Baldus* ait: *nota, quod cedens bonis non eſt infamis, licet in quibuſdam locis ligetur ad columnam*, & ſequitur *Scannarol. de Viſitat. Carcerat. cap. 9. ante n. 9. fol.* 522.

Idque ſi abſolute, & ſimpliciter procedit, a fortiori videtur procedere debere in hypotheſi præſenti, in qua ceſſio facta ſupponitur abſque ulla nota ignominioſa, juxta praxim Regni Neapolitani, uti teſtantur *Muſcatell. in praxi Magnæ Curiæ Vicariæ ſuper gloſſa detinebitur numer.* 78. *&* 79. *Rovit. ſuper pragmatica de ceſſione Bonorum* 3. *n.* 7., unde communiter dicunt Doctores, quod qui ceſſerunt Bonis poſſunt ad Ordines promoveri, dummodo ceſſio non cedat in dedecus Eccleſiæ, quemadmodum concordantibus allegatis, proſequuntur *Sairus de cenſuris lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 11. *Caſtropal. oper. moral. tom.* 6. *de Cenſuris diſputat.* 6. *puncto* 13. *n.* 10.

Abſque eo quod quidquam relevet, quod hucuſque deducta pertinent ad infamiam Juris, & non ad infamiam facti; quandoquidem infamia hæc facti, quæ ortum habet ab hominum opinione, non conſtituit aliquem irregularem, ita ut in ejus ſequelam aſcendere non valeat ad Sacros Ordines, ut in durioribus terminis ceſſionis ignominioſæ bonorum argumentatur *Diana in edit. coord. tom.* 5. *tract.* 5. *reſolut.* 58. *ſub n.* 4. ibi: *nec obſtat, quod tales infames exiſtimantur, nam ex opinione hominum non poteſt irregularitas induci, alioquin etiam viri Nobiles recuſantes acceptare duellum eſſent arcendi a Sacris Ordinibus tamquam Irregulares, ut plurimum, vel qui invenit ſororem cum Amaſio, & injuriam condonavit, non poſſet Ordinibus initiari. Igitur infamiam inflictam a legibus, & non ex exiſtimatione hominum dicendum eſt, irregularitatem inducere.*

E contra, adverſus Michaelem facit, quod cedens Bonis ſi non de Jure; ſaltem de facto expoſitus eſt vituperio, adeoque *Hoſtienſis in cap. quidam ſub n.* 6. *de Renunciat.* ait, *ſi ceſſio effectum habeat, infamis videtur ſaltem de facto licet non de jure, quia dicunt homines, quod diſſipator eſt, nec invenit de facili mutuantem*, & ſequitur *Card. Tuſcus in verbo ceſſio bonorum concluſ.* 217. *ſub n.* 7. ibi: *licet non incurrat infamiam juris, tamen incurrit infamiam facti propter vituperium, quod fit cedenti*, in quo rerum themate, ſicuti dici poſſet, ceſſionem cedere in dedecus Eccleſiæ, quatenus cedens ad Sacros Ordines promoveretur, ſic concludendum eſſe videtur, non debere eumdem Sacris Ordinibus initiari juxta auctoritates ſupra relatas.

Item cautum eſt *in cap. Odoardus de ſolution.*, quod Clericus propter debita non detrudatur in Carcerem, nec excommunicetur, ſed quod præſtet idoneam cautionem de ſolvendo, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, nec ad effectum, ut Clericus ad dictum Beneficium admittatur, oportet, ut bonis cedat, ne videlicet ignominia characteri Clericali irrogetur, ut in *dicto cap. Odoardus* firmant *Abbas n.* 8. *Ancaran. n.* 7. *Fagnan. n.* 58. *de ſolut.* & late ſcribit *Bellet. diſquiſit. Cleric. par.* 1. *tit. de Clerico debitore* §. 1. *n.* 35. Signum autem hoc eſſe videtur, quod ceſſio Bonorum ignominiam, & infamiam importat, non ſolum juxta hominum opinionem, ſed etiam juxta ſenſum Eccleſiæ.

Rurſus, per ceſſionem Bonorum cedens a debitis non liberatur, ſed ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, tenetur ex bonis ſuperventis ſatisfacere Creditoribus, quod abſque dubio ſibi vindicat locum, ſi ceſſio etiam cum ignominia facta ſit, ſed invitis Creditoribus, uti bene ponderat *Urſil. ad Afflict. deciſ.* 379. *n.* 5. *in fine*, vel quando, prout hic, ceſſio dicitur facta abſque ignominia, uti late docent *Amoſtaz. de cauſis piis lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 6. *Scannarol. de Viſitat. Carceratorum lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 7. *& ſeqq.*, *Conſtantin. ad Statutum Urbis tom.* 2. *annot.* 50. *art.* 2. *a n.* 142. *ad* 148., idque facit, ut ſerio advertendum ſit, an expediat, Michaelem ad Ordines promovere propter periculum, quod Bona ipſi aſſignata titulo Sacri Patrimonii a Creditoribus occupentur, cum non ſolum fructus Patrimonii Sacri, ſed Beneficii, & Præbendæ poſſint a Creditoribus occupari, juxta *Textum in cap. pervenit de fidei juſſoribus*, dummodo id fiat in ſubſidium, hoc eſt in defectu bonorum propriorum Clerici, & dummodo ex proventu Beneficii Clerico debitori Congrua relinquatur, juxta firmata apud *Salgad. in labyrinto Creditorum par.* 1. *cap.* 42. *n.* 10.

His ſtantibus quæritur,

An ceſſio Bonorum obſtet Michaeli, quin ad Sacros Ordines promoveri poſſit in caſu &c.

Sacra Congreg. reſpondit,
Non eſſe promovendum.

QUÆSTIO CCCCL.

In Cauſa Cornetana, die 23. Junii 1725.

JOANNES Andreas de Graſſis ſuum anno 1659. condidit Teſtamentum, in quo inter cætera ſic diſpoſuit, *laſcia per ragione di Legato al Reverendiſſimo Capitolo, e Signori Canonici della Cattedrale di Corneto ſcudi mille, e dugento moneta, acciò li Signori Arcidiacono, e Canonici faccino obbligo per ſe ſteſſi, e per loro Succeſſori in eſſo Capitolo di celebrare in eſſa Chieſa Cattedrale ſei Meſſe baſſe per ciaſcheduna ſettimana in perpetuo, cioè quattro de' morti, e due del Santo corrente in ciaſcheduna ſettimana da celebrarſi in perpetuo ogni mattina all' Alba per comodo de' Lavoratori, & a tale effetto li detti ſcudi mille, e dugento ſi ponghino a frutto.*

Acceptatum fuit a Capitulo Legatum, & acceptatio concepta fuit ſequentibus verbis, *Meſſe Joannis Andreæ de Graſſis celebrandæ in Aurora abſque applicatione:* & Miſſæ modo prædicto, hoc eſt ſine applicatione favore Animæ Teſtatoris, fuerunt celebratæ uſque ad annum 1693., quo tempore cum claræ mem. Cardinalis Barbadico, inſtante Petro Antonio Tartaglia, Teſtatoris Nepote, in Sacra Viſitatione Cornetanæ Diœceſis decreviſſet, Miſſas eſſe celebrandas in Aurora, & eſſe applicandas pro Anima Teſtatoris, ab inde citra, & uſque ad tempus præſens Miſſæ hora prædicta fuerunt celebratæ, necnon applicatæ ad tramites citati Decreti.

Onus hoc Miſſas prædictas applicandi, utpote ab antiquioribus Canonicis aſſumptum in obſequium Decreti Cardinalis Barbadici, viſum eſt præſentibus Canonicis intolerabile, habitoque ab iiſdem recurſu ad hanc Sacr. Congregationem pro declaratione exemptionis ab onere applicandi Miſſas, de quibus agitur pro Anima Joannis Andreæ de Graſſis, juxta morem datæ fuerunt litteræ ad Epiſcopum pro Informatione, ſuperventiſque ejuſdem reſponſionibus, in quibus Canonicorum rationes exponuntur, diſputandum in præſenti proponitur dubium ad calcem Reſtrictus referendum.

Porro Canonicorum fundamenta ad ſequentia capita reducuntur; Primum conſiſtit in verbis Teſtamenti, in quibus celebratio demandatur, nec ullum fit verbum de applicatione.

Secundum conſiſtit in Legati acceptatione, quæ eſt applicationis excluſiva, una cum immediata obſervantia con-

continuata ab anno 1659. uſque ad annum 1693. in qua temporis intercapedine Miſſæ fuerunt celebratæ, ſed non applicatæ pro Anima Teſtatoris.

Tertium deſumitur ex verbis ipſius Teſtamenti, in quibus demandatur Miſſarum celebratio in Aurora *per comodo de' Lavoratori*; quando etenim in Legato exprimitur commoditas eorum, qui Miſſam debent audire, nec ullum fit verbum de applicatione, demandata intelligitur celebratio, & non applicatio pro Anima Teſtatoris.

Quartum deducitur, ex quo Joannes Andreas Teſtator, quando voluit applicationem, eam expreſſit, uti deſumitur ex aliis Legatis Miſſarum, quæ relicta fuerunt Religioſis ejuſdem Civitatis Cornetanæ, cum dixerit ſe diſponere, ut tot Miſſæ celebrentur *per l' Anima de' ſuoi*, hinc inferendo, quod ſicuti quando voluit applicationem, eam expreſſit, ita, quando non expreſſit, ſignum eſt, quod eam noluit.

Ultimum demum pro excluſione applicationis argumentum ſtat in quantitate a Teſtatore relicta, hæc etenim modica cenſetur, habita proportione ad aliam pecuniæ quantitatem relictam pro Miſſarum celebratione, in quibus expreſſe applicationem demandavit.

Hæc ſunt, quæ continentur in Scripturis Canonicorum, & in Informatione Epiſcopi; in eo autem quod attinet ad hujus Sacræ Congregationis Reſolutiones, certa eſſe videtur regula, quod Miſſa eſt pro Fundatore applicanda, licet ipſe applicationem non expreſſerit, ſed ſolam celebrationem, uti colligitur ex Reſolutione in Cauſa *Tinnen. Applicationis Sacrificii die* 18. *Auguſti* 1668. *lib.* 26. *Decret. fol.* 61. cui etiam eadem Sacra Congregatio ſubſequenter adhæſit, & in qua ſic legitur: *ex diſpoſitione Teſtamentaria antiquitus facta a Pio Teſtatore reperitur fundata quædam Cappellania cum onere Cappellano pro tempore Sacrum faciendi ſingulis Dominicis, aliiſque Feſtivis diebus, nulla adjecta declaratione, ad cujus ſuffragium applicandum eſſet Sacrificium; ideo Epiſcopus Tinnen. ſupplicat, per Sac. Congregat. declarari, an hujuſmodi Sacrificium applicandum ſit pro Anima ipſius Teſtatoris, an vero ad libitum Cappellani, uti hactenus factum eſſe comperiit. Die* 18. *Auguſti* 1668. *Sacra Congregatio Concilii reſpondit, applicandum eſſe Sacrificium pro Anima Teſtatoris.*

Quoad punctum vero, an facta expreſſione celebrationis pro commoditate audientium abſque ulla mentione applicationis, applicatio pro Fundatore dicenda ſit, necne demandata, Sacra hæc Congregatio ſæpe fuit in ſenſu, applicationem non fuiſſe demandatam, ut in terminis Fundationis Cappellaniæ cum onere quotidianæ celebrationis quadam hora determinata: *acciò molti occupati da negozj poſſino andare a ſentirla, ed in ſpecie li Scolari quando eſcono dalla Scuola*, reſpondit Sacra Congregatio *in Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decemb.* 1679. *lib.* 40. *Decret. fol.* 4. & in terminis Cappellaniæ erectæ cum onere perpetuæ celebrationis Miſſæ *all' ora, che dalla Dama Superiora del Monaſtero di S. Orſola li ſarà preſcritta, e deſignata per il comodo delle ſue Monache*, reſpondit hæc ead. S. Congregatio *in Tricaſtinen. applicationis Sacrificii, quæ fuit propoſita die* 18. *Julii, & reſoluta die* 8. *Auguſti* 1711. uti habetur *lib.* 61. *Decret. fol.* 332. *& fol.* 358. & ex quo munere fungor Secretarii hujus Sacræ Congregationis, cum *die* 19. *Novembris* 1718. in Cauſa Mantuana applicationis Sacrificii, in qua agebatur de Cappellania fundata a Joanne Franciſco Gonzaga Mantuæ Duce in Altari Majori Eccleſiæ Monaſterii Monialium Corporis Chriſti, ſequentibus verbis, *cognito, quod Eccleſia dedicata ſub Titulo Corporis Chriſti dote caret, ſitque opus Cappellano, qui ibidem, ut requiritur, celebret Miſſam pro ſatisfactione, & voto Venerabilium Monialium degentium ibidem, pro ſe, & ſocio, ſive Clerico neceſſariis, quoad victum, veſtitum, & tectum ad ſufficientiam provideri, ne de cætero in ipſa Eccleſia Cappellani carentia continua Miſſarum deſinat celebratio, quam ad majus meritum, & ſatisfactionem ipſarum Dominarum quotidianam eſſe deſiderat, ſponte donavit &c.* cumque diſputatum fuiſſet dubium, *an Cappellanus teneatur Miſſam applicare pro ſuffragio Animæ Fundatoris, vel potius teneatur ad ſolam Miſſæ celebrationem in caſu &c.* reſponſum fuit *negative quoad primam partem, & affirmative quoad ſecundam.*

Et e contra cum in Congregatione habita die 4. Martii 1719. in quadam Cauſa Alexandrina, in qua agebatur de contractu facto cum Patribus Congregationis Somaſchæ ejuſdem Civitatis, quibus aſſignata fuit eleemoſyna *cum onere celebrandi, ſeu celebrare faciendi Miſſam unam quotidianam in perpetuum in Aurora ad Altare ipſius Joannis contrahentis erectum in dicta Eccleſia ſub titulo S. Caroli, ad effectum, ut omnes Viatores, Laboratores, & Peregrinantes poſſent illam commode audire, & in apertura Januarum hujus Civitatis Alexandriæ recedere, & ad Viaticum, & Laborerium accedere, & pergere*, diſputatum fuiſſet ſequens dubium, *an Patres Congregationis Somaſchæ teneantur ad applicationem Miſſæ celebrandæ in Aurora in caſu*, Sacra hæc eadem Congregatio *die* 19. *Martii* 1719. reſpondit *affirmative*, ex tribus, uti memini, fundamentis, in folio relatis, quia videlicet ſemper Patres celebraverant, & applicaverant in anteceſſum, & ulterius quia eleemoſyna relicta erat ſuperabundans, & demum quia in Procemio diſpoſitionis Fundator dixerat, ſe devenire ad Cappellaniæ Fundationem, *ut gratias redderet, & ad implorandam Divinam Miſericordiam.*

Diſcretiva quoque appoſita a Fundatore, & conſiſtens in hoc, quod idem in aliquo caſu meminerit celebrationis, & applicationis, & in alio caſu ſolius celebrationis, habita fuit ab hac Sac. Congregatione aliquando pro argumento, quod Teſtator ubi voluit applicationem demandavit, & ubi non demandavit, eam noluit, ut ſignanter factum eſt in Cauſa *Romana Reductionis, & applicationis Miſſarum die prima, & die* 15. *Decembris* 1714. *lib.* 64. *Decret.* Cumque proinde univerſa hæc materia pendeat a conjecturis, ultra cæteras ſupra relatas pro excluſione applicationis, videtur operæ pretium eſſe inquirere, an ſit alicujus momenti pro applicatione, quod Teſtator non ſolum voluit quotidianam Miſſarum celebrationem, ſed etiam præſcripſit, quod quatuor Miſſæ Mortuorum, & duæ de Feſto currenti qualibet hebdomada celebrarentur, & quod ulterius in aliis omnibus Miſſis, in quibus expreſſit applicationem, Fundator non meminit Animæ ſuæ, ſed ſuorum ibi; *per l' Anima de' ſuoi*, hinc quippe inferri poſſet, quod Animæ ſuæ fuiſſet oblitus, ſi in aliis Miſſis, & ſignanter in illis, de quibus agitur, pro ſuæ Animæ ſuffragio applicationem non demandaſſet.

Jura circumferuntur: Unde quæritur,

An Miſſæ ſint applicandæ in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCCLI.

In Cauſa Lauretana, die 13. Julii 1725.

ANTONIUS Maria Biglieni ſex, aut ſeptem ab hinc annis Matrimonium contraxit coram Parocho *Montis Luponi* cum quadam Muliere Theutonica, quæ appellatur Anna Margarita Uffrenin, eademque adhuc vivente, aliud Matrimonium die 9. Februarii 1724. contraxit hic in Urbe cum Catharina Galli Prænestina coram Parocho S. Laurentii in Lucina, cumque prædicta Anna Margarita non ſolum tempore contracti ſecundi Matrimonii, ſed etiam de præſenti ſit in humanis, diſputandum in præſenti proponitur dubium, an Matrimonium cum ea contractum fuerit nullum; a Tribunali etenim, in quo pendet Cauſa ſuper prætenſa Polygamia, remiſſa fuit cognitio Articuli ſuper validitate, vel invaliditate primi Matrimonii ad hanc Sac. Congregationem, juxta praxim alias habitam in conſimili Cauſa *Bovinen. Matrim. 7. Septembr. & 18. ejuſdem menſis anno* 1697. *lib.* 47. *Decret. pag.* 416. *&* 453.

Contendit autem Antonius Maria Biglienus, prædictum Matrimonium fuiſſe nullum, tum quia Anna Margarita coram Parocho proprium non expreſſit conſenſum, & quod caput eſt, nec ipſe coram eodem Parocho potuit verba proferre perfecte indicantia, ſe prædictam Mulierem ducere in uxorem, ex quo ſtatim ac loqui incepit, Parochus aufugit, uti deſumitur ex ipſius Antonii Mariæ judiciali depoſitione.

Accedit, quod Nicolaus Scaramuccia alter ex Teſtibus Matrimonii manſit extra Eccleſiam *Montis Luponi*, in qua illud contractum fuit, ita ut in ſua depoſitione judiciali aſſeruerit, ſe neſciviſſe cur prædicti Vir, & Mulier Eccleſiam ingreſſi fuerint, & quænam verba coram Parocho protulerint.

Et demum pro conjectura invaliditatis Matrimonii aſſert, quod illud non fuit adnotatum a Parocho in libro Matrimoniorum, quod utique facere non omiſiſſet, ſi illud pro valido habuiſſet.

E contra Anna Margarita inquit, non eſſe dubitandum de validitate Matrimonii, tum quia tam ipſa, quam Antonius mutuum de præſenti expreſſerunt conſenſum coram

Parocho, & Teſtibus, ut ipſa deponit in ſua atteſtatione judiciali; tum quia Nicolaus Gattafonus alter ex Teſtibus *Matrimonialibus* formiter examinatus deponit, ſe fuiſſe Matrimonio præſentem, & audiviſſe verba mutuum conſenſum exprimentia, & dicere videtur, huic actui fuiſſe etiam præſentem Nicolaum Scaramucciam alterum Teſtem, qui, uti vidimus, inquit, ſe manſiſſe extra Eccleſiam, & verba contrahentium non audiviſſe.

Additur, quod poſt contractum hoc Matrimonium, Vir, & Mulier, qui ſtatim *a Terra Montis Luponi* reverſi ſunt *ad Terram Montis Caſſarii*, a qua diſceſſerant, plurium annorum ſpatio, ſe tanquam Conjuges tractaverunt, & uti tales habiti fuerunt ab omnibus, uti colligitur ex Teſtibus examinatis, quorum nonnulli ulterius dicunt, ſe audiviſſe a Parocho *Montis Luponi*, qui tempore examinis mortuus erat, quod ipſe eoſdem matrinialiter conjunxerat; cumque Antonius poſt nonnullorum annorum intervallum acceſſerit ad Urbem, ut in ea Sutoriam artem exerceret, exhibentur a Muliere Epiſtolæ ſibi ſcriptæ, quibus eam agnoſcere videtur in ſuam Uxorem.

Hæc ſunt, quæ ab utraque Parte proponuntur, ſed alea incerta, ita ut major profecto controverſia conſtituenda videatur in hoc, quod Antonius, qui eſt Civis Lauretanus, quique captus amore Annæ Margaritæ modo ad Urbem Maceratenſem, modo ad Montem Sanctum perrexerat, & paucis diebus in illis verſatus fuerat, ſpatio tandem duorum menſium una cum dicta Anna Margarita habitavit *in loco Montis Caſarii*, a quo poſt Parochi admonitiones de contrahendo cum Margarita matrimonio, & prævisas difficultates de probando ſtatu libero ejuſdem, cum ex improviſo diſceſſerit, & una cum memoratis duobus Teſtibus acceſſerit *ad Terram Montis Luponi*, & coram Parocho hujus loci, Doctrinam Chriſtianam Pueros edocente, Matrimonium ex improviſo pariter contraxerit, & ſtatim reverſus fuerit *ad Terram Montis Caſarii*, in qua plurium annorum ſpatio cum dicta Margarita cohabitavit, & ex his inferri poſſe videtur ad nullitatem Matrimonii, cum pro validitate Matrimonii neceſſe ſit, ut illud contrahatur coram proprio Parocho ſive Viri, ſive Mulieris, *juxta cap. 1. Seſſ. 24. de Reformat. Matrimonii*, & proprius alterutrius ex contrahentibus dici non potuerit Parochus *Montis Luponi*, juxta celebrem Reſolutionem hujus Sacræ Congregationis *in Romana 22. Februar. 1631. lib. 14. Decret. pag. 390. a tergo*, ibi: *Sacra &c. cenſuit, dandam eſſe declarationem in abſtracto in forma ſequenti, Vir, & Mulier a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedentes, & ad locum alterius Parochiæ ſolo animo illic Matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, ſe transferentes, ubi coram Parocho illius loci Matrimonium inter ſe contraxerunt. Supplicatur per Sacram Congregationem declarari, an hujuſmodi Matrimonium ſit nullum, vel validum, die 22. Februarii 1731. Sacra &c. ſecundum ea, quæ proponuntur, cenſuit eſſe nullum*, & concordant aliæ Reſolutiones a me collectæ, & impreſſæ poſt ſolium Congregationis habitæ die 22. Februarii 1723. occaſione famigeratæ Cauſæ Cæſenaten. ſeu Forolivien. Matrimonii, in qua, uti reminiſci poterunt EE. VV. in tantum reſponſum fuit pro validitate Matrimonii contracti in Civitate Forolivienſi a Viro, & Muliere Cæſenatenſibus, qui ad effectum illud contrahendi Cæſena diſceſſerant, & Forolivium petierant, in quantum Mulier ante Matrimonium ſolemniter declaravit, ſe domicilium eligere in Civitate Forolivienſi, quod etiam fieri poſſe ab ipſa exiſtimatum fuit, cum Avia Materna eſſet dictæ Mulieris Tutrix, & Curatrix, & hæc in Civitate Forolivienſi habitaret.

Concluſio admittitur a Scribente pro Joanna Margarita, ſed dicitur, eam non eſſe hypotheſi applicabilem, ex quo Vir, & Mulier erant vagi, & abſolute, & ſimpliciter vagi contrahere poſſunt Matrimonium coram Parocho illius loci, in quo actu verſantur, uti late probant *Sanchez de Matrimon. lib. 3. diſput. 25. num. 11. Barboſ. de offic. & poteſt. Parochi part. 2. cap. 21. num. 89. Cabaſſut. in Theor. & prax. Juris Canon. lib. 3. cap. 26. num. 4. Pirhing ad lib. 4. Decretal. tit. de clandeſtina deſponſatione num. 19. Schmalzgrueber ad eundem titulum num. 162. & pluribus ſeqq.* quod procedit etiamſi alter tantum ex contrahentibus ſit vagus, uti bene ponderat *Sanchez loco citato num. 14. & 15.* & *ſequitur Barboſa in Collectaneis ad Concil. Trident. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 7.* Non urgente, quod idem Concilium hoc *eodem cap. 7.* præſcribat, quod Parochi Matrimoniis vagorum non aſſiſtant, niſi præmiſſa diligenti inquiſitione, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint; cum etenim Concilium *in hoc capite 7.* non utatur decreto irritante, ſicuti uſum fuerat *in cap. 1.* in quo præſentiam Parochi, & duorum Teſtium in unoquoque Matrimonio præſcripſerat, hinc eſt, validum habendum eſſe ſemper Matrimonium vagorum, etiamſi non fuerint obſervata ea, quæ ſtatuta fuerunt a Concilio *in citato cap. 7.* uti probat *Textus in cap. ex litteris il 2. in fine de Matrim. contracto contra Interdictum Eccleſiæ*, & late proſequuntur *Sanchez de Matrim. lib. 3. diſput. 25. num. 8. Anaclet. ad tit. decretal. de clandeſtina deſponſat. num. 95.*

Puncto ergo redacto ad examen, utrum ambo contrahentes, vel alter ſaltem ex eis inter vagos haberi debuerint, ſcribens pro Anna Margarita inquit, Antonium fuiſſe vagum, quia licet natus eſſet in Civitate Laureti, modo tamen unum locum, modo alium petebat, ut Sutoriam in eo artem exerceret, & quatenus Antonius pro vago haberi non poſſet, ſubdit, Annam Margaritam ſemper pro vaga haberi debuiſſe, cum Mulier hæc Theutonica ad Ædem Beatiſſimæ Virginis Lauretanæ devenerit devotionis gratia, una cum quadam ſua conſanguinea, quæ Laureti mortua eſt, ipſaque aliquando in Civitate Lauretana, aliquando, & quidem plurium annorum ſpatio permanſerit in Civitate Foroſempronienſi, aliquando in Civitate Maceratenſi in famulatu unius, aut alterius Nobilis Matronæ, ſtuprumque paſſa ab Antonio, aliquando moram traxerit in Monte Sancto, aliquando in Monte Caſario, quod ſatis eſſe dicitur, ut ipſa pro vaga haberi debeat.

Scribens e contra pro Antonio inquit, nec ipſum, nec Annam Margaritam vagos fuiſſe, cum duobus menſibus ante Matrimonium contractum habitaverint tanquam Vir, & Uxor in loco *Montis Caſarii*, & poſt Matrimonium contractum *in Terra Montis Luponi*, ſtatim reverſi fuerint *ad eundem locum Montis Caſarii*, in quo plurium annorum ſpatio tanquam Vir, & Uxor permanſerunt, & vagus, & ſine domicilio ſit ille, qui proprio domicilio relicto iter facit, quærens ubi ſe ſiſtat, juxta *Textum in leg. ejus §. Celſus ff. ad Municipalem*, ubi: *puto autem, & hoc procedere poſſe, ſi quis domicilio relicto naviget, vel iter faciens, quærat quo ſe conferat, atque ubi conſiſtat; nam hunc puto ſine domicilio eſſe*, vel ad ſummum ille, qui nullibi certam, & conſtantem ſedem, & domicilium, vel quaſi domicilium habet, uti ponderant *Reginal. in praxi Fori Eccleſ. lib. 1. num. 64. Leſſius de Juſtitia, & Jure lib. 2. cap. 40. de Voto diſput. 18. num. 121. Pignatell. conſult. 79. num. 34. tom. 5.*

Uno verbo, duo pro conſtituendo vago requiruntur, primum, ut domicilium deſeruerit, ſecundum, quod aliud non acquiſiverit, qua de Cauſa Peregrini non dicuntur vagi, quia non deſerunt domicilium, cum animum habeant ad illud redeundi, uti late oſtendit *Roſignol. de Matrim. par. 1. tom. 6. contract. 15. prænot. 22. num. 4.* cumque Vir, & Mulier, de quibus nunc agitur, domicilium, vel quaſi domicilium haberent in Terra Montis Caſarii, hinc ſequitur, neutrum ex illis vagum dici potuiſſe.

Hæc ſunt in Cauſa, cumque Jura circumferantur, quæritur,

An Matrimonium ſit nullum in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Affirmative.

QUÆSTIO CCCCLII.

In Cauſæ Reatina, die 13. Julii 1725.

CUM die 11. Novembris 1710. ex hac vita migraſſet Catharina Uxor Amici de Federico, idemque exoptaſſet ad alia vota tranſire cum Beatrice de Luce Terræ S. Anatoliæ Diœceſis Reatinæ, recurſum habuit ad Sacram Pœnitentiariam pro obtinenda diſpenſatione ſuper impedimento affinitatis ex copula illicita, ex quo antecedenter rem habuerat cum Matre prædictæ Beatricis, obtentoque conſueto Brevi, non potuit illud executioni demandari propter conſuetam clauſulam *ſi occultum*, quæ apponitur in Brevibus dicti Tribunalis, copula quippe cum Matre Beatricis erat publica, & notoria.

Denegata prædicto Brevi executione, Amicus Summo Pontifici pro diſpenſatione ſupplicavit per organum Datariæ, uti fieri debet, quando impedimentum eſt publicum, & Breve diſpenſationis obtinuit expeditum *die 13. Aprilis 1711.* ſed nec iſtud potuit executioni demandari, cum tempore intermedio habita fuerit notitia aliorum duorum impedimentorum impedientium, & dirimentium, adulterii videlicet ab ipſo commiſſi cum Beatrice,

trice, tempore quo Catharina prima Uxor vivebat cum promiſſione eam ducendi in Uxorem poſt hujus obitum, & etiam veneni prædictæ primæ Uxori propinati, ut Matrimonium cum memorata Beatrice contrahere poſſet.

Pertæſus Amicus longioris moræ Matrimonium de facto contraxit cum Beatrice coram Parocho, & Teſtibus, & cum ea cohabitavit, & ab ea tres liberos habuit; cumque admonitus a Sacerdote Gregorio della Pezza Congregationis Piorum Operariorum, qui Miſſionem faciebat annis præteritis in Caſtro S. Anatoliæ, de neceſſaria ſeparatione, & de infelici ſtatu animæ ſuæ, recurſum habuerit ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, & ab eadem facta fuerit remiſſio ad hanc Sacram Congregationem, juxta morem datæ fuerunt litteræ ad Epiſcopum Reatinum pro informatione, eidemque fuit etiam injunctum, ut Proceſſum compilatum tranſmitteret; cumque ageretur de homine pauperrimo, qui ſumptus ſuppeditare non poterat pro componendis, & exemplandis ſcripturis, & inopportunum, & inſolens eſſe videretur, Sacerdotem Gregorium della Pezza pium hujuſce negotii ſollicitatorem ad aliquid expendendum adigere, operæ pretium eſſe exiſtimatum fuit Proceſſum conſignare D. Dominico Florello Locumtenenti Criminali Auditoris Cameræ, ut ejus Reſtrictum efformaret, & ſuum etiam ſubderet votum pro veritate.

Tranſmiſſa Epiſcopi Relatio, & D. Florelli Reſtrictus in eo, quod attinet ad impedimentum proveniens ex adulterio cum promiſſione ducendi Adulteram in Uxorem poſt obitum veræ Conjugis tunc viventis, concordant in hoc, nullam videlicet adeſſe difficultatem de adulterio commiſſo, cum Amicus illud ingenue fateatur, ſed difficultatem conſiſtere in promiſſione ducendi Adulteram in Uxorem; promiſſio hæc etenim non inititur niſi cuidam relevationi, quam Parochus ſibi factam fuiſſe dixit a Victoria Adulteræ Matre, ſe videlicet fuiſſe ab Amico adhuc cum Catharina Uxorato requiſitam de aſſenſu pro contrahendis ab ipſo Sponſalibus cum Beatrice filia, ſibique reluctanti aſſenſum præſtare fuiſſe ab Amico dictum: *avemo fatto ſenza di voi, ſtanzechè ci avemo promeſſo, crepate, e ſchiattate, noi avemo fatto ſenza di voi*; cumque eadem Beatricis Mater ad examen formale ſubinde vocata, etiam juramento interpoſito, dixerit ſe nihil ſcire de promiſſione, nec unquam eam Parocho revelaſſe, hinc tam ab Epiſcopo in ſua Relatione, quam a Domino Florello in ſuo Reſtrictu dicitur, ſufficientem non adeſſe hujuſce impedimenti probationem.

Tranſeundo ad aliud impedimentum, propinati videlicet veneni Catharinæ Uxori, ejus prima probatio conſtituitur in quatuor Teſtibus, qui teſtantur, Catharinam menſe Maii anno 1710. & ſic per ſex menſes ante ſuum obitum quandam portionem Farris coxiſſe, eamque comedendam tradidiſſe Petronillæ nepti, & aliis conſanguineis, qui doloribus ſtatim, & vomitu correpti ſunt, eundemque Farrem ſubinde datum fuiſſe gallinis ad comedendum, quæ paulo poſt mortuæ ſunt, & quia factum hoc nihil conduceret ad probandum, venenum fuiſſe ab Amico Catharinæ propinatum; alii duo ſuperadduntur Teſtes, qui dicunt, ſe audiviſſe a Petronilla, quod Amicus neſcio quid albi in Farre cocto miſcuerat, & quod Catharina exiſtimabat, ex ea cauſa vomitum proceſſiſſe, ſed cum Petronilla non potuerit examinari, utpote mortua ante compilatum Proceſſum, infirma admodum hæc exhibiti veneni probatio exiſtimatur tam ab Epiſcopo in ſua Relatione, quam a D. Florello in ſuo Reſtrictu.

Subſequitur ſecunda probatio, quæ in duorum Teſtium dicto reponitur referentium, die omnium Sanctorum, & ſic paulo ante obitum Catharinæ fuiſſe ipſi ab Amico marito exhibitum quemdam panem una cum uvis ad comedendum, & quemdam liquorem ad bibendum, quem in nonnullis vaſculis retinebat, & Catharinam poſt comeſtionem, & potum acrius fuiſſe morbo vexatam, quo deinde occubuit die 11. menſis Novembris; ſed cum omnes alii Teſtes examinati concordent, prædictam Catharinam fuiſſe delicatæ naturæ, & pati conſueviſſe quolibet anno dolores colicos, & febres, iiſdemque fuiſſe vexatam in ultima ægritudine, & Parochus S. Anatoliæ, & alius Sacerdos ejuſdem loci non ſolum in hoc concordent, ſed etiam ſuperaddant, nullam contigiſſe in cadavere Catharinæ mutationem, nec ullum in eo appariſſe veneni ſignum, hiſce de cauſis concludit Epiſcopus in ſua informatione, probationes propinati veneni eſſe debiles, & æquivocas, & ſic ſibi videri, annuendum eſſe petitis, facultati videlicet contrahendi Matrimonium, ut etiam conſulatur honori Beatricis, & Amici incolumitati, cujus vita dicitur inſidiis expoſita propter inimicitiam ipſi indictam a Fratribus Beatricis, ſi Matrimonium non ſequatur: neque diſcordat D. Florellus, qui ſuam Relationem ſequentibus verbis abſolvit: *onde io ſarei di ſentimento, che vi foſſe luogo alla grazia, non ſolo in riguardo dell' onore della giovane, la quale già ha partorito tre figli, ma ancora per la ſicurezza del ſuddetto Oratore, al quale i fratelli della ſuddetta Beatrice minacciano la vita, quando non ripari col Matrimonio all' onore della ſorella.*

Impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium, quod dicitur impedimentum criminis, quodque ex ſolo adulterio, vivente prima Conjuge, patrato, non coalescit, coaleſcit ex adulterio una cum promiſſione Adulteram ducendi in Uxorem poſt obitum Conjugis, tunc viventis, juxta *Textum in cap. ſignificaſti, in cap. veniens, & in cap. finali de eo, qui duxit in matrimonium*, ſive adulterium præcedat promiſſionem, ſive promiſſio præcedat adulterium, dummodo promiſſio ſit vera, & feria, & ab altera parte acceptata, uti late proſequuntur *Pirhing ad dictum tit. Decretal. §. 2. n. 14. & 15. Anaclet. ad eundem tit. pariter Decretal. n. 4. & n. 15. & ſeqq. Roſignol. in noviſſima praxi tom. 6. de Matrim. prænot. 13. n. 19. & ſeqq.*

Item, relatum Criminis impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium ex machinatione mortis Conjugis coaleſcens ad terminos citati *Text. in cap. ſignificaſti de eo, qui duxit in matrimonium, & Canonis ſi quis vivente 31. quæſt. 1.* adulterium expoſcit, ſi mortis machinatio ab altero tantum proceſſit, & etiam ſibi vindicat locum ſine adulterio, ſed dummodo uterque ad cædem, ſeu mortem Conjugis cooperatus ſit, uti probat *Textus in cap. 1. & in cap. ſuper hoc, in ſæpe citato titulo de eo, qui duxit in matrimonium*, & proſequuntur *Pirhing loco citato §. 3. n. 23. Roſignol. loco pariter citato n. 10. Anaclet. ubi ſupra n. 18. & ſeqq.* in quo rerum themate non videtur, in hypotheſi dubitandum de hoc impedimento, in eo, quod attinet ad Jus, ſed in eo ſolum, quod ſpectare poteſt ad probationem facti.

Adeoque ad probationem deſcendendo, ſupponendum eſſe videtur, quod verſamur non in matrimonio contracto, ſed in contrahendo, licet enim illud de facto fuerit contractum, perinde tamen ſe habere debet, ac ſi contractum non fuiſſet; ad partes quippe poſito criminis impedimento, ſuper quo præſens quæſtio verſatur, aliud ſupererat impedimentum affinitatis ex copula illicita, cum diſpenſatio per organum Datariæ expedita, non fuiſſet executioni mandata, quando illud de facto contractum eſt; Sacri autem Canones diſtinguunt inter Matrimonium contractum, & contrahendum, & quando agitur de contrahendo, non expoſcunt claras, & concludentes impedimenti oppoſiti probationes; ſtatuunt etenim, unicum Teſtem ſufficere, ex quo agitur de vitando peccato, uti habetur *in cap. præterea il primo de Sponſalibus, & in cap. ſuper eo il ſecondo de Teſtib.* & latiſſime proſequitur *Ciarlin. lib. 3. controverſ. cap. 235.* dummodo tamen Teſtis ſit bonæ famæ, & non patiatur exceptionem in perſona, aut in dicto, *Tondut. quæſt. Benef. parte 3. cap. 165. n. 5. Monacell. in formul. legal. pract. parte 1. pag. 183. n. 1. & 2. Urſaya tom. 5. par. 2. diſcept. 22. n. 13. & ſeqq.* & dummodo Teſtis aſſerat cum juramento, ſe certe ſcire impedimentum, *Sanchez de matrim. lib. 1. diſput. 71. n. 11. ubi n. 16. & ſeqq.* ait, non ſufficere famam ad impediendum matrimonium, ſi clariores adſint probationes de fama contraria, & ſimplicem rumorem non poſſe matrimonium impedire.

Quatenus probationes impedimenti criminis inſufficientes eſſe videantur ad rem, de qua nunc agitur, ita ut, iiſdem minime obſtantibus, Sacra hæc Congregatio ſit in ſenſu, quod poſſit eſſe locus executioni diſpenſationis ſuper alio impedimento ex copula illicita, diſcutiendum remanebit, an neceſſaria ſit renovatio conſenſus coram Parocho, & Teſtibus, quando etenim impedimentum, prout hic, ex copula illicita eſt publicum, conſenſus renovatio dicitur neceſſaria coram Parocho, & Teſtibus, etiamſi durante impedimento, matrimonium fuiſſet contractum in facie Eccleſiæ, & coram Teſtibus, & Parocho, ad differentiam caſus, in quo hæc facta fuiſſent, ſed in terminis impedimenti occulti, juxta praxim Sac. Pœnitentiariæ, de qua *Navar. conſil. 4. de ſponſal.* & reſolutiones hujus Sac. Congregationis apud *Fagnan. in cap. is, qui fidem n. 14. de ſponſal. & matrim.* & concordantem *Rot. deciſ. 900. cor. Seraphino.*

Quæritur itaque, ut ex his, quæ hucusque deducta sunt, sequentibus dubiis respondeatur,

I. An sit procedendum ad executionem Brevis Datariæ super impedimento affinitatis ex copula illicita in casu &c. & quatenus affirmative,

II. An consensus a Contrahentibus sit renovandus coram Parocho, & Testibus in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative, obtenta dispensatione per Secretarium a Sanctissimo super falsa imputatione pretensorum impedimentorum, de quibus agitur. Ad Secundum affirmative.

QUÆSTIO CCCCLIII.

In Causa Consentina, die 13. Julii 1725.

SACERDOS Bernardinus Lopes Oppidi Phileni Consentinæ Diœcesis ex casu quodam accidentali, talem in brachio dextero passus est læsionem, ut in eo flexibilitatis usum amiserit, ita ut brachium quidem elevare possit, sed quando vult se signare signo S. Crucis, id facere non possit, nisi intercedente distantia unius circiter palmi a fronte, a pectore, ab utroque humero, & ab ore, & Missam celebrando, Sacram Hostiam, & Sanguinem sumere non possit, nisi ope brachii, & manus sinistræ, licet cæteras Missæ cæremonias rite, & recte adimpleat; cumque prædictus Sacerdos recursum habuerit ad hanc Sac. Congregationem pro facultate Missam dicto modo celebrandi, & juxta morem datæ fuerint litteræ ad Archiepiscopum Consentinum, idemque retulerit omnia exposita in facto subsistere, & facto experimento coram Magistro Cæremoniarum, deprehensum fuisse, quod Orator Missam celebrare poterat, & omnes bene facere cæremonias, excepto signo Crucis, quod facere non potest, nisi modo in superioribus insinuato, & excepta sumptione Sacri Corporis, & Sanguinis, quam facere non potest, nisi ope manus sinistræ, bina in præsenti dubia examinanda proponuntur, quorum alterum respicit Irregularitatem, alterum dispensationem.

Quoad punctum Irregularitatis, irregularis dicitur ille, qui vel caret membro, vel illud habet ineptum ad opus perficiendum, ad *Textum in Canone sicut urgeri prima quæst.* 1. & bene adnotavit *Gibal. de irregul. cap. 3. conject. 3. §. 4.* & licet manus dexteræ defectus in sumptione Eucharistiæ posset per alium adstantem Sacerdotem suppleri, prolatis a Celebrante verbis, & sumpta ope Adstantis Sanctissima Eucharistia, divisio hæc tamen Officii non admittitur; quocirca Sacerdos habens manum impeditam de jure dicitur irregularis, ita ut Missam celebrare non possit, licet reliqua Sacerdotii ministeria perficere valeat, uti esset confessiones excipere, prædicare, & similia peragere, juxta theoricam *Abbatis in cap. 2. de Clerico ægrotante*, quam late exornat *Majol. de irregul. lib. 1. cap. 14. a num. 1. ad 9.*

Transeundo ad dispensationem, cum non agatur de promovendo, sed de promoto, quærunt Doctores, an Papa possit dispensare, ut Sacerdos, qui una caret manu Missam celebret, & affirmative respondent, & nonnulli ex illis referunt, se vidisse Regularem, qui ob morbum habebat manum impediam, a Summo Pontifice dispensatum, ut Missam celebraret, assistente sibi Sacerdote, *Henriquez lib. 14. cap. 8. num. 4. litt. Q, Leander Oper. Moral. part. 5. tract. 2. de irregularitate quæst. 89.* idemque *quæst. 90.* subdit, posse Summum Pontificem dispensare Sacerdotem utraque manu truncatum, ita tamen, ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevaret, frangeret, & ab ejus manu sumeret.

Ad rem, de qua agitur, ponderari posset, quod Sacerdotes Sacri Ordinis Prædicatorum in Missæ celebratione sinistra manu sumunt Eucharistiam, De hoc Ritu loquendo, nonnulli asserunt, fuisse Ordini a Sede Apostolica concessum, ut manu sinistra communicarent, propter triumphatam ab ejus Fratribus hæresim Berengarianam, in Europa revivisentem in contumeliam Sanctissimæ Eucharistiæ temporibus Sancti Dominici, & Sancti Petri Martyris, uti legitur *apud Bzovium in Annalibus ad annum* 1313. Alii dicunt, Fratribus Ordinis Prædicatorum pœnitentiæ, & satisfactionis loco datum esse, ut Celebrantes Sacrosanctam Eucharistiam sinistra manu reciperent, ex quo Frater Bernardus de Monte Politiano Professus Ordinis prædicti, & Confessarius Henrici VII. Imperatoris, venenatam ipsi Hostiam porrexit, ita ut Imperator ex hac vita decesserit. At hæc infamis calumnia sibilis potius, quam confutatione digna videtur, tum quia nec Villanus, nec Albertus Mussatus Auctores contemporanei meminerunt veneni, tum quia incussa monumenta ostendunt, Sacerdotes Dominicanos sinistra manu in Missa communicasse centum annis ante obitum Henrici, uti late ostendit *Marcellus de Cavaleriis* Sanctissimi Domini Nostri olim Theologus, dum Beneventanam Ecclesiam præsens administrabat, in suo opere, cui titulus: *Statera Sacra p. mihi 473. & seqq.* & sequitur *Macrius in notitia vocabulorum Ecclesiasticorum in verbo Communio:* cumque proinde certum sit, usum hunc communicandi sinistra manu esse cœvum Ordini Prædicatorum, in ejus etiam Rubrica esse approbatum, ibi *de sinistra sumat ore Sacrum Christi Corpus*, & plenum esse Mysteriis late recensitis *apud citatum Cavalerium pag. 467. & seqq.* quæ omnia indecentiam excludunt in sumenda ope manus sinistræ Eucharistia, videndum erit, an id viam aperire possit miserabili Sacerdoti, ut ipse videlicet per dispensationem obtinere possit facultatem Missam celebrandi, licet ex inculpato defectu brachii dexteri Eucharistiam sumere non possit, nisi manu sinistra,

Quibus stantibus, quæritur,

I. An Sacerdos sit irregularis, & quatenus affirmative.

II. An eidem sit concedenda dispensatio, ut Missam celebrare possit in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum affirmative. Ad Secundum arbitrio novi Archiepiscopi.

QUÆSTIO CCCCLIV.

In Causa Sanctæ Severinæ, die 13. Julii 1725.

CAPITULUM Ecclesiæ Metropolitanæ S. Severinæ, quod Ecclesiæ inserviebat per hebdomadam, & Turnum, prætendit se non teneri ad quotidianum servitium, vigore cujusdam donationis factæ a bon. mem. Archiepiscopo Berlingerio, sed sibi esse permittendum, ut alternative, & per Turnum præstet prædictum servitium, exceptis tamen temporibus Adventus, Quadragesimæ, Rogationum, & aliis Vigiliis, & omnibus diebus Festivis, quibus omnes addicti Choro eidem inservire teneantur.

Et in eo quidem quod attinet ad primam prætensionis partem, admittitur a Capitulo, fuisse ab Archiepiscopo Berlingerio factam donationem nonullorum Capitalium, *acciò fosse servito il Coro di detta sua Chiesa Metropolitana in tutti li giorni, ed ore Canoniche nel modo, e forma, che dispongono i Sacri Canoni, ed il Sacro Concilio di Trento*, sed contendit, non posse dici in hac Donatione impositum onus omnibus inserviendi Choro, sed tantum inserviendi per Turnum, ex quo videlicet erant adeo modicæ distributiones, quæ ante Donationem distribuebantur inter præsentes, ut singulis annis vix ascenderent ad quatuor ducatos pro quolibet, ex qua modicitate sicuti sæpe sequebatur, ut Cultus Divinus negligeretur, & quod obligati ad inserviendum, nec minus per Turnum inservirent, sic auctis ab Archiepiscopo distributionibus, voluit ipse quidem, ut servitium impositum non negligeretur, sed absque ejusdem immutatione, ita ut si in antecessum, non erat servitium diurnum, sed per Turnum, eodem modo continuare deberet in futurum.

Et quia Capitulum videt, sibi opponi posse, quod post donationem, quoadusque vixit Donator, servitium ab omnibus quolibet die, & non ab aliquibus per Turnum præstitum fuit, respondet, id non fuisse factum ex obligatione, sed ex quadam gratitudine erga Benefactorem, qui ultra res donatas animum habebat alia etiam superaddendi, quod & fecisset, si non fuisset morte præventus, in quo rerum themate concludit, non fuisse inductam ullam obligationem, & eo fortius, cum donatio fuerit acceptata a quodam Canonico Capituli Procuratore, cum promissione de ratihabitione infra triduum, nec unquam ratihabitio Capituli accesserit, ex quo idem Capitulum infert, se non esse obligatum ad continuum, & diurnum servitium, licet illud per impossibile esset in donatione præscriptum,

Atque hinc transeundo ad secundam prætensionis partem, inserviendi videlicet impositum per Turnum, exceptis diebus supra recensitis, Capitulum innititur antiquæ consuetudini, & etiam praxi tot aliorum Capitulorum, & quod magis est, tenuitati distributionum; cum etenim Capitulum componatur ex sex Dignitatibus, & octo-

& octodecim Canonicis, & quindecim Presbyteris, aliisque in dies recipiendis, & ante Archiepiscopi donationem non adesset nisi annua quantitas ducatorum 150. inter omnes titulo distributionum dividenda, & ex rebus ab Archiepiscopo donatis percipiantur tantum ducati annui sexcentum, & pecunia ab eodem pariter relicta, quæ remanet otiosa, & non est investita, modicum fructum reddere possit, & quatenus multiplicum ex ea institueretur, multum temporis labi deberet, ut fructus proportionatus haberetur, subdit memoratum Capitulum, quod facta divisione inter Canonicos, & cæteros Choro addictos, non habet quilibet Canonicus nisi ducatos viginti quolibet anno, & cuilibet Presbytero non obvenit quolibet anno, nisi summa ducatorum decem, quæ videtur minime proportionata pro continuo servitio, & eo fortius, quia binæ dumtaxat reperiantur Præbendæ, altera Archidiaconi, altera Decani, quarum prima ad triginta, & secunda ad quadraginta annua scuta ascendit, & aliæ Præbendæ pro aliis duabus Dignitatibus, & totidem Canonicis non excedunt annuam præstationem ducatorum decem.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An omnes Canonici, & Clerus Cathedralis Ecclesiæ S. Severinæ vigore donationis expletæ per bon. mem. Archiepiscopum Berlingerium teneantur quotidie intervenire servitio Ecclesiæ, seu potius sit indulgendum, ut possint alternative, & facta divisione per Turnum, & hebdomadam interesse eidem servitio, exceptis temporibus Adventus, Quadragesimæ, Rogationum, aliisque Vigiliis, & omnibus diebus Festivis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Esse indulgendam alternativam cum solitis Clausulis.

QUÆSTIO CCCCLV.

In Causa Savonensi, die 13. Julii 1725.

ARCHIPRESBYTER Joannes Franciscus Chiaborellus in ultimo, cum quo decessit Testamento nonnulla Legata Pia reliquit, sibique hæredem scripsit Altare majus, & Societatem Sanctissimi Sacramenti erectam in Ecclesia Parochiali Sancti Ambrosii, & ut a se dispositæ suam promptam haberent executionem, & ne sua hæreditas dilapidaretur, nonnullos nominavit Executores Testamentarios una cum Officialibus dictæ Societatis, & Archipresbyteris pro tempore memoratæ Parochialis Ecclesiæ,

Sub fundamento, quod annuus hæreditatis reditus esset plus quam sufficiens pro indigentiis Altaris Confraternitatis, & pro conspicuo ornatu totius Ecclesiæ, quodque pius Testator habuisset intentionem erigendi ex sua hæreditate nonnulla Beneficia cum obligatione assistendi Choro, Executores Testamentarii, & Officiales Confraternitatis, prævio reliquorum Confratrum consensu, pium, & opportunum esse existimarunt, devenire ad fundationem septem Beneficiorum, assignando cuique Beneficio suum reditum, & onera, & Episcopus in actu Visitationis ad erectionem dictorum Beneficiorum devenit.

Exorta propter hanc erectionem controversia, eademque ad hanc Sac. Congregationem delata, exhibita fuit scriptura nomine Confratrum, & Confraternitatis, in qua plura deducta fuerunt adversus supradictam Beneficiorum erectionem, & signanter, quod reditus hæreditatis erant erogandi in ornatum altaris, & indigentias Confraternitatis juxta præceptum Testatoris, in quo rerum statu non poterat Episcopus eosdem reditus convertere in alium usum, & multo magis, quia Ecclesia, in qua Altare situm est, in malo statu reperiebatur, & cessabat suppositum desiderium Testatoris, deveniendi ad erectionem Beneficiorum, cum Testamentum fuerit conditum *die 1. Aprilis anno 1711.* & Testator obierit *de mense Septembris anno 1712.* quo temporis intervallo, si Testator voluisset mutare Testamentum, id commode facere potuisset,

Adversus exposita a Confratribus, & Confraternitate, Cappellani, Executores Testamentarii, & Officiales Confraternitatis dixerunt, nihil esse reprehensibile in prædicta beneficiorum erectione, cum in ea non adfuerit ulla commutatio voluntatis, ex quo illæsa permanent omnia a Testatore demandata, itaut erectio Beneficiorum facta fuerit ex eo, quod supereset, in quo rerum statu bene poterat fieri Beneficiorum erectio, & eo fortius, quia Testator eam concupivit, uti colligi dicebant ex nonnullis Testibus, sed eam non compleverat propter expensæ timorem; utque verificarent, erectionem factam fuisse illæsis permanentibus oneribus a Testatore demandatis, & de eo, quod supereset, calculum exhibuerunt, juxta quem annui reditus erant in scutis 600. a quibus quoties demerentur annua scuta 300. pro manutentione Altaris, Ecclesiam quippe probare conati sunt, nulla quoad statum materialem indigere reparatione, superaret annua summa aliorum scutorum 300. quæ bene idcirco potuit erogari pro erectione Cappellanorum, seu Beneficiatorum, qui quotidie Choro, & Ecclesiæ inservirent.

De hac controversia actum fuit in Congregatione habita *die 23. Maii 1722.* propositisque tribus sequentibus Dubiis,

I. An sustineatur erectio Cappellaniarum, Canonicatuum nuncupatorum in casu, & quatenus negative.

II. An dicti Cappellani Canonici nuncupati teneantur restituere fructus perceptos, & quatenus affirmative,

III. An, & a quo tempore in casu &c.

Ad primum, & secundum responsum fuit *negative*, & ad tertium *satis provisum in secundo*, fuitque demandatum Episcopo Savonen. ut apponeret Œconomum pro redituum administratione, & Cappellanis inhiberet, ne accederent ad servitium Chori, quod ulterius darentur litteræ ad Eminentissimum Archiepiscopum Januensem juxta institutionem, & institutio fuit, ut per eumdem Eminentissimum Archiepiscopum fieret liquidatio status hæreditarii pii Testatoris, ad quam videlicet summam revera ascendat annuus ejusdem reditus, & quomodo idem in præteritum fuerit administratus, & in quas causas erogatus, & quod ipse ulterius dignaretur certiorem facere Sacram Congregationem de vero statu Ecclesiæ, an ipsa videlicet reparatione indigeat, vel Sacris supellectilibus.

Cohærenter ad hæc, deputatus fuit ab Ordinario Savonensi Œconomus, & supervenerunt responsiones Eminentissimi Archiepiscopi Januensis; adeoque in Congregatione habita *die 13. Julii 1725.* de hac Controversia iterum actum fuit, propositis tribus sequentibus dubiis.

I. An constet de sufficientia fructuum pro erigendis Cappellaniis in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An debeant esse perpetuæ, vel manuales.

III. An, & quibus competere debeat jus nominandi in casu &c.

Sacra Congr. die 4. Augusti 1725. respondit,

Ad Primum affirmative juxta modum præscribendum ab Eminentissimo Præfecto, & amplius. Ad Secundum debere esse manuales & amplius, Ad Tertium spectare ad Officiales Confraternitatis.

QUÆSTIO CCCCLVI.

In Causa Aquilana, die 4. Augusti 1725.

INTER alias Collegiatas Ecclesias existentes in Civitate Aquilæ una reperitur sub invocatione S. Mariæ de Paganica *ab intra*, quæ suum habet Archipresbyterum Curatum, & facit unum corpus cum Ecclesia S. Mariæ dictæ Terræ Paganicæ *ab extra*, & unam etiam massam Capitularem,

Huic Ecclesiæ *ab extra* servitium præstatur a quatuor Cappellanis, & aliis Presbyteris, qui quotidie Divina persolvunt Officia, & subjiciuntur punctaturis, si dictis Officiis non interfunt, & ad Capitulum Collegiatæ *ab intra* pertinet jus nominandi, seu præsentandi Curatum *ab extra*, qui curam animarum exercet ascendentium ad numerum duarum millium.

Præteritis temporibus magnæ fuerunt controversiæ, & signanter, an Archipresbyter teneretur residere in Ecclesia Parochiali, quæ est in Civitate, item in qua quota solvenda esset provisio Vicario constituendo in Ecclesia *ab extra*, & an solutio per Archipresbyterum tantum, vel per ipsum infimul, & Capitulum de Massa communi fieri deberet, super quibus controversiis nonnulla prodierunt hujus Sac. Congregationis responsa, & etiam Sacræ Rotæ Decisiones, uti videri potest *in decis. 839. & in decis. 1233. coram Seraphino*, sed hisce controversiis finis impositus fuit ab Episcopo Aquilano *anno 1600.* cum eteuim in Vicarium Ecclesiæ *ab extra* nominatus fuerit a Capitulo, & Canonicis Sanctæ Mariæ de Paganica *ab intra* quidam Sacerdos Bartholomæus Sirellius cum constitutione annuæ provisionis Ducatorum quinquaginta monetæ Regni, memoratus Episcopus in executionem Decretorum Sac. Congregationis, & Rotæ Decisionum prædictam nominationem admisit, & solu-

tionem

tionem quinquaginta Ducatorum eidem faciendam præscripsit singulis quatuor mensibus tertiatim explendam, una cum distributionibus quotidianis, & introitibus mannalibus pro modo servitii ab eodem præstandi in Ecclesia S. Mariæ *ab extra*, & quia idem Episcopus voluit, quod Sacerdos non accederet ad capiendam possessionem Vicariatus, quem *perpetuum* appellavit, nisi obtenta nova provisione a Sede Apostolica, & cæteris adimpletis ad formam Bullæ S. Pii V. infra memorandæ, idem novas litteras Apostolicas expedivit, & Vicariæ possessionem cepit.

Post captam possessionem Sacerdos Bartholomæus Sirellius nonnullis annis continuavit in exactione Ducatorum 50. sed *anno* 1611. ad novam devenit conventionem cum Archipresbytero, & Capitulo Collegiatæ *ab intra*, & in hac conventione renunciavit Congruæ Ducatorum 50. & distributionibus sibi competentibus ad instar Canonici, sibique sufficere asseruit solutionem sex annuorum ducatorum a Capitulo faciendam, & participationem tamquam unius ex Cappellanis, nec non quoddam petium Terræ sex cuparum; cumque a dicto tempore usque in præsens Vicarii successores mercedem suam receperint ad tramites ultimæ conventionis supra expositæ, delato Vicariatu ad Sacerdotem Xaverium de Marchis, qui suam provisionem a Sede Apostolica obtinuit, novis controversiis locus apertus est, tum quoad quantitatem Congruæ, tum quoad quasdam præeminentias, quas idem sibi competere asserit; cumque juxta rescriptum hujus Sac. Congregationis primo agendum sit de Congrua, deinde de præeminentiis, disputandum in præsenti proponitur dubium ad solam Congruam restrictum.

Contendit autem Sacerdos Xaverius de Marchis Curatus Ecclesiæ S. Mariæ de Paganica *ab extra*, sibi debitam esse Congruam ad formam Bullæ Erectionis, seu deputationis Vicarii perpetui, & nullatenus ad formam assignationis factæ *anno* 1611.; tum quia prima assignatio nedum est conformis resolutionibus hujus Sacræ Congregationis, & Rotæ Decisionibus supra allegatis, sed etiam Constitutioni S. Pii V. *lib.* 47. *Bullar. tom.* 2. tum quia assignatio *anni* 1611. utpote destituta præsidio solemnitatum, assensus videlicet Ordinarii, aut Beneplaciti Sedis Apostolicæ, nullum successoribus potuit irrogare præjudicium, & eo fortius, cum eadem prætendatur restricta ad primum Vicarium, & successorum nullatenus comprehensiva.

Addit idem Sacerdos, sibi etiam deberi distributiones, & cæteros manuales introitus ad instar unius Canonici, uti conventum fuit in prima assignatione, cum ea omnia sint debita ratione interessentiæ Choro, & quatenus etiam referri possent ad exercitium Curæ Animarum, & ad mercedem pro tali onere persolvendam, subdit Sacerdos, nullam hac in re contineri exorbitantiam, cum Cura sibi commissa constituatur ex duabus millibus personis, uti supra dictum est, & quia sibi prævidet opponendum, quod fructus percipit ex quæstuatione tempore messium, ait, hoc emolumentum consistere ad summum in ducatis 35., nec de eo habendam esse rationem in casu, & ad effectum, de quo agitur, cum obventiones mere eventuales, & incertæ, & quæ pendent a labore personali, non computentur in congruam debitam, juxta Bullam S. Pii V. ad differentiam illarum obventionum, quæ licet incertæ dicantur, certæ nihilominus sunt, uti late firmant *Barbos. juris Eccles. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 43. *&* 44. *Leo in Thesaur. for. Eccles. par.* 2. *cap.* 31. *n.* 6. *&* 7. *Ventrigl. in praxi rer. Eccl. par.* 1. *adnot.* 20. §. 2. *n.* 20. *ibique Carolus Anton. de Luca in observat. n.* 8.; Absque eo quod valeat oppositio, quod recensitæ obventiones subrogatæ fuerunt Decimis, in quo rerum themate non possunt absolute, & simpliciter haberi pro incertis, cum hæc subrogatio non sit probata, & homines Terræ contendant, se non teneri ad Decimas solvendas Archipresbytero, & Capitulo, & super hac re pendeat lis coram Ordinario.

Archipresbyter autem, & Canonici Ecclesiæ S. Mariæ de Paganica *ab intra* toti sunt in comprobando, Ecclesiam S. Mariæ *ab extra* fuisse subjective unitam suæ Collegiatæ intra Civitatem Aquilæ existenti; item Vicarium Ecclesiæ *ab extra* non esse perpetuum, sed ad nutum amovibilem, cum erectio in Vicariam perpetuam non exhibeatur, & denominatio perpetuitatis, quæ reperitur in deputatione Bartholomæi Sirelli, & in expeditione litterarum Apostolicarum favore ipsius subinde expeditarum, non possit ullo modo facere, quod Vicaria censenda sit perpetua, & eo magis, quia Episcopus in supra memorato deputationis actu expresse confessus est, quod in Constitutione Vicarii perpetui non fuerat ad ulteriora processum; & ex his facti præsuppositis inferunt Archipresbyter, & Canonici, non esse applicabilem dispositionem Bullæ S. Pii V. quæ loquitur de Vicariis perpetuis, uti ex littera colligitur, & ex his, quæ habentur apud *Clericat. de Benef. discurs.* 54. *n.* 29. *&* 30.; in terminis etenim Vicarii amovibilis, & non perpetui, extranei sunt termini Congruæ Pianæ, & alii tantum applicabiles esse videntur salarii, juxta *decis.* 361. *coram Benincasa*, quod salarium jam conventum fuit anno 1611. & ad tramites conventionis solutum fuit usque ad tempus præsens.

Præterea ab Archipresbytero, & Canonicis dicitur, quod etiamsi Vicarius habendus esset pro perpetuo, & non pro temporali, & amovibili, semper nihilominus esset observanda assignatio anni 1611. primo, quia eadem facta est ad petitionem Bartholomæi Sirelli primi Vicarii, secundo quia idem Sacerdos Bartholomæus eam acceptavit pro se, & successoribus, *che per averne il detto Don Bartolomeo da questa permutazione maggior utile, minore scomodo alle Signorie Vostre, lo riceverà tanto per esso, come per i suoi successori in detta Vicaria a grazia*, tertio, quia uti dictum est, assignatio prædicta suum habuit effectum *ab anno* 1711. *ad annum* 1723. & quarto, quia hæc assignatio non videtur obstare Bullæ Pianæ, quæ non præscribit solutionem ducatorum annuorum 50. in pecunia numerata, sed etiam admittit assignationem Fundi, aut alicujus rei stabilis, ex qua dicta summa quolibet anno haberi possit, & ultimo demum, quia assignatio anni 1611. tractu temporis augmentum, & non decrementum fortita est, cum omnibus computatis Vicarius, seu Curatus juxta unius Testis dictum obtineat quolibet anno septuaginta sex circiter ducatos.

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur,

An sit locus assignationi Congruæ, & Emolumentorum ad formam Bullæ deputationis, sive erectionis Vicarii perpetui Curati Ecclesiæ S. Mariæ de Paganica ab extra, sive potius servanda sit assignatio facta anno 1611. *favore ejusdem Vicarii in casu &c.*

Sacra Congr. die 1. Septembris respondit,

Affirmative ad primam partem, & negative ad secundam, reservatis hinc inde Juribus super quæstuatione, & decimis.

QUÆSTIO CCCCLVII.

In Causa Theatina, die 4. *Augusti* 1725.

SAN. mem. Innocentius Papa XIII. litteras Apostolicas expedivit, directas Archiepiscopo Theatino, quibus ad preces Marchionis Vasti erexit in Collegiatam Insignem Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Archiepiscopus processit ad Bullæ executionem.

Adversus prædictam Ecclesiæ erectionem in Collegiatam reclamavit Ecclesia S. Petri, adeoque subscripta fuerunt dubia ad calcem Restrictus referenda, quæ in hodierna sessione proponuntur ex mandato hujus Sac. Congregationis, quæ juffit, ut Causa proponeretur *in prima Augusti etiam unica*.

A Præposito, & cæteris Capitularibus Ecclesiæ S. Petri plura proponuntur ad effectum suadendi, litteras Apostolicas super erectione Collegiatæ fuisse subreptitias, easdemque nulliter fuisse executioni mandatas, ut ex ejus scriptura per manus circumferenda; & quia unum, & forte præcipuum subreptionis caput constituitur in eo, quod san. mem. Innocentio XIII. non fuit expositum, quod petitio Erectionis Ecclesiæ S. Mariæ in Collegiatam fuerat proposita in hac Sac. Congregatione, & favorabile responsum non obtinuerat, operæ pretium esse censui, factum, prout revera se habuit, hic referre, inserendo tum folium Congregationis, tum suffragium bon. mem. R. P. D. Altoviti tunc Secretarii, & demum Sac. Congregationis responsum.

In folio itaque Congregationis habitæ die 26. Junii 1688. hæc habentur, *In Causa Theatina Erectionis in Collegiatam. Relato in antecedenti Congregatione supplici Libello per Sanctissimum remisso, cujus vigore Presbyteri Ecclesiæ Receptitiæ S. Mariæ Majoris Terræ Vasti instabant, dictam Ecclesiam erigi in Collegiatam ad effectum, ut hoc modo extinguantur controversiæ præeminentiarum jampridem vertentes in Sacrorum Rituum Congregatione inter dictam Ecclesiam, & alteram S. Petri ejusdem Terræ, jussum fuit, Causam describi in folio, quocirca utraque parte informante, decernendum superesse: An petitæ erectioni Ecclesiæ S. Mariæ Majoris in Collegiatam sit annuendum.*

Transeundo ad suffragium bon. mem. R. P. D. Altoviti tunc Secretarii, illud fuit conceptum sequentibus verbis. *Erectio Ecclesiæ S. Mariæ Majoris in Collegiatam nunc primum petita, postquam Ecclesia S. Petri repertis tandem controversis capitulis originalibus, obtinuit novam audientiam adversus decreta contra eam edita a Sac. Rituum Congregatione, videtur excogitata ad supplantanda jura ipsius Ecclesiæ S. Petri, quæ in reproposítione Causæ forsan obtinere poterit recessum a decisis, unde ex hoc solo capite rejicienda videtur instantia, & relinquenda utrique parti facultas experiendi jura pro absolutione litis inceptæ.*

Sed quatenus æquitas suadevet, imponi denique finem præfatæ diuturnæ liti, mediante erectione in Collegiatam, nulla hactenus subest ratio, propter quam potius illa S. Mariæ Majoris, quam altera S. Petri sit erigenda, sed ad effectum, ut neutri fiat injuria, inquirendum prius esset, quænam ex illis dignior sit prærogativa Collegialitatis, inspectis qualitatibus antiquitatis, redituum, & aliis hujusmodi.

Præterea, quando etiam postposita Ecclesia S. Petri, erigenda esset in Collegiatam Ecclesia S. Mariæ Majoris, attamen cum ista hactenus fuerit, & in præsens sit Receptitia, audiendi essent omnes Presbyteri, qui nunc sunt in Terra Vasti, pro eorum jure, & interesse, necnon ejusdem Terræ Universitas pro Jure, & interesse aliorum Presbyterorum, qui deinceps adesse poterunt.

Hactenus suffragium bon. mem. R. D. P. Altoviti, & Sac. Congregatio eidem adhærendo respondit dubio supra recensito, *negative in statu præsenti*.

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac die 4. Augusti 1725. Cumque tunc nulla fuerit capta resolutio, & in Congregatione habita die 1. Septembris ejusdem anni responsum fuerit *Dilata*, & *ad mentem*, eadem die 15. Decembris 1725. reproponitur.

Difficultates autem excitatæ, & quæ dederunt causam supradicto rescripto *ad mentem*, ut videlicet super illis stricte scriberetur, sunt hæ, quæ sequuntur.

Prima est, quod in Bulla Summi Pontificis datur Marchioni Vasti, & Presbyteris novæ Collegiatæ jus præsentandi Archipresbyterum, non absolute tamen, & simpliciter, sed cum conditione probationis Juris patronatus *ex fundatione*, *vel dotatione*.

Absque eo quod, vel coram Delegato, vel coram hac Sac. Congregatione fuerit exhibitum Instrumentum fundationis, aut dotationis, & absque eo quod ad minus exhibita fuerit probatio a Sac. Concilio Tridentino præscripta, quod in personis de usurpatione suspectis exposcit, aut instrumentum fundationis, vel dotationis, vel immemorabilem cum præsentationibus continuatis, & effectuatis, spatio quinquaginta annorum, juxta *c.* 9. *sess.* 25. *de Ref.*

Altera est, quod Papa in Bulla erectionis præscripsit impinguationem redituum Archipresbyteratus, nec non integram dotem pro tribus Canonicatibus erigendis, & in ordine ad hanc impinguationem, & respective dotationem dubitatum fuit, an sufficienter a Marchione Vasti fuerit satisfactum per assignationem Fiscalium Civitatis Lancianæ.

Informantes igitur scripserunt tum super Jurepatronatus, tum super assignamentis, reproposítaque Causa *die* 12. *Januarii* 1726., nulla pariter fuit capta resolutio, sed dictum, quod *Eminentiss. Card. Præfectus dignaretur rem perpendere, & votum suum Sacræ Congregationi aperire*, quod *dubio discutiendo super subsistentia Erectionis adderetur particula sanationem Erectionis respiciens, & quod demum impetraretur, ut Causa super Præeminentiis delata ad Sacror. Rituum Congregationem avocaretur, & ad hanc remitteretur*, ut unico videlicet contextu finis imponeretur litibus, quæ a tanto tempore vigent inter has Ecclesias Vasti.

Eminentissimus D. Cardinalis Præfectus suum edidit Votum, quod circumfertur. Addita fuit dubio particula sanationem respiciens, & per organum Eminentissimi D. Cardinalis Marefuschi tunc Pro-Auditoris Sanctissimi, & nunc meritissimi Urbis Vicarii impetratæ sunt Avocatio, & Remissio prædictæ.

Quocirca quæritur,

I. *An erectio in Collegiatam Insignem S. Mariæ Majoris Vasti facta ab Ordinario Theatino, uti Delegato Apostolico virtute litterarum Apostolicarum san. memoriæ Innocentii XIII. sustineatur, seu potius sit confirmanda, & approbanda, vel ad minus sit locus ejus sanationi.*

II. *Quænam providentia sumenda sit circa Præeminentias hinc inde prætensas in casu &c.*

Sacra Congr. die 15. Martii 1727. respondit,

Ad Primum, consulendum esse Sanctissimo pro sanatione juxta Votum Eminentissimi Præfecti.

Ad Secundum, sumendam esse juxta Votum Eminentissimi Præfecti.

QUÆSTIO CCCCLVIII.

In Causa Cordubensi, die 4. *Augusti* 1725.

PATER Dominicus Sanchez de Quesada, qui professionem Regularem emisit inter Fratres Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, nondum elapso quinquennio, nullitatem emissæ professionis proposuit coram Ordinario Corduben. & Superiore Religionis, & sententiam contrariam passus est, quæ etiam confirmata fuit a Curia Metropolitana Toletana; cumque suam instantiam prosequendo appellationem interposuisset ad Rotæ Tribunal, eademque a Sanctissimo Domino Nostro fuerit, prævia avocatione a dicto Tribunali, ad hanc Sac. Congregationem remissa, disputandum in præsenti proponitur dubium, an constet de nullitate prædictæ professionis.

In scriptura per manus circumferenda, inter cætera probandum assumitur, quod Orator fuit simoniace in Ordinem Regularem receptus, solutis videlicet ab ejus Genitore ducatis 300. sine quorum solutione Superiores protestati fuerant, se eum non esse admissuros, licet prædicta summa fuerit petita titulo eleemosynæ, & sub obtentu eam erogandi in complementum fabricæ Conventus; sed cum hodierna quæstio ad nullitatem professionis restringatur, onus erit EE. VV. examinare, an professio ex hoc capite nulla dici possit. In Sacris siquidem Canonibus, hoc est in *cap. Quoniam*, *&* *in cap. Veniens de simonia* decernitur, quod simoniace in Monasterium receptus damnetur ad serviendum Domino in alio Monasterio in habitu monastico, quod utique non fieret, si professio ab eodem emissa propter vitium simoniæ nullitate laboraret, uti argumentatur *Abb. in citato cap. Veniens sub num.* 4. & communis esse videtur Theologorum opinio pro validitate professionis per simoniam emissæ, uti plene habetur apud *Gibalin. de simonia quæst.* 23. *confect.* 3. eademque communis sententia fuit ab hac Sac. Congregatione approbata in Leodien. Professionis, quæ fuit proposita 2. Augusti 1721. & resoluta 13. Junii 1722. in qua responsum fuit pro validitate professionis inter Donatos Ordinis Prædicatorum emissa a Fratre Ludovico Bertrando de Layresse, non obstante, quod Pater Procurator Generalis in sua informatione expresse admisisset, eum fuisse simoniace in Ordinem receptum.

Ad partes ergo posita simonia, necessarium esse videtur in facto animadvertere, quod Pater Dominicus, de quo nunc agitur, antequam inter Religiosos admitteretur, fuit a Curia Laicali inquisitus de homicidio, & ab Ecclesia, ad quam confugerat, extractus est, & successive deinde ad eam restitutus, & quod adversus eum inter Novitios Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum jam adscitum, pronunciata fuit a Judice Laico sententia, in qua suo Tribunali reservata fuit facultas procedendi ad pœnas ultrices pro exposito delicto in hypothesi, in qua idem professionem Regularem non emisisset, vel post emissam ab Ordine ejectus esset, & quod Oratoris Genitor hoc potissimum usus est argumento, ut eum ad emittendam professionem Regularem induceret, cum eidem proposuerit vel perpetuam in Carcere, aut in Ecclesia permanentiam, si professionem non emitteret, vel libertatem, & ab impacto delicto impunitatem, si in Religione profiteretur.

In hac quippe facti contingentia sibi vindicat locum quæstio a Doctoribus prompta de metu auctoritate privata, sed juste illato ad extorquendum consensum, an videlicet idem vitiet, vel non vitiet professionem, cum nonnulli dicant, injuriam fieri professioni, quæ debet esse libera, si per ea media expetatur consensus ad eam, & in ordine ad eum, qui patitur metum, & ad ejus libertatem unum, & idem sit, sive ipse dederit, sive non dederit causam timori, dummodo timor cadat in constantem virum, & alii e contra sentiant, quod quando metus juste irrogatur, non tam censetur inferri ab extrinseco, quam provenire ab intrinseco, scilicet a propria Delinquentis voluntate, & a natura delicti, ita ut De-

ut Delinquens taliter delinquendo sibi metum inferat, exponendo se hujusmodi periculo, & id, quod ex propria oritur voluntate, nunquam dicitur moraliter libertati repugnare, neque proponens professionem pro malo evadendo infert, sed aufert metum, ostendendo videlicet viam mali evadendi.

De hac insigni controversia in terminis Matrimonii agit *Sanchez de Matrim. lib. 4. disput. 16. per totam*, & in terminis Matrimonii spiritualis, idest professionis in Religione idem profequitur *Sanchez ad præcepta Decalogi lib. 4. cap. 3. num. 21.* quibus in locis secundæ adhæret opinioni, hoc est validitati tum Matrimonii, tum professionis, & aliqua problematice proponuntur *a Sperell. dec. 6. a n. 11. usque ad 13.*

Præter hoc fundamentum, alia proponuntur pro nullitate professionis, deducta signanter ex importunis suasionibus a Patre ante delictum adhibitis, & a minis exercitis, ut Orator Religiosum statum amplecteretur, & ab ejus continua ad hunc statum aversione, semper explicata tam tempore novitiatus, quam professionis, & etiam ex post, uti videri potest in scriptura per manus, uti dictum est, circumferenda, quibus omnibus perpensis, quæritur,

An constet de nullitate Professionis in casu &c.

In Congregatione habita *die prima Septembris* 1725. rescriptum fuit, *Dilata, & ad mentem.*

Et mens fuit, ut ipse curarem transitum Oratoris ad aliam Religionem, prout curavi, & obtinui in Sacra Pœnitentiaria, quæ suum Breve expedivit, & in quo facultatem Oratori concessit, transeundi ad Religionem S. Spiritus in Hispanis, in qua Religione viget Claustralis, & Regularis Observantia.

Orator hoc Brevi non vult uti, & iterum instat pro declaratione nullitatis suæ Professionis, quocirca iterum proposita Causa *die 1. Decembris* 1725. tunc nulla fuit capta resolutio, quemadmodum nec in Congregatione habita *die 1. Septembris ejusdem anni*, sed cum repropositа fuerit in alia Congregatione habita *die prima Decembris subsequentis* sub hoc dubio, *An constet de nullitate professionis in casu &c.* responsum fuit *negative, & amplius.*

Plura post hanc resolutionem proposita fuerunt remedia, quæ sunt bene nota EE. VV., ne Frater Dominicus Sanchez de Quesada, qui Religiosam Professionem emisit inter Fratres Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, cujus validitas, uti supra dictum est, fuit approbata, ad desperationem adigeretur, sed cum omnia incassum ceciderint, & ipse diu, noctuque permanens in scalis Apostolici Palatii exclamet pro nullitate suæ Professionis, & in postrema Congregatione mihi fuerit demandatum, ut ejus Causa iterum proponeretur, disputandum idcirco in præsenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Porro operæ pretium est in memoriam EE. VV. revocare binas circumstantias, unam facti, alteram Juris.

Circumstantia facti in hoc consistit, quod Orator antequam inter Religiosos admitteretur, fuit a Curia Laicali inquisitus de Homicidio, & ab Ecclesia, ad quam confugerat, extractus, & successive deinde restitutus, & quod adversus eum inter Novitios adscitum, pronunciata est a Judice Laico Sententia, in qua suo Tribunali reservavit facultatem procedendi ad pœnas ultrices pro exposito delicto in hypothesi, in qua idem Professionem regularem non emisisset, vel post emissam ab Ordine ejectus esset, & quod ejusdem Oratoris genitor hoc potissimum usus est argumento, ut eum ad emittendam Professionem Regularem induceret, cum proposuerit, vel perpetuam in Carcere, aut in Ecclesia permanentiam, si Professionem non emisisset, vel libertatem, & ab impacto delicto impunitatem, si in Religione professus esset.

Circumstantia Juris in hoc residet, an metus auctoritate privata, sed juste illatus ad extorquendum consensum, licet sit timor cadens in constantem Virum, vitiet, nec ne Professionem; nonnulli etenim asserunt, non vitiare, cum metum incutiens ostendat viam mali evadendi, & prima metus origo descendat a facto ipsius delinquentis, & alii e contra sustinent vitiare, cum Professio debeat esse libera, & in ordine ad eum, qui patitur metum, & ad ejus libertatem, unum, & idem sit, sive ipse dederit, sive non dederit causam timori; dummodo timor cadat in constantem virum.

Pro hac secunda opinione facit Textus in *cap. veniens, il secondo de sponsalibus*, ubi Glossa in verbo *ut Uxori* ait: *& est hic argumentum, quod licet culpa mea incidevim in metum, nihilominus excusor propter metum*, sequitur *Antonius a Butrio in eodem cap. n. 4.* ibi: *nota quarto, quia licet quis fuerit causa metus, per hoc non in plus actus contra metum validatur, & sic etiam metus causatus a culpa illius, cui infertur, vitiat actum a libera voluntate dependentem*; adhæret Abbas *in cap. 2. n. 7. & sequent. de his, quæ vi, metusve causa fiunt*, ubi post statutam regulam, quod tenent gesta per metum, si culpa sua quis in metum incidit, ait: *ab hac regula Gloss. excipit hic sex casus, Primus in Matrimonio, & est duplex specialitas, secundum Glossam in Matrimonio, primo quod non tenet, si metu fuit contractum, secundo, quod etiam culpa sua quis incidit in metum, nihilominus Matrimonium est nullum, quia Matrimonium contrahitur libero consensu, & ubi intervenit metus, tollitur qualitas libertatis*, & hanc eandem opinionem in terminis Matrimonii carnalis, a quo illatio valet ad matrimonium spirituale, amplexa est *Rota, decis. 326. n. 17. coram Ludovisio, & decis. 784. n. 5. part. tertia recent.*

His stantibus, die 17. Augusti 1726. iterum quæritur.

An sit standum, vel recedendum a decisis die 1. Decembris 1725.

Sacra Congr. die 7. Septembris 1726. respondit,
Ad Dominum Secretarium juxta mentem.

QUÆSTIO CCCCLIX.

In Causa Romana, seu Albinganensi, die 4. Augusti 1725.

Frater Dominicus Antonius Amoretti anno 1696. ingressus fuit Religionem S. Francisci inter Reformatos vulgo dictos *del Ritiro*, & propter infirmitates non potuit in eadem professionem emittere, cumque ad Ordinem Cappuccinorum se recepisset, Professionem Regularem in eodem emisit anno 1696.

Sub fundamento infirmitatum, quibus vexabatur, idem Pater Dominicus recursum habuit ad S. Pœnitentiariam, habitoque, ut moris est, utriusque Religionis consensu a qua, & ad quam, transitum fecit ad Carmelitas Congregationis Mantuanæ anno 1713. cumque post varias factorum contingentias hic inutiliter non exponendas, insteterit in hac S. Congregatione pro declaratione nullitatis Professionis a se emissæ inter Carmelitas, seu restitutione in integrum adversus eamdem, sub eodem semper fundamento magnarum infirmitatum, quibus vexabatur, & ejus instantia fuerit rejecta inter summaria precum, idemque exoraverit pro descriptione in folio, disputandum in præsenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Quando præsens instantia proposita fuit inter summaria precum, excitatæ fuerunt nonnullæ difficultates in facto, & in jure; in facto quidem, quia præexistentia morbi cum qualitate incurabilitatis, ut exposcitur a Constitutionibus, nullatenus visa fuit sufficienter probata ex Testibus ad perpetuam examinatis, urgente potissimum in contrarium relatione Procuratoris Generalis Carmelitarum Congregationis Mantuæ, in qua hæc habentur: *parlando del tempo di dieci anni in circa, ne' quali trovasi nella mia Congregazione, non ho mai sentito, che abbia sofferto alcuna infermità a riserva di qualche febbre di pochi giorni, come ne ho piena cognizione dai Superiori di quei Conventi, ne' quali è stato di Famiglia, e come consta dalle Vacchette de' Medicinali de' medesimi, anzi in quel tempo, che lo conosco, l' ho sempre veduto sano, e robusto.*

In Jure deinde, quia licet in Constitutionibus Congregationis Carmelitarum Mantuæ præscribatur, quod non recipiantur laborantes incurabili infirmitate, & quod abjiciantur a Congregatione, si cum dicto impedimento fuerint recepti, & de mendacio convicti, sibi vindicat locum in hoc rerum statu difficultas, an procedi possit ad declarationem nullitatis Professionis, volente, & an etiam nolente ipsa Religione, cum ex una parte dici possit, contractum debere esse correspectivum, ita ut si concurrente morbo incurabili ante professionem potest Religio ejicere Professum, quamvis reluctantem, possit etiam Professus, eadem concurrente causa, a Religione exire, licet Religio reluctetur, & ex alia parte asseri valeat, pœnam ejectionis fuisse in Constitutionibus appositam favore Religionis, quæ si vult potest eadem uti, & Professum ejicere, qui celavit morbum, & infirmul potest si vult, Professum retinere, non obstante morbi existentia, & non obstante, quod Professus morbum in actu professionis celaverit, juxta *Consil. Navarri 48. n. 3. lib. 3. de Regul.*

Bis

Bis actum fuit de consimili articulo in S. Congregatione in terminis videlicet Constitutionum Patrum Cappuccinorum, in quibus hæc verba leguntur, *qui elephantia, morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa afficitur, non recipiatur. Et si quis talis receptus fuerit, eo quod interrogatus talem infirmitatem manifestare noluerit, declaretur, Religionem ad eum retinendum minime velle esse obligatam*; excitata siquidem controversia, an Professio emissa ab eo, qui dicto morbo laborat, pro nulla habenda esset etiam reluctante Religione, Sac. hæc Congregatio abstinuit ab articuli resolutione, & rescripsit *ad mentem*, quæ fuit, ut Religio taliter professos dimitteret, prout ipsa de facto dimisit.

Ponderatum præterea fuit, quod quatenus in casu præsenti ad fuissent infirmitates ante professionem, eædem fuerint bene perspectæ Superioribus Religionis, cum Orator in eam fuerit receptus in sequelam Brevis S. Pœnitentiariæ, quod prodierat sub fundamento Infirmitatum, quibus Orator laboraverat, dum erat in Ordine Cappuccinorum, in quo rerum themate inferri posse videbatur, vel quod infirmitates tempore professionis non erant incurabiles, & sic aptæ ad rescindendam professionem ad terminos Constitutionum, vel si erant incurabiles, utpote a Superioribus præcognitæ, prædictum nullitatis effectum nunquam causare potuerunt: non attento, quod in Constitutionibus Ordinis præscribatur, quod iisdem laborantes *non recipiantur*, quia simplex interdictum sine decreto irritante non efficit nullam professionem. *Fagnan. in cap. qui Presbyterum num. 8. & seqq. de pœnit. & remiss. Bordon. in Controv. moral. Controv. 21. de ætate professionis quæst. 9. Eminentiss. D. meus Cardinalis Petra ad Constit. Apostolic. tom. 2. pag. 525. num. 23. & seqq.*

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An constet de causis restitutionis in integrum in casu &c.

Sacra Congr. die 1. Septembris 1725. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLX.

In Causa Bononiensi, die 1. Septembris 1725.

Pro bene regulando Monte Pietatis Civitatis Bononiæ varia variis temporibus Statuta edita sunt, quod videlicet uno, eodemque tempore inter duodecim Præsides, seu Administratores admitti non possent duo ejusdem Familiæ, atque Cognominis, quod a Præsidentia, & a Ministeriis subalternis excluderentur debitores prædicti Montis, & hisce Statutis aliud additum est, quod a Præsidentia remanerent excluси Consanguinei, & Affines debitorum in infinitum, quoad lineam ascendentalem, & descendentalem, & quoad lineam collateralem usque ad secundum gradum inclusive, de Jure Canonico computandum, comprehensis sub hoc Decreto fidejussoribus debitorum, & exceptis tantum debitoribus in causa pignorum.

Conditum fuit hoc additionale Statutum *die 22. Septembris anno* 1702. illudque fuit *die 10. Octobris ejusdem anni* approbatum, & confirmatum ab Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo, qui immutationem prohibuit fine suo, vel Archiepiscopi pro tempore consensu, habitaque hujus Decreti notitia, Senatus Bononiæ, qui ex Apostolicis litteris Julii Papæ II. prætendit, non posse fine suo consensu a Præsidibus Montis aliquod edi Statutum, Monitorium ab A. C. impetravit *die 25. Novembris* 1702. super observantia dictarum litterarum Apostolicarum, & abolitione Statuti, seu Decreti supra recensiti, utpote a Præsidibus Montis facti fine sua approbatione, & quia unus Senator semper esse debet inter dictos Præsidentes, decretum fecit *die 4. Decembris* 1703. in quo Senatores, Montis debitores, excepto debito ex causa pignorum, a Præsidentia excluſit, nulla facta mentione exclusionis Senatorum, qui essent Consanguinei, aut Affines debitorum.

Duodecim sunt Præsidentes, seu Administratores Montis Pietatis, quorum alter eligitur ex Clero Sæculari, alter ex Ordine Fratrum Minorum de Observantia, & hic semper esse debet Pater Guardianus Conventus Sanctissimæ Annunciationis, tertius assumitur ex Collegio Doctorum, & quartus e Cœtu Senatorum, & reliqui octo ex numero Civium Bononiensium sorte statis temporibus extrahuntur, quatuor nimirum ex ordine Civium Nobilium, & alii quatuor ex ordine Civium non Nobilium; cumque *die 29. Decembris anni 1722.* ex classe, & numero Civium Nobilium extractus esset pro Montis Pietatis Præsidentia Marchio Joannes Paulus de Pepulis, & hic ab aliis Montis Præsidentibus exclusus fuerit, nec ejus nomen fuerit transmissum ad Senatum pro consueto scrutinio, sub obtentu videlicet, quod Marchio Aloysius de Albergatis, qui filiam fororis Marchionis Pepuli habet in Uxorem, est debitor Montis Pietatis, ab hoc facto lis est excitata, eademque, ut infra videbitur, deducta est ad judicium hujus Sacræ Congregationis.

Delata ad Marchionem de Pepulis suæ exclusionis notitia, habitus ab ipso fuit recursus ad Eminentissimum Archiepiscopum, exhibito Eminentiæ Suæ supplici libello, in quo multa proposuit adversus Decretum editum a Præsidentibus Montis anno 1702. & signanter super puncto, quod Montis Præsidentes esse non possunt Consanguinei debitorum, cum Cardinalis Archiepiscopus *die 12. Februarii* 1723. per speciale rescriptum suo Vicario demandasset, ut perpenso tenore tam decreti, quam supplicis libelli sine strepitu, & figura judicii Præsidentibus Montis suaderet, ut quatenus decretum exorbitaret a jure, illud moderarentur, & quod in hypotheſi, in qua res amicabiliter componi non posset, in causa judicialiter procederet; nonnullæ a Marchione de Pepulis scripturæ, & nonnullæ a Montis Administratoribus scripturæ prædicto Vicario Generali consignatæ fuerunt.

Dum hæc Bononiæ peragebantur, sæpe recensiti Montis Præsidentes sibi proficuum fore existimarunt sanctæ memoriæ Innocentio XIII. supplicare pro confirmatione decreti a se editi anno 1702. & licet hujus instantiæ cognitio fuerit primo huic Sacræ Congregationi delegata, urgente nihilominus ipsorum Procuratore, & ostensa Eminentissimo Brevium Apostolicorum Secretario confirmatione Decreti, quam Montis Administratores, ut supra dictum est, statim post illud editum reportaverant a Cardinali Archiepiscopo, res tandem ad eum statum redacta est, ut *die 20. Aprilis* 1723. per litteras Apostolicas in forma Brevis decretum in forma specifica fuerit a Summo Pontifice confirmatum, cumque hæc omnia sequuta fuissent, non citato, & penitus inscio Marchione de Pepulis, necessarium ipsi fuit sua jura experiri in Congregatione Signaturæ Gratiæ, quæ *die 7. Martii* 1724. rescripsit, *prævia aperitione oris ad Sacram Congregationem Concilii, etiam quoad novam imbursationem*, in cujus rescripti sequelam bina proponuntur disputanda dubia ad calcem Restrictus referenda.

Plures in examine hujus Causæ ponderandæ proponuntur inspectiones, ut ex amplissimis scripturis utriusque Partis circumferendis plenius colligi potest; quarum prima est, an Marchio de Pepulis possit audiri, & de jure opponere valeat Statuto edito a Præsidentibus Montis Pietatis; secunda est, an hi Præsidentes potuerint sine Senatus Bononiensis auctoritate Statutum controversum edere; tertia est, an Statutum, seu Decretum sit in se rationabile, & juri conforme; & ultima demum, an ab anno 1702. quo illud editum est, ad annum 1722. quo Marchio de Pepulis exclusus fuit a Præsidentia Montis, memoratum Decretum suam habuerit executionem.

Quoad primam dicitur a Montis Administratoribus, non posse Marchionem de Pepulis audiri adversus Statutum, cum appellatio adversus Statutum admittatur, quando illud conditum fuit adversus particularem personam, secus autem quando factum est ad publicam utilitatem, juxta theoricam *Bartoli in leg. omnes Populi num. 53. ff. de justitia, & jure*, & alios concordantes fuse cumulatos; a Marchione autem respondetur, bene se potuisse, & posse adversus Statutum reclamare, tum quia agitur de tollenda de medio sua exclusione a Montis Præsidentia, tum quia sua instantia jam fuit admissa a Congregatione Signaturæ Gratiæ, quæ sibi concessit oris aperitionem adversus Breve, & tandem, quia regula supra allegata limitatur, quando Statutum conditum fuit ab eo, qui superiorem recognoscit, juxta tradita per *Scaccia de appellat. quæst. 17. limit. 20. num. 2.*

Quoad secundam, sustinent Præsidentes Montis Pietatis, se habere jus condendi Statuta pro recto Montis regimine, absque ulla participatione Senatus, & plura congerunt variis temporibus edita Decreta, absque eo, quod auctoritas Senatus accesserit; Marchio autem de Pepulis inquit, quod jus condendi Statuta derivat a Bulla Julii Papæ II. qui facultatem concedit *Communitati, & Præsidentibus*, ut ex ejus lectura dignoscitur, & quod anno sequenti, cum facta fuissent a Præsidentibus nonnulla Statuta, eadem fuerunt Senatui oblata, qui ipsa in pluribus reformavit. Absque eo quod

vis ulla constitui valeat in subsequenti observantia, cum eadem in linea declarativa suffragari non possit, ex quo clara est littera Bullæ, nec apta nata sit ullum fomentum præbere in linea præscriptiva, tum quia pacifica non est, tum quia in negativis non sufficit simplex acquiescentia, cum hæc procedere potuerit ab ignorantia, sed ulterius necessaria sit prohibitio præscribentis cum prædicta alterius partis acquiescentia.

Quoad tertiam, præmissa regula generali, quæ desumitur ex naturali affectione, quam unusquisque habet erga sibi sanguine conjunctos, & quæ idcirco segnes ad minus Præsidentes constituit in prosequendo jura Sacri Montis, quando agitur de eorum prosecutione adversus personas sibi sanguine conjunctas, nonnulla a dictis Montis Præsidentibus exempla proponuntur pro sui Statuti rationabilitate adstruenda, quorum primum desumitur ex Constitutionibus Pii IV. & Pauli V. quibus cavetur, ne in Auditorio Sacræ Rotæ Romanæ proponantur Causæ propriæ Auditorum, & Familiarium, & Consanguineorum, & Affinium eorumdem usque ad secundum gradum; & aliud desumitur ex Constitutionibus Summorum Pontificum Nicolai V. & Pii II. in quibus confirmantur Capitula Archiepiscopi Mediolanensis, quæ dictæ Civitatis Hospitalia respiciunt, & in quibus ab Administratione arcentur Consanguinei, vel Affines usque ad tertium gradum alicujus ex Ministris, & debitoribus eorumdem Hospitalium; haud attento, quod omnia, & quæcumque cessant inconvenientia, si Consanguineus amoveatur a Congregationibus, in quibus agitur de debito sui Consanguinei, vel Affinis; quandoquidem Ministri inferiores, & subalterni timent odium eorum Præsidentium, qui Consanguineos, & Affines habent Montis debitores, idque facit, ut ab iisdem judicialiter pulsandis abstineant, quod cedit in damnum Montis.

Excipit e contra Marchio de Pepulis, præstari ab unoquoque Montis Præsidente juramentum in primo ingressu, de promovenda Montis utilitate, & indemnitate; & juramenti religionem tanti esse ponderis, & momenti, ut Viri Nobiles, & Cives honestissimi, qui ad ministerium assumuntur, censendi sint, quod obliti privatorum, publica sint semper curaturi, quocirca juxta Romanas Leges Filius esse poterat Judex in Causa Patris, juxta *Textum in leg. 6. ff. de receptis arbitris*, ibi: *quin etiam de re Patris dicitur Filium familias arbitrum esse posse, nam & Judicem non esse posse plerisque placet.* Addit, aliud esse judicium debitorum Montis, aliud eorum, qui sunt consanguinei debitorum; primos enim ad summum, congruum est a Regione Montis removeri, secus secundos, cum pro his sufficiat, quod non intersint Congregationibus, in quibus de suorum Consanguineorum, aut Affinium interesse tractabitur, & ad hujus assumpti comprobationem affert exemplum Bullæ Boni Regiminis, juxta quam debitores Universitatis esse non possunt ejusdem Officiales, neque hæc prohibitio extenditur ad Consanguineos debitorum: affert ulterius exemplum Sacri Montis Pietatis Urbis, in cujus Statutis *cap.* 11. hæc habentur, *se nella Congregazione si tratterà d' interesse d' alcuno degli Officiali presenti, o loro stretti parenti, l' interessato debba uscir fuori per pigliarsi la risoluzione in sua assenza, e quello che si sarà risoluto, s' eseguisca*, concordatque resolutio Congregationis Particularis habitæ *die* 23. *Julii* 1723. & a san. mem. Innocentio XIII. deputatæ super examine Synodi Fulginatensis, cuique interfuerunt clar. mem. Cardinalis Tanarius, & Eminentissimi DD. Paulutius, & Origus, & ego Secretarius, & in qua indefinita exclusio Conjunctorum in secundo gradu cum debitoribus ab omnibus sessionibus, & Congregationibus Confraternitatum, quibus erant adscripti, hanc habuit restrictionem, si de eorum, hoc est, debitorum interesse tractabitur; & in eo, quod attinet, vel ad exemplum Rotæ Romanæ, vel Hospitalium Civitatis Mediolanensis, ait, observantiam dicti Tribunalis non excludere Causas Consanguineorum, sed tantum, quod Auditor Consanguineus suffragium non ferat in Causa Consanguinei, & quod a loco sessionis recedat, quando cæteri Auditores in ea suffragantur, & quod a Regimine memoratorum Hospitalium juxta Apostolicas Constitutiones excluduntur non Consanguinei debitorum, sed ipsi Debitores, & ipsi Conductores bonorum ad Hospitalia pertinentium, & quod inter Deputatos esse non possunt Consanguinei, vel Affines usque ad tertium gradum, non Debitorum, sed Ministrorum, ex quo Deputati, & Ministri coæquale habent votum, & æqualem facultatem, quod nihil habet commune cum re, de qua nunc agitur.

Præter hæc, alia a Marchione insinuantur adversus Statuti, seu Decreti subsistentiam, quæ etiam reassumuntur in Informatione Eminentissimi Ordinarii, & signanter, quod si duodecim sunt Montis Præsidentes, Statutum debebat omnes comprehendere, quando e contra non comprehendit nisi postremos octo forte extrahendos, ita ut attenta censura decreti, primi quatuor, hoc est eligendus e Clero Sæculari, eligendus e Clero Regulari, item ex Collegio Doctorum, & ex Cœtu Senatorum, etiam hodie possint esse Montis Præsidentes, dummodo ipsi non sint Debitores, & quamvis sint Consanguinei Debitorum, quod ipsum extenditur etiam ad Ministros inferiores, cum etiam hi arceantur a Ministerio, si sint Debitores; secus autem, si sint Debitorum Consanguinei; nec omittitur, quod ex Classe Nobilium, & Civium, qui Nobiles non sunt, pauci imposterum assumi poterunt ad Montis gubernium, si vigebit exclusio eorum, qui sunt Consanguinei Debitorum, quæ res in magnum cedet Montis detrimentum.

Quoad quartam denique, & ultimam inspectionem, plura a Marchione de Pepulis exempla congeruntur, ut ostendat, post editum Decretum admissas fuisse in Montis Præsidentes nonnullas Personas, quæ erant in secundo gradu conjunctæ cum Debitoribus ejusdem Montis, quibus Scribentes pro Monte satisfacere conantur, ut ex eorum scripturis colligi potest.

Quibus proinde ponderatis, quæritur,

I. An, & quomodo Statutum Montis Pietatis conditum die 22. *Septembris* 1702. *sit reformandum, vel potius observandum in casu &c.*

II. An sit locus novæ imbussulationi in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Statutum esse observandum juxta modum, & modus est, ut sub eodem Statuto comprehendantur omnes duodecim Præsidentes, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXI.

In Causa Firmana Cappellaniarum, die 1. *Septembris* 1725.

THeodorus Tabor in ultimo, cum quo decessit, Testamento Catharinam Uxorem sibi scripsit hæredem in usufructu, si Vidua permaneret, & ad hæreditatis proprietatem vocavit binas Cappellanias erigendas in Ecclesia Monasterii Monialium S. Claræ Civitatis Firmi, onere Cappellanis imposito, celebrandi Missam quotidianam.

Catharina transitum fecit ad secunda vota, factoque casu erectionis duarum Cappellaniarum, cum eadem executioni non mandaretur, Promotor Fiscalis Curiæ Firmanæ prædictarum Cappellaniarum nomine possessionem cepit Bonorum a Theodoro relictorum.

Sub obtentu, quod Curia Firmana ad erectionem Cappellaniarum non devenisset, & quod adesset reditus insufficientia pro iisdem erigendis, Commissarius Reverendæ Fabricæ S. Petri eidem Fabricæ Bona applicavit, quæ deinde per compositionem transitum fecerunt in memoratam Catharinam Testatoris Uxorem.

Promotor Fiscalis Curiæ Firmanæ reclamavit, revocatisque omnibus a Commissario gestis per viam purgationis Attentatorum, Causaque delata ad Judicem Reverendæ Fabricæ, præfixus fuit ab ipso terminus Monasterio Monialium S. Claræ, in quarum Ecclesia recensitæ Cappellaniæ erant erigendæ, ut Legatum acceptarent absque spe reductionis Missarum.

Pura, & simplex acceptatio sine spe reductionis fieri non poterat a Monasterio sine beneplacito hujus Sac. Congregationis, habitoque idcirco ad ipsam a Monialibus recursu, iisdemque contendentibus, puram, & simplicem acceptationem sibi futuram esse proficuam, & Bona non deesse sufficientia pro integro adimplemento, & e contra Ministris Fabricæ sustinentibus, hæc in facto non subsistere, & Monasterium contra proprium commodum laborare, proposita fuit hæc Controversia *die* 31. *Julii* 1723. inter summaria precum.

Tunc nulla fuit ab hac Sacra Congregatione capta resolutio, sed dictum *Dilata, & quod eligeretur Peritus, qui judicialiter referret super valorem Bonorum, & quod a Curia Archiepiscopali exhiberetur nota fructuum perceptorum tempore Quadriennii*, cum hujus temporis decursu fructus ad eam deveniissent.

In hujus rescripti executionem facta est subdelegatio Judicis in partibus, ut hic Peritos eligeret pro recta bonorum æstimatione; cumque Periti electi inter se non convenissent; Peritus etenim electus pro parte Reverendæ Fabricæ Bona Rustica æstimavit, detractis collectis, in scutis 1200. & collectis non detractis in scutis 1366. & alter Fabricæ Peritus electus pro Bonis Urbanis hæc æstimavit in scut. 400. & Peritus electus pro parte Monasterii Bona Rustica æstimavit, non detractis collectis in summa scut. 2285. & alter Peritus ab eodem Monasterio electus pro æstimandis Bonis Urbanis eadem æstimavit in scut. 630. operæ pretium existimatum fuit devenire ad electionem Peritioris.

Faber Murarius in Peritiorem electus pro facienda æstimatione Bonorum Urbanorum, non solum concordavit cum Perito a Monialibus electo in æstimatione ab ipso facta, sed etiam eam auxit cum dixerit, eam a se esse liquidatam in scutis 635. & obulis 50. At ita res non se habuit quoad Peritiorem electum pro æstimandis Bonis Rusticis; hic etenim fuit suspectus a Monialibus allegatus, ex quo sine ipsarum scientia accesserat ad bona æstimanda, præter cæteras suspicionis causas, quæ a prædictis Monialibus deductæ fuerunt.

Recusatio Peritioris tanquam suspecti delata fuit ad Judicem subdelegatum, qui eam admisit cum clausula *si, & in quantum*, jussitque, quod idem ad ulteriora procederet, & in hujus Decreti executionem cum a Peritiori Relatio fuerit exarata, & Notario consignata cum salutari protestatione, quod non aperiretur, nisi sibi solutis scutis decem & octo, Moniales recursum habuerunt ad Auditorem Sanctissimi, & suppliciter insteterunt, ut Causa quoad reductionem Missarum huic Sac. Congregationi committeretur, & hinc factum est, ut bina fuerint dubia subscripta, quorum alterum respicit acceptationem hæreditatis Theodori Tabor, utpote quæ sufficiens asseritur a Monialibus pro adimplendis oneribus a Testatore impositis, & alterum pertinet ad reductionem Missarum in hypothesi, in qua bona prædicta essent insufficientia.

Porro Reverenda Fabrica S. Petri contendit, bona non esse ad intentum sufficientia, & Monasterium contra proprium commodum laborare; primo quia standum est relationi sui Periti, quæ conformis præsumitur Relationi Peritioris, quam Monasterium exhibere non curavit; secundo quia veritas æstimationis sui Periti fomentum recepit a priori nota Procuratoris Fiscalis Diœcesis Firmanæ, qui dixit, spatio trium annorum fructus omnium Bonorum ascendisse ad scuta 47. & obulos 54. eoque fortius, quia Monasterium aliam non exhibet Curiæ Archiepiscopalis notam, quæ priorem corrigat; licet ea in sequelam rescripti hujus Sac. Congregationis editi *die* 31. *Julii* 1723. exhiberi debuisset, uti supra dictum est.

Et in eo, quod spectat ad petitam onerum Missarum reductionem, subdit Fabrica, eidem locum esse non posse, cum Commissarii possint Legatarios cogere ad declarandum, an velint Legata acceptare cum oneribus injunctis, & quatenus in termino præfigendo non declaraverint, vel non docuerint de reductionibus a Sacra Congregatione Concilii obtentis, antequam Fabrica manus apponeret, bona valeant Fabricæ applicare, cum reductiones obtentæ, postquam Fabrica manus appposuit, eidem nullatenus præjudicent, juxta Decretum Congregationis Generalis Rev. Fabricæ impressum *apud Vespinianum pag.* 55.

E contra Monasterium concurrere prætendit bonorum sufficientiam, & suorum Peritorum æstimationem esse attendendam, cum sit conformis Relationi Archiepiscopi ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium transmissæ, quando Causa in eadem pendebat, quæ deinde ad hanc Sacr. Congregationem remissa fuit, & cum urgeant plura adminicula pro eadem adstruenda, uti fuse legi potest in Monasterii scriptura per manus circumferenda.

Absque eo quod dubitari possit de reductione in casu, quo Bona essent insufficientia, cum, cæteris prætermissis responsionibus, de facultate hujus Sac. Congregationis dubitandum non sit, postquam non obstantibus quibuscumque, Auditor Sanctissimi, Fabrica contradicente, punctum reductionis remisit ad hanc eandem Sac. Congregationem.

Jura circumferuntur. Quocirca quæritur,

I. An sit concedendum Beneplacitum, & quatenus negative.

II. An sit locus reductioni onerum Missarum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum, non indigere Beneplacito, & Ordinarius procedat ad erectionem Cappellaniarum prout de jure, non obstante applicatione Fabricæ. Ad secundum habebitur ratio suis loco, & temporo, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXII.

In Causa Gravinensi, die 1. *Septembris* 1725.

DIe 31. Maii 1711. contractum fuit Matrimonium coram Parocho, & Testibus inter Gratiam Mariam Cicalam, & Josephum Moscam: cumque exorta controversia super ejus validitate, Vicarius Capitularis pro nullitate pronuntiasset, delata Causa ad hanc Sac. Congregationem, facta fuit Actorum transportatio, & exquisita fuit informatio Episcopi, hoc interim ad Ecclesiæ Regimen assumpti, qui sensit, matrimonium validum esse, & in præsenti proponitur dubium ad calcem Restrictus referendum.

Ne Jura Gratiæ Cicalæ propter ejus paupertatem indefensa remanerent, commissum fuit Dominico Spinello, ut ea gratis deduceret, idemque strenue suum munus adimplevit, uti colligitur ex ejus scriptura per manus circumferenda.

Per multum temporis spatium familiaris intercesserat, & secreta conversatio inter Gratiam, & Josephum, & Scribens pro Gratia contendit, eam fuisse a Josepho stupratam, & filiam edidisse, & licet Nuntius Cicala Gratiæ frater, qui pluries Josephum admonuerat, & admoneri fecerat, ne ad ejus Domum accederet, hora secunda noctis una cum tribus aliis sociis Domum ingressus Gratiam, & Josephum insimul conversantes invenisset, vocatoque Parocho, fuerit coram eo, & Testibus Matrimonium contractum, rem tamen totam sic se dicitur habuisse, ut nullus fuerit incussus metus, ita ut de validitate matrimonii rationabiliter dubitari possit; refertur etenim, Nuntium placidis, & suavibus verbis, & absque ullo Armorum strepitu, & minis Gratiam, & Josephum hortatum fuisse, ut proprio consulerent honori, si carnale commercium inter se habuissent, & quod nihil ab ipsis prætendebat, si honestam inter se habuissent conversationem, hinc inferendo, quod si Joseph commercium illicitum confessus est, & subinde devenit ad celebrationem Matrimonii, dici nunquam valeat, quod illud contraxerit per vim, & metum; negando etenim commercium illicitum potuisset liber evadere, & a contractu matrimoniali abstinere. Et quamvis ab aliquo ex adstantibus nonnulla verba increpatoria fuerint prolata, & aliqui ex eis præ manibus baculos haberent, respondetur nihilominus, metum gravem ex verbis non inferri, & baculos non ad alicujus offensam, sed ad ornatum Personarum eos habentium gestatos fuisse.

Plura alia ad hujus assumpti comprobationem afferuntur a Scribente pro Gratia; cumque Josephi Jura ad me delata non fuerint, ea referre non possum, nihilque aliud superest, quam ut ex juribus circumferendis decernatur,

An Matrimonium sit validum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO CCCCLXIII.

In Causa Colonien si, die 22. *Septembris* 1725.

COmmendatarius, & Fratres Cappellani Conventus Sanctorum Joannis, & Cordulæ Colonien. Religionis Hierosolymitanæ ad regularem inter ipsos Professionem admiserunt quemdam Novitium, cui nomen *Joannes Henricus*, & cognomen *Wilms*, & subsequenter Commendatarius eidem contulit litteras dimissoriales, quarum vigore a Nuntio Colonien. promotus fuit ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem tanquam Professus, & sic ad titulum Mensæ, sive Domus Prioralis Cameræ memorati Conventus.

Magnus Prior Alemanniæ contendit, hæc omnia fuisse attentata, & sic esse rigorose purganda, pro quo effectu instat primo, ut Joanni Henrico sub Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis inhibeatur, ne se gerat pro Professo memorati Conventus, & sub iisdem pœnis prohibeatur Fratribus Cappellanis, ne illum tractent tanquam Professum. Secundo, quod idem Joannes Henricus declaretur suspensus ab Ordinum exercitio sub pœna Irregularitatis in casu contraventionis. Tertio, quod Commendatarius, sive Rector, & Administrator Conventus suspendatur ab exercitio Officii, quousque fuerint Attentata plenarie purgata. Et ultimo demum, quod tam ipse, quam cæteri Fratres condemnentur ad quascumque

expensas tam judiciales, quam extrajudiciales, factas occasione prædictorum Attentatorum.

Fundamentum Magni Prioris constituitur in hoc, quod Commenda, seu Præpositura SS. Joannis, & Cordulæ est sibi tanquam Magno Priori Alemaniæ plenarie subjecta, ita ut in illa Novitii admitti non possint sine suo consensu, uti colligitur ex documentis in ejus Summario plene relatis.

Addit, se tanquam Superiorem inhibuisse, ne Joannem Henricum admissum sine suo consensu inter Novitios ad Professionem reciperent, fuisse insuper ab Auditore Sanctissimi demandatum, ne aliquid innovaretur, fuisse, & tam a se, quam a me Secretario hujus Sacræ Congregationis inhibitum, ne memoratus Novitius ad Sacros Ordines promoveretur titulo paupertatis, & Mensæ Conventualis: cumque omnia Magni Prioris præcepta, & decretum Auditoris Sanctissimi fuerint Fratribus Cappellanis, & Novitio personaliter intimata, & intimatio fuerit repetita in ipso actu, in quo Novitius ad Professionem admittebatur, & ulterius, cum protestatio inhibitiva, ne ille ad Sacros Ordines promoveretur ad Titulum Mensæ, sive Domus Prioralis, fuerit inserta, & registrata in Protocollo Vicariatus, & Suffraganeatus Ordinarii Colonien. a quo Novitius debuisset Sacros Ordines recipere, & hisce minime obstantibus fuerit Joannes Henricus ad Professionem, & ad Sacros Ordines promotus ad Titulum supramemoratum, concludit Magnus Prior, non esse dubitandum de Attentatis commissis tam in spretum suæ auctoritatis, quam Jurisdictionis Auditoris Sanctissimi, & hujus Sacræ Congregationis, ita ut illorum rigorosa purgatio sit demandata.

Jura circumferuntur; quocirca quæritur,

An constet de Attentatis, quæ veniant purganda, & quomodo in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Constare de attentatis, & esse purganda juxta Instructionem dirigendam ad Nuntium Colonien sem.

Instructio fuit, quod prædictus Nuntius nomine Sacr. Congregationis suspenderet ab exercitio Sacrorum Ordinum Joannem Henricum sub pœna Irregularitatis contrahendæ in casu contraventionis, necnon a voce activa, & passiva, quam uti assertus Professus in Conventu, seu Commenda Sanctorum Joannis, & Cordulæ, sibi poterat asserere, & quod etiam suspenderet Commendatarium, sive Gubernatorem, & Rectorem Commendæ ab officio, & alium in ejus locum substitueret; cumque hæc omnia per dictum Nuntium fuerint adimpleta, instante magno Priore, & pro totali causæ definitione, disputanda in præsenti proponuntur sequentia dubia.

I. An Commendatarius, & Conventuales Præceptoriæ ad Sanctos Joannem, & Cordulam Coloniæ recipere possint Novitios, illosque admittere ad Professionem absque licentia Magistri Ordinis, seu Magni Prioris per Alemaniam, in casu &c.

II. An, & quomodo prædicto Ordinis Magistro, seu Magno Priori competat jus visitandi dictum Conventum, & Præceptoriam, seu potius constet de causis Exemptionis, in casu &c.

III. An quoad attentata standum sit, vel recedendum a decisis, & quatenus affirmative quoad primam partem.

IV. An Commendatarius sit reintegrandus, & quoad admissionem, & Professionem D. Wilms, quomodo sit providendum, in casu &c.

Sacra Congr. die 17. Aprilis 1728. respondit,

Ad primum, necessariam esse licentiam Magni Prioris Alemaniæ. Ad secundum affirmative quoad primam partem juxta Bullam Rhodianam, & negative quoad secundam. Ad tertium in defect. Ad quartum, Commendatarium esse ex gratia reintegrandum, & summam receptam pro Dote in admissione Wilms esse ejus hæreditus restituendam, demptis alimentis ipsi præstitis, & amplius in omnibus.

QUÆSTIO CCCCLXIV.

In Causa Monopolitana Congruæ, die 22. Septembris 1725.

ARCHIPRESBYTER, qui est prima Dignitas in Collegiata Ecclesia Cisternini Diœcesis Monopolitanæ, & annexam habet Curam Animarum, judicium instruxit coram A. C. super assignatione Congruæ alimentariæ ex Decimis, & Quarta Funerum, quæ ab Episcopo exiguntur, & a Sanctissimo Domino Nostro Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem.

Fundamentum Archipresbyteri desumitur ex fructuum modicitate, cum vix pertingant ad scuta octo, & obulos 50. annuos illius monetæ.

Et eo fortius, quia emolumenta incerta provenientia a Baptismo, & a sepultura dividuntur inter Sacristam, Capituli Procuratorem, & Episcopum, qui etiam sibi applicare dicitur Quartam Funerum, emolumenta provenientia ex Matrimoniis, & integras Decimas ex omnibus fructibus, qui colliguntur tam intra, quam extra Districtum Terræ Cisternini, quæ omnia emolumenta ascendere supponuntur ad annuam summam ducator. 800.

Addit, Episcopum prætendere non posse Decimarum pertinentiam Jure Feudi; Quandoquidem, cæteris prætermissis, cum Cives solvant decimas tam Episcopo, quam Communitati, quæ correspondet Ærario Regio, & hæ Decimæ a Clericis etiam persolvantur, hinc deducitur, quod Decimæ, quæ solvuntur Universitati, sunt Feudales, & quod illæ, quæ solvuntur Episcopo, solvuntur intuitu Sacramentorum.

Et quia Archipresbyter prævidet, sibi opponi posse, quod nonnulla habet emolumenta ratione primæ Dignitatis, quam habet ultra Curam Animarum in Ecclesia Cisternini, subdit, de illis non habendam esse rationem pro imputatione in Congruam, cum prædicta habeat emolumenta ratione laboris, & servitii personalis, seu interessentiæ Divinis.

Concludit denique, Congruæ quantitatem esse non posse minorem summa scutorum 100. auri de Camera, tum, ut commode vivere possit, tum, ut valeat Œconomum, seu Sacerdotem Coadjutorem retinere in adjutorium Curæ Animarum.

Hæc sunt, quæ continentur in scriptura Archipresbyteri. Jura Episcopi ad me delata non fuerunt: Quocirca quæritur,

An, & in qua summa debeatur Congrua alimentaris Archipresbytero Curato Ecclesiæ Collegiatæ Terræ Cisternini ex Decimis, & Quarta Funerum, quas percipit Episcopus in casu &c.

Sacra Congr. die 30. Martii 1726. respondit,

Negative.

QUÆSTIO CCCCLXV.

In Causa Januensi Legati, die 22. Septembris 1725.

JOANNES Augustinus Cappello ultra Conventum pro PP. Carmelitis Excalceatis construendum in Terra Vulturi, in suis ultimis Tabulis aperiri mandavit in dicto loco Scholam pro instruendis triginta Pueris in Grammaticæ rudimentis, relicto jure, tam Scholares, quam Præceptorem eligendi Patri Provinciali dd. Carmelitarum Provinciæ Januen. & Patri Priori memorati Conventus a se fundati, & ad ulteriora procedendo, reliquit eisdem Patribus Carmelitis ducatos 5000. investitos in Civitate Venetiarum, onere Patribus imposito docendi Rhetoricam, Logicam, & Philosophiam sex ex illis Discipulis melioris indolis, & ingenii, qui in antecedenti Schola a se instituta rudimenta didicissent; utque hæc sua postrema voluntas eo firmius executioni demandaretur, in aliis Codicillis subsequenter exaratis vocavit Hospitale Pauperum B. Mariæ Misericordiæ Civitatis Savonæ, & ejus Protectores, in hypothesi, in qua Patres Carmelitæ recusarent docere, uti supra, aut a docendo desisterent: *E quando detti Padri non insegnassero a dd. Fanciulli le facoltà suddette, non abbia luogo questo Legato rispetto ad essi, ma spetti, e si devolva intieramente ipso jure, & facto all' Ospedale de' Poveri &c. e se detti Padri ricusassero d' insegnarli, o pur ciò dismettessero, in ogn' uno de' detti casi, il frutto di detti ducati 5000. spetti, appartenga, e si devolva &c.*

Sub obtentu, quod onus a Testatore impositum non fuerit a Patribus Carmelitis adimpletum, excitata fuit ab Hospitali Savonæ, & ejus Rectoribus prætensio, quod factus esset casus suæ substitutioni, & controversia delata ad hanc Sacram Congregationem, juxta morem datæ fuerunt litteræ Eminentissimo Archiepiscopo Januensi, & in Informatione superventa refertur, primo, sibi fuisse exhibitos a PP. Carmelitis libros administrationis egregie retentos. Secundo fuisse semper a Superioribus electos Patres Lectores, qui scientias a Testatore demandatas docerent. Tertio, plures fuisse in dictis scientiis ab ipsis edoctos, uti etiam ex attestationibus plurium Sacerdotum desumitur. Quarto, fuisse aliquando intermissum officium docendi, ex quo Scholares apti reperti non

non sunt, nec ullus instetit, ut doceretur; ultimo demum, reditus a Testatore assignatos esse diminutos, cum tempore Testamenti investimenta redderent ad rationem quinque pro centenario, & nunc sint diminuti ad rationem duorum.

E contra ab Hospitali asseritur, factum esse casum suæ substitutionis, tum quia inverisimile nimis est, ut in loco Vulturi non adfuerint semper Juvenes apti ad discendum, tum quia Testes deponunt, Scholas stetisse clausas spatio duodecim annorum, & apertas subinde fuisse timore præsentis litis, & tandem quia ad effectum, de quo agitur, non est ullo modo examinandum, an per Patres steterit, vel non steterit, quin Pueros docuerint; cum Testator reditus Patribus reliquerit intuitu laboris, & cum ulterius Hospitale vocaverit in hypothesi, in qua Patres Carmelitæ discederent a loco Vulturi *per qualsivoglia accidente volontario, o necessario*: Hinc inferendo, Testatorem non respexisse ad culpam Patrum, sed ad nudum factum, sive illud fuerit culposum, sive non.

Jura circumferuntur; quocirca quæritur,

An sit locus substitutioni in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Negative, & scribatur Eminentissimo Archiepiscopo Januen. juxta instructionem.

QUÆSTIO CCCCLXVI.

In Causa Venetà, seu Januensi Legati, die 22. Septembris 1725.

MARGARITA Justiniana nata in Insula Chiensi, & nupta Comiti Nicolao Domestici Venetiis commoratur una cum Viro, & octo Liberis, quorum duo inter Clericos Minores Professionem Regularem emiserunt, & una Monialis facta est in Monasterio S. Ambrosii de Urbe, quinque aliis, uno videlicet Masculo, & quatuor filiabus apud ipsam remanentibus. Margarita degit apud Georgium Socerum, & decrepitum senem, qui alium reditum non habet, quam duodecim Ducatorum sibi a Republica Veneta assignatorum suorum meritorum intuitu; cumque proinde in magna egestate constituta sit, & supplicem libellum SS. D. Nostro exhibuerit pro subministratione alicujus menstruæ summæ ex celebri Legato Marchionis Vincentii Justiniani, & a Sanctitate sua preces fuerint remissæ ad hanc Sacram Congregationem, quæritur in præsenti, an petitis sit annuendum.

Notum est decretum Congregationis particularis editum *die* 13. *Sept.* 1720. in quo resolutum fuit, Justinianos Chienses non commorantes in Insula Chiensi, & probantes suam Descendentiam a Familia Justinianorum Januæ, mediante descriptione propria, vel alicujus ex Progenitoribus in Libro aureo Reipublicæ, esse admittendos ad participationem Legati, de quo agitur, & ad tramites hujus Decreti Margarita prædictas conditiones in sua persona concurrentes justificare conatur.

Et quia prævidet, sibi opponi posse, quod nupta est in aliena Familia, inquit, Legatum Marchionis Vincentii favere Pauperibus Familiæ Justinianæ, & se per Matrimonium jura Aquationis non amisisse.

Atque de facto ad hoc idem Legatum admissa fuit a Tribunali Rotæ Fœmina Familiæ Justinianæ, licet esset nupta in Familia extranea, ut habetur *in decisione* 878. 805. & 897. *cor. Emerix Juniore*, & ab eodem Tribunali solum de jure excluſi fuerunt Filii Fœminæ nuptæ in aliena Familia, licet ipsa esset ex Familia Justiniana, uti colligitur *ex Romana, seu Januen. Legati* 5. *Maii* 1698. *cor. claræ mem. Card. de la Tremoille.*

Consimiles allegantur hujus Sacræ Congregationis resolutiones a Scribente pro Margarita, qui etiam respondere conatur absurdo alias ponderato, quod plus participent de Legato Marchionis Vincentii Pauperes Justiniani degentes extra Civitatem Januæ, quam in eadem Civitate degentes.

Citatus fuit Procurator Familiæ Justinianæ Januen. qui jura sua, licet mihi hactenus non exhibita, in Sacra Congregatione deducet.

Hac die 22. Septembris 1725. nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod scriberetur Eminentissimo Archiepiscopo Januen. ut ipse informare dignaretur, an Januæ fiat distributio legati fœminis Justinianis nuptis in aliena Familia.

Supervenit informatio prædicti Eminentissimi, in qua inquit, Fœminas Familiæ Justinianæ, Januæ non admitti ad participationem Legati Marchionis Vincentii, sive nuptæ sint extra Familiam Justinianam, sive etiam, quod durissimum est, in ipsa Familia Justiniana.

His minime obstantibus circumfertur scriptura nomine Margaritæ, in qua ejus Jura deducuntur, & prædictæ informationi respondetur; in quo proinde rerum themate quæritur,

An, & pro qua summa sit facienda distributio ex legato Marchionis Vincentii in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Februarii 1726. respondit,

Negative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXVII.

In Causa Romana, seu Bononiensi, die 22. Septembris 1725.

ADVOCATUS Antonius Zonca, in ultimo, cum quo decessit in Urbe, Testamento, universalem sibi scripsit hæredem Mariam Antoniam Ghiselli jam a pluribus annis matrimonio conjunctam in Civitate Bononiæ cum Dondino, & eam sequenti onere gravavit -- *Mando, ac jubeo, ut solvantur alia scuta* 500. *tot Puellis Virginibus, & Orphanis unicuique pro rata ad effectum nubendi, vel se monachandi, quæ Puellæ ad rationem scutorum* 25. *pro qualibet, erunt viginti.*

Maria Antonia vult executioni mandare voluntatem Testatoris, sed cum dubitet, an distributio Dotium facienda sit hic in Urbe, vel potius in Civitate Bononiæ, Oraculum expoſcit hujus Sac. Congregationis, ut sciat quid sibi agendum sit.

Testator domicilium habuit in Urbe, & in eadem mortuus est; In quo rerum themate urget regula, ut in Legato Pauperibus relicto fieri debeat distributio Pauperibus illius loci, in quo Testator testamentum condidit, & domicilium habuit. *Text. in l. si quis ad declinandam C. de Episcopis, & Clericis* ibi -- *Et si quidem Captivos scripserit hæredes, Civitatis, in qua Testator larem fovere, ac degere noscitur, Episcopus, & Œconomus hæreditatem suscipiant, & omnino in redemptionem Captivorum procedat hæreditas*; & paulo post: *ubi autem indistincte Pauperes scripti sunt hæredes, ibi Xenonem ejus Civitatis omnino hæreditatem nanciſci censemus, & per Xenodochium in Ægrotantes fieri Patrimonii distributionem, secundum quod in Captivis constituimus*; & late prosequuntur *Mantica de conject. ultimar. volunt. lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 2. *Tiraquell. de Privileg. Piæ causæ Privilegio* 56. *ibique Riccius in additionibus: Rubeus de Testamentis cap.* 71. *num.* 198. *& segq. Camarella de Legatis lib.* 2. *tit. de Legato relicto Pauperibus num.* 3. *pag. mihi* 144. *Maranta respons.* 4. *num.* 97. *tom.* 1. *Amostazzo de Causis Piis lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 3.

Qua proinde regula attenta videtur, distributionem fieri debere Puellis non Bononiæ, sed Romæ degentibus, ut etiam sensit Eminentissimus Urbis Vicarius requisitus pro informatione, & Voto.

Quia vero regula mox insinuata suas patitur limitationes, quæque ut plurimum consistunt in circumstantiis, uti ponderant etiam Doctores mox allegati, triplex in hac causa consideratur circumstantia pro distributione facienda Puellis Bononiæ commorantibus. Prima est, quod Maria Antonia non solum est hæres, sed etiam Neptis Testatoris, hinc inferendo, quod ille voluerit, salva substantia suæ voluntatis, arbitrium eidem relinquere Puellas sibi benevisas eligendi, dummodo essent Virgines, & Orphanæ.

Secunda est, quod Testator sciebat, suam hæredem esse nuptam in Civitate Bononiæ, & in ea manere debere, ita ut verisimile admodum sit, quod ipse potius eligi voluerit Puellas degentes in loco, in quo hæres habitabat, quam in loco, in quo ipse mortuus est.

Et tertia randem in hoc reponitur, quod præsumi debet, Testatorem exactam voluisse suæ ultimæ voluntatis executionem, & hæc executio melius sperari potest ex electione facienda ab hærede in loco, in quo ipsa habitet, & in quo commode habere potest certas Puellarum notitias, quam si fiat in alio loco, in quo hæres non habitat, & in quo non potest per se ipsam sumere informationes, sed debet aliorum dictis fidem adhibere.

His stantibus quæritur,

I. An distributio Dotium fieri debeat Puellis Romæ degentibus, vel potius Puellis in Civitate Bononiæ habitantibus, & quatenus fieri debeat Puellis in Urbe degentibus.

II. An ex gratia indulgeri possit hæredi, ut medietatem

Dotium

Dotium distribuat Puellis in Urbe degentibus, & aliam medietatem Puellis in Civitate Bononiæ commorantibus.

Sacra Cong. respondit,
Ad primum, quoad primam partem affirmative, quoad secundam negative.
Ad secundum negative.

QUÆSTIO CCCCLXVIII.

In Causa Ulixbonensi Cappellaniæ, die 22. Septembris 1725.

SEBASTIANUS Ferreira in ultimo, cum quo deceſſit Teſtamento Cappellaniam inſtituit cum onere Miſſæ Quotidianæ celebrandæ in Eccleſia Monialium della Roſa, & in caſu, quo Monaſterium prædictam Cappellaniam acceptare nollet, voluit, quod Miſſa celebraretur in Eccleſia Confraternitatis Sanctiſſimi Sacramenti Sancti Juliani, ad quam etiam Confraternitatem detulit adminiſtrationem bonorum pro Cappellania relictorum.

Ad hanc autem Cappellaniam primo loco vocavit Emanuelem filium, caſu, quo eſſet Presbyter, & vellet Miſſam celebrare, in quo rerum ſtatu ei dedit libertatem Miſſam celebrandi in qualibet Eccleſia ipſi beneviſa.

Et quia dari poterat caſus, quod Emanuel nollet Miſſam celebrare, tunc, ſicuti etiam in caſu obitus ipſius, vocavit ad Cappellaniam unumquemque ex ſuis Nepotibus, & Deſcendentibus, qui vellet eſſe Presbyter, ita tamen ut hic Miſſam celebrare deberet, non in qualibet Eccleſia ſibi beneviſa, ſed in Eccleſia, uti ſupra, a Teſtatore deſtinata.

Demum in caſu non exiſtentiæ alicujus ex Nepotibus, aut Deſcendentibus, qui vellet Cappellanus eſſe, Fundator vocavit Extraneos, & addidit declarationem, quod ad ejus Titulum non poſſet quis ordinari, niſi eſſet ſuus filius, aut unus ex ſuis Nepotibus.

Poſſidetur in præſenti hæc Cappellania a Michaele Rabelho Palhares, qui eſt ex Nepotibus Fundatoris, exortaque controverſia, an Cappellania prædicta eſſet Sacerdotalis, contendit ipſe, Sacerdotalem non eſſe, tum quia Teſtator juxta ſupradicta, reliquit Nepotis arbitrio, ut ad Sacros Ordines promoveri poſſet ad Titulum ejuſdem, tum quia in toto fundationis contextu ſcriptum non eſt, quod Cappellanus teneatur Miſſam celebrare per ſe ipſum, uti latius habetur deductum in ſcriptura pro eodem exarata.

Patriarcha e contra requiſitus pro Informatione, & Voto cenſuit, Cappellaniam eſſe Sacerdotalem, non obſtante quod in fundatione non legatur appoſitum onus celebrandi per ſe ipſum; Si etenim Fundator ſoli filio dedit libertatem celebrandi Miſſam in qualibet Eccleſia ſibi beneviſa, ſi hanc facultatem Nepotibus denegavit, ſi Nepotem vocavit in hypotheſi, qua filius Miſſas celebrare noluiſſet, aut e vivis deceſſiſſet, teſte Patriarcha, tam hæc, quam alia plura in ejus informatione deducta ſuadent, Cappellaniam eſſe Sacerdotalem, hoc eſt, non eſſe ad eam admittendum, niſi illum, qui ſaltem intra tempus habile fieri poſſit Sacerdos, & qui ad Sacerdotium dicto tempore aſcendat.

His ſtantibus quæritur,
An Cappellania ſit Sacerdotalis in caſu &c.

Sacra Congr. die 17. Novembris 1725. reſpondit,
Eſſe Sacerdotalem habitu tantum.

QUÆSTIO CCCCLXIX.

In Dubiis Sponſalium, die 22. Septembris 1725.

SUPPONITUR in ſcriptura per manus circumferenda quemdam Iſaac Eeliot Hæreticum Proteſtantem, non Matrimonium, ſed Sponſalia contraxiſſe cum quadam muliere Eliſabetha Vanis Catholica, cum qua etiam filium procreavit, & controverſiam vigere circa punctum prædictorum Sponſalium, an videlicet ſint nulla, vel ſolum illicita, & an Iſaac, qui ſubinde Religionem Catholicam amplexus eſt, teneatur ad illorum implementum, & an eidem competat facultas ab illis reſiliendi ex ſupervenienti vitio Ebrietatis, quo Eliſabetha dicitur affecta; cumque mihi fuerit demandatum, ut hæc dubia in folio deſcriberem, ut eorum videlicet reſolutio normam dare valeat Judicibus, coram quibus controverſiæ pendet examen, mandatis ea, qua decet, reverentia morem gero, & ad hæc, quæ ſubſequuntur, deſcendo.

Quoad Matrimonia contracta inter Hæreticum, & Catholicam concors eſt Theologorum, & Canoniſtarum Sententia, quod eadem ſint valida, ſed illicita; At in eo, quod attinet ad ſponſalia, plerique docent, eadem eſſe nulla, ex quo omnis promiſſio rei turpis, ex quo ſecundum omnes peccatum eſt matrimonium contrahere cum Hæretico, licet contractum teneat: Hinc eſt, quod memorata ſponſalia ſunt nulla, nec ullum producere poſſunt effectum, ut in puncto argumentatur *Navar. conſ. 5. de Sponſ. lib. 4. num. 6. Editionis Lugdunenſis*, & bene proſequuntur *Sanchez de matrimonio lib. 7. diſput. 72. num. 3. Cardinalis Albitius de Inconſtantia in Fide cap. 18. ſub num. 43. §. Peccaret, Eminentiſſimus D. meus Cardinalis Petra ad Conſtitutiones Apoſtolicas tom. 4. pag. 74. num. 6. Rot. coram Celſo deciſ. 374. ſub num. 6.*

Alii vero hanc temperant aſſertionem, ut eadem videlicet non procedat in regionibus, in quibus Catholici permixtim vivunt cum Hæreticis, & ſibi invicem non adverſantur; Et in eo, quod attinet ad haſce Regiones, docent, valida eſſe ſponſalia inter Hæreticum, & Catholicam, uti plane habetur *in deciſ. 319. num. 14. coram clar. mem. Card. Caprara*, & adnotavit Eminentiſſimus Petra *loco citato pag. 75. num. 11.*

Tranſitum faciendo ad aliud aſſumptum, an ſcilicet in hypotheſi, in qua ſponſalia fuerint nulla, aut illicita, Vir Hæreticus, qui expoſt Catholicam Fidem amplexus eſt, teneatur ad implementum, in Scriptura per manus circumferenda contenditur, negative eſſe reſpondendum, ex quo ſuppoſita nullitate actus, vel quod idem fuerit illicitus a principio, non videtur, quod expoſt idem ſubſiſtere valeat, & ſic quod Vir expoſt compelli poſſit ad ejus adimplementum.

Cætera reſpicientia Ebrietatis vitium, cum illud dicatur ſuperveniſſe, contenditur, juſtam cauſam ſuppeditare diſſolutioni ſponſalium, cum ex Ebrietate, ſi non corporis, ſaltem animi mutatio conſurgat, uti ad rem docent *Anaclet. Jur. Canonici tom. 4. lib. 4. tit. 1. §. 8. num. 265. Caſtro Palao de ſponſalibus tom. 5. diſp. 2. punct. 27. num. 7.*

His poſitis, quæritur,

I. An Sponſalia contracta inter Iſaac Hæreticum Proteſtantem, & Eliſabetham Catholicam, ſint nulla, vel illicita, & quatenus affirmative.

II. An Iſaac, poſtquam Catholicam Fidem amplexus eſt, compelli poſſit ad eorum implementum, & quatenus affirmative.

III. An juſte poſſit ab eorum implemento excuſari, & juſte inſtare pro eorum diſſolutione propter ſuperveniens Ebrietatis vitium in Eliſabetha.

Sacra Congreg. die 17. Novembris 1725. reſpondit,
Ad Dominum Secretarium juxta mentem.

QUÆSTIO CCCCLXX.

In Cauſa Portallegrenſi, die 17. Novembris 1725.

EXPONIT Epiſcopus Portallegren. quod cum frequentiſſimæ ſint agitationes Cauſarum, quæ a Sede Apoſtolica intra Portugalliæ Regnum, ſubditaſque Provincias committuntur, infinitus excrevit numerus eorum, qui ambitione, lucrique cupidine allecti ſe Protonotarios Apoſtolicos extra numerum Participantium, vel per Datariam, vel per Cardinales Legatos, vel per Epiſcopos Pontificio Solio Aſſiſtentes, vel tandem per Ducem Sfortiam creari procurant, ut ſic ad Commiſſiones prædictas obtinendas habilitentur, vel ab aliis perſonis in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutis, & quibus pariter hujuſmodi Apoſtolicæ Commiſſiones diriguntur, ſubdelegari poſſint, ex quo non pauca derivant inconvenientia tum ſcandali, tum præjudicii Litigantium, & Juſtitiæ, & demum vilipendii Commiſſariorum Apoſtolicorum; concluditque exorando, ut hujus furſuris perſonis Commiſſiones amplius non dirigantur, nec eædem aſſumi poſſint ab Apoſtolicis Commiſſariis in ſubdelegatas, ſed quod impoſterum Cauſæ non committantur, niſi vel Judicibus Synodalibus electis in aliqua Synodo Diœceſana, vel Provinciali, vel ſaltem perſonis ab Ordinario examinatis, & approbatis tanquam idoneis ad hæc munera exercenda.

Bonifacius Papa VIII. *in cap. Statutum de reſcript. in 6.* ſic decrevit: *Sancimus igitur, ut nullis niſi Dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, vel Legatorum ejuſdem de cætero committantur; & Sacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 10. de Reformat.* innovavit prædictam Conſtitutionem Bonifacianam, & ſic decrevit: *Statuit Sancta Synodus in ſingulis Synodis Provincialibus, aut Diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ Incipit* Statutum, *& alioquin ad id aptas aſſignari, ut præter Ordinarios locorum iis etiam poſt hac cauſæ Eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad Forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur, & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum, ita ut habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ a quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam a Sede Apoſtolica committantur, alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad Summum Romanum Pontificem tranſmittant, Delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur.*

In primo Concilio Provinciali celebrato anno 1586. a clar. mem. Cardinali Gabriele Paleotto Archiepiſcopo Bononiæ decernitur, ut in Synodo Provinciali, & Diœceſana deſignentur Judices Synodales, & deinde ſubditur: *hujuſmodi autem nominationes, ſive electiones in ſingulis Eccleſiis factas unuſquiſque Epiſcopus ad Summum Pontificem ſtatim tranſmittere curabit, ut eiſdem auctoritate Apoſtolica cauſæ delegentur, & Delegationes quæcumque aliorum Judicum, aliis quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur*, ſed hujuſmodi tranſmiſſionis ad Summum Pontificem factæ nullum aliud exemplum potuit reperire, quam illud relatum apud *Cardinalem Bellarminum ad illud cap. 10. ſeſſ. 25.* ex quo potiſſime factum eſt, ut hæc conciliaris diſpoſitio ab aula receſſerit, teſte *Barboſ. ad dict. cap. 10. ſub num. 25.* ubi ait: *Decretum hoc de committendis cauſis ſolis Judicibus Synodalibus reſpectu Papæ in uſu non eſt, cum adeo frequenter ipſe committere ſoleat cauſas aliis perſonis tam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, quam deputatis in Synodo, ſed id veriſimiliter ex eo procedit, ſive quia ſit ſupra Concilium, ſive quod Diœceſani Epiſcopi ex ſua parte etiam non curent ad Summum Pontificem tranſmitti nominationes, & deſignationes Judicum a Synodo factas, quod tamen juxta hoc decretum facere tenentur, & ſic Papa, ex quadam quaſi neceſſitate Juſtitiæ adminiſtrandæ decretum non obſervat.*

In relatione ſtatus Eccleſiæ ab Archiepiſcopo Bracharenſi anno 1714. ad hanc Sacr. Congregationem tranſmiſſa, poſtulatum ſecundo loco propoſitum, erat conceptum ſequentibus verbis, *ut cauſas, aliaque Juſtitiæ reſcripta ſolis Judicibus Synodalibus, & non aliis deinceps Sancta Sedes committere pro gratia dignetur obviandi cauſa*, ut inquit, *perturbationibus, & ad Juſtitiæ rectam adminiſtrationem.*

Propoſitum fuit hujuſmodi poſtulatum una cum aliis in folio Congregationis habitæ *die 12. Januarii 1715.* nec ulla tunc fuit capta reſolutio, eodemque una cum aliis repropoſito *die 26. Januarii ejuſdem anni*, reſcriptum fuit *ad ſecundum nihil eſſe innovandum*, uti habetur *in lib. 65. Decret. pag. 2. & pag. 29.*

His ſtantibus, quæritur,
An, & quomodo ſit providendum in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Ad Eminentiſſimum Præfectum, cum Eminentiſſimo Prodatario.

QUÆSTIO CCCCLXXI.

In Cauſa Toletana, die 17. Novembris 1725.

MARTINUS Clavero Corbela Parochus Eccleſiæ Curatæ Sanctæ Crucis Villæ Matritenſis Toletanæ Diœceſis cepit poſſeſſionem ſuæ Parochialis, & in ſuum adjutorem aſſumpſit pro exercitio Curæ Animarum Sacerdotem Joannem Alvarez ab Ordinario approbandum, & electio, & confirmatio expleta fuit ſub litterali conditione, quod eſſet duratura ad merum Parochi beneplacitum. Cumque tractu temporis memoratus Parochus Martinus ſignificatis ſuo Ordinario cauſis, quæ ipſum ad hoc impulerunt, exiſtimaverit alium Sacerdotem loco Joannis ſubſtituere, habitus fuit a Joanne recurſus ad Ordinarium ſub obtentu, quod ſine ulla cauſæ expreſſione fuerat a ſuo officio remotus, & inſtetit pro reintegratione; ſed cum in hoc judicio ſuccubuerit, & appellationem interpoſuerit ad Tribunal Nuntiaturæ, placuit illius Auditori decretum ferre, in quo demandavit, faciendas eſſe probationes ſuper cauſa remotionis.

Parochus Martinus ſe reputavit maximopere ab hoc decreto gravatum, cum inuſitatum afferat in Hiſpaniis, quod Parochus, qui aliquem Sacerdotem ad ſuum beneplacitum aſſumit pro adjutore in exercitio Curæ Animarum, non poſſit eum removere ſine expreſſione, & juſtificatione cauſæ, exhibitoque ſupplici libello huic Sacræ Congregationi, & ab eadem remiſſo ad Eminentiſſimum D. Cardinalem Bellugam, qui dignaretur Sacram Congregationem inſtructam reddere, & votum ſuum aperire, Eminentia Sua juſtam exiſtimavit Parochi querelam, ſed eodem contextu inſinuavit, ut in Sacra Congregatione dubium diſputaretur, an in ſimilibus amotionibus neceſſaria ſit expreſſio, & cauſæ juſtificatio; Si etenim exiſtimabitur non eſſe neceſſariam, cauſa erit terminata, & e contra ſi neceſſaria reputabitur, tunc cauſæ examen, & ejus juſtificatio erit aſſumenda in Tribunali Nuntiaturæ.

Ad materiam magiſtralis eſſe videtur *deciſio 53. coram Peutingerio*, & apud *Cardinalem de Luca de Benef. diſc. 80.* plures caſus diſtinguuntur, *& num. 16.* firmatur, quod quando Vicarii, qui aſſumuntur ad exercitium Curæ Animarum, non ſunt perpetui, & collativi, habentur tanquam nudi famuli conductitii ad nutum amovibiles: & contraria ad ſummum procedere poſſe videntur, quando ageretur de removendo Cappellano Curam Animarum exercente, non ad inſtantiam Parochi deputantis, ſed ad inſtantiam Parochianorum de eo conquerentium, juxta caſum in hac Sacra Congregatione diſputatum *in Spoletana juris amovendi 8. Julii 1713. pag. 280. lib. 63. Decret.*

His ſtantibus, quæritur,
An Parochus in amotione Sacerdotis aſſumpti in adjutorium pro exercitio Curæ Animarum teneatur, ipſo inſtante, cauſam amotionis exprimere, & juſtificare in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Ad D. Secretarium juxta mentem.

QUÆSTIO CCCCLXXII.

In Cauſa Camerinenſi, die 1. Decembris 1725.

MATHIAS Salta Canonicatum obtinens in Collegiata Eccleſia Sanctæ Mariæ Mathelicæ ſupplicavit pro indulto Jubilationis.

Scriptum fuit Epiſcopo pro informatione, audito Capitulo, nec ulla fuit inventa difficultas quoad ſervitium Quadragenarium.

Ex libris quoque Punctaturarum recognitum fuit, quod idem aſſidue Choro, & Eccleſiaſticis functionibus interfuit abſque ulla punctatura.

Quia vero ad ipſum pertinebat per turnum Miſſam canere, & ſpatio viginti, & octo annorum ab eadem canenda abſtinuit propter vocis diſſonantiam, & canendi ineptitudinem, & prædictæ Miſſæ onus per ſubſtitutos adimplevit; Hinc factum eſt, quod ex duodecim Canonicis, qui Capitulo interfuerunt, ſex ejus jubilationi ſeſe oppoſuerint: ita ut tam ab his, quam ab Epiſcopo examen validitatis hujuſce oppoſitionis fuerit ad hanc Sacram Congregationem remiſſum.

Pro Canonico ponderari poteſt: Primo, quod qui per alium facit per ipſum facere videtur; Secundo, quod ejus ſervitium fuit continuatum ſpatio 40. annorum, & etiam fuit laudabile, cum oppoſitus defectus non videatur magni momenti; & Tertio, quod ſi abſtinuit a canendo per ſe ipſum, id proceſſit ex juſta, & non culpoſa cauſa, cum ipſe non poſſet per artem, & ſtudium vocem acquirere, quam a natura non habuerunt.

E contra adverſus Canonicum ponderari poteſt, quod pro obtinenda jubilatione non ſufficit, quod ſervitium fuerit continuatum ſpatio 40. annorum, ſed ulterius neceſſe eſt, quod fuerit laudabile, nec tale haberi poteſt illud, quod fuit ab ipſo præſtitum, cum Sac. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform.* ſtatuat, quod omnes Canonici divina per ſe, & non per Subſtitutos obeant officia. Haud attento, quod ſi Canonicus non obivit per ſe, ſed per Subſtitutum, id fecit ex cauſa non culpoſa; Quia quando verſamur in gratia, qualis eſt illa jubilationis, quæ nullum habet in Jure Canonico fundamentum, attenditur ſimpliciter defectus requiſiti, nec inſpicitur, an ille, nec ne ab aliqua culpa proceſſerit, uti demonſtrari poteſt exemplo Sacrarum Indulgentiarum, & rerum conſimilium.

His

His ſtantibus, quæritur,
An ſit locus Jubilationi, nec ne.

Sacra Congr. reſpondit,
Affirmative, & amplius,

QUÆSTIO CCCCLXXIII.

In Cauſa Compſana, die 1. Decembris 1725.

ARchiepiſcopus Compſanus in antiqua, & immemorabili Poſſeſſione conſtitutus reperitur exigendi ab hæredibus, & bonis Archipreſbyterorum, & Parochorum decedentium cujuslibet loci ſuæ Diœceſis ſummam ducatorum centum.

De hac conſuetudine alias, hoc eſt anno 1686. actum fuit in hac Sacra Congregatione, inſtante tunc temporis Archiepiſcopo pro ejus abrogatione, ſed nulla tunc capta reſolutione, cum ſubinde Canonici, & Parochi Archiepiſcopo propoſuiſſent, ut ſublata conſuetudine exigendi ab hæredibus ducata 100. quolibet anno Menſæ Archiepiſcopali ſolverentur ducata 50. noluit Sac. hæc Congregatio hanc Concordiam confirmare.

Cum anno 1716. contigerit vacatio cujuſdam Parochialis Eccleſiæ Terræ Andrettæ Diœceſis Compſanæ, nova ſe obtulit occaſio ſermonem habendi de dicta conſuetudine, ſed cum tunc Compſana Eccleſia ſuo eſſet viduata Paſtore, Sacra Congregatio abſtinuit ab ulla capienda reſolutione, ſed electo novo Archiepiſcopo, demandavit, ut citato ejus Procuratore, Cauſa proponeretur in folio, uti colligitur ex reſcripto edito die 15. Maii 1717.

Plures exquiſitæ fuerunt, & receptæ ſuper hac re informationes; prima fuit Epiſcopi S. Angeli, coram quo Concurſus Parochialis vacantis Terræ Andrettæ factus eſt, & in qua legitur, exactionem prædictam eſſe ſcandaloſam, & ex ea plura alia mala provenire, & ſignanter collationis Parochiarum perſonis minus aptis, cum aptæ abſtineant a Concurſu propter onus prædictum ſolutionis ducatorum 100. poſt obitum.

Secunda informatio eſt Vicarii Apoſtolici Compſani, & quæ a Nuncio Apoſtolico ad hanc Sac. Congregationem tranſmiſſa fuit, & in qua dicitur, antiquam adfuiſſe in Diœceſi conſuetudinem, ut in obitu cujuslibet Parochi Archiepiſcopus mulam, lectiſternium, & annulum defuncti ſibi appropriaret, & loco hujus appropriationis ſubrogatam fuiſſe exactionem duc. 100.. Additur in hac eadem relatione nullum in conterminis Eccleſiis reperiri conſimilis Conſuetudinis veſtigium, Eccleſiam Compſanam reditibus abundare, & e contra Parochiales Eccleſias paupertate laborare, cum unaquæque earum vix habeat in annuo reditu duc. 50. quæ ſunt etiam gravata onere Miſſarum.

Tertia informatio eſt ipſius Archiepiſcopi Compſani, in qua refertur, elapſis ſæculis praxim viguiſſe favore ſuæ Menſæ Archiepiſcopalis pro exactione ſpolii in obitu cujuslibet Epiſcopi Suffraganei, praxim hanc quoad Epiſcopos ab Aula receſſiſſe, ſed quoad Archipresbyteros Diœceſanos adhuc obſervari, ut in eorum obitu prædicta ſumma ducator. 100. exigatur, quæ ſubrogata fuit appropriationi, uti dictum eſt, mulæ, lecti, annuli, & Breviarii, uti deſumitur ex antiqua ſententia lata uſque de anno 1572. & in qua, antiquiori inhærendo conſuetudini pronunciatum fuit ſuper jure exigendi res prædictas in caſu, quo eædem tempore obitus extarent, ſin minus, pretium, & valorem juxta facultates decedentium.

Hæc ſunt, quæ continentur in informationibus ad Sac. Congregationem tranſmiſſis, & ſcripturæ circumferuntur, ex quarum omnium lectura poterit ſtatui, quid ſit reſpondendum Dubiis ad calcem referendis, ſolumque innuiſſe fas ſit, quod in Provincia Turonenſi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Dignitates aliæ quæpiam lectum, in quo Parochi decubuerant, ſuo ſibi jure vindicabant, & quod Concilium Andegavenſe anno 1365. jus illud redimi voluit, quinquaginta ſolidis in Parochiis tenuioribus, & centum ſolidis in pinguioribus, uti deſumitur ex Canone undecimo, & plene habetur apud *Thomaſſin. de benef. part. 3. lib. 2. cap. 56. n. 4.*

Ex privilegio, ſeu conſuetudine legitime præſcripta permiſſum eſſe poteſt Epiſcopis ſibi appropriare bona Beneficiatorum ſuæ Diœceſis morientium, & ea in ſuos uſus convertere, juxta *Text. in cap. cum Tibi de Teſtamen. & in cap. Præſenti de Offic. Ordinar. in 6.* cujus Textus diſpoſitionem Concilium Conſtantienſe præſervavit, ut habetur *ſeſſ. 29. tit. de Spoliis.*

Adeoque etiam hodie in Diœceſi Leodien., & in nonnullis Eccleſiis Belgicis mobilia omnia Beneficiatorum, & aliorum Presbyterorum morientium ad Epiſcopos deferuntur, teſte *Vaneſpen. Jur. Eccleſ. tom. 2. part. 2. tit. 32. cap. 8. n. 12.* ibi: *in Diœceſi Leodienſi, ſi Paſtores, Beneficiati, aut alii Presbyteri ſine licentia condendi Teſtamentum ab Epiſcopo obtenta moriantur, ſive condiderint Teſtamenta, ſive non, eorum mobilia pertinent ad Reverendiſſimum Epiſcopum, quocum Parentes, aut Hæredes defuncti ordinarie conveniunt, ut mediante aliquali recognitione in jus ejuſdem Epiſcopi ſurrogentur, hanc eſſe modernam Eccleſiæ illius conſuetudinem mihi de ea inquirenti reſcriptum eſt. Eandem nonnullæ Eccleſiæ Belgicæ, quæ olim Diœceſis Leodien. fuerunt, prætendunt.*

Atque, ut cætera prætereantur, Epiſcopus Sancti Marci prætendit, ſibi in caſu mortis cujuſcumque Presbyteri deberi Cottam, & Breviarium, quibus ille in vita utebatur, juxta antiquiſſimam conſuetudinem, de qua prætenſione cum olim actum fuiſſet in hac Sac. Congregatione, die 16. Januarii 1723. reſponſum fuit, quod coadjuvarentur probationes.

Cohærenter ad hæc, cum Archiepiſcopus Compſanus ſe eſſe prætendiſſet in antiquiſſima, & immemorabili conſuetudine exigendi, ut diximus, ab Hæredibus, & bonis Archipresbyterorum, & Parochorum decedentium cujuslibet loci ſuæ Diœceſis Mulam, Lectum, Anulum, & Breviarium, & quod harum rerum appropriationi ſubrogata fuerit ſumma Ducatorum 100., & mota fuiſſet ſuper hac re controverſia, in Congregatione habita hac die 1. Decembris 1725., nulla fuit capta reſolutio, ſed dictum, quod terminus præfigeretur Curiæ Archiepiſcopali ad ſua jura deducenda in Sac. Congregatione.

In hujus reſcripti executionem facta fuit termini præfixio, & deducente Promotore Fiſcali ſua Jura, repropoſita Cauſa *die 8. Junii 1726.* quæritur,

I. An in obitu Parochorum Civitatis, & Diœceſis Compſanæ liceat Archiepiſcopo pro tempore ab hæreditate Parochi defuncti exigere prætenſum ſpolium, & quatenus affirmative.

II. In qua ſumma, vel rebus ſit ſolvendum in caſu &c.

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. reſpondit,
Ad primum negative. Ad ſecundum ſatis proviſum in primo.

QUÆSTIO CCCCLXXIV.

In Cauſa Ordinis Præmonſtratenſis, die 1. Decembris 1725.

CONTINUA abſtinentia ab eſu carnium, quæ in Ordine Præmonſtratenſi vigore particularium Statutorum fuerat introducta, nonnullas moderationes, & explicationes tractu temporis a Summis obtinuit Pontificibus.

Cæteris etenim prætermiſſis, Nicolaus IV. a prædicta abſtinentia excepit iter facientes, cumque Pius II. Sixtus IV. & Alexander VI. fuiſſent in ſenſu perpetuam abſtinentiam reducendi ad certa determinata tempora, Julius tandem Papa II. Bullam edidit, in qua diſpoſuit, quod ſervaretur abſtinentia in Adventu, & a Dominica Septuageſimæ uſque ad Paſcha Reſurrectionis, necnon qualibet Feria quarta, ultra jejunium Feriæ ſextæ per hebdomadam, & hæc Juliana Conſtitutio in nonnullis Comitiis Generalibus Ordinis fuit tanquam Regula admiſſa, & ejus obſervantia ſtricte demandata fuit.

Nulla, quoad abſtinentiam a carnibus prædictis enarratis diebus, adeſt in præſenti difficultas, & ſola, quæ in præſenti excitatur, controverſia, pertinet ad facultatem diſpenſandi in eſu carnium, temporibus anni prohibitis in memorata Conſtitutione Juliana, cum nonnulli Abbates hujus Ordinis, & Congregationis Svevicæ contendant, nedum ſuum P. Vicarium Generalem poſſe in Univerſum pro aliquo Monaſterio concedere diſpenſationem, ſed etiam hoc ipſum fieri poſſe ab Abbatibus in Monaſteriis eorum regimini ſubjectis.

Auditus fuit P. Abbas Generalis Ordinis, qui ſenſit, prædictam facultatem nullatenus competere, cumque pariter auditus fuerit Nuncius Apoſtolicus apud Helvetios, ille pariter fuit in eodem ſenſu, & lignanter, quia agitur de lege Papali, cui inferior derogare non poteſt, & quia res eſt de diſpenſatione favore integri Monaſterii.

Pro qua re facere fortaſſe poſſe videtur, quod juxta receptam in hac Curia ſententiam, facultas diſpenſandi pro eſu carnium juſta ſubſiſtente cauſa tempore Quadrageſimali, quæ competit Epiſcopis ſuper omnibus, & ſingulis

gulis ipſorum Juriſdictioni ſubjectis, non extenditur ad conceſſionem Diſpenſationis pro univerſa Civitate, vel Diœceſi, etiamſi cauſa univerſam Civitatem, vel Diœceſim reſpiciat; Diſpenſatio quippe in his circumſtantiis eſt Summo Pontifici reſervata, uti pluries fuit reſolutum a Sac. Congregatione SS. Inquiſitionis.

Præter Dubia, quæ reſpiciunt diſpenſationem pro Monaſteriis, alia quoque dubia proponuntur ſuper diſpenſatione, quoad aliquos in caſibus particularibus, & quoad alios ejuſdem Ordinis Canonicos, qui ex obedientia degunt in Parochiis extra Monaſterium, & in eo, quod attinet ad poſtremas hafce diſpenſationes, in ſcriptura per manus circumferenda probatur, facultatem competere, dummodo juſta concurrat cauſa.

His ſtantibus quæritur,

I. *An P. Vicario Generali Provinciæ Svevicæ Ordinis Sancti Norberti competat facultas diſpenſandi in univerſum pro aliquo Monaſterio in eſu carnium certis anni temporibus per Conſtitutionem ſan. mem. Julii II. prohibito:*

II. *An eadem facultas competat ſingulis Abbatibus ejuſdem Provinciæ in Monaſteriis eorum regimini commiſſis.*

III. *Et quatenus negative, an ſaltem poſſint diſpenſare pro uno die ſolemnis feſtivitatis in communi Refectorio, vel in Aula Hoſpitum, in qua diſcumbant Abbas & Canonici commorantes in Monaſterio.*

IV. *An ſaltem diſpenſare poſſint quoad aliquos Canonicos in caſibus particularibus.*

V. *Et an quoad Canonicos extra Monaſterium in Parochiis ex obedientia degentes, & expoſitos in caſu &c.*

Sacra Congr. die 15. Decembris 1725. reſpondit,
Ad primum, & ſecundum negative. Ad tertium negative quoad utramque partem. Ad quartum affirmative juſta ſubſiſtente Cauſa. Et ad quintum negative, niſi adſit juſta Cauſa, & diſpenſationem poſſe concedi ab Abbate Monaſterii.

QUÆSTIO CCCCLXXV.

In Cauſa Romana, ſeu Viterbienſi, die 15. Decembris 1725.

MARGARITA Ruberti in ultimo, cum quo deceſſit Teſtamento, condito de anno 1697. ſuis hæredibus demandavit, ut ex reliquo ſuorum bonorum, tam mobilium, quam ſtabilium Beneficium erigeretur in illa Eccleſia, aut Altari, quod hæredibus placeret cum onere celebrationis unius Miſſæ quotidianæ, & in hypotheſi, in qua bona non ſufficerent, quod tot Miſſæ in perpetuum pro Anima ſua & ſuorum celebrarentur, quot ex fructibus prædictorum ſuorum bonorum celebrari poſſent, ad tramites Taxæ Synodalis.

Eadem Teſtatrix hæredes Executores, liberoſque Adminiſtratores conſtituit bon. mem. Jacobum de Aptis Canonicum Baſilicæ Liberianæ, & Doctorem Jacobum Silveſtrellum, & tam his, quam eorum hæredibus, & ſucceſſoribus reliquit jus nominandi Cappellanum, & facultatem inſuper dedit declarandi, an Beneficium erigendum deberet eſſe Reſidentiale, nec ne, & amovibile, prohibuitque tam Epiſcopo, quam Reverendæ Fabricæ, & aliis quibuſcumque Superioribus quamcumque devolutionem, ſive ex capite non erectionis, ſive non nominationis dicti Cappellani, & quia ſæpe memorata Teſtatrix bene ſciebat, hæreditatem ſuam conſiſtere in creditis exigendis, & in Bonis recuperandis, addidit, quod dicti hæredes non poſſent ullo modo moleſtari a Legatariis, nec a Fabrica S. Petri, nec ab Epiſcopo, ſed quod Legatarii Legata recipere deberent a manibus hæredum, cum ipſa certa eſſet de punctuali, & fideli eorundem hæredum voluntate.

Celebratio Miſſæ quotidianæ ab hæredibus fuit adimpleta, cumque anno 1700. iidem a Commiſſario Fabricæ pulſati fuiſſent, & citati ad docendum de erectione Beneficii, Judex pronunciavit, quod conſtabat de adimplemento oneris Miſſarum, & quod cogi non poterant ad Beneficii erectionem, cum id penderet ab ipſorum voluntate, & arbitrio.

A die latæ ſententiæ uſque ad præſentem diem erectio Beneficii facta non eſt, cumque Nobilis Matrona Anna Franciſca de Aptis hæres Teſtamentaria bon. mem. Canonici Jacobi fratris pro ſuæ conſcientiæ ſerenitate promoverit in hac Sacra Congregatione inſtantiam ſuper declaratione, an eſſet deveniendum ad erectionem Beneficii, & an Beneficium erigendum deberet eſſe Eccleſiaſticum, vel potius mere laicale, facta fuit præfixio termini Jacobo Silveſtrello cohæredi, & datæ fuerunt juxta morem litteræ Ordinario pro informatione; & Voto.

Silveſtrellus proteſtationem judicialem emiſit, in qua, poſtquam dixit, præſentem Cauſam eſſe diſcutiendam in Congregatione Fabricæ, a qua memorata ſententia prodiit, ulterius ſe ad tramites Teſtamenti eſſe in libertate erigendi, vel non erigendi Beneficium, ſeu Cappellaniam, tandem concluſit, ſe Cappellaniæ erectionem velle cum onere Miſſæ quotidianæ, & eleemoſyna manuali; dummodo Cappellania ſit Laicalis, & dummodo ad ſe ſolum pertineat jus nominandi ad illam.

Ordinarius autem omnia expoſita ab Anna Franciſca confirmavit, & ſenſit, locum eſſe erectioni Beneficii, quo ſtante, quæritur,

I. An hæredes Margaritæ Rubertæ teneantur erigere Beneficium, & quatenus affirmative.

II. An debeat eſſe Eccleſiaſticum, ſeu potius mere laicale in caſu &c.

III. Ad quem pertinere debeat Jus nominandi ad prædictum Beneficium in caſu &c.

Sacra Congr. die 23. Februarii 1726. reſpondit,
Ad Primum affirmative.
Ad Secundum debere eſſe Eccleſiaſticum, & non mere laicale.
Ad Tertium, Jus nominandi pertinere ad Annam, & ad Jacobum.

QUÆSTIO CCCCLXXVI.

In Cauſa Legionenſi Viſitationis Sacrorum Liminum, die 15. Decembris 1725.

EXPOSUIT Epiſcopus Legionenſis in Relatione ſtatus ſuæ Eccleſiæ ad hanc Sacram Congregationem juxta morem tranſmiſſa, malum ſatis deplorabile contingere in ſua Diœceſi, cum vacantibus Parochialibus Eccleſiis, quæ ut plurimum paupertate laborant, non alii ſe offerant Concurſui, quam miſerabiles filii Provinciæ, qui nullo alio ſunt exculti ſtudio, quam rudis Grammaticæ, & Summæ Moralis idiomate vernaculo compoſitæ, quam memoriæ mandant, ut in Concurſu poſſint reportare approbationem.

Addit, quod obtenta Parochia non amplius ſtudiis vacant, & quod obliviſcuntur eorum, quæ memoriæ mandarunt, idque potiſſimum ex ea cauſa proficiſci, quod adepta Parochia, ſciunt ſe non eſſe amplius ad examen revocandos.

Subdit ulterius, non ſatis conſuli poſſe huic malo, utendo arbitrio iterum compellendi ad examen aliquem Parochum, qui detegatur inſufficiens, tum quia plures alii remanent eodem morbo laborantes, qui Epiſcopo non denunciantur, vel quia deficiunt zelatores, qui denuncient, vel quia, cum dicti Parochi ſint populo accepti, non reperitur, qui velit eorum inhabilitatem Prælato patefacere, tum quia ſtatim ac Epiſcopus vult aliquem Parochum ex dicto capite iterum ſubjicere examini, lis judicialis inſurgit, quæ tempus, pecuniæ jacturam, & intermedium Animarum præjudicium ferat, & avertit a cogitatione revocationem Parochorum inſufficientium ad novum examen.

Concludit denique, nullam aliam ſupereſſe viam occurrendi tanto malo, quam ſibi, & aliis Epiſcopis in eadem neceſſitate conſtitutis, facultatem impertiendo vocandi denuo ad examen, appellatione remota, Parochos ſuarum Diœceſium, quoties ita duxerint expedire, cum ex una parte præſumptio ſtet pro Epiſcopis, quod facultate data non ſint abuſuri, & ex alia parte ſolus futuri examinis timor aptus videatur ad continendos Parochos in Officio, hoc eſt ad efficiendum, ut ſtudia muneri ſuo opportuna, poſt adeptam Parochiam, totaliter non derelinquant.

Sacrum Tridentinum Concilium *ſeſſ. 21. cap. 6. de reform.* decrevit, quod Epiſcopi etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, poſſint quacumque appellatione, & exemptione remota, deputare Coadjutores, ſeu Vicarios pro tempore Parochis illitteratis, & imperitis, & dictis Coadjutoribus, ſeu Vicariis partem fructuum pro ſufficienti victu aſſignare; & in eo, quod attinet ad punctum revocandi Parochos ad novum examen, non deſunt reſolutiones hujus Sacræ Congregationis: in quadam etenim Cauſa Cajetana, quæ fuit propoſita *die 19. Novembris 1684.* uti habetur *in lib. 34. Decretor. pag. 386. a tergo*, cum Parochi Civitatis, & Curati Suburbiorum conqueſti fuiſſent, quod vocati fuerant coram Epiſcopo ad ſe ſubjiciendum novo examini ſuper materia Confeſſionis, & cæremoniarum Miſſæ, Sacra Congregatio reſpondit, quod darentur Decreta in Pampilonen.

Et Decreta in Pampilonen. sunt hæc, quæ sequuntur edita *die 1. Septembris* 1668. uti habetur *lib. 26. Decretorum pag. 77. a tergo. Ad libellum Episcopi, ad cujus favorem alias a Sacra Congregatione sub die 15. Januarii 1667. fuerunt datæ infrascriptæ declarationes, nimirum, primo posse Episcopum examinare Parochos semel approbatos, quando adest suspicio de eorum inhabilitate: secundo, posse etiam hoc examen facere extra visitationem: tertio, non requiri ad hoc examen faciendum, ut præcedant judiciales probationes imperitiæ; nonnulli vero Parochi eludunt exequutionem dictarum declarationum cum inhibitionibus, & præsertim Rotalibus, ideoque habito recursu pro parte Episcopi ad Auditorem Sanctissimi, & remissa ab eo Causa ad hanc Sacram Congregationem, idem Episcopus supplicat sibi mandari, ut procedat, non obstantibus dictis inhibitionibus &c.*

Die &c. Sacra &c. attento rescripto Auditoris SS. D. N. censuit committen. prout harum vigore committit Episcopo Pampilonen. ut juxta præinsertas Sac. Congregat. declarationes exequatur, & procedat, non obstantibus dictis inhibitionibus.

Rursus in eadem Causa Pampilonen. 22. *Septembris* 1668. uti habetur *citato libro Decretorum pag.* 108. hæc alia invenitur resolutio. *Cum sub die* 15. *Januarii* 1667. *ad instantiam Episcopi Pampilonen. ab hac Sacra Congregatione resolutum fuerit, primo, posse Episcopum examinare Parochos, & Rectores semel approbatos ad Curam Animarum, quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia; secundo, posse ad hujusmodi examen procedere etiam extra visitationem; tertio, ad dictum examen faciendum, haud necesse esse, ut Judiciales probationes imperitiæ præcedant. Nunc supplicat Episcopus ipse per eandem Sac. Congregationem ulterius declarari, an in actu visitationis Diœcesis possit Episcopus examinare Parochos quotquot visitat, etiamsi contra illos, vel aliquem ipsorum non vigeat suspicio imperitiæ.*

Die &c. Sacra &c. respondit negative.

Aliæ quoque inveniuntur antiquiores declarationes circa hanc Episcoporum facultatem revocandi ad examen Parochos examinatos licet, & approbatos a Prædecessoribus, uti habetur *in Placentina die* 26. *Augusti* 1628. *lib.* 13. *Decret. pag.* 520. *a tergo*; ibi: *Sacra &c. censuit, Episcopos successores posse, superveniente rationabili causa, iterum ex officio, etiam extra visitationem examinare Parochos alias ad Ecclesias Parochiales approbatos*, & in Nullius 13. *Januarii* 1635. *lib.* 15. *Decret. pag.* 146. *a tergo*, ibi: *Sacra &c. respondit, Episcopos successores, superveniente rationabili causa, posse etiam ex officio iterum examinare tam in visitatione, quam extra Parochos, quamvis Regulares approbatos tempore provisionis Parochialium.*

Idem quoque Legionensis Episcopus in eadem relatione status suæ Ecclesiæ exposuit, quod tempore Sedis Vacantis, & etiam intra annum plurimi ad Clericatum, & etiam ad majores Ordines ascendunt in sequelam Brevium de promovendo, & quod hac de causa inutilis evadit diligentia Episcopi defuncti, qui fuit cautus in promovendo, & quod successor in Episcopatu Diœcesim invenit repletam Clericis, vel Patrimonio, vel idoneitate carentibus, & quos nec ipse, nec ejus Antecessor unquam Ordinibus initiassent, & supplicat pro aliquo remedio, & quia tempore pariter Sedis vacantis fundantur nonnullæ Cappellaniæ cum onere, ut Cappellani ad Ordines Sacros ascendant, quæ ut plurimum ficiæ sunt, & eo tantum fine eriguntur, ut ad earum titulum aliqui ordinentur, proponit, & instat, ut ab hac Sacra Congregatione statuatur, ut Cappellaniæ dicto tempore erectæ, & cum prædicto onere, habeantur pro non erectis ad effectum, ut aliqui possint ad earum titulum ordinari, nisi a novo Episcopo, post ponderatas, & examinatas earum dotes, & qualitates approbentur, & quod determinetur, non posse Vicarios Capitulares, sive Gubernatores Sedis vacantis dare Dimissorias, ut ad titulum Cappellaniæ arctatæ aliqui ordinari possint, nisi constet, eas fuisse uti sufficientes pro congrua substentatione ab Episcopo prædecessore approbatas.

Sacrum Tridentinum Concilium *sess. 7. cap.* 10. *de reform.* decrevit, non licere Capitulis Ecclesiarum, Sede vacante, infra annum, a die vacationis Dimissorias concedere alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, impositis pœnis adversus contrafacientes, & hoc Decretum editum sub Paulo III. confirmatum fuit ab eodem Concilio sub Pio IV. uti habetur *cap.* 10. *sess.* 23. *de reform.* & arctati ratione Beneficii accepti sunt illi, qui obtinent aliquod Beneficium, ratione cujus tenentur se promoveri facere, & arctati occasione Beneficii recipiendi sunt illi, qui habent jus, seu sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans, quod actu requirit certum ordinem, quo iidem carent, vel qui non habentes primam Tonsuram sunt præsentati ad aliquod Beneficium, uti cæteris allegatis bene prosequuntur *Barbosa ad cap.* 10. *sess.* 7. *de reform. num.* 16. *&* 17. *Garz. de benef. par.* 5. *cap.* 7. *sub num.* 93. 97. *& seqq.*

Sermonem transferendo ad facultativas, quæ dicuntur Brevia de promovendo, & quæ a Sacris Congregationibus Episcoporum, & Regularium, & Concilii dirigebantur infra annum vacationis Vicariis Capitularibus, ut debitis concurrentibus requisitis, & signanter, quod Oratores non fuissent ab Episcopo prædecessore rejecti, Dimissorias concedere possent, prohibitum fuit prædictis Congregationibus, ne imposterum hasce facultativas litteras concederent, uti legitur in Concilio Romano *tit.* 18. *cap.* 2. ubi etiam renovatur dispositio Tridentini Concilii mox expositi, & a Secretaria Status bini transmissi fuerunt Ordines inferendi in Regestis Sacrarum Congregationum Episcoporum, & Concilii, alter scriptus *die* 2. *Maii currentis anni* 1725. in quo SS. D. N. prohibet, ne imposterum expediantur facultativæ Vicariis Capitularibus, ut intra annum a die vacationis alicui Dimissorias concedere valeant, & alter editus *die* 19. *Julii ejusdem anni*, in quo Sanctitas Sua protestata est, se non prohibuisse Sacris Congregationibus, ne dictas facultativas concederent intra annum, quando agitur de arctatis ratione Beneficii. *Non intese, nè intende Sua Beatitudine di comprendere i casi, ne' quali il provisto è coartato dalla natura, e qualità del Beneficio a porsi in Sacris intra annum, secondo le note dispositioni del Sagro Concilio di Trento*; ne videlicet Sacrorum Congregationum auctoritas inferior esset auctoritate Vicariorum Capitularium.

Facultativæ istæ Sacrarum Congregationum, ut plurimum intra fines Italiæ continebantur, licet aliquando nonnullæ, etiam ultra Montes transmitterentur, cumque in Regnis Hispaniarum eædem expediantur a Nuncio Apostolico, operæ pretium esse videtur inquirere, an ab eodem imposterum sint expediendæ tantummodo arctatis ratione Beneficii acquisiti, vel proxime acquirendi, vel absolute, & simpliciter, & absque prædicta limitatione.

De hac facultate Nuncii Hispaniarum mentionem facit *Garz. de Benefic. par.* 5. *cap.* 7. *num.* 104. ibi: *ex quibus apparet, Nuncium Hispaniæ non posse etiam Sede aliqua Episcopali vacante dare dimissorias, nisi competenter Beneficiatis, & arctatis, & sic in casibus, in quibus Capitulum Sede vacante non potest dare Dimissorias, nec ipsum Nuncium posse.*

His positis, quæritur,

An, & quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Quoad examen Parochorum dentur Decreta, quoad fundationem Cappellaniarum, Sede vacante, non posse ad illas aliquem ordinari, nisi fuerint approbatæ ab Episcopo successore; quoad Cappellanias erectas ante tempus Sedis vacantis, non posse ad earum titulum concedi Dimissorias, nisi fuerint ab Episcopo prædecessore approbatæ, & sufficiant pro congrua Synodali, quoad Brevia de promovendo satis consultum per Secretariam Status; & quoad Nuncium cum SS. juxta mentem.

QUÆSTIO CCCCLXXVII.

In Causa Vicensi Relicti Annui, die 15. *Decembris* 1725.

QUondam Jacobus Liussa Incola Villæ Sancti Petri de Auro per publicum Instrumentum convenit cum Universitate prædicti loci, ut redemptis propria pecunia nonnullis censibus passivis usque ad summam librarum 2000. quibus prædicta Universitas erat gravata, sibi ab eadem Universitate, quoadusque viveret, solverentur annuæ libræ 100. correspondentes capitali librarum 2000. supra memorato, & additum fuit, quod prædictus Jacobus post suum obitum ex censibus, ut supra redemptis fundari, & erigi mandaret unam Cathedram pro Magistro, qui pueros loci doceret Grammaticam, uti latius habetur in Instrumento stipulato.

Facta fuit redemptio censuum pro rata librar. 2000. & Universitas punctualiter persolvit annuas libr. 100. usque ad annum 1689. cumque tunc Jacobus in ipsa Villa, seu loco S. Petri de Auro in animum induxisset facere fundationem Conventus Patrum S. Francisci Minorum Observantium, & eidem donare libr. 3000. & in hac quantitate comprehendere capitale librarum 2000. coalescens ex censibus, uti supra redemptis, impositio Religiosis onere pueros docendi, actum fuit de hac re cum Universitate, quæ suum præbuit assensum.

Adversus hanc fundationem nonnulli se opposuerunt, cumque res tunc infecta remansisset, nec Jacobus a sua intentione fundandi Conventum recessisset, anno tandem 1692. ad novum actum devenit, in quo, post assignata nonnulla bona, & pecunias Conventui erigendo, declaravit, & voluit, quod lib. 2000. censuum redemptorum stare deberent pro dote Cathedræ post suum obitum instituendæ, & ad Patres Conventus deferendæ, & quia anno 1689. expertus fuerat nonnullorum oppositiones, uti supra fuit expositum, jussit, quod in casu dissensus Universitatis, census redempti tam quoad fortem, quam quoad fructus, applicarentur Conventui erigendo, ut Religiosi in illo admittendi Deum pro anima sua exorarent, & fundatio fuit a Syndico Conventus acceptata.

Anno 1694. Jacobus vitam cum morte commutavit, introductisque Patribus in novum Conventum, sive Hospitium, cum ipsorum Præses, designato Religioso pro Cathedræ exercitio, petiisset ab Universitate subministrationem annuarum libr. 1000. tanquam fructuum dd. censuum redemptorum emissa ulterius protestatione, quod alias fructus erant debiti Conventui absque onere Cathedræ, juxta subalternam Fundatoris ordinationem, responsum fuit ab Universitate, quod petitio erat intempestiva, ex quo lis pendebat super fundatione Conventus.

Lis hæc revera pendebat, eademque duravit spatio plurium annorum, sed ea tandem devoluta ad Sac. Congregationem Episcoporum, & Regularium, bina in eadem relatione scripta prodierunt anno 1702. alterum in quo dictum fuit, ut procederetur ad fundationem, & alterum, in quo, approbata iterum fundatione, rejecta fuit quæcumque oblatio annui assignamenti.

Hæ resolutiones Sac. Congregationis novis quæstionibus viam aperuerunt; prætendente siquidem Universitate caducatam esse in vim posteriores rescripti Jacobi dispositionem, & se non teneri ad solutionem fructuum censuum, Raymundus nepos, & hæres Jacobi ad novum actum per publicum Instrumentum devenit, in quo disposuit, ut Minister Tertiæ Regulæ Sancti Francisci fructus censuum administraret, & libr. 10000. impenderet in fabricam Conventus, Ecclesiæ, Sacristiæ, & Infirmariæ, & ex reliquis maturandis celebrari faceret quolibet anno Missas, & anniversaria, & hæc dispositio acceptata fuit a Patribus per viam simplicis eleemosynæ sponte dandæ, & cum protestatione abdicativa juris, & actionis juxta notam formulam S. Bonaventuræ.

Universitas Villæ recusavit, & recusat solvere fructus censuum tam in sequelam primæ, quam in sequelam secundæ dispositionis, exhibitoque proinde a Syndico Conventus supplici libello san. mem. Innocentio XIII. eodemque remisso ad hanc Sac. Congregationem, post habitam Ordinarii Vicen. informationem, & repetitam a Patre Commissario Curiæ, & Procuratore Generali pro Ultramontana Familia protestationem juris abdicativam, proponitur dubium infra referendum.

Scriptura circumfertur, in qua, post plura deducta pro sustinenda dispositione facta a Jacobo anno 1692. tandem prætenditur, in omnem casum esse adimplendam aliam dispositionem Raymundi juxta modum in fine scripturæ expressum.

Quoad incapacitatem Fratrum Minorum recipiendi annua legata, quæ fiunt etiam adjecto onere celebrationis Missarum, & quoad validitatem annui reditus relicti Sacristiæ, vel Fabricæ Ecclesiæ, aut Conventus eorumdem, dummodo non adsit excessus in quantitate, & dummodo exactio non fiat in judicio a Fratribus, nec per se ipsos, nec per alios, sed tantum per Syndicum Apostolicum, extant resolutiones Sac. Congregationis Particularis ab Urbano VIII. deputatæ, & relatæ apud *Fagnan. in cap. nimis prava n.* 49. *& seq. de Excess. Prælat.*

Concordant resolutiones hujus Sac. Congregationis, & signanter in *Firmana Legatorum* 21. *Junii*, 2. *Octobris* 1721. in quibus, cum ageretur de censu annuo relicto Syndico horum Fratrum pro Fabrica Ecclesiæ, auditis Theologis Ordinis, ex quo dominium census fuerat translatum in prædictum Syndicum, responsum fuit, censum ab eo esse dimittendum, & Fratres posse recipere fructus ab Hæredibus per modum Eleemosynæ.

His stantibus, quæritur,

An, & quæ pia dispositio relicti annui cum onere juxta

voluntatem quond. Jacobi Liussa, ejusve Hæredis Raymundi Liussa, & quomodo sit adimplenda in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Neutram esse adimplendam, sed Episcopus procedat ad Erectionem Cathedræ prout de Jure.

QUÆSTIO CCCCLXXVIII.

In Causa Florentina Matrimonii, die 12. *Januarii* 1726.

THomas del Conte, captus amore Camillæ Manganellæ cum eadem sponsalia contraxit, & devenire volens ad Matrimonium de præsenti coram Parocho, & Testibus contrahendum; necessarium fuit, quod ipse, qui per varias Mundi partes peragravarat, probaret suum statum liberum, prout revera probavit in sequelam epistolæ juxta morem transmissæ ad Ordinarium a Sac. Congregatione S. Officii.

Quando credebatur, nullam aliam adesse super hoc Matrimonio difficultatem, alia difficultas excitata fuit; inter tertiam etenim, & binas alias, quæ jam præcesserant in Ecclesia denunciationes, Frater, Mater, aliique Thomæ Cognati se opposuerunt sub obtentu magnæ disparitatis inter Thomam, & Camillam intercedentis, nec non infamiæ, quæ ex hoc Matrimonio in omnes Thomæ consanguineos derivatura dicebatur, & signanter, ex quo Franciscus Venturini Avus Maternus Camillæ fuerat relegatus per triennium in portu Liburni propter delictum ab ipso patratum, quo stante judicialiter agi cœptum est coram Vicario Generali Florentino.

Vicarius Generalis sententiam protulit, in qua sub pœna excommunicationis inhibuit Thomæ, ne Matrimonium contraheret, & Parochis, ne eidem Matrimonio interessent, devolutaque Causa per appellationem ad Nunciaturam Florentinam, cum huic Sac. Congregationi exhibitus fuisset supplex libellus, in quo Thomas, & Camilla asserebant, se justas habere causas diffidentiæ in d. Nunciaturæ Auditoribus, responsum fuit, quod Nuncius procederet per se ipsum.

Antequam ad Oratores hujus rescripti notitia devenisset, iidem simul Romam advenerunt humiliter instantes, ut Causa in hac Sacra Congregatione discuteretur; cumque ipse eos serio monuerim, ut viverent separati, & in eo, quod attinebat ad ipsorum negotium, dixerim, non posse de eodem agi in hac Sac. Congregatione, ex quo Acta Causæ deficiebant, Oratores se a cohabitatione separarunt, & opera, & expensis cujusdam Magnatis, Acta ad Sac. Congregationem transmissa fuerunt.

Subsequenter datæ fuerunt literæ tam Archiepiscopo, quam Nuncio pro informatione, & Archiepiscopus retulit, copulam jam intercessisse, & sic certum esse dedecus mulieris, si Matrimonium non contrahatur. Addidit, ex supradicta Francisci Venturini Avi Materni relegatione, nullam ab ipso contractam fuisse infamiam ad successores potissimum protrahendam, & sic cessare timorem inimicitiarum, & scandalorum, & tandem concluit pro insubsistentia sententiæ a suo Vicario Generali prolatæ.

Nuncius in sua Informatione conjecturas exposuit copulæ subsequutæ, & sermonem habendo de natalium disparitate, sic inquit, *quanto alla disparità de' Natali, lo Sposo esercita l'arte di Stipettajo, o sia Ebanista, ed è povero, vivendo separatamente dalla Madre, e da' Fratelli, i quali sono tre, cioè un Sacerdote, che è Priore d'una Parrochia in Città, un Pittore, & un Indoratore con alcune Sorelle Monache, e con due Fanciulle loro Nipoti, ed hanno parimente de' Parenti civili. Si pretende, che suo Padre fosse Navicellajo, la qual particolarità però non fu dedotta in Processo, ed ora viene impugnata, accordandosi solo, che egli avesse bensì dell' ingerenza sopra i Navicelli per il trasporto della roba della Corte. La Sposa poi parimente è povera, e figlia d' un Servitore, e sorella d' un Cocchiere, ed il Nonno materno restò, come si è detto, condannato ad opus per furto di certe poche robe, che aveva commesso in campagna.*

In celebri quæstione de Matrimoniis impediendis, quæ fiunt a filiis familias, invitis Parentibus cum Persona indigna, de qua Archiepiscopus Rossanensis in sua dissertatione Theologico-Legali impressa post tomum primum bon. mem. Dominici de Zaulis Assessoris S. Officii Observationum ad Statuta Faventina, iterum impressarum Romæ Anno 1723. quidquid sit, an termini sint applicabiles, ex quo solus adest in casu dissensus Matris, agitur de puncto, quænam dici debeant indigna Matrimo-

trimonia, & juxta communem Doctorum assertionem dicitur id relinquendum arbitrio Judicis, qui divitias, mores, utriusque Conjugis progeniem in hoc Judicio ferendo, debet animadvertere, uti videri potest *in dicta dissertatione num.* 68.

His stantibus, quæritur,

An Matrimonium sit contrahendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXXIX.

In Causa Urbanien si, die 12. *Januarii* 1726.

SACERDOS Carolus Christinus e loco S. Angeli in Vado degebat in Civitate Ulyxbonensi, & Serenissimo Portugalliæ Regi inserviebat, cumque in Civitate Ulyxbonensi quædam mulier Isabella Britti degeret, memoratus Sacerdos existimavit sibi, & familiæ suæ expedire, quod eadem in Matrimonium traderetur Paschali Christino suo fratri absenti, & in loco S. Angeli in Vado commoranti, introducloque super hac re negotio, sponsalia primum contracta fuerunt, & deinde initum est Matrimonium de præsenti coram Parocho Ecclesiæ Sanctissimi Sacramenti, & duobus Testibus inter Isabellam, & Paschalem per Procuratorem ab eo constitutum, qui Oliverius appellatur, quo stante Isabella in quadam pagina libri transitus vulgo *Passaporto* expedita a Nuncio Apostolico dicitur Uxor Paschalis Christini.

In supradicta Civitate Ulyxbonensi degebat alius Sacerdos Laurentius Christini frater Paschalis, & alterius Sacerdotis Caroli, cumque ipse Provinciam assumpsisset transvehendi in Italiam Uxorem fratris sui, pro ea, & se locum invenit in quadam Anglica Triremi, cujus erat Dux quidam Riccardus Anglus, & post longum iter, & multas in Mari passas tempestates, navis tandem devenit ad Portum Liburni.

Paschalis Isabellam Uxorem expectabat in Patria, hoc est in sæpe memorato loco S. Angeli in Vado, cumque occasione permanentiæ in eadem navi Capitaneus Riccardus amore Isabellæ correptus fuisset, eandemque adhuc degentem in Civitate Liburni, ut Portum, & alia ejus Civitatis loca videre commode posset, sæpe invisere t, & e domo exeuntem una cum aliis mulieribus, ut moris est, comitaretur, res eo tandem devenit, ut eam una cum aliis ejus domesticis invitaret ad convivium, seu jentaculum in sua navi sumendum.

Oblatio hæc, quæ urbana reputabatur, fuit ab invitatis prompte acceptata, cunctisque invitatis ad navem accedentibus, post horæ circiter lapsum a momento ingressus in navim, Isabella, sive vere, sive ficte se a Mare agitatam, seu turbatam præsetulit, & quasi deliquio proximam, cumque cubiculum Capitanei ingressa fuerit, & in ejus cubili se collocaverit, Capitaneus mansionem clave observit.

Sacerdos Laurentius, cæterique ejus Comites, tam Viri, quam Mulieres gesta Capitanei Riccardi jocosa existimarunt, sed cum vergente Sole ad Occasum, hora advenisset reditum faciendi ad Civitatem Liburni, & pro licentia instetisset ad eam etiam reducendi Isabellam, jocus in serietatem, & dolorem conversus est, Capitaneo asserente, Isabellam esse suam Uxorem, nec se unquam permissurum esse, ut e navi exiret, nisi suum ipsa præstaret assensum; cumque Sacerdote Laurentio, & aliis cubiculum ingressis, in quo erat Isabella, eandemque objurgantibus, ut ad Civitatem rediret, & socios non derelinqueret, nullum unquam a callida fœmina responsum datum fuerit, sed immobilis, & ad instar sensu carentis perstiterit, Tragœdiæ tandem finis advenit, assumptis etenim a Capitaneo, & a nautis igneis tormentis, Sacerdos Laurentius, & omnes, qui cum eo ad navim venerant, in parvam cimbam descenderunt, & Liburnum sine Isabella redierunt.

Immediate post reditum, ea omnia, quæ contigerunt, fuerunt a Sacerdote Laurentio judicialiter, & non sine magno strepitu Tribunalibus denunciata, sed quid factum sit, ignoratur, & omnes diligentiæ suo tunc caruerunt effectu; Capitaneus etenim Riccardus pluribus post factum diebus cum sua nave perstitit e conspectu Portus Liburni, nec e Loco se movit, nisi suis, propter quæ advenerat, expletis negotiis, post quæ tandem expleta, cum ab ora Liburnensi solverit, secum duxit Isabellam, quam dicitur Ritu Anglicano, subinde Gibilterræ sibi desponsasse, compilatoque adversus ipsum contumaciali processu, prolata est a Tribunalibus sententia, in qua condemnatus est ad Isabellæ restitutionem, & ad subeundam pœnam perpetui Carceris in Castro Volaterrano, firmo quoque, & aperto remanente processu adversus Nautas.

Hucusque deducta desumpta fuerunt, nedum ex supplici libello Paschalis, sed ex informatione Episcopi Urbanensis, & quod caput est, ex accurata relatione Archiepiscopi Pisarum; cumque prædictus Paschalis supplicem SS. Domino Nostro libellum exhiberit, ad hanc Sac. Congregationem deinde remissum, in quo exoravit, ut suo miserabili statui sua suprema auctoritate, & paterna charitate providere dignaretur, dispensando super Matrimonio a se per Procuratorem contracto cum Isabella tanquam rato, & non consummato, addita protestatione, quod quatenus per impossibile Isabella ad secum cohabitandum instaret, suum nunquam ipse præstiturus esset assensum, quæritur in præsenti, quid sit respondendum.

Ad rem, de qua agitur, tria videntur esse adnotanda. Primum est tam ante, quam post Concilium Tridentinum, validum esse Matrimonium contractum per Procuratorem, dummodo tamen contrahatur coram Parocho, & Testibus, & juxta receptiorem inter Theologos Sententiam Matrimonium hoc modo contractum esse indissolubile, & Sacramentum, uti latissime probat *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disput.* 11. *quæst.* 1. *& tribus sequentibus*, ita ut de consilio solum sit, & non de necessitate, & ad scrupulos tollendos, quod qui contraxerunt per procuratorem, quando simul conveniunt, consensum renovent coram Parocho, & Testibus, uti prosequitur *Sanchez loco citato quæst.* 4. *num.* 31. & bene adnotavit *Clericat. de Sacramento Matrimonii decis.* 4. *numer.* 36.

Secundum est, nullam de potestate Summi Pontificis moveri amplius posse quæstionem in eo, quod attinet ad dispensandum super Matrimonio rato, & non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter Theologos, & Canonistas, & sit in praxi recepta, uti notorium est.

Tertium denique est, causam esse necessariam pro dispensatione, & quoties eadem adsit cum omnibus suis requisitis concessas fuisse dispensationes non solum inter Magnates, sed etiam inter personas parvæ notæ, uti firmat *Perez de Matrim. disp.* 20. *sect.* 7. *num.* 11. *& sequentibus*, & late prosequitur modernus *Ursaya tom.* 2. *part.* 1. *disser.* 3. *num.* 49. *& sequentibus*, nec deesse Doctores, qui asserunt voluntariam Conjugis dilationem in Matrimonio consummando præbere justam causam obtinendi a Summo Pontifice dispensationem super Matrimonio rato, & non consummato *Ancharan. cons*, 239. *num.* 4. quod secutus est Cardinalis Lancellottus in quodam suo Voto exarato in causa Hispalen. dissolutionis Matrimonii impresso *apud citatum Ursayam tom.* 3. *par.* 2. *discept.* 21. *num.* 77. *& num.* 95. *& sequentibus.*

His stantibus quæritur,

An sit Sanctiss. D. Nostro consilium præstandum pro dispensatione super Matrimonio tanquam rato, & non consummato in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative, & committendum in forma commissaria Archiepiscopo Pisanen. juxta instructionem.

QUÆSTIO CCCCLXXX.

In Causa Aliphana Curæ, die 12. *Januarii* 1726.

PROMOTOR Fiscalis Curiæ Episcopalis Aliphanæ contendit, nullam adesse probationem sufficientem ad effectum statuendi, quod Cura habitualis S. Mariæ Majoris Pedemontis sit penes Capitulum, & Canonicos dictæ Collegiatæ, contendit ulterius, quod quatenus Cura habitualis esset penes dictum Capitulum, & Canonicos, nunquam ab illis deputari possint in fine cujuslibet anni duo Canonici, qui per annum exerceant curam animarum, cum ea semper exercenda sit per Vicarium perpetuum, & demum contendit, quod quatenus prædicta electio fieri possit, electi debeant ab Episcopo approbari juxta resolutiones Sacræ Congregationis impressas *apud Garziam de benef. par.* 9. *cap.* 2. *num.* 182. *& seqq.*

Capitulum e contra, & Canonici asserunt, non esse dubitandum de cura habituali penes se existente, & de facultate nominandi modo supra expresso binos Canonicos pro eadem exercenda, cum id descendat a Decretis Sac. Congregationis Epi coporum, & Regularium edi-

tis anno 1601. & quæ semper fuerunt executioni mandata; & cum novum non fit, curam actualem etiam exerceri a Cappellanis amovibilibus, quando Cura habitualis est penes Capitulum juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis *in Assisien. Curæ Animarum* 16. *Novembris* 1709. & 24. *Maii* 1710.

Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.* 7. *de Reform. cap.* 7. statuit in Parochialibus unitis Cathedralibus, Collegiatis, Monasteriis, & aliis Piis locis, ut Episcopi sollicite procurent, quod per idoneos Vicarios *etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur*; quæ Concilii verba sic a Doctoribus explicantur, ut appositio Vicarii, sive perpetui, sive temporalis pendeat ab arbitrio Ordinariorum a circumstantiis regulando. *Barbos. juris Eccles. univers. lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 11. *& in notis ad cap.* 7. *Sess.* 7. *de Refor. n.* 15. *& n.* 31. *&* 32. *ibique Gallemart n.* 5.

Sanctus Pius V. *in sua Bulla* 47. *Bull. tom.* 2. in qua statuit quantitatem redituum assignandorum Vicariis Parochialium unitarum Collegiis, loquitur suppositive de perpetuitate Vicariorum, & in *Bulla* 139. *Bull. tom.* 2. in qua loquitur de Vicariis constituendis in Parochialibus, quæ sunt unitæ Capitulis Urbis, vult, Vicarios esse Perpetuos, & *Fagnan. in capitulo ex parte n.* 9. *& seqq. de Officio Vicarii* ait expedire, ut Sedes Apostolica decernat, quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Curam Animarum habentium, & eam per Vicarios temporales exercentium, cogantur ad deputandos Vicarios perpetuos, qui Curæ incumbant.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. *An ad Capitulum, & Canonicos S. Mariæ Majoris Pedemontis spectet cura habitualis ejusdem Ecclesiæ in casu &c., & quatenus affirmative.*

II. *An iidem Canonici possint in fine cujuslibet anni devenire ad electionem duorum Canonicorum pro exercenda cura actuali, vel debeant eligere Sacerdotes extra gremium Capituli in casu &c., & quatenus affirmative.*

III. *An dicta electio sit approbanda ab Episcopo in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative.

Ad Secundum affirmative ad primam dubii partem, & ad secundam negative.

Ad Tertium affirmative, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXXXI.

In Causa Cremonen si Processionis, die 12. *Januarii* 1726.

NOTA sunt huic Sacræ Congregationi Decreta circa Processiones, quæ fiunt a Regularibus extra suas Ecclesias, & Claustra, & signanter celebre est illud Congregationis particularis allegatum in quadam *Causa Nepesina* 24. *Julii* 1632. *lib.* 14. *Decret. pag.* 650. quod ita se habet: *Sacra &c. mandavit servari Decretum in Congregatione particulari de ordine Sanctissimi jam firmatum tenoris sequentis: Sacra &c. censuit Regularibus & Confraternitatibus in Regularium Ecclesiis erectis permissum esse Processiones facere intra eorum Ecclesias, & Claustra tantum, & non extra. Si vero Ecclesiæ Claustro careant, eisdem Regularibus, & Confraternitatibus licere Processiones facere intra ambitum dumtaxat earundem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiæ, sive exeundo a janua Ecclesiæ, & intrando per aliam, sive per eamdem, & semper prope muros Ecclesiæ, & non extra dictum ambitum, nisi de licentia, consensu, aut Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus; Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus, quibus per hoc decretum minime censeatur derogatum.*

Post multi temporis lapsum, hoc est *die* 3. *Augusti* 1686., in eadem Causa Nepesina S. Congregatio stetit in Decretis, cumque additum fuisset hoc aliud dubium: *An solius Episcopi accedente licentia possint Regulares Processionem facere, quamvis Parochus contradicat, & consentire recusset*, S. Congregatio respondit, *sufficere licentiam Episcopi*, uti plene refertur in tractatu de Sodalitiis recenter edito ab Episcopo Anagnino *quæst.* 10. *num.* 1., & late prosequuntur *Pax Jordan. Elucubrat. Eccles. tom.* 2. *lib.* 7. *tit.* 14. *num.* 63. *versic. ipsi tamen Regulares*, *Ventrigl. in praxi Fori Ecclesiastici annot.* 13. §. *unico num.* 4. *Donat. rerum Regul. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 13. *quæst.* 81., & ad fovendam pacem, & concordiam inter Ordinarium, & Regulares, & ut sarta tecta permaneant jura Ordinariorum, quando agitur de Processionibus, quæ juxta solitum fiunt in aliqua anni solemnitate, & quæ juxta morem per alienas Parochias duci consueverunt, resolutum quidem fuit, quod Regulares debeant petere licentiam, & quod si ea denegetur, recurrant ad S. Congregationem, quæ rescribere consuevit Episcopo, ut licentiam concedat, juxta plures resolutiones collectas *apud Matthæuc. in offic. d. Curiæ Ecclesiasticæ cap.* 40. *n.* 7., *& apud Monacel. in formul. fori Ecclesiastici tit.* 5. *formul.* 7. *n.* 27., & in nonnullis dictarum resolutionum sufficere dicitur licentiam petitam licet non obtentam.

His præmissis, cum Prior, & fratres Augustiniani Conventus S. Nicolai Congregationis Lombardiæ, Oppidi Vitellianæ, Diœcesis Cremonen., Processionem facere vellent per vicos, & plateas Oppidi, & sic per alienas Parochias, Processionem, inquam, quæ dicitur *della Centura*, & quæ singulis annis in Dominica infra Octavam Festivitatis S. Augustini fieri consuevit, & a Parochis licentiam quæsiverint, eademque, sic mandante Episcopo, fuerit ipsis denegata a Parocho S. Martini, & hoc minime obstante processionem fecerint, exorta est controversia, quæ in præsenti proponitur discutienda.

Auditus fuit Episcopus, qui ingenue confessus est fuisse Patribus, se mandante, denegatam a Parocho S. Martini licentiam. Addidit, non posse fieri a Regularibus Processiones extra ambitum, & Claustra sine licentia Ordinarii, & se voluisse, ut Parochus S. Martini licentiam denegaret, ex quo Patres S. Nicolai, qui habent Conventum intra limites Parochiæ S. Martini, & qui semper interfuerant Processioni, quæ infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi fit in eadem Parochia, eidem noluerunt anno præterito intervenire, nec precibus flecti potuerunt, non sine scandalo populi.

Hæc sunt, quæ habentur in informatione Episcopi, cumque Patrum jura circumferantur, quæ potissimum reducuntur ad qualitatem Processionis, & ad licentiam, quam dicunt, sibi nunquam fuisse a Parochis denegatam; quæritur,

An, & quomodo liceat PP. Augustinianis Conventus S. Nicolai Vitellianæ Congregationis Lombardiæ peragere generalem Processionem nuncupat. della Centura singulis annis in Dominica infra Octavam Festivitatis S. Augustini in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Licere, petita licentia a Parocho, vel ab Episcopo, & ad mentem, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXXXII.

In Causa Posnanien si, die 12. *Januarii* 1726.

ABBAS, & Monachi Monasterii Paradisi Ordinis Cistercien is Diœcesis Posnanien is in supplici libello Sanctitati Suæ exhibito, & ad hanc Sac. Congregationem remisso, exposuerunt ad se pertinere Jus patronatus nonnullarum Ecclesiarum Parochialium, quarum nonnullæ sunt Matrices, nonnullæ filiales, & quæ sunt sitæ in nonnullis Locis, seu Villis Diœcesis Posnanien is, hoc est in *Katava*, *Wysiak*, *Sitandzur*, *Wessanova*, *Kocisceu*, *Lotol*, *Kogosieniec*, *Kosminex*, & se usque adhuc ad eas præsentasse Presbyteros Sæculares, qui Sacramenta Parochianis administrarunt. Ulterius in eodem supplici libello exposuerunt non solum in dies decrescere reditus Parochialium propter incuriam Parochorum Sæcularium, & imminere periculum totalis earum deperditionis, sed etiam non leve adesse detrimentum Parochianorum, qui cum fere omnes sint Germani, Idioma Polonum vix intelligunt, & demum exorarunt pro facultate ad eas præsentandi imposterum Monachos sui Monasterii idoneos, & capaces pro administranda Cura Animarum.

Auditus fuit Episcopus, qui retulit exposita in facto subsistere, & se liberum dare assensum pro gratia a Monachis petita, salvo tamen examine idoneitatis præsentatorum a se, & successoribus faciendo, salva pariter institutione eodem modo adimplenda; & cum protestatione, quod memoratæ Ecclesiæ subjectæ remaneant suæ, & suorum Successorum Jurisdictioni.

Antiqua, & celebris Doctorum controversia ortum ducens ab intelligentia *Textus in cap.* 2. ibi: *non singuli per Villas, & Oppida, sive per quascunque Parochiales ponantur Ecclesias, & a cap.* 5. *de statu Monachorum, & a capitulo in Ecclesiis de Cappellis Monach.* an videli-

cet Mo-

cet Monachi jure suo sint capaces obtinendi Ecclesias Parochiales, vel saltem cum sui Abbatis, aut Episcopi dispensatione, *juxta* receptiorem in foro sententiam hodie sublata esse videtur, qua attenta Monachus non potest sine dispensatione admitti ad Curam Animarum *juxta Magistralem dec. 5. de Jure Pat. in antiquis, & juxta decis. 713. & 750. Bellameræ*, quæ etiam dispensatio non per simplicem permissionem, sed per speciale Summi Pontificis Indultum concedenda esse videtur, juxta late deducta *per Eminentissimum Petram ad Constit. Apost. tom. 2. pag. 8. sub n. 28.*

Adsunt etiam antiquæ resolutiones hujus Sacræ Congregationis, quæ interrogata, an Regularis possit præfici Curæ Animarum ab Episcopo sine dispensatione Apostolica, respondit *negative*, nisi instante Episcopo pro necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. Et alias consulta, an Ecclesiæ Parochiali ex necessitate, nempe ob penuriam Sacerdotum Regularis posset pepetuo præfici, respondit, permitti posse, ita ut deducto victu, quod reliquum fuerit redituum, in utilitatem Ecclesiæ, & Pauperum convertatur, & si magis Sanctissimo placuisset, potuisse, quod petebatur, ad tempus concedi quoad scilicet Episcopus providisset de Clerico Sæculari, sed nihil esse concedendum, nisi instante Episcopo pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ.

Resolutiones sunt impressæ *apud Garz. de Benef. part. 7. cap. 10. numer. 32. apud Fagnan. in cap. quod Dei timorem n. 17. de statu Monach. apud Thomas. de Benef. part. 1. lib. 3. cap. 22. sub num. 9. & apud Eminentissimum Petram ad Constit. Apost. tom. 2. pag. 8. n. 28.*

His stantibus, quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Audiatur Nuncius Apostolicus.

QUÆSTIO CCCCLXXXIII.

In Causa Aquinatensi, die 12. Januarii 1726.

CUM duobus, & ultra ab hinc annis Sacerdos Franciscus Carnevale fermonem haberet de rebus domesticis cum Sacerdote Theodoro Carnevale suo ex Fratre Nepote, tales inter ipsos contentiones insurrexerunt, ut Theodorus calce percusserit Franciscum, & statim manus admoverit ad sclopum, qui in cubiculo reperiebatur.

Franciscus timens ne Theodorus sclopum adversus se exploderet, manum ad alium sclopum admovit, cumque eum globulis onustum exposuerit, Theodorus in oculo sinistro vulnus passus est, & licet subinde convaluerit, nec ulla deformitas in eodem supersit, debilitatem nihilominus visus in eo passus est, & quæ etiam durat, nec unquam forte cessabit.

Sacerdos Franciscus ab eo tempore, usque in præsens voluntarie abstinuit a celebratione Missæ, cumque reperiatur constitutus in ætate annorum 77. & absolutionem a censuris, & a criminalitate, prævia remissione, seu pace, obtenta a Theodoro reportaverit, & Sacræ huic Congregationi supplicaverit, vel pro declaratione, quod nullam incurrerit Irregularitatem, vel pro dispensatione, quatenus existimetur, quod factus fuerit irregularis, juxta morem datæ fuerunt litteræ ad Episcopum pro informatione, qui omnia superius exposita, uti veritati innixa confirmavit.

Occidens, aut mutilans membrum efficitur Irregularis juxta *Textum in cap. 1. de Cler. pugn. in duello*, ibi: *dummodo ex ipso duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit subsequuta, & in Clementina unica de homicidio*, ibi: *si furiosus, aut infans, seu dormiens, hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc Irregularitatem incurrit*, ibique *Glossa* subdit, *nota, quod ex homicidio, vel mutilatione incurritur Irregularitas*; & paulo post, *nota, quod mutilare, & occidere æquiparantur, quoad contrahendam Irregularitatem.*

Præscindendo autem a controversia, an privans aliquem visu in oculo, absque eo quod illum eruat, fiat Irregularis, in qua controversia nonnulli negative respondent *Fernand. in exam. Theolog. Moral. part. 2. cap. 10. §. 14. n. 7. Diana in edit. coord. tom. 3. tract. 3. resol. 40. n. 2. Bonacina oper. Moral. tom. 1. de Irregular. disput. 7. quæst. 4. punct. 8. propos. 1. num. 7. Gibal. de Irregular. cap. 4. quæst. 1. sect. 16. §. Oculus pagin. 158.*

Vis major constitui posse videtur in hoc, quod aliud est mutilatio, aliud debilitatio, juxta *Glossam in Clementina unica de homicidio*, ibi, *colligo aliqua notabilia, primo quod mutilatio fit per separationem membri, sed debilitatio est, quando non fit separatio, sed redditur corpus debile*, & quod a mutilatione ad debilitationem non valet in casu præsenti argumentum, uti post *Abbatem, Felinum, & Navarrum* bene firmat *Suarez de Censuris disput. 44. sect. 2. num. 5.* ibi, *cum Jura duo exprimant, scilicet homicidium, & mutilationem, & tertium taceant, scilicet debilitationem membri, argumentum est illud non comprehendere*, & facit *Textus in can. sicut urgeri 1. quæst. 1.* ibi, *ut si cujus manus esset arida, verum quidem esset membrum*. Et bene prosequuntur *Salmant. in cursu Theolog. Moral. tom. 2. tract. 10. de cens. cap. 8. punct. 2. num. 25.*

His stantibus, quæritur,

I. An Sacerdos Franciscus incurrerit Irregularitatem in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An eidem sit concedenda dispensatio in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Pro dispensatione ad cautelam.

QUÆSTIO CCCCLXXXIV.

In Causa Hispalensi Archidiaconatus, die 26. Januarii 1726.

ANNO 1712. cum Clericus Didacus Nicolaus de Villanicenzo Civitatis de Xerez Diœcesis Hispalensis de nocte a nonnullis amicis associatus maneret in publica via subtus feneitras quarundam nobilium, & honestarum Mulierum, cum eisdem honeste colloquens, & earum Patruus advenisset, hicque ira accensus nedum contumeliosa verba adversus prædictos protulisset, sed etiam parvum sclopum adversus eosdem explosisset, licet inutiliter, alter ex sociis alium ictum pari sclopo adversus aggressorem subito emisit, illumque sauciavit, idemque malo fato vitam cum morte commutavit.

Exposita hac facti serie, Didacus Nicolaus huic Sacræ Congregationi supplicavit pro declaratione, nullam a se fuisse incursam Irregularitatem, cumque Sacra hæc Congregatio a litteris Ordinarii, quem requisiverat pro informatione, & voto deprehendisset, Oratorem nec verbo, nec consilio, nec consensu, nec aliquo quovis modo cooperatum fuisse prædicto homicidio, die 13. Julii 1720. respondit, nullam ab ipso irregularitatem incursam fuisse.

Anno 1723. contigit vacatio Archidiaconatus de Xerez, quæ dignitas non tamen principalis est in Metropolitana Hispalensi, cumque Didacus fuisset de eodem provisus a san. mem. Innocentio XIII. & subinde nomine Promotoris Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis, & cujusdam Ferdinandi de Medina exhibitus huic Sac. Congregationi libellus, in quo asserebatur, non fuisse sinceram facti seriem eidem Sac. Congregationi expositam, quando petita fuit, & a Didaco obtenta declaratio non incurfæ Irregularitatis, cum ex processu constaret, quod idem fuerat particeps supra recensiti homicidii, habito de hoc negotio sermone in Congregatione habita die 30. Septembris 1724. responsum fuit, quod justificarentur expositæ, & quod deinde Sacra Congregatio provideret.

Cohærenter ad hæc, Didacus, ne collatio Archidiaconatus sibi facta suo fructretur effectu, instat pro declaratione, vel quod exceptio prætensæ Irregularitatis non obstet executioni litterarum Apostolicarum, vel quod sit relaxanda supplicatio novæ provisionis, uti deprehenditur ex tenore dubiorum infra exponendorum.

Admittit Orator, prolatam fuisse a Judice laico contumacialem sententiam, in qua tam ipse, quam Franciscus Ponce de Leon ad pœnam capitis damnati fuerunt, & quidam Augustinus Spinula ad gravem pœnam pecuniariam, & præfidiariam relegationem damnatus est titulo supra recensiti homicidii, sed contendit, se nec esse irregularem propter homicidium, neque propter prætensam diffamationem a memorata sententia, aut aliis quibusdam causis resultantem.

Et in eo quidem, quod attinet ad primum caput, hoc est Irregularitatis ratione homicidii, Didacus reassumit ea omnia, quæ fuerunt in supra recensita informatione Ordinarii exposita, affert ejusdem Ordinarii testimoniales ad Eminentissimum Prodatarium transmissas anno 1721. quibus inquit, eum nec suspensum, nec excommunicatum, nec interdictum, nec irregularem esse, proprium exhibet juramentum a se emissum coram Executore litterarum Apostolicarum super provisione Archidiaconatus,

tus, & in quo solemniter declaravit, ictum a se explosum non fuisse, nec se unquam animum habuisse occidendi, & homicidium absque ulla præmeditatione secutum fuisse. Addit depositionem Notarii adhibiti in compilatione Processus criminalis, in qua ait, non constare ex Processu, quinam ex tribus reis supra indicatis ictum exploserit, & præter alia in ejus Summario perlegenda, producit actum exculpationis sui favore factum a Fratre occisi expressa causa, quod erat plene informatus de Didaci innocentia.

In eoque, quod spectat ad prætensam diffamationem a sententia, aut aliis quibuslibet causis resultantem, dicit, non esse de his ullam habendam rationem, cum enim ipse esset Clericus, & sententia fuerit a Judice laico prolata, omnes sciunt, eam nullitatis vitio laborare, nec ex ea unquam derivare posse diffamationem pro Irregularitate sufficientem.

Scribens pro Didaco pro hoc assumpto comprobando transcribit sequentia verba *Fagnani in cap. vestra num. 139. de cohabit. Cleric. & Mulier. Presbyter Sarsinatensis in contumaciam a Judice laico condemnatus, uti particeps cujusdam homicidii, cujus vere ipse innocens erat, obtinuit a Congregatione Concilii declarationem, ex hac sententia nullam se infamiæ notam, aut Irregularitatem contraxisse. Sed quoniam Ordinarius sub prætextu, quod in sua Diœcesi esset publica vox, & fama, ipsum fuisse complicem dicti delicti, illum non admisit ad celebrandum, petiit declarari se non esse Irregularem, etiam ex prætensa fama, quæ si modo extat, certe duxit originem vel a dicta sententia, vel a fratribus eorum, qui ob dictum homicidium fuere ad triremes transmissi. Die 25. Maii 1613. Congregatio censuit, Oratorem nullam hac de causa Irregularitatem contraxisse, ideoque significandum Episcopo, ut illum, nisi aliud obstiterit, ad ministrandum admittat in susceptis ordinibus.*

In causa, in qua dicta resolutio emanavit, scripsit celebris Jurisconsultus Hippolytus Merenda, uti habetur *lib. 23. posit. fol. 406.* & admisit, durare diffamationem ex delicto per sententiam declarato descendentem, etiamsi sententia sit injusta, & sine sufficientibus probationibus lata, & condemnatum remanere Irregularem, quoadusque dicta sententia revocetur.

Rursus in prædicta Causa, in qua allegata resolutio emanavit, nec ex actis, nec aliunde docebatur, Sacerdotem fuisse participem homicidii, & sententia condemnatoria contra eum lata fuerat a Judice laico, scilicet a Quarantia criminali Venetiarum, uti habetur ex ejus copia a Nuntio transmissa, & inserta *in lib. citato 23. fol. 391.* & uti lata a Judice omnino incompetenti jam fuerat declarata nulla, & invalida, uti præsupponitur in precibus, super quibus editum fuit prædictum decretum, quemadmodum etiam adnotavit bon. mem. Altovitus olim Secretarius hujus Sac. Congregat. in suo suffragio exarato in *quadam Causa Eugubina Irregularitatis proposita die prima Septemb. 1685.*

Hæc innuisse pro allegatæ resolutionis intelligentia necessarium existimavi. Quid autem a Ferdinando opponatur, ignoro, cum ejus jura ad me non fuerint delata, quocirca quæritur,

I. An exceptio prætensa Irregularitatis obstet executioni litterarum, & quatenus affirmative.

II. An sit relaxanda supplicatio novæ provisionis in casu &c.

Sacra Congr. die 30. Martii 1726. respondit,
Dandam esse novam provisionem ad cautelam, & amplius.

QUÆSTIO CCCCLXXXV.

In Causa Casalensi, die 26. Januarii 1726.

IN Civitate Tridini Diœcesis Casalensis extant nonnullæ Tertiariæ Ordinis S. Dominici in Domo, seu Conservatorio collegialiter viventes. Degunt sub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum, & ab eis habitum recipiunt, & in eorum manibus professionem emittunt. Clausuram non servant, nec controvertitur, quin a Parocho recipere debeant Viaticum, & extremam Unctionem, licet Confessionem expleant coram Confessario a Superiore Patrum, & ab Episcopo approbato pro audiendis Confessionibus sæcularium, exortaque inter Episcopum, & Patres Dominicanos controversia super jure visitandi prædictum Conservatorium, disputandum in præsenti proponitur dubium ad calcem restrictius referendum.

Summus Pontifex Leo Decimus *in sua Constitutione 22. Bull. tom. 1.* decrevit, quod Tertiariæ virginalem, aut cœlibem vitam simpliciter viventes, etiam in Consanguineorum, & Affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes gaudere, & frui debeant omnibus Privilegiis Ordinis, & quod similiter eisdem privilegiis fruantur illæ, quæ collegialiter vivunt, & cum habitu regulari virginalem, seu cœlibem, aut castam vitam profitentur.

At S. Pius V. *in sua Constitutione 8. Bull. tom. 2.* præscripsit, ut omnes Tertiariæ cujuscumque Ordinis emitterent solemnem professionem, & ad Clausuram adigerentur, & interdixit earum receptionem, nisi prædicta servarent.

Juxta resolutiones hujus Sac. Congregationis hæc Piana Constitutio comprehendit Tertiarias collegialiter viventes, & non extenditur ad alias in domibus propriis habitantes, uti videri potest *apud Fagnan. in cap. nullus num. 66. & duobus seqq. de Foro competenti*, ita ut quoad Tertiarias collegialiter viventes semper sensus fuerit, ut quoad eas servetur Piana Constitutio, & quod earum Conservatoria non approbentur, sed tolerentur, & quod tolerata sub jurisdictione permaneant Ordinarii, uti habetur *apud Matthæucc. in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ c. 52. num. 3. & seqq. & apud Eminentiss. Petram ad Constit. Apost. tom. 4. pag. 475. num. 19. & seqq.*

Et cohærenter ad hæc, excitata Controversia inter Episcopum Lunen. Sarzanen. & Tertiarias Ordinis S. Francisci collegialiter viventes, & sub cura dictorum Patrum, Sac. hæc Congregatio *die 30. Januarii 1723.* respondit *Conservatorium esse subjectum omnimodæ Jurisdictioni Episcopi, citra tamen approbationem S. Congregationis, quoad dictum Conservatorium.*

Post hæc jam scripta, transmissa fuit informatio Patrum Dominicanorum, quæ est tota in sustinenda exemptione in sequelam citatæ Bullæ Leoninæ, cui a Bulla Piana contendit non fuisse ullo modo derogatum. Additur, Tertiarias ad tramites Bullæ Pianæ non posse esse subjectas Ordinariis, nisi in casu, in quo interpellatæ noluerint Clausuram servare, & tria vota substantialia emittere, & demum concluditur, antiquas esse hasce Tertiarias Dominicanas in loco Tridini, uti desumitur ex vita B. Magdalenæ de Tridino in Diario Dominicano ad diem 13. Octobris, quæ Beata mortua est anno 1503. nec eas unquam fuisse ab Ordinariis visitatas.

Ex Juribus itaque circumferendis quæritur,

An Puellæ Conservatorii Civitatis Tridini nuncupatæ Terzinæ, sive Tertii Ordinis S. Dominici subjaceant jurisdictioni Episcopi, vel Patrum Dominicanorum Conventus S. Catharinæ dictæ Civitatis in casu &c.

Non Proposita.

QUÆSTIO CCCCLXXXVI.

In Causa Pratensi, die 26. Januarii 1726.

PATER Laurentius Organi Sacerdos Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii anno 1684. duo Legata reliquit Capitulo Pratensi cum onere implicandi annuum reditum eorumdem in Beneficium duorum ex descendentibus ab Andrea Organo fratre suo, quibus deficientibus, alias familias substituit.

Onus primi Legati fuit pro manutentione Magistri Grammaticæ, & Humanitatis, qui puerum doceret ex descendentia Andreæ ab anno sexto usque ad annum decimumquintum, & onus secundi Legati fuit pro manutentione alterius pueri ex dicta descendentia ab anno duodecimo ad annum decimumquintum in Seminario Romano, dictorumque Puerorum electionem Testator reservavit Capitulo, & Seniori ex familia dicti Andreæ, & quia memoratus Testator voluit, quod pro dictis duobus Legatis erogarentur annua scuta 230. addidit, quod id, quod superesset investiretur, & quod secuto investimenti augmento ad annua scuta 40. aleretur Clericus Pratensis in Seminario Prati, aut in Collegio S. Salvatoris Florentiæ.

Ex Familia Andreæ duo supererant, alter qui non habebat liberos, & alter, qui nomine Franciscus liberos habebat, cumque alter ex ejus filiis frueretur primo Legato, & alter secundo frui non posset, ex quo per ætatem ei non licebat ingredi Seminarium, ita ut ad tramites Testamenti fieri deberet investimentum, supplices preces a Francisco san. mem. Innocentio XIII. exhibitæ fuerunt pro applicatione hujus secundi Legati favore suæ familiæ indigentis, suspenso interim investimento a

Testa-

Teſtatore demandato, uſque quo filius illeſuus, qui non erat capax ingrediendi Seminarium, qui erat in ætate annorum ſeptem, capax evaderet, & Seminarium ingrederetur.

Facta fuit harum precum remiſſio ad hanc S. Congregationem, quæ ſcripſit Nuncio Apoſtolico Florentino pro informatione, & Voto: cumque eadem ſupervenifſet, & mortuo hoc interim Franciſco, Maria Camilla ejus Uxor inſtantiam proſecuta fuiſſet, Sac. hæc Congregatio die 26. *Junii* 1723. reſcripſit ſi Sanctitati Suæ placuiſſet, poſſe per litteras Apoſtolicas in forma Brevis committi Nuntio Apoſtolico Florentino, ut veris exiſtentibus narratis, & prævia ſuſpenſione multiplici, reditus ſupradicti Legati per quinquennium favore Filiorum Oratricis aſſignarentur, & reſpective applicarentur, & cohærenter ad hæc deventum fuit ad Brevis expeditionem.

In Brevi, quod legi poteſt in Summario Camillæ, exponitur diſpoſitio Patris Laurentii una cum petitione Oratricis favore filiorum; exponitur obitus Mariti, & Patris reſpective, necnon obitus Alexandri Epiſcopi S. Severini, qui uti Patruus, & poſſeſſor Primogenituræ familiæ Calvæ ſubminiſtraſſe dicebatur nonnulla pro domus ſubſtentatione, exponitur ex univerſis bonis familiam non habere in reditu annuo, niſi quadringenta quinquaginta, vel circiter ſcuta, exponitur denique conſimilem gratiam fuiſſe conceſſam memorato Alexandro Epiſcopo a ſan. mem. Innocentio XII., & demum committitur Nuntio Florentino, ut veris exiſtentibus narratis, prævia ſuſpenſione multiplici, applicet favore filiorum Oratricis reditus Legati per quinquennium.

Super hujus Brevis executione exortæ ſunt controverſiæ coram Nuntio Florentino inter Camillam, & Capitulum Pratenſe, eædemque delatæ ſunt ad hanc Sac. Congregationem, & quamvis plura pro aſſerta Brevis ſubreptione afferantur in ſcriptura Capituli, majus tamen pondus in hoc conſiſtere videtur, quod inter expeditionem, & executionem Brevis ſecutus eſt obitus Philippi Organi Patrui, & purificata eſt ſubſtitutio cujuſdam majoratus favore filiorum Oratricis, cujus Majoratus reditus aſcendere dicuntur ad annua ſcuta 500., quæ unita cum aliis 450. paupertatem excludunt, quæ fuit fundamentum gratiæ Papalis.

Adverſus hæc a Camilla reponitur, reditus hæreditatis Patrui devolutæ ad Robertum filium natu minorem non poſſe pro ejus manutentione applicari, cum ipſe ſit conſtitutus in ætate annorum novem, & Teſtator perceptionem prohibeat, niſi poſtquam expleverit annum vigeſimum. Addit, reditus Primogenituræ purificatæ favore alterius ſui filii, hoc eſt Andreæ, non excedere ſcuta 300. annua, & bona eſſe in tali ſtatu, ut melioramentis indigeant in ſumma ſcutorum 1532. & tandem concludit, quod cum reditus, qui habebantur ante Brevis expeditionem, non excederent ſummam ſcutorum 250., ſi Papa in Brevi ſupposuit, eos eſſe in annuis ſcutis 430. circiter, & hoc minime obſtante gratiam conceſſit, a cæteris omnibus præſcindendo, intermedium augmentum ſecutum annui reditus ſcutorum 300., aptum eſſe non poteſt pro ſuſpenſione executionis Brevis, ex quo cumulatis omnibus reditibus, illi nunquam excedunt annuam ſummam ſcutorum 550.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An Breve Apoſtolicum ſit exequendum in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Pro executione gratiæ in medietate.

QUÆSTIO CCCCLXXXVII.

In Cauſa Sancti Marci, die 26. Januarii 1726.

PAROCHUS, ſive Archipresbyter Terræ Adamantis inter cætera incerta emolumenta ſuæ parochiæ ceram habet ſuperextantem poſt funus completum, quæ conſiſtere dicitur in quatuor circiter libris: cumque Epiſcopus anno 1719. Decretum ediderit, ut ex eiſdem quatuor libris deducta quarta ſibi de jure debita, reliquæ libræ 3. dividerentur inter Clerum, & Archipresbyterum, qui tamen duplicem partem retinere poſſet, exorta eſt controverſia ſuper eo, quod attinet ad quartam ab Epiſcopo prætenſam, tum quia de jure Quarta funeralis debetur Parocho, & non Epiſcopo, tum quia hic non agitur de Quarta funerali, cum verſemur in terminis Parochianorum, qui in ſua Parochia ſepeliuntur, & tandem, quia ſi ab hærede defuncti Epiſcopus percipit quandam ſummam pecuniariam, nec ab ejus anteceſſoribus portio ceræ unquam prætenſa, aut recepta fuit, uti deſumitur ex nonnullis teſtibus, ſatis hæc eſſe dicuntur pro infirmando Decreto Epiſcopali.

Epiſcopus in ſua informatione alias tranſmiſſa aſſeruit, immemorabilem obſervantiam militare pro tota ſua Diœceſi, quocirca ex juribus circumferendis quæritur,

An Epiſcopo ultra id, quod ipſe recipit in pecunia numerata ab hæredibus defunctorum pro funere cujuslibet Defuncti, debeatur etiam Quarta ex quatuor libris ceræ, quæ ſuperſunt poſt abſolutum funus in caſu &c.

Sacra Congr. die 9. Februarii 1726. reſpondit,

Negative.

QUÆSTIO CCCCLXXXVIII.

In Cauſa Camerinenſi, die 26. Januarii 1726.

PLURES ſunt in Diœceſi Camerinenſi Parochiales Eccleſiæ, quæ fuerunt erectæ in Collegiatas cum onere tamen Capitulis, & Canonicis per ſe, vel per ſubſtitutum ab Ordinario approbandum exercendi Curam Animarum.

A Capitulis facta fuit prædictis ſubſtitutis modica ſtipendii aſſignatio, licet ſubſtituti exerceant Curam Animarum, plebem inſtruant in Fidei rudimentis, infirmos viſitent, morientibus aſſiſtant, & celebrent Miſſam pro populo ſingulis diebus Feſtivis.

Occaſione Viſitationis nuper ab Epiſcopo factæ, cum ipſe animadvertiſſet, non expleri in dictis Parochialibus præceptum Dominicis, & Feſtis de præcepto habendi ſermonem ad Populum, & ipſum docendi ea, quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, & prædictos ſubſtitutos ab hoc ulteriori onere exemptionem prætendentes deprehendiſſet, operæ pretium eſſe cenſuit demandare, ut onus prædictum a Canonicis, cum penes eos ſit cura habitualis, alternatim adimpleatur.

Adverſus hanc Epiſcopi Ordinationem habitus fuit ad hanc Sacram Congregationem recurſus a Laurentio Pifaro Canonico Collegiatæ Eccleſiæ Matelicæ, ſub obtentu, quod cum ipſe ſit conſtitutus in ætate annorum 64. & debilitatem viſus patiatur, haberi idcirco debeat pro excuſato, ſi præceptum Epiſcopi non adimpleat.

Datæ fuerunt litteræ ad Epiſcopum, qui ſuperius expoſita confirmavit, & ſe ſtatuiſſe ait, quod ſtatuit, ut diſpoſitionem Sacri Concilii Romani anno præterito habiti executioni mandaret, & in eo, quod attinet ad Canonicos inhabiles, in quorum numero admittit, Oratorem eſſe recenſendum, ſubdit, in Domino expedire, quod hæc Sacra Congregatio jubeat, ut oneri ſuppleant per alios habiles, impoſita favore habilium ſubſtituendorum mulcta ab inhabilibus perſolvenda ad inſtar punctaturæ, quæ perſolvitur ab eiſdem, quando abſunt a Choro.

Quidquid ſit de celebri controverſia, an Parochi teneantur formiter prædicare *ad intelligentiam ſeſſ. 24. cap. 4. & ſeſſ. 5. cap. 2. de Reform.* uti plene videri poteſt *apud Fagnan. in cap. inter cætera num. 33. de Officio Ordinarii*, hoc unum certum eſt, quod omnes, qui Parochiales Eccleſias quocunque modo obtinent, debent diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcere ſalutaribus verbis denunciando vitia, quæ declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, uti habetur in Conſtitutione ſan. mem. Innocentii XIII. ſuper Eccleſiaſtica diſciplina Regnorum Hiſpaniarum, quæ a Sanctiſſimo Domino Noſtro fuit confirmata, & eſt impreſſa in Ordine *la 16. in appendice poſt Concilium Romanum*, & uti etiam in eodem Concilio Romano ſtatuitur *tit. 1. cap. 4.*

Suppoſito onere prædicto, videndum remanet, an illud ſit adimplendum a Subſtitutis exercentibus Curam Animarum, vel a Canonicis alternatim juxta præſcripta ab Epiſcopo. Quando Cura Animarum eſt in Collegiata Eccleſia, regula eſſe videtur, quod ſi illa incumbit certæ perſonæ, per illam exerceatur, & ſi imminet toti Capitulo, exerceatur a ſingulis per vices, *Barboſa ad cap. 7. num. 29. Seſſ. 7. de Reform.* Alii diſtinguunt, an Cura Animarum translata ſit in Vicarium, ſeu ſubſtitutum privative, vel non privative ad ipſum Collegium, ſive Capitulum, & in hypotheſi, in qua diſertis verbis non fuerit translata Cura in ſubſtitutum privative quoad Capitulum, ſeu Collegium, docent, eam tunc cumulative ad utramque pertinere, uti habetur *apud Monacell. in formulario legali tom. 4. pag. 55. num. 179.* Alii volunt, Collegium non liberari ab onere Curæ, ſi Vicarius ſit temporalis, ſecus autem ſi ſit perpetuus, *Piaſec. in praxi Epiſcopali par. 2. cap. 3. articulo 2. num. 20.* & quia hoc exercitium Curæ Animarum per turnum, & per vices nonnulla pati videtur inconvenientia, Sac. hæc Congregatio ſæpe reſpondit, Ordinarium poſſe Curam Animarum transferre in certam perſonam per viam Vicariæ perpetuæ, uti ſignanter videri poteſt *in Compſana prima Julii 1647. lib. 18. decret. pag. 344.* aſſignata tamen Vicario perpetuo congrua *ad tramites Bullæ 47. S. Pii Quinti Bullar. tom. 2.*

His ſtantibus, quæritur,

An, & quomodo præceptum Epiſcopi Camerinen. ſit executioni mandandum in caſu &c.

Sacra Congr. die 9. Februarii 1726. reſpondit,

Dilata, & pro nova Informatione juxta inſtructionem, firmo interim remanente Epiſcopi Decreto, & conceſſa Laurentio Pifaro exceptione a munere prædicandi.

QUÆSTIO CCCCLXXXIX.

In Cauſa Cathacenſi, die 26. Januarii 1726.

QUÆRIT Epiſcopus Cathacen. an Fidei Profeſſio ſit emittenda tam a Canonicis Cathedralis, quam Collegiatarum, an eadem fieri poſſit per Procuratorem, quomodo eadem ſit explenda, an coram Canonicis capitulariter congregatis, & deinde coram Epiſcopo, quibus denique pœnis ſubjaceant, qui eam, vel non emiſerunt, vel debito modo non emittunt.

Sacrum Concilium Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 2. de Reform.* decrevit, ut proviſi de Canonicatibus, & Diaconatibus facere teneantur Fidei profeſſionem, ad minus intra duos menſes a die adeptæ poſſeſſionis, & forma Fidei Profeſſionis ab his emittenda ſtatuta fuit a Summo Pontifice Pio Quarto *in ſua Bulla 89. Bullar. tom. 2.*

Quia vero Concilium loquitur de proviſis *in Eccleſiis Cathedralibus*, Sacra hæc Congregatio ſæpe reſpondit, non teneri ad emittendam Fidei Profeſſionem proviſos de Canonicatibus, & Dignitatibus in Collegiatis Eccleſiis, uti reſolutum fuit *in Avenionen. anni 1585. lib. 4. decr. pag. 128. a tergo, & pag. 185. a tergo, & 186.* ibi: *quæritur, An Proviſi in Eccleſiis Collegiatis de Dignitatibus vel Canonicatibus teneantur Fidei Profeſſionem facere, neque enim cap. 12. ſeſſ. 24. aut Conſtitutione Pii Papæ Quarti videntur adſtricti. Sacra &c. reſpondit, proviſos de Canonicatibus, & Dignitatibus in Collegiatis Eccleſiis non teneri ex Concilio ſeſſ. 24. cap. 12. neque ex Bulla Pii Quarti emittere Profeſſionem Fidei, quia Concilium loquitur in Cathedralibus.*

Quoad punctum, an eadem emitti poſſit per Procuratorem, nonnulli affirmative reſpondent *Navar. lib. 2. conſil. 11. de Jurejuran. nu. 2. Sanchez in præcepta decalogi tom. 1. lib. 2. cap. 5. num. 7. Barboſa juris Eccleſ. univerſ. lib. 1. cap. 21. num. 56. Anaclet. ad titulum decretal. de jurejuran. num. 182.* cum aliis, quos cumulat, & ſequitur *modernus Borkn in juriſprudentia univerſ. lib. 1. tit. 1. part. 1. quæſt. 2. per totam*; alii negative reſpondent, & huic opinioni adhæſit Sac. hæc Congregatio, & etiam Rotæ Tribunal juxta reſolutiones, & deciſiones impreſſas *apud Garziam de Benef. par. 3. cap. 3. num. 51. & n. 75. & ſeqq.* & præter reſolutiones a Garzia allegatas, alia reperitur in regeſtis S. Congregationis *in Valentina 1610. lib. 11. decret. pag. 91.* ibi: *Congregatio Concilii &c. cenſuit Profeſſionem Fidei per Procuratorem emitti nullo pacto potuiſſe, nec emiſſam ſuffragari:* & juxta praxim illi, qui intra tempus ſtatutum non poſſunt accedere ad reſidentiam, & habent indultum abſendi, ſupplicant huic Sac. Congregationi pro facultate emittendi profeſſionem, ſi ſunt in Urbe, in manibus Eminentiſſimi Urbis Vicarii, & Sacra Congregatio indulgere conſuevit cum clauſula tamen, ut poſtquam ad reſidentiam acceſſerint, eam perſonaliter repetant ad tramites S. Concilii Tridentini.

Tranſeundo ad modum emittendæ dictæ Profeſſionis, diſputatum fuit *die 7. Auguſti 1683.* ſequens dubium, *an Profeſſio Fidei per proviſos de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus emittenda in Capitulo ex diſpenſatione S. Concilii Tridentini cap. 12. ſeſſ. 24. de Reform. emitti debeat coram omnibus Canonicis in Capitulo congregatis, vel ſatis ſit, ut emittatur coram prima Dignitate, aut Decano, vel uno ex Canonicis antiquioribus tantum*, & huic dubio reſcriptum fuit *eam eſſe emittendam cor. Canonicis capitulariter congregatis*, & juxta litteram Concilii *cit. ſeſſ. 24. cap. 12.* proviſi tenentur emittere Profeſſionem non ſolum in Capitulo, ſed etiam coram Epiſcopo, ſive ejus Vicario Generali, & juxta praxim, ſi fiat coram Vicario, etiam Epiſcopo non impedito, aut in Capitulo, in quo ſit præſens Epiſcopus, vel Vicarius, ſatisfactum dici debet obligationi Fidei Profeſſionem emittendi, uti plene habetur apud *Monacell. in formul. par. 1. pag. 54. num. 7.* & concordat reſolutio hujus Sacræ Congregationis *in Sarzanen. Profeſſionis Fidei 14. Januarii 1679. lib. 30. decret. pag. 244.* ad primum ibi: *Primo, an quoad emiſſionem Profeſſionis Fidei modo, uti ſupra ſecutam:* ſcilicet in Capitulo, in quo præſens erat Vicarius qui erat etiam Canonicus, & ſedebat in ſtallo Canonicali, non autem Vicarii, *ſatisfactum fuerit diſpoſitioni Concilii cap. 12. ſeſſ. 24. de reſor. Sacra &c. ad primum reſpondit affirmative.*

Demum in eo, quod attinet ad pœnas, quoad eos, qui non emittunt, vel debito modo non emittunt Fidei Profeſſionem, cum Concilium loquatur de fructibus, ibi: *fructus non faciant ſuos*: ſub hac cenſura non comprehenduntur diſtributiones, uti habetur *lib. 1. decret. pag. 65. a tergo*, ubi propoſito hoc dubio reſponſum fuit, *diſtributiones quotidianas non comprehendi in hoc caſu verbis Concil. dicto cap. 12. ſeſſ. 24. de reform.* & concordat alia reſolutio *in Nullius 1595. lib. 8. decret. pag. 124.* ibi: *Congregatio Concil. cenſuit, illa verba Concilii, quæ habentur in cap. 12. §. Proviſi ſeſſ. 24. ejuſdem Concil. ut poſſeſ. eis non ſuffragetur, intelligenda eſſe quoad fructus faciendos ſuos: Ideoque omiſſionem Profeſſionis Fidei non privare Canonicum ſupranarratis poſſeſſionis effectibus, ſed ipſum, & vocem in Capitulo, & Jus præcedendi a die adeptæ poſſeſſionis habere, niſi aliud obſtet, quamvis Profeſſionem Fidei non emiſerit.*

I. An profeſſio Fidei ſit emittenda tam a Canonicis Cathedralis, quam Collegiatarum.

II. An eadem emitti poſſit per Procuratorem.

III. An ſit emittenda coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, & deinde coram Canonicis capitulariter congregatis.

IV. Quibus pœnis ſubjaceant non emittentes, vel debito modo non emittentes Profeſſionem Fidei.

Sacra Congr. die 9. Februarii 1726. reſpondit,

Ad Primum, eſſe emittendam a Canonicis Cathedralis, & non Collegiatarum. Ad ſecundum negative. Ad tertium, emittendam eſſe coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, & etiam coram Canonicis Capitulariter congregatis, ſufficere tamen ſi emittatur coram Capitulo, cui Epiſcopus, vel Vicarius Generalis interſit. Ad quartum, non facere fructus ſuos, ſed diſtributiones lucrari pro horis, quibus interſunt.

QUÆSTIO CCCCXC.

In Cauſa Lancianenſi, die 9. Februarii 1726.

ARCHIEPISCOPUS Lancianen. per ſuas litteras, tam Eminentiſſimo Præfecto, quam mihi Secretario conſcriptas, expoſuit, ſe quærere oraculum hujus Sac. Congregationis ſuper nonnullis dubiis, quæ ipſi occurrunt occaſione executionis litterarum Apoſtolicarum ſuper reſignationibus Beneficiorum, ad quorum titulum renunciantes fuerunt ordinati.

Dubia autem ab eodem Archiepiſcopo propoſita conſiſtunt in ſequentibus punctis, an Ordinatus ad titulum Beneficii teneatur in illius reſignatione individualiter exprimere, ſe fuiſſe ad titulum ejuſdem ordinatum, an dicta individua expreſſio, quatenus requiratur, ſuppleatur per aſſertionem *forſan Ordinatus*, an contare debeat per probationes concludentes, reſignantem habere, unde commode vivere poſſit, an hæc probatio cenſeatur adimpleta per ſolam confeſſionem reſignantis, & an reſignans teneatur poſt ſecutam reſignationem aliud Beneficium poſſeſſum, vel alia bona ſubrogare.

Sac. Conc. Trident. *ſeſſ. 21. cap. 2. de Reform.* loquens de Beneficio, ad cujus titulum aliquis eſt ordinatus, hæc habet, *id vero Beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum ſit promotus, neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commode poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit*, & S. Pius V. in ſua *Conſtitut. 58. Bull. tom. 2.* in qua enumeravit reſignationes, quæ admitti poſſunt per Epiſcopos, & alios Collatores, §. 3. inquit, *Sed nec horum ullus Sacro Ordini mancipatus, niſi Religionem ingreſſurus, valeat ullo modo Beneficium, vel Officium Eccleſiaſticum reſignare, niſi aliunde ei ſit, quo in vita poſſit commode ſuſtentari.*

In eo quod attinet ad Textum Concilii Tridentini, quærunt Doctores, an individua expreſſio, quod reſignans fuerit ad ejus titulum ordinatus, ſit neceſſaria, vel ſufficiat expreſſio per æquipollens, & communior, & vera opinio eſſe videtur, quod individua expreſſio ſit neceſſaria, *Garzias de Benefic. 2. par. cap. 5. num. 192. Gonzal. ad reg. 8. Cancellariæ gloſ. 5. §. 10. nu. 35. Adden. ad Ludoviſ. deciſ. 441. nu. 9. Barboſ. ad cap. 2. ſeſſ. 21. de reform. num. 23.*

Et quod caput est, Sac. hæc Congregatio alias respondit, individuam mentionem esse necessariam, & non sufficere per æquipollens, & huic sententiæ in obsequium hujus Sac. Congregationis etiam adhæsit *Rota decis.* 246. *n.* 12. *&* 13. *coram Mellino, & decis.* 85. *n.* 15. *& seqq. par.* 10. *recent.*

Et in eo quod spectat ad Bullam S. Pii V. licet eadem loquatur de resignationibus factis coram Ordinario, dicunt Doctores, quod extenditur etiam ad eas, quæ fiunt in Curia. *Paris. de resignat. lib.* 5. *quæst. ultima n.* 176. *Ricc. resolut. par.* 1. *resol.* 282. *in fin. Barbos. ad cap.* 1. *sess.* 21. *de refor. n.* 24. excitataque controversia, an pro validitate resignationis Beneficii ad cujus titulum aliquis fuit ordinatus, post Bullam Pianam sufficiat clausula, *dummodo aliunde vivere possit*, ita ut non sit amplius necessaria expressio, quod ad ejus titulum resignans fuerit ordinatus, licet *Spada consilio* 82. *num.* 2. *&* 3. *tom.* 2. senserit, supra dictam clausulam solam satis esse, communis tamen opinio videtur esse contraria, juxta late firmata apud *Rosam de execut. litter. Apost. cap.* 14. *n.* 4. *& seq.* ita ut pro regula habeatur, duo esse in hisce Resignationibus exprimenda, hoc est, quod resignans fuerit ad titulum Beneficii ordinatus, & quod habeat aliunde, quo vivere possit. *Gratian. discept.* 991. *Ricc. par.* 1. *resol.* 282. *sive* 283. *num.* 1. *&* 2. *Tondut. quæst. benef. par.* 2. *cap.* 1. §. 11. *n.* 41. *&* 42. *de Marinis resolut. juris lib.* 1. *cap.* 37. *n.* 1.

Supposito, quod resignans debeat exprimere, & habere, quo aliunde commode vivere possit, clara videtur littera Concilii Tridentini in ordine ad necessitatem probationis concludentis super prædicta circumstantia; Concilium etenim vult, quod constet, ibi: *nisi constito, quod aliunde commode vivere possit*; & non potest dici, constare de aliqua re, si eadem non sit probata per concludentes probationes, idque operatur, ut confessio ipsius resignantis etiam jurata non sufficiat, ut in his præcisis terminis firmavit *Rota decis.* 348. *n.* 7. *& seqq. par.* 19. *recent.*

Ultimus remanet punctus circa subrogationem alterius beneficii, vel aliorum bonorum loco Beneficii resignati, nec hujus puncti sensus disputabilis alius esse posse videtur, quam hic, qui sequitur, an scilicet declaratoria requiratur super subrogatione, ad hoc ut super Beneficio de novo obtento, vel super bonis, quibus resignans imposterum vivere debet, impositum censeatur onus, quod erat super primo beneficio, quod ex dispositione Concilii Tridentini resignari non poterat, nisi facta mentione ordinationis ad ejus titulum receptæ, & commoditatis aliunde vivendi, uti supra dictum est, ad evitandas etiam fraudes, quæ sine prædicta cautela contingere possunt.

Sacrum Concilium Tridentinum de memorata cautela non loquitur, nec de eadem pariter loquitur, quando paulo post decernit, non posse ordinatum ad titulum Patrimonii, vel pensionis renunciare, vel extinguere sine licentia Episcopi, & nisi Beneficium adeptus sit, vel alia bona, quibus commode vivere possit: ibi, *atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel vexatis vullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint.*

In terminis hujus postremi casus, cum sæpe Parentes Patrimonia filiis constituant cum clausula donec, & quousque fuerint de aliquo Beneficio Ecclesiastico provisi, vel aliunde habeant quo commode vivere possint, disputatum fuit in hac Sac. Congregatione *die* 13. *Julii* 1687. sequens dubium, *an bonis ad commodam substentationem postea quæsitis, vel Beneficio sufficienti adepto, statim Patrimonium evanescat, vel potius requiratur expressa subrogatio bonorum, seu beneficii assequuti ab Episcopo faciendo loco Patrimonii, qua subrogatione expresse non facta Patrimonium adhuc vigeat, nec expiret prædicta clausula non obstante*, & huic dubio responsum fuit, quod *darentur decreta*, & inter decreta adest unum editum *in Causa Terracinen.* 20. *Julii* 1619. *lib.* 17. *decret. pag.* 17. in quo Sac. Congregatio censuit *Patrimonium, ad cujus titulum aliquis est promotus, posse utique de licentia Episcopi permutari cum aliis bonis liberis non minoris reditus, aut valoris, sed debere Episcopum declarare, bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris Patrimonii, ita ut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a Concilio præscripta*, quod ipsum confirmatum fuit aliis decretis tum aliarum, tum hujus Sac. Congregationis, uti habetur apud *Monacell. in formul. legal. tom.* 1. *pag.* 70. *n.* 2. *&* *tom.* 2. *pag.* 72. *num.* 18. *&* *tom.* 4. *pag.* 80. *num.* 440. *&* *apud Choel. ad Bul. Bon. Regim. cap.* 35. *n.* 54. *& seqq.*

Subrogatio facienda per Episcopi declaratoriam, de qua in his decretis, procedit in casu alienationis Patrimonii, sed an eadem sit extendenda ad casum resignationis Beneficii, statuendum videtur ab hac Sac. Congregatione, quæ est privativa interpres S. Concilii Tridentini in punctis pertinentibus ad disciplinam.

Adeoque nunc quæritur,

I. An ordinatus ad titulum Beneficii teneatur in illius resignatione individualiter exprimere, se fuisse ad ejus titulum ordinatum.

II. An hæc individua expressio suppleatur per assertivam, forsan ordinatus.

III. An constare debeat per probationes concludentes, resignantem habere, quo commode vivere possit.

IV. An hæc probatio censeatur adimpleta per solam confessionem juratam resignantis.

V. An resignans teneatur aliud Beneficium habitum, vel alia bona subrogare Beneficio resignato.

VI. An hæc subrogatio facienda sit per Episcopi declaratoriam in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad secundum negative, & ad mentem, & mens est, quod hæc resolutio habeat locum in futuris resignationibus. Ad tertium, quintum, & sextum affirmative. Ad quartum negative.

QUÆSTIO CCCCXCI.

In Causa Romana, die 9. Februarii 1726.

IN Ecclesia Beatissimæ Virginis, quæ hic in Urbe dicitur *Montium*, & quæ administratur a Patribus, qui Pii Operarii appellantur, extat Altare Sanctissimi Præsepe, quod ex indulto Pontificio est omni die Privilegiatum.

Affixa sunt huic Altari nonnulla onera Missarum quotidianarum, & plures aliæ eleemosynæ in dies subministrantur a Fidelibus, ut in prædicto Altari Missæ celebrentur.

Qualibet die Sabbati canitur in prædicta Ecclesia Missa solemnis cum Musica, & Populi concursu, & frequentia Sacramentorum.

Item per novem ferias quartas ante festum S. Joseph exponitur in prædicta Cappella Reliquia prædicti Sancti, & Altare ornatur, & adest pariter concursus Populi una cum frequentia Sacramentorum.

Cumque indecens quodammodo videatur ratione solemnitatis, ut Missæ de Requiem celebrentur in prædicta Ecclesia memoratis Sabbati diebus, & memoratis feriis quartis, quamvis sint feriales, aut semiduplices, supplicatum fuit Sanctissimo Domino Nostro pro facultate satisfaciendi Missis de Requiem cum celebratione Missarum Votivarum Beatissimæ Virginis supradictis Sabbati diebus, & cum celebratione Missarum Votivarum de Sancto Joseph memoratis feriis quartis, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sac. Congregationem.

Auditus fuit Eminentissimus Urbis Vicarius, qui sensit, annuendum esse petitis, ut videlicet magis satisfiat devotioni populi ad dictam Ecclesiam dictis diebus confluentis, & cujus Orationibus, cum Sacramentorum frequentia poterunt Animæ in Purgatorio existentes suffragium habere.

Controversia inter Doctores agitata, an ad consequendam Indulgentiam a Summo Pontifice Altaribus Privilegiatis concessam, necesse sit in eis Missam Defunctorum celebrare, an vero sufficiat aliam Missam dicere, quæ pro offerente eleemosynam celebretur, & in qua pluribus adductis rationibus affirmative respondet *Fagnanus in cap. quidem n.* 13. *& seqq. de celebrat. Missarum*, ubi late ostendit, sufficere quamcumque aliam Missam, & in qua pro necessitate Missæ de Requiem late pugnat *Amostaz. de causis piis lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 45. *& seqq.* cessat in hypothesi nostra præsenti, in qua Summus Pontifex Paulus V. qui Altare Privilegiatum concessit, fermonem fecit de Missis de Requiem ibi, *ut quandocumque Sacerdos aliquis Missam Defunctorum pro Anima cujuscumque Fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipsa de Thesauro Ecclesiæ per modum suffragii Indulgentiam consequatur*: concurrente etiam expressa voluntate Papæ de celebrandis Missis de Requiem, cessat controversia circa punctum, an sufficiat aliam Missam dicere, vel necesse sit Missam Defunctorum celebrare pro lucrifacienda Indulgentia a Summo Pontifice Altaribus Privilegiatis concessa, ut bene ponderant *Diana oper. moral. par.* 9. *tract.* 2.

pract. 2. *resol.* 8. *Pasqualig. de Sacrif. novæ Legis quæst.* 731. *Tamburin. in methodo celebrandæ Missæ lib.* 2. *cap.* 7. §. 7. *Bordon. de legatis cap.* 7. *n.* 48. *& seqq. Amostaz. de causis piis tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *a n.* 47.

Quia vero non omnibus diebus Missæ Defunctorum, seu de Requiem celebrari possunt, nec etenim celebrantur, quando occurrit Festum Duplex juxta Rubricas generales ad titulum *de Missis Defunctorum*, & juxta resolutionem Sac. Congregationis Rituum *die* 5. *Augusti* 1662. quæ pro Basilica Vaticana fuit confirmata per litteras Apostolicas in forma Brevis, editas ab Alexandro VII. *die* 22. *Januarii* 1667. ita ut in eadem Basilica non amplius celebrentur Missæ de Requiem in Festis duplicibus, ut fuerat præscriptum a Sixto V. in sua Bulla edita anno 1589.

Hinc ad avertenda præjudicia suffragiorum applicandorum pro Animabus Purgatorii, nonnulla edita fuerunt Brevia a Summis Pontificibus Alexandro VII. Clemente IX. & Innocentio XI.

Alexander Papa VII. in suo speciali Brevi, quod incipit *Creditæ nobis*, decrevit, quod si ex Benefactorum institutione Missæ pro Defunctis celebrandæ incidant in Festum duplex, tunc ne dilatio Animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii, & quod hoc ipsum servetur quoad Missas in Altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas.

Clemens Papa IX. in suo Brevi, quod incipit, *Cum felicis recordationis*, extendit hanc Alexandri VII. dispositionem ad Altaria Privilegiata, licet non in perpetuum, sed ad septennium, & non in omnibus, sed in aliquibus tantum hebdomadæ diebus.

Innocentius tandem Papa XI. in suo Brevi, quod incipit *Alias postquam*, declaravit, Brevia prædictorum Pontificum ibi debere locum vindicare pro omnibus diebus, quibus juxta Rubricas Missæ Defunctorum celebrari non possunt, & sic diebus Dominicis, & infra Octavam Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta Ritum Ecclesiæ celebrari non possunt; & horum omnium Brevium fit mentio in decreto impresso in celebri Missali Typis edito Sac. Congregationis de Propaganda Fide, quæ pariter decreta sunt impressa in Bullar. san. mem. Clementis XI. *pag.* 570. *n.* 2.

Hæc innuisse sufficiat ad ornatum materiæ; præsens etenim casus respicit dies, quibus Missæ Defunctorum juxta Rubricas celebrari possunt, ita ut sola indago versari debeat in hoc, an ratione Solemnitatis indulgeri possit petitioni ex gratia, & ut magis satisfiat devotioni Populi, cujus Orationibus & Sacramentorum frequentia, uti supra dictum est, poterunt Animæ in Purgatorio existentes suffragium consequi; perceptio enim Eucharistiæ juxta communem Theologorum sententiam prodest Animabus Purgatorii, cum S. Communio rite, & recte peracta sit opus bonum omnium bonorum operum præstantissimum, & Fideles in præsenti vita degentes possint pro Defunctis per bona opera eis applicata satisfacere, uti late ostendit *bon. mem. Card. Capisuccus controvers.* 4. *de Communione pro Mortuis*, ubi refellit Theophilum Raynaudum, contrarium asserentem in quodam opusculo edito Lugduni anno 1637. quod die 11. Martii 1647. fuit condemnatum a Sacra Congregatione Indicis.

His positis, quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Negative.

QUÆSTIO CCCCXCII.

In Causa Caputaquensi, die 23. *Februarii* 1726.

FAMILIA de Bigottis ex cessione Antonii de Valenzano, qui erat Patronus simplicis Beneficii sub titulo S. Angeli in Fonte cum annexione Cappellæ S. Bernardi Terræ Padulæ, est in possessione præsentandi ad hoc ipsum beneficium, & hoc jus dicitur canonizatum etiam per sententias Rotales.

Ex causa defectus Clericorum de Familia Bigotta, Beneficium devenit ad Extraneos, qui bona dilapidarunt, & in proprios usus fructus converterunt, ita ut Ecclesia esset in totum diruta, nisi moderni Beneficii possessor, qui est de Familia Bigotta opportunas fecisset restaurationes.

Ad avertenda hæc inconvenientia Papirius, & Caro-

Quæst. Canonic. Pars II.

lus de Bigottis Compatroni supplicant pro facultate mutationis qualitatis Beneficii de perpetuo in Cappellaniam manualem, & in scriptura, quæ ipsorum nomine circumfertur, dicitur, eosdem esse paratos ad augendam dotem Cappellaniæ pro medietate, & auditus fuit Episcopus, qui suum dedit assensum.

Quæruut Doctores, an Episcopus possit reddere Beneficium aliquod simplex, sive Cappellaniam de perpetua manualem, *&* *Navarrus consilio* 9. *de Officio Judicis Ordinarii* dicit, id facile defendi posse, cum juxta *Textum in capitulo sicut unire de excess. Prælat. & in cap.* 1. *de rebus Eccles. non alienandis in sexto*, possit Ordinarius unire, dividere, de novo creare, & extinguere Beneficia inferiora sui Episcopatus, & hoc ipsum firmant *Gonzal. super regul. octava Cancell. glos.* 5. §. 6. *n.* 62. *Conrad. in prax. benef. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 287.

In hac Congregatione habita die 23. Februarii 1726. cujus Folium poterit ab EE. VV. benigne reassumi, nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod nova informatio exquireretur.

Ordinarius in nova informatione retulit, reditus Beneficii ascendere ad ducatos quinquaginta, nec illud habere aliud onus, quam solutionis sex Carolenorum Mensæ Episcopali, & quindecim Carolenorum Seminario, & augmentum oblatum a Patronis pro obtinenda commutatione perpetuitatis in manualitatem consistere in Molendino recenter ab eis constructo, cujus reditus excedit ducatos quinquaginta.

Quærunt Doctores, an accedente Patronorum consensu, possit Episcopus Beneficium de perpetuo facere manuale, & Navarrus *Cons.* 9. *de Officio Judicis Ordinarii* videtur in affirmativam inclinare, & sequuntur *Gonzal. super regul.* 8. *Cancell. glos.* 5. §. 6. *n.* 62. *Conrad. in praxi Benefic. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 287.

Alii contrarium docent, quia cum Beneficium jam sit constitutum in statu suo perpetuitatis, immutatio sapere videtur speciem aliquam alienationis, vel dismembrationis, quæ etiam in Spiritualibus fine causa, & solemnitate est prohibita, *Card. de Luca de Jurepatronatus disc.* 15. *n.* 10. *& seqven.* & sequitur Petrus Laurenius in *Foro Beneficiali part. prima cap.* 2. *quæst.* 63.

At in præsenti cessat hæc controversia, cum habeatur recursus ad hanc Sacram Congregationem.

Repropositа idcirco fuit instantia in Congregatione habita *die* 20. *Septembris* 1727. cujus Folium poterit ab EE. VV. benigne reassumi, & tunc pariter nulla fuit capta resolutio, sed demandatum, ut scriberetur juxta novam instructionem, & signanter, an iidem Patroni vellent omnia sua bona obligare pro manutentione augmenti ducatorum quinquaginta, & an haberent bona libera, quæ possent obligare.

Supervenit nova informatio, in qua Ordinarius retulit, reditus Molendini excedere ducatos quinquaginta, Molendinum esse corpus certum, nisi contingat aquarum penuria, quæ nunquam hucusque evenit, Patronos multa bona possidere non subjecta ulli oneri, vel hypothecæ, & eosdem esse promptos ad se obligandum pro evictione Molendini de jure, & de facto, & pro subrogatione aliorum bonorum in casu deficientiæ prædicti Molendini affignandi, ut ex dictæ informationis lectura colligi potest.

Quibus stantibus, quæritur

An sit locus mutationi Beneficii Jurispatronatus sub titulo S. Angeli, & S. Bernardi in simplicem Cappellaniam manualem ad nutum Patronorum in casu &c.

Sacra Congreg. die 17. Aprilis 1728. respondit,

Affirmative, firma remanente qualitate Beneficii Ecclesiastici, & previa assignatione Molendini una cum specifica obligatione omnium bonorum tam pro evictione ejusdem Molendini, quam pro perpetua manutentione redituum in ducatis quinquaginta.

QUÆSTIO CCCCXCIII.

In Causa Melevitana, die 23. *Februarii* 1726.

SAN. mem. Urbanus VIII. per suas litteras Apostolicas in forma Brevis expeditas die 3. Augusti 1624. concessit Dignitatibus, & Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Melevitanæ facultatem optandi.

Tunc non erat erecta Præbenda Pœnitentiaria, cumque hæc Sac. Congregatio die 24. Mensis Maii 1681. scripserit bon. mem. Episcopo Molinæ, ut ad tramites *Sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.* deputaret pro Pœnitentiario Præbendam primo vacaturam, & vacasset Præbenda sub titulo *S. Jacobi*, Episcopus Cocco Palmerius successor eam erexit in Præbendam Pœnitentiariam.

Præbenda hæc tenuis est, cumque eadem collata fuisset Joanni Andreæ Marsiglia, qui est in præsenti Canonicus Pœnitentiarius, & ex post vacaverit alia Præbenda nuncupata *Ghar Barcha*, idemque eam optaverit in sequelam citati Brevis Urbani VIII. retento tamen Officio Pœnitentiarii, quod in hanc ultimam præbendam perpetuo transferre intendit, exorta est dubitatio, an id fieri potuerit.

Scriptum fuit Episcopo pro informatione, & voto, qui retulit, exposita in facto subsistere, & censuit annuendum esse petitis.

Regula generalis esse videtur exclusiva optionis in Theologo Pœnitentiario, qua attenta, licet adsit indultum optandi, videtur, quod ipse optare non possit. *Navar. consil. 14. de rebus Eccles. non alien. Gonzal. super regul. 8. Cancel. glos. 34. num. 78. & seqq. Barbos. de Canon. & Dignitat. cap. 26. num. 23. Garz. de Benef. par. 5. cap. 4. n. 132. & 133. Eminentiss. Petra ad constitut. Apost. tom. 4. pag. 250. num. 26. Merlin. Decis. 100. num. 2.* & concordat resolutio hujus Sac. Congregationis in *Sebenicen. 6. Decembris 1642. lib. 17. decret. pag. 129.* ibi: *Sacra &c. Censuit, Canonico obtinenti Præbendam Theologalem non esse concedendam facultatem optandi.*

Regula hæc autem pati videtur limitationem, si Canonicus Pœnitentiarius Præbendam tenuem haberet, & vacantem Præbendam pinguioris reditus vellet optare, & illam perpetuo subrogare in locum suæ Præbendæ, & dimittere antiquam ipsam liberam, retento onere Pœnitentiarii, & alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod Canonicus Pœnitentiarius, qui majus onus subit, minora emolumenta semper haberet, quam cæteri Canonici, ut ponderant *Ventriglia in praxi For. Eccles. par. 2. annot. 12. §. 2. num. 8. Eminent. Petra ad constit. Apost. tom. 4. pag. 249. num. 25.* concordat resolutio hujus Sac. Congregationis in *Pisauren. 23. Maii 1648. lib. 18. decret. pag. 478.* ibi: *Sacra &c. censuit, Canonico Pœnitentiario Oratori dandum esse indultum optandi Præbendam pinguiorem, quæ in futurum semper conferatur Canonico Pœnitentiario, si Sanctissimus Dominus Noster annuat.*

Anno 1651. resolutum fuit die 2. Decembris, quod obtinentes Præbendas Theologalem, & Pœnitentiariam non erant in Ecclesia Sebenicensi admittendi ad jus optandi, etiam de consensu Capituli, sed anno 1662. cum Episcopus Sacra Limina visitans retulisset tenuitatem Præbendarum Theologalis, & Pœnitentiariæ, ei fuit sic responsum a Sac. Congregatione: *cæterum, ut necessitati, qua Præbenda Pœnitentialis, & Theologalis laborat, provide consulatur, Sac. Congregatio auctoritate sibi per Sanctissimum specialiter attributa benigne indulsit, ut Pœnitentiarius, & Theologus Cathedralis Sebenicen. Præbendas optare possint, sicut cæteri Canonici, donec ad aliquam ex pinguioribus Præbendis ascendant, quæ perpetuo affectæ Pœnitentiario, & Theologo pro tempore esse intelligantur, ac sint,*

Cohærenter ad hæc, cum in Congregatione habita hac die 23. Februarii propositum fuisset dubium, *An Canonicus Pœnitentiarius sua Præbenda libere dimissa, aliam optare possit, quæ affecta officio Pœnitentiariæ perpetuo remaneat, & respective sit convalidanda optio Præbendæ nuncupata Ghar Barcha ab Oratore facta in casu*, responsum fuit *quoad primam partem pro gratia, & quoad secundam iterum proponatur.*

Dictum autem fuit *quoad primam partem pro gratia*, ex motivo supra expresso tenuitatis Præbendæ S. Jacobi, & oblationis retinendi cum nova Præbenda Officium Pœnitentiarii, & dictum deinde fuit, quoad secundam *iterum proponatur*, cum etenim Præbenda *Ghar Barca* vacaverit ante concessionem Indulti optandi favore Joannis Andreæ Marsiglia, disputatio exorta est, an optio prædicta, uti facta sine Indulto, potuerit impedire, ne Episcopus prædictam Præbendam conferret alteri Personæ, sicuti de facto contulit.

Ex una siquidem parte, videbatur, optionem potuisse impedire Episcopi Collationem, tum quia non desunt Doctores asserentes, quod Canonicus Pœnitentiarius etiam sine Indulto speciali potest optare Præbendam vacantem, si sua Præbenda sit tenuis, & Capitulum habeat jus optandi, tum quia in casu præsenti Canonicus insteterat pro indulto optandi ante vacationem, & Episcopus fuerat in sensu favorabili pro eodem, quo stante tenebatur abstinere a Collatione,

Ex alia vero parte videbatur, optionem non potuisse impedire Episcopi Collationem, cum juxta receptam in hac Sacra Congregatione Sententiam, non detur optio sine Indulto, nec attendatur id, quod fuit petitum, sed id, quod fuit concessum, nec Episcopus teneretur abstinere a Collatione, & juri suo renunciare, ex quo petitum fuit a Canonico Indultum optandi, & ipse sensit, illud concedi posse, cum concessio penderet ab arbitrio Sacræ Congregationis, quod usque quo non fuit explicatum, non potuit Ordinarium Collatorem impedire a jure conferendi. Ita ut Canonicus sibi imputare debeat, si post petitionem Indulti, & habitam favorabilem informationem Episcopi, destitit negligenter a prosecutione sui juris, cum jura succurrant vigilantibus, & non dormientibus.

Reproposita vero Causa sub die 11. Januarii 1727. prodiit rescriptum negativum circa convalidandam optionem Canonici Pœnitentiarii, & circa novam instantiam Canonici Petri Pauli Grech, contendentis sibi deberi optionem ejusdem Præbendæ; *Utatur jure suo.*

Ad hujus rescripti normam suum jus Canonico Grech nunc prosequente adversus Canonicum Joannem Borgium, cui Episcopus rejecta optione eamdem Præbendam contulerat, causaque ad Sacram Congregationem remissa, quæritur, an illi uti Canonico post Pœnitentiarium excluso antiquiori Præbenda debeatur.

Dubium facit, quod passim receptum esse videatur, ut in Ecclesiis, in quibus jus optandi viget, ejusmodi optiones fieri debeant intra viginti dies ex Constitutione Bonifacii VIII. *in cap. ultimo vers. ne autem de consuet. in 6.* in qua licet contineri videatur singulare jus eo dumtaxat casu observandum, quo litteris, mandatisque Apostolicis suffulto consulendum sit, ne scilicet diutius in incerto pendeat litterarum executio propter jus optionis, prout non obscure sentiunt doctissimi Interpretes *Joannes Andr. Geminianus, Francus, aliique in dicto cap. ult. de Consuet. in 6.* attamen ex eadem Constitutione generalis opinio invecta est, ut optiones omnes intra ejusmodi terminum fieri debeant, uti tradunt *Gonzal. in reg. 8. Cancell. glos. 34. num. 75. Monet. de option. cap. 6. quæst. 1. Barbosa de Canon. cap. 30. num. 5. Vivian. de Jure patr. lib. 5. cap. 1. num. 113. Ventrigl. in prax. For. Eccl. par. 1. annotat. 6. num. 6.*

Opponit tamen Petrus Paulus Grech, salva sibi fuisse sua jura, eo quod legitimo tempore *protestatus est, se nolle contendere super optione prædicta*, (scilicet Canonici Marsilii Pœnitentiarii,) *bene tamen intendit sua jura præservare in casu, quod dicta optio fuerit declarata nulla, vel invalida, ita ut suum non habeat effectum, cum eo casu eveniente dictus Canonicus D. Petrus Paulus intendit optare, prout ex nunc pro tunc declaravit animum suum, se optare dictum Canonicatum, & instetit per dictum Reverendissimum Capitulum declarari competere optionem.*

Multa huic protestationi opponuntur pro Canonico Joanne Borgio, tum scilicet fuisse contrariam facto, eo quod Grech re ipsa suum jus prosecutus minime fuerit; tum quod nullo legitimo impedimento fuerit prohibitus, quo minus cum effectu optaret, maxime cum juris ignorantia de facultate optandi, qua carebat Pœnitentiarius excusari non possit; tum quod rursus legitimum tempus elabi permiserit, sive a die Decreti Episcopalis, quo ejus protestatio rejecta fuit, sive a die rescripti Sacræ Congregationis, quo suo illum jure uti placuit, proponitur itaque decidendum,

An Canonico Petro Paulo Grech competat, & debeatur optio Præbendæ Ghar Barcha nuncupat. de qua agitur in casu &c.

Sacra Congr. die 10. Julii 1728. respondit,
Affirmative.

QUÆSTIO CCCCXCIV.

In Causa Asculana, die 23. Februarii 1726.

SACERDOS Paulus Antonius Tomassius Parochus Acummoli in Regno Neapolitano, sed Diœcesis Asculanæ in Marchia huic Sacræ Congregationi exposuit, multis ab hinc annis in Provincia Aprutii, tam citra, quam ultra, binos inoleviisse contractus, qui passim fiunt, & quos ipse putat, fieri non posse citra labem Usuræ.

Primus contractus dicitur *Draghetto*, & in hoc contractu dantur titulo mutui tot Ducati Regni Neapolitani cum obligatione, ut Mutuatarius intra duos menses tot alia restituat scuta Romana.

Secundus contractus expletur hoc modo. Datur frumentum, & dantur fegetes ad rationem pretii, quo frumentum, & fegetes vendentur tali alio determinato tempore, quo frumenti, & segetum pretium solet augeri.

Auditus fuit super his Episcopus, qui retulit, exposita in facto subsistere, & se primum contractum semper habuisse pro Usurario, & secundum se habuisse tamquam fraudes continentem in pauperum præjudicium, & primum fuisse a se damnatum in Constitutionibus Synodalibus sub pœna Excommunicationis, sed inutiliter, se ulterius per Concionatores tempore Adventus, & Quadragesimæ pluries monuisse de periculo, quod in secundo contractu continetur, sed his minime obstantibus abusum perseverare, & se ignorare, quid ulterius agere possit, cum in aliqua parte suæ Diœcesis, in qua remedium esset omnino necessarium, impediatur, ne adversus Laicos delinquentes procedat.

Verba Constitutionum Synodalium Ecclesiæ Asculanæ editarum anno 1719. *pag. 127. num.* 3. sunt hæc, quæ sequuntur: *Et quia in quibusdam locis nostræ Pastorali curæ creditis, compertum habemus, non sine magno animi nostri mœrore, in aliquibus cambiis Usuras committi, dum ibi dantur ducati cum pacto solvendi Romæ, sive alibi totidem scuta monetæ Romanæ, quot traditi fuerunt Ducati, in quibus cambiis permultum exceditur mensura, & latitudo justi pretii, neque reperiuntur justi tituli, Nos, ut huic tanto malo pro viribus occurramus, ultra alias pœnas a Jure sancitas, & a Nobis in Sacra Visitatione comminatas, declaramus, incurrere ipso facto in Excommunicationem Nobis reservatam præfatos Campsores, & monitos esse volumus Parochos prædictorum locorum, ut non semel de hac censura inter Missarum solemnia certiores faciant suæ Curæ commissos.*

Adest præterea inæqualitas tam in valore intrinseco, quam in extrinseco inter ducatum Regni Neapolitani, & scutum Romanum, cum valor ducati superetur a valore scuti, cumque agatur de mutuo, obstat illud Lucæ sexto, *si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia .,. mutuum date nihil inde sperantes, & erit merces vestra multa, & eritis filii altissimi, quia ipse benignus est super ingratos, & malos*; in quibus verbis, unum pertinet ad consilium, alterum ad præceptum, teste Divo Thoma *secunda secundæ quæst. 78. art. 1.* ibi: *Dare mutuum non semper tenetur homo, & ideo quantum ad hoc ponitur inter consilia, sed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit sub ratione præcepti.*

Transeundo ad secundum contractum, de eo agunt Theologi Morales, & dicunt, quod ille, qui vendit frumentum, vinum, & similia, ea conditione, ut in eadem mensura restituantur futuro e. g. verno tempore, vel reddatur pretium, quo verno tempore prædicta valebunt, si nescitur, utrum verno tempore plus, minusve valitura sint, contractus est immunis ab omni Usura. Sed si certum, aut probabilius esset, valorem rei pro futuro adsolvendum determinato tempore fore augendum, tunc contractus non est immunis ab usura, nisi forte vendens fuisset frumentum, aut vinum reservaturus ad dictum tempus: quia tunc, cum patiatur lucrum cessans, contractus est licitus pro quantitate lucri cessantis, & detractis sumptibus necessariis pro frumento, aut vino conservandis, *Azor. instit. moral. par. 3. lib. 5. cap. 7. quæst. 5. Card. de Lugo de just. & jur. tom. 2. disput. 25. sect. 7. num. 112. & 113. Salmant. Theolog. moral. tom. 3. tract. 14. cap. 3. punct. 8. §. 3. num. 67.*, & *seqq. Anaclet. ad lib. decret. de usuris tit. 19. n. 99. & seqq. Pirbingh in tit. decret. tom. 3. §. 1. num. 62.*, & *sect. 2. §. 2. §. 5. num. 57.* late *Schmalzgrueber ad eundem tit. de usuris n. 60. & seqq.*

Atque facit *Text. in cap. in Civitate* ibi: *Nihilominus tamen Venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus, minusve, solutionis tempore valituras*, & in cap. *naviganti, de usuris* ibi: *Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, Oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

Adsunt etiam quædam monita ad hos contractus pertinentia impressa post Synodum Velitern. clar. mem. Card. Cybo, & repetita post Synodum Fulginatensem viventis Episcopi, quæ facilioris studii causa dantur ad calcem.

Quibus stantibus, quæritur,
I. An Primus contractus sit licitus, necne.
II. An Secundus contractus sit licitus, necne.
III. Quomodo sit providendum in casu &c.

Sacra Congr. die 16. Martii 1726. respondit,
Ad Primum negative. Ad Secundum consulat Theologos in casibus particularibus. Ad Tertium procedat quoad primum juxta Constitutiones Synodales.

DUE Regole generali devono osservarsi ne' Contratti di vendita a credenza.

La prima è, che non si venda il tempo, cioè a dire, che quello che vende, non pretenda della cosa venduta qualche cosa di più del prezzo giusto, per il tempo, che concede a pagare.

La seconda, che il medesimo non ponga se stesso, o sempre, o per il più in sicuro del guadagno, ed il Compratore per il contrario in sicurezza di perdita.

E perchè queste Regole dipendono molte volte dall' intenzione del Vendente, quindi è, che il prudente Confessore dovrà in simili casi esplorar bene l' intimo di questa sua intenzione; poichè, chi vende per esempio il suo grano in credenza nel mese di Decembre per ricevere il prezzo nel mese di Agosto, o intendeva di venderlo nel suddetto mese di Decembre, o pensava di trasferire questa vendita in altro tempo, quando forse probabilmente credeva, che potesse valer più caro, come nel mese di Maggio, verbi grazia.

Se intendeva di venderlo nel mese di Decembre, non puole senza manifesta nota di usura pretendere prezzo maggiore del prezzo giusto, che corre nel predetto mese, altrimente venderia il tempo; ma se pensava di trasferirne la vendita in altro tempo, o determinava in questo caso il prezzo, che corre nel tempo, che vende, o si contenta, che questa determinazione abbia a dipendere da un tempo futuro.

Se determina al suo grano il prezzo, che corre, ancorchè determinasse il prezzo rigoroso, questo contratto è lecito, purchè non trascenda il detto prezzo rigoroso, mentre debbonsi considerare dalla sua parte i pericoli, le fatiche, e le spese, che regolarmente occorrono nella conservazione del grano fino al tempo, nel quale avea proposto di venderlo; se poi lascia che questa determinazione dipenda da un tempo futuro, o vuole, che questo tempo sia quello del pagamento, o altro determinato, benchè in esso comunemente soglia valer più caro, che in altro tempo precedente, o pretende, che abbia a dipendere da un tempo futuro indeterminato.

Se vuole, che dipenda il prezzo da un tempo futuro determinato, come se dicesse per esempio, io ti vendo adesso il mio grano, che mi pagherai il mese di Agosto al prezzo, che valerà a Maggio, o a Giugno, questo contratto è lecito, purchè due cose vi concorrano.

La prima, che non pattuisca del prezzo sommo, che correrà nel tempo del pagamento, ma al più del prezzo medio.

La seconda, che si deducano dal prezzo le spese, che dovriano farsi, e tutto ciò, che sarebbe mancato nel conservarlo fino a quel tempo, secondo il giudizio di uomini esperti.

Ma se pretende, che il prezzo abbia a dipendere da un tempo futuro indeterminato, come se dicesse, io voglio, che tu mi paghi il mio grano, tanto, quanto valerà in qualsivoglia tempo fino alla soluzione del prezzo, quando si venderà più caro; il contratto è usurario, perchè egli si afficura per il più del guadagno, e pone in contrario il Compratore nel sicuro della perdita.

Queste Regole si verificano particolarmente nella vendita a credenza, o commutazione economica, che è all' ora, che il Vendente non intende di negoziare il prezzo di ciò, che vende, ma di servirsene solo ad uso proprio, e però se bene in essa può succedere tal volta il danno emergente, non per questo potrà già mai il lucro cessante, come potriasi forse considerare nella vendita, o commutazione negoziativa, onde può un Mercante, che tiene i suoi denari sempre esposti al negozio, vendere le sue merci più care in credenza, che in pecunia numerata, perchè vendendo a credenza, si priva del guadagno, che colla negoziazione avria potuto acquistare, il che ha da intendersi con queste limitazioni.

Prima, che veramente perda di quello il guadagno, perchè non riceve attualmente il prezzo.

Seconda, che nell' alterazione del prezzo abbia in considerazione i pericoli, le fatiche, e le spese, che averia fatte nel conservar le sue merci, e perciò non deve alterarlo sopra il prezzo rigoroso che corre.

Terzo, che non venda in credenza, perchè non può vendere di presente a pecunia numerata,

Quarta, che ammonisca il Compratore, che egli veramente coram Deo per la dilata soluzione cessa di guadagnar

dagnar tanto, quanto gli vende a credenza più care del prezzo giusto le sue merci, acciò, se il suddetto con questa condizione non vuol comprarle, sia posto in sua libertà.

QUÆSTIO CCCCXCV.

In Causa Senensi, die 16. Martii 1726.

POST continuum, & laudabile servitium annorum 40. in Ecclesia Metropolitana Senensi Fabius Ballatus consuetum Jubilationis Indultum obtinuit, & jam septem anni elapsi sunt, ex quo fruitur prædicto Indulto, cumque idem modo obtinuerit Dignitatem Decanatus in eadem Ecclesia, & supplicaverit huic Sacræ Congregationi pro continuatione prædicti Indulti Jubilationis, scriptum fuit Archiepiscopo pro informatione, & voto.

Archiepiscopus fuit in sensu, quod erat annuendum petitis, & eo fortius, quia Oratoris mérita, & præstitum antecedenter continuum, & laudabile servitium plene suadent, ipsum, quandiu poterit, non defuturum officio suo, in solemnioribus, in quibus Decani præsentia maxime desideratur.

Super hoc articulo adest resolutio hujus Sac. Congregationis 22. Novembris 1691. in quadam Causa Fulginaten. *lib.* 41. *Decret. pag.* 381. *a tergo* ibi: *Joannes Baptista de Justis attento servitio quadraginta annorum, & ultra, uti Canonicus, & Decanus Ecclesiæ Cathedrali præstito Jubilationem obtinuit; nuper autem collato sibi a Sanctissimo Prioratu ejusdem Cathedralis, supplicat, vel sibi novam Jubilationem concedi, vel potius declarari, eamdem sibi prodesse Jubilationem respectu Prioratus. Die &c. Sacra &c. audita relatione Episcopi Fulginaten., & attento quadragenario servitio, & ultra laudabiliter, & continuo præstito in eadem Cathedrali, censuit, Oratorem nova Jubilatione non indigere, sed jam obtentam sub die* 18. *Decembris* 1688. *eidem suffragari etiam respectu Prioratus, de quo fuit nuper a Sanctissimo provisus, in omnibus, & per omnia servata forma ejusdem Indulti:* quam resolutionem laudat, & sequitur *Modernus Scarfanton. in animadversionibus ad Ceccoper. tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 6. *numer.* 20.

His positis, quæritur,

An Indultum Jubilationis concessum Fabio Ballato olim Canonico Ecclesiæ Metropolitanæ Senen. eidem suffragetur post obtentam in eadem Ecclesia Dignitatem Decanatus in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative, dummodo in solemnioribus inserviat.

QUÆSTIO CCCCXCVI.

In Causa Taurinensi, die 16. Martii 1726.

BARONISSA Susanna Rovera de Ternavas, post contractum Matrimonium cum Equite Fabritio Caccherano, eum in judicium vocavit, prætendendo Matrimonii nullitatem, tum propter importunas suasiones, & suggestiones, quibus ajebat, se fuisse inductam, ut illud celebraret, tum propter prædicti Equitis impotentiam, sed proposita Causa in hac Sacra Congregatione die 13. Septembris 1721. disputatoque primo dubio, *an constet de nullitate Matrimonii*, huic negative responsum fuit, disputatoque concomitanter hoc alio secundo dubio, *an sit locus Divortio, & separationi tori in casu &c.* negative quoad primam partem responsum fuit, & affirmative quoad secundam, usquequo aliter demandatum fuisset ab hac Sac. Congregatione.

Post lapsum fere duorum annuorum Baronissa instetit pro Remissoria ad effectum examinandi Testes super memoratis importunis suasionibus, & pro deputatione Peritorum ad effectum, ut fieret recognitio Corporis Caccherani sui mariti; cumque obtinere non potuisset, Caccheranus duo subsequenter petiit, alterum, quod Susanna rediret ad obsequia matrimonialia, alterum, quod hæc Sacra Congregatio declararet, se in tantum anno 1721. respondisse pro separatione tori, in quantum ipse suum præstitit assensum; putavit etenim se ope hujus declarationis posse recuperare assignamentum quinquaginta duplarum annuarum a Susanna sui favore factum, & a quo eadem fuerat per Senatum Taurinensem liberata post editam memoratam resolutionem a Sacra Congregatione, sed Baronissa excipiente, non esse hisce petionibus annuendum, & instante pro Remissoria, non ad effectum examinandi Testes super minis, & importunis suasionibus, vel super impotentia Viri, sed tantum super dissensionibus, & inimicitiis irreconciliabilibus inter se, & Virum exortis, ut videlicet esset locus formali divortio, & non temporali separationi tori, Sacra hæc Congregatio die 28. Augusti 1723. prædictis petitionibus tam Caccherani, quam Baronissæ cumulatim respondit hoc modo, *quoad obsequia matrimonialia, & quoad petitam a Caccherano declarationem, lectum, & quoad Baronissam pro concessione petitæ Remissoriæ.*

Cohærenter ad hæc, expletum fuit examen formale Testium, & Jura hinc inde circumferuntur, cumque in præsenti Baronissa non accuset Virum de fornicatione, sive adulterio, sed tantum de sævitiis adhibitis, & Vir prætendat, eas in facto non subsistere, & sic non esse locum ulli tori separationi, perpetua illa separatio, quæ discutienda per Baronissam in dubio ad calcem referendo proponitur, cum sua debita moderatione erit intelligenda; cum etenim Christus Dominus *Matthæi* 5. & 19. testetur ob solam fornicationis causam licitum esse divortium, hoc est non vinculi matrimonialis dissolutionem, sed separationem quoad torum, & cohabitationem *juxta Canonem* 7. *sess.* 24. *de reformatione matrim.* & Sacrum Concilium Tridentinum subsequenti Canone octavo statuat, *si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas separationem inter Conjuges quoad torum seu quoad cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, Anathema sit*, tam Theologi, quam Canonistæ sic hæc statuunt intelligenda, ut videlicet propter solam fornicationem, sive adulterium sit locus perpetuæ dimissioni, & absoluto divortio, cum divortium non sit verum, nisi quod animo constituendæ perpetuæ separationis expletur, *juxta Text. in leg. divortium* 3. *ff. de divortiis*, & licet propter alias causas tori, & cohabitationis separatio ab Ecclesia permittatur, hæc tamen non durat nisi usquequo durat causa, propter quam separatio concessa fuit, *Maldonaten. in Matth. cap.* 5. *vers.* 32. *Bellarmin. lib.* 1. *de matrim. cap.* 14. §. *Secunda causa, Sanchez de Matrim. lib.* 10. *disp.* 15. *nu.* 2. *Reginald. in praxi fori pœnitent. lib.* 31. *n.* 313. *vers. porro, Schmalzgrueber ad tit.* 19. *decret. de divortiis lib.* 4. §. 3. *n.* 139. *Anaclet. ad eundem tit.* §. 2. *n.* 30. *&* *n.* 56. *Sperell. decis.* 139. *num.* 71.

Quibus præsuppositis, quæritur,

An sit locus Divortio, & separationi perpetuæ, vel potius standum sit in decisis sub die 13. *Septembris* 1721. *pro separatione, usquequo aliter demandetur a Sacra Congregatione in casu &c.*

Sacra Congr. respondit,
In Decisis.

QUÆSTIO CCCCXCVII.

In Causa Florentina, die 16. Martii 1726.

FERTUR sanctæ Mem. Eugenium IV. suppressisse quoddam Monasterium Monialium, & ejus Ecclesiam nuncupatam S. Michaelis Archangeli *alle Romite*, necnon bona ad dictum Monasterium pertinentia univisse Prioriæ, & Conventui S. Donati de Scopeto Canonicorum Regularium Sancti Augustini Congregationis Sancti Salvatoris de Bononia, & Sanctum Antoninum tunc Archiepiscopum Florentinum hanc unionem executioni mandasse.

Sacerdotes Congregationis Missionis ex litteris Apostolicis sanctæ memoriæ Clementis XI. successerunt in juribus, honoribus, & oneribus dictorum Canonicorum, delataque proinde ad ipsos Ecclesia prædicta, exorta est inter eos, & Parochum S. Quirici de Marignola, intra cujus Parochiæ fines Ecclesia sita est, controversia super exercitio nonnullarum functionum in pluries memorata Ecclesia peragendarum.

Auditus fuit Archiepiscopus, qui retulit, nec Canonicos antecessores, nec Presbyteros successores continuam unquam habuisse permanentiam penes dictam Ecclesiam, sed tantum ad eam aliquando accessisse, oblectamenti gratia, & ut salubriori aere perfruerentur, consuetudinem etiam viguisse, ut in Festo Sancti Michaelis, qui est dictæ Ecclesiæ Titularis, Missa in Ecclesia caneretur, & Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ accedentibus ministrarentur, scientibus, & non contradicentibus Parochis.

Addunt Presbyteri Missionis nonnullos testes, qui deponunt, tam Canonicos spatio annorum quadraginta, quam dictos Presbyteros spatio annorum viginti die Festo S. Michaelis

chaelis Missam, & Vesperas solemniter ceciniſſe, Populoque ad sonum Campanæ invitato, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administrasse, & ex visitatione facta ab Archiepiscopo anno 1707. desumitur, Paramenta conservari pro Missa canenda in Festo S. Michaelis, & ædem Confessionalem in prædicta Ecclesia adesse.

In fortioribus terminis Cappellanorum videlicet, & Officialium Confraternitatum erectarum intra fines Parochiæ, quod possint ipsi in Festivitatibus solemnioribus Ecclesiæ, vel Oratorii canere Missas solemnes, & quod ulterius valeant sine licentia Parochi denunciare festivitates, & Vigilias occurrentes in hebdomada, resolutum fuit a Sacror. Rituum Congregatione in Decretis generalibus Urbis, & Orbis *die* 10. *Decembris* 1703. *in responsionibus ad decimum, & decimum sextum dubium*, uti videri potest *in Mantissa decisionum post Cardinalem de Luca lib.* 12. *decis.* 10. & in terminis Regularium testatur *Nicol. in floscul. verb. Regularis num.* 7. ab hac Sacra Congregatione resolutum fuisse, non esse Regularibus prohibitum a Decretis Sacri Concilii Tridentini docere Doctrinam Christianam in suis Ecclesiis, & annunciare Populo Festa, & jejunia inter Missarum solemnia. Præterea Summus Pontifex Leo X. in *sua Bulla* 7. §. 32. *Bullar. tom.* 1. Magistris Scholarum, & Præceptoribus imposuit onus docendi Pueros ad suam Scholam accedentes Doctrinam Christianam & S. Pius V. *in sua Constitutione* 137. *Bullar. tom.* 2. juſſit, instituit ab Ordinariis Locorum Confraternitates Doctrinæ Christianæ ad Pueros in eadem instruendos.

Quibus positis, quæritur,

I. An Presbyteri Missionis possint celebrare, & vespertive canere Missas, ac Vesperas solemnes in Festo Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli in Ecclesia ejusdem Sancti nuncupata delle Romite, contradicente, seu dissentiente Parocho S. Quirici nuncupato delle Marignole, in casu &c.

II. An itidem Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ administrare, & Doctrinam Christianam docere, contradicente Parocho, in casu &c.

Sacra Congr. die 30. Martii 1726. respondit,
Ad Primum affirmative, ad Secundum affirmative, dummodo Doctrina Christiana non fiat in hora, in qua fit in Parochia.

QUÆSTIO CCCCXCVIII.

In Causa Spoletana Decimarum, die 16. Martii 1726.

PRIOR, & Camerarius Collegiatæ Ecclesiæ Terræ Trebii denunciati fuerunt a Vicario Foraneo, qui procedebat tamquam delegatus Episcopi Spoletani, suppositi Ecclesiastico interdicto, ex quo requisiti recusaverant consignare duodecim Rubra Frumenti, quæ Curia Episcopalis sibi debita prætendebat titulo Decimarum, & facere depositum alterius Rubri frumenti juxta Decretum editum ab eodem Vicario Foraneo.

Capitulum autem contendit, Episcopum non posse cogere Canonicos ad præstationem Decimarum sub pœna interdicti, vel aliarum Censurarum, quia Judex Ecclesiasticus abstinere debet a Censuris, & Interdicto, quando potest, prout hic, devenire ad executionem realem, vel personalem, *juxta caput* 3. *Sess.* 25. *de Reform.* Contendit pariter idem Capitulum, se non teneri nisi ad medietatem Decimarum, quas exigit a Parochianis, & hanc medietatem non posse esse juxta prætensionem Curiæ Episcopalis in Rubris frumenti 13. cum non exigat nisi annua Rubra 17. & quia quæstio non stat solum in quantitate, sed etiam in qualitate frumenti, idem Capitulum sustinet, servandam esse Constitutionem Synodalem editam ab Episcopo Castruccio, in qua statuitur, frumentum pro Decimis esse præstandum nec bonum, nec malum, & quia demum in præteritum supponitur excessivam fuisse Decimarum solutionem, urget pro repetitione indebiti, cum titulus exigendi redactus fuerit ad non titulum.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An Episcopus possit cogere Capitulum, & Canonicos ad præstationem Decimarum sub pœna Interdicti, vel aliarum Censurarum in casu &c.

II. An, & in qua quantitate, & qualitate debeatur Episcopo Decima frumenti in casu &c.

III. An constet de excessiva solutione, seu præstatione Decimæ in præteritum, ita ut sit locus repetitioni in casu &c.

Sacra Congr. die 30. Martii 1726. respondit,
Ad Primum affirmative, servatis servandis. Ad Secundum pro concessione remissoriæ, & compulsoriæ, præfixo termino duorum mensium. Ad Tertium, non esse locum repetitioni.

QUÆSTIO CCCCXCIX.

In Causa Turritana, die 30. Martii 1726.

DIE 13. Januarii elapsi anni 1725. Franciscus Maria Sigue Canonicus Turritanus tanta violentia, & impetu irruit in Sacerdotem Joannem Andream Sacajoni Officialem Rationarium Cathedralis Ecclesiæ, ut eum in humum projecerit, idemque aliquo temporis spatio sanguinem ex ore expuens veluti exanimis permanserit.

Contigit hoc in publico Atrio Ecclesiæ, & coram pluribus personis, expositaque a Sacerdote Joanne Andrea querela, Vicarius Capitularis una cum duobus Canonicis Adjunctis, sibi a Capitulo assignatis devenit ad Testium examen.

Inceptum fuit examen, sed excitata ab Adjunctis consueta exceptione, quod Vicarius non poterat in hac Causa procedere, ex quo fuerat a Canonicis in suspectum allegatus tam pro causis in communi, quam in particulari; & respondente Vicario, quod Adjuncti accederent ad interessendum examini, & quod alias ipse solus in causa procederet, res eo devenit, ut Vicarius solus continuantibus Adjunctis in sua renitentia, examen Testium prosequutus sit, & Processum transmiserit, & Causam ad Sac. Congregationem remiserit; cumque Sacerdos Joannes Andreas insteterit, ut Canonicus Franciscus Maria declaretur excommunicatus propter violentam percussionem in sui persona factam, & ulterius declaretur irregularis, ex quo Missam subinde celebravit, & tam ex informatione Ordinarii, quam ex decem Testibus in Processu examinatis desumeretur concludens probatio tum percussionis, tum celebrationis Missæ, facta hujusmodi relatione inter summaria precum die 22. Septembris 1725. Sacra Congregatio respondit, *quod Vicarius, quatenus opus esset, auctoritate etiam ejusdem Sac. Congregationis declararet Canonicum Franciscum Mariam Sigue excommunicatum, & ab omnibus evitandum, nec non irregularem, & ad mentem, quæ fuit, ut scriberetur Vicario, quod quatenus instaret pro absolutione, eum absolveret ab excommunicatione, satisfactis Parte, & Fisco.*

Cumque prædictus Canonicus ad Urbem accesserit, & insteterit pro descriptione Causæ in Folio, ex Jurib. circumferendis quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis die 22. *Septembris* 1725.

Sacra Congr. respondit,
Incurrisse in Censuram, & esse Irregularem, & datur facultas Vicario Capitulari absolvendi, & dispensandi, attenta remissione partis, & ad mentem.

QUÆSTIO D.

In Causa Cathacensi, die 30. Martii 1726.

CAJETANUS La Russa in ultimo suo, cum quo decessit, Testamento, hæredem sibi scripsit Sac. Montem Pietatis Civitatis Cathacen. nonnullis impositis oneribus late in prædicto Testamento descriptis.

Inter cætera, illud de quo nunc agendum est, conceptum legitur in Testamento sequentibus verbis. *Item voglio, che detto Monte mio erede debba pagare alle due figlie femine del Sig. Ignazio Paladini mio Nipote, cioè Giulia, e Francesca Paladini, che stanno oggi nel Monastero di Santa Chiara per Educande, nell' atto, che le medeme professeranno, o in detto, o in altro Monastero a loro piacere, ducati trecento di dote per ciascheduna, & altri ducati* 33. *e grana trentatre per ciascheduna, per ajuto delle spese, bisogneranno nell' atto di professarsi.*

Nulla quoad solutionem hujus Legati est difficultas, sed cum relictum a Testatore sufficiat quidem pro Dote Monasterio solvenda, sed non sufficiat pro expensis necessariis in Vestitione, & in constitutione annui Livelli, hinc factum est, quod Ignatius recursum habuit ad *SS.* D. N. ad effectum percipiendi ex fructibus hæreditatis Cajetani existentis apud Montem Pietatis alios Ducatos sexcentum, quos asserit requiri pro vestitione, & livellis.

Preces

Preces a Sanctitate Sua fuerunt remiſſæ ad hanc Sacram Congregationem, & juxta ſolitum datæ fuerunt litteræ ad Epiſcopum, qui retulit, Ignatium eſſe nobilem, eſſe pauperem, cum non habeat in annuo reditu, niſi ducatos biſcentum quinquaginta, qui ſatis non ſunt pro decenti manutentione ipſius, & Fabritii fratris, nec non quatuor filiorum ſeptennio majorum, idemque Epiſcopus ſubdit, neceſſarias eſſe expenſas pro veſtitione, & etiam aſſignandum eſſe Livellum, ut Moniales ſuis indigentiis ſuccurrere valeant.

Exhibet quoque Ignatius fidem Magiſtratus, & triginta Nobilium Concivium, qui de ſua nobilitate, & paupertate teſtantur, nec non Procuratoris Monaſterii, qui ait, expenſas ultra dotem aſcendere ad ducatos quingentum, & annuum livellum pro qualibet Moniali eſſe conſueviſſe in ducatis decem.

Circumfertur quoque nomine Ignatii ſupplex libellus, in quo Scribens contendit, eſſe locum petitæ ſubminiſtrationi, tum ex æquitate, tum ex præſumpta mente Teſtatoris.

Quocirca quæritur,

An, & pro qua ſumma ſit facienda ſubminiſtratio favore filiorum Ignatii Paladini ex hæreditate quondam Cajetani la Ruſſa, in caſu &c.

Sacra Congr. die 13. Aprilis 1726. reſpondit,
Servetur mens Teſtatoris.

QUÆSTIO DI.

In Cauſa Caſtrenſi, die 30. Martii 1726.

SACERDOS Dominicus Antonius Nicolazzius, qui a Curia Epiſcopali Caſtrenſi ultra Suſpenſionem a Divinis, relegationem paſſus fuit in Terra Andrani, & reſtrictionem in Conventu Patrum Dominicanorum ejuſdem Terræ, ſe contulit ad Urbem, & Cauſam inſtruxit in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, a qua reſcriptum obtinuit die 15. Februarii præteriti, *non eſſe amplius moleſtandum*; cumque idem Sacerdos prætendat, ſibi deberi, non obſtante abſentia, diſtributiones, & reditus Eccleſiæ Receptitiæ, cujus ſervitio adſcriptus eſt, deventum fuit ad Dubii ſubſcriptionem, ut in calce Reſtrictus.

Epiſcopus refert, conſuetudinem tam in Eccleſia, cui Sacerdos adſcriptus eſt, quam in aliis Diœceſis Eccleſiis vigere, quod ſi Sacerdos non reperitur præſens prima die Septembris, excludatur per totum annum a participatione, & quod ſi fuerit dicto tempore præſens, & deinde notabili tempore abſens, non participet, niſi pro rata temporis, quo inſervivit.

E contra Niccolazzius Teſtes affert deponentes Eccleſiam ſuam non eſſe Collegiatam, non adeſſe onus reſidentiæ, & adſcriptos non teneri, niſi ad celebrationem nonnullarum Miſſarum, non intereſſentes Mortuariis non amittere, niſi emolumenta, quæ dantur illis, qui interſunt, & reditus participantium deſumi ex quadam aſſignatione terrarum, quæ fit unicuique Participanti quolibet Triennio. Addit, conſuetudinem non participandi per totum annum, ſi aliquis non ſit præſens prima die Septembris, procedere tantum quoad Sacerdotes, qui de novo admittuntur, & qui ſi non ſint dicta die ordinati ad Sacerdotium, non admittuntur ad participandum, niſi in venturo menſe Septembris anni ſubſequentis, & demum concludit, quod quatenus hæc omnia non ſubſiſterent, ſibi ſemper omnes reditus, & diſtributiones deberentur, ex quo reportavit ſupradictum reſcriptum, quod non eſſet amplius moleſtandus.

In terminis Canonici, qui a præcepto Epiſcopali de habendo domum pro carcere, appellationem interpoſuerat, & ſe conſtituerat in carceribus, & reportaverat Decretum, non eſſe moleſtandum, Sac. hæc Congregatio *die* 19. *Novembris* 1707. *in Theatina diſtributionum*, reſpondit, diſtributiones deberi, non obſtante reclamatione Canonicorum, qui aſſerebant, diſtributiones non eſſe debitas, niſi abſoluto ex capite Innocentiæ, ut habetur *lib.* 57. *Decretorum pag.* 420.

Rurſus in quadam Cauſa *Reatina Diſtributionum*, quæ propoſita fuit *die* 5. *Maii* 1708. cum ageretur de Canonico, qui in quadam Cauſa homicidii, quod ipſi fuerat imputatum, decretum reportaverat, *non moleſtetur*, quique contendebat, ſibi deberi diſtributiones, cum inter ſummaria precum reſponſum fuiſſet *negative*, deſcripta tandem Cauſa in folio, reſponſum fuit, *prævio receſſu a deciſis, diſtributiones deberi uſque ad diem obtenti Decreti, non moleſtetur*, uti habetur *lib.* 58. *Decretorum pag.* 158. *a tergo*.

His ſtantibus, quæritur.

An Sacerdoti Dominico Antonio Nicolazzio abſenti debeantur diſtributiones, & introitus Eccleſiæ receptitiæ, in qua adſcriptus, & admiſſus reperitur in caſu &c.

Sacra Cong. die 13. Aprilis 1726. reſpondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO DII.

In Cauſa Sancti Marci, die 30. Martii 1726.

LICET Confratres Confraternitatis Sanctiſſimi Crucifixi, olim S. Mariæ Pietatis Belvederii, Diœceſis S. Marci, tam ex Conſtitutionibus ab Ordinario approbatis, quam ex antiqua conſuetudine, & poſſeſſione ſuos eligant Officiales ſpatio quatuor menſium duraturos, Epiſcopus nihilominus Sancti Marci ſub obtentu negligentiæ Confratrum in eligendo, ita ut jus eligendi ad ſe devolutum fuiſſet, devenit ad electionem Officialium, qui ad annum durarent, & decrevit, eos per Confratres eſſe recipiendos, & quia memorati Confratres devenerunt ad electionem aliorum Officialium ad normam Conſtitutionum, Promotor Fiſcalis Curiæ illis mandavit, aſſignato congruo termino, ut comparerent ad dicendam cauſam, quare non deberent excommunicari, ex quo in ſpretum mandatorum Curiæ, ſub pœna excommunicationis, auſi fuerunt devenire ad electionem Officialium. Et quamvis die 7. Januarii 1724. interpoſita fuiſſet appellatio, Epiſcopus nihilominus die 18. ejuſdem menſis declaravit, & denunciavit excommunicatos excommunicatione majori ſibi reſervata nonnullos Confratres in Cedulonibus expreſſos, ex quo judicialiter moniti ſub pœna excommunicationis majoris noluerunt deſiſtere ab exercitio Officiorum, & noluerunt obedire Officialibus a ſe uti ſupra electis.

Confratres die 29. ejuſdem menſis, & anni habuerunt recurſum ad hanc Sac. Congregationem, quæ illis impertita eſt abſolutionem cum reincidentia ad tres menſes, ſæpius ſubſequenter prorogatam, & ſcripſit Epiſcopo pro informatione, & tranſmiſſione Actorum, cumque multum tempus elapſum ſit, nec aliquid uſque adhuc, quod ſciam, fuerit ab Epiſcopo tranſmiſſum, inſtantibus Confratribus, opus fuit devenire ad ſubſcriptionem Dubiorum, & ad eorum propoſitionem in Folio.

Contendunt itaque Confratres, ad Confraternitatem pertinere jus eligendi Officiales, abſque eo quod Epiſcopos poſſit ſe in dicta Electione ingerere, tum quia ita de jure eſt, tum quia ſic ſtatutum fuit in Conſtitutionibus, & demum quia ſic ſemper per anteceſſum factum eſt.

Contendunt quoque iidem Confratres, non fuiſſe jus eligendi devolutum ad Epiſcopum, primo quia non probatur ulla Confratrum negligentia in eligendo, tum quia non eſt in jure ſcriptum, quod intret devolutio favore Epiſcopi in caſu, quo Confratres in primo, ſecundo, aut tertio Scrutinio non ſint in electione concordes.

Contendunt denique iidem Confratres, Cenſuras non ſuſtineri, tum propter injuſtitiam, tum propter nullitatem, & ſignanter, cum Curia teneretur Appellationi deferre, ex quo Confratres non fuerant citati ad dicendam cauſam, quare non deberent declarari incidiſſe in excommunicationem, ſed ad dicendam cauſam, quare non deberent excommunicari, juxta tradita per *Fagnan. in cap. ſuper eo n.* 49. *&* 50. *de appellat.*

Jura Confratrum circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An Jus eligendi Officiales Ven. Confraternitatis, olim S. Mariæ Pietatis, nunc vero SS. Crucifixi Belvederii privative ſpectet ad dictam Confraternitatem in caſu &c.

II. An d. Jus fuerit devolutum ad Epiſcopum in caſu &c.

III. An Cenſuræ ſuſtineantur in caſu &c.

Sacra Congr. die 13. Aprilis 1726. reſpondit,
Ad primum affirmative. Ad ſecundum præfigatur ab Epiſcopo terminus Confratribus ad eligendum, & quatenus non concordent in termino Scrutinio, deveniat ad electionem Officialium, qui durent ad quatuor menſes. Ad tertium negative, & amplius.

QUÆ-

QUÆSTIO DIII.

In Cauſa Calaguritana, die 13. Aprilis 1726.

IN Folio Congregationis habitæ die 2. Octobris 1717. quando prima vice Cauſa hæc propoſita fuit, expoſita fuerunt hæc, quæ ſequuntur.

Primum, quod in Villa Sancti Petri Manrique quatuor aderant Eccleſiæ Parochiales, prima S. Michaelis quæ undecim, ſecunda S. Martini, quæ novem, reliquæ duæ Sanctæ Mariæ *della Penna*, & S. Jo: Baptiſtæ, quæ ſex pro qualibet habebant Beneficiatos.

Secundum, quod omnes hæ Eccleſiæ uti Matrices, alias viginti quatuor Eccleſias habebant filiales in diſtrictu Villæ S. Petri exiſtentes, in quibus Beneficiati Matricibus adſcripti miniſtrabant.

Tertium, quod licet omnes hi triginta duo Beneficiati unum Capitulum, ſeu Collegium conſtituerent, unaquæque nihilominus ex Matricibus Eccleſiis ſuos diſtinctos habebat reditus ex decimis provenientes, quos inter proprios Beneficiatos diſtribuebat.

Quartum, quod Beneficia prædicta erant Patrimonialia, & debebantur natis, & baptizatis in Eccleſia Parochiali loci, ubi beneficia ſita erant, & intitulata, ſervata tamen forma Concurſus, præſcripta in motu proprio Clementis VIII.

Quintum, quod ex triginta duobus Beneficiatis tunc non exiſtebant, niſi quatuor ex natis, & baptizatis in viginti quatuor Eccleſiis Filialibus, & quod reliqui viginti octo erant Populares Villæ S. Petri, quodque idcirco in præſentationibus Capituli, ſeu Collegii, ſemper præferebantur nati in Villa S. Petri, licet alii nati in aliis locis ſupradictis eſſent numero plures, & Eccleſiæ Matrices majores decimas reciperent ex natis in dictis locis, quam ex aliis natis in Villa S. Petri.

Cohærenter ad hæc, cum propoſitum fuiſſet ſequens dubium, *an ſit locus diſtinctioni, & diviſioni Beneficiorum pro rata decimarum, & fructuum, qui ſolvuntur Capitulo Villæ Manrique a Populis viginti quatuor Aldearum dictæ Villæ, ita ut ad eadem Beneficia in concurſu ſint præferendi Filii Patrimoniales dictarum Aldoarum*, reſponſum fuit *die* 15. *Januar.* 1718. *affirmative ad formam aliorum Decretorum.*

Ad normam hujus reſolutionis expeditum fuit Breve cum ſolita clauſula: *Salva auctoritate hujus Sacræ Congregationis*, & in dicto Brevi commiſſum fuit Epiſcopo Calaguritano, ut ad menſuram decimarum, quæ a Populis viginti quatuor Aldearum Villæ Manrique Capitulo ejuſdem Villæ perſolvebantur, numerum portionum Beneficialium Populis prædictis aſſignaret, & Patrimoniales dictarum Aldearum, dummodo alias eſſent approbati, ad proprias portiones præferri mandaret, ſervata in reliquis forma motus proprii Clementis VIII. ſed reclamante Capitulo, & Beneficiatis quatuor Eccleſiarum Villæ S. Petri Manrique, qui ſuas antecedenter non deduxerant rationes, & inſtantibus pro nova audientia, Sacra hæc Congregatio die 2. Decembris 1719. novam audientiam conceſſit, & ſuperſederi juſſit in executione Brevis, per ſex menſes a die intimationis in partibus faciendæ computandos. Cumque, hoc minime obſtante, plura dicantur geſta a Curia Epiſcopali, bina fuerunt propoſita dubia. Primum, *an eſſet ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die* 15. *Januarii* 1718. & reſcriptum fuit *pro receſſu a deciſis*; & ſecundum fuit, *an, & quomodo eſſet locus ulteriori purgationi Attentatorum*, & ſuper hoc nulla fuit capta reſolutio, ſed dictum *dilata*; cumque ſuper hoc poſtremo dubio non reſoluto nova jura circumferantur, quæritur,

An, & quomodo ſit locus ulteriori purgationi Attentatorum, in caſu &c.

Sacra Congr. die 27. Julii 1726. reſpondit,
Eſſe locum purgationi Attentatorum, & pro hujuſmodi effectu eſſe circumſcribendas Proviſiones factas, & indicendum coram Ordinario Concurſum ad formam reſolutionis Sac. Congregationis die 13. *Aprilis currentis anni.*

QUÆSTIO DIV.

In Cauſa Placentina, die 13. Aprilis 1726.

AB anno circiter, ut ſupponitur 1628. unus, idemque Parochus binas adminiſtravit Parochias, alteram S. Mariæ *Loci Retorti*, alteram Sancti Michaelis *Loci Rompegii*, cumque ſecuta harum Parochialium vacatione, homines Villarum *Silvæ*, & *Retorti* comparuiſſent coram Epiſcopo Placentino, & inſtetiſſent pro ſeparatione ſuæ antiquæ Parochialis *Sanctæ Mariæ* ab altera *Sancti Michaelis*, & promptos ſe dixiſſent ad ſupplendum de proprio pro ſubſtentatione ſeparati Rectoris, quatenus bona pertinentia ad dictam ſuam Parochiam *Sanctæ Mariæ* pro Rectoris ſubſtentatione non ſufficiſſent, ſuaque ſpe fruſtrati, vidiſſent, Sacerdotem Joannem Paulum de Zazzera poſt expeditas Bullas pro Eccleſia *Sancti Michaelis* cum expreſſione, quod ejus, & annexorum fructus non aſcendebant ad ſexaginta duo ducata auri, poſſeſſionem etiam cepiſſe ſuæ Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ*, exorta eſt lis, quæ fuit ad hanc Sacram Congregationem delata, cum facultate etiam procedendi ad diſſolutionem Unionis, tranſportatoque proceſſu, per Epiſcopum Placentinum confecto, qui illum ſine particulari informatione tranſmiſit, remiſſive ſe habendo ad jura in eodem pro utraque Parte deducta, bina in præſenti diſputanda dubia proponuntur relata ad calcem reſtrictus.

Homines itaque Villarum *Silvæ*, & *Retorti* putant, eſſe locum diſſolutioni Unionis, & conſequenter reſtitutioni omnium redituum ad Eccleſiam *Sanctæ Mariæ* pertinentium, & applicandorum pro ſuſtentatione ſeparati Rectoris.

Primo, quia ſupponunt, Unionem proceſſiſſe ex parvo numero habitantium in Villis *Retorti*, & *Silvæ*, & ex redituum inſufficientia pro Rectoris ſubſtentatione; cumque modo tercentum degant homines in dictis Villis, & ipſi ſint parati ad augendam ſummam annuam neceſſariam pro dicta ſubſtentatione in caſu, quo bona Parochiæ non ſufficerent, inferunt, ceſſare cauſam Unionis, & ſic eſſe locum ejus diſſolutioni.

Et eo fortius, cum tam ex juris præſumptione, quam ex actis Viſitationum factarum de tempore in tempus ab Epiſcopis, & ex onere injuncto Parochis uno die feſto celebrandi miſſam in una Eccleſia, & altero die feſto in alia, & conſervandi uno anno Oleum ſanctum in una, & alio anno in alia Eccleſia, putent, has Eccleſias habendas eſſe pro æque, & principaliter inter ſe unitis.

Secundo, quia Rector harum Eccleſiarum, qui tenetur alternis diebus feſtivis Miſſam celebrare in memoratis Eccleſiis, tenetur etiam ſtatutis Anni temporibus in ſolemnitatibus, ſcilicet Paſchatis Reſurrectionis, Penteceſtes, Innocentium, Sanctorum Viti, & Modeſti, Sancti Bernardini, & Rogationum, & omnibus aliis diebus, quibus Sacramentum defertur ad homines Loci Canadelli, Miſſam celebrare in ejuſdem loci Eccleſia, cumque unus, idemque Rector hæc omnia explere non poſſit, infertur ad neceſſitatem diſſolutionis Unionis.

Tertio, quia inter Eccleſiam Sanctæ Mariæ, & Eccleſiam Sancti Michaelis intercedit Flumen Nuriæ latitudinis *Cannarum* 41. *& palmorum* 4. quod aliquando adeo intumeſcit, ut illud homines tranſire non poſſint, qua de cauſa factum eſt, ut aliquando nonnulli ſine Sacramentis deceſſerint, nec die feſto ſatisfecerint præcepto de Miſſa audienda, in quo rerum ſtatu eo magis aſſerunt, etiam juxta Sacros Canones eſſe locum diſſolutioni Unionis, cum de Fluminis præcipitantia non ſit dubitandum, ex quo aliquando accidit, ut molendina fuerint devaſtata ab impetu ſaxorum, quæ per illud devolvuntur.

Quarto demum, quia licet tam ab Epiſcopis pro tempore, quam a Commiſſariis demandata fuerit retentio, & manutentio Pedagii ſuper Flumen, ut ejus ope homines tranſire poſſent, id tamen nunquam potuit obtineri, ex quo vel propter Fluminis latitudinem trabes adeo longæ reperiri non poſſunt, quæ pro tranſitu ſufficiant, vel quia cum trabes ab impetu Fluminis aſportentur, inutile remanet Pedagii remedium, uti latius habetur in ſcriptura prædictorum hominum Villarum Silvæ, & Retorti, quæ per manus circumfertur.

E contra, Sacerdos Joannes Paulus Zazzera excipit non eſſe locum diſſolutioni Unionis, & diſmembrationi unius Eccleſiæ ab alia ſine juſta, & neceſſaria cauſa, cui aliter occurri non poſſit, quam per dictam diſmembrationem, & inquit, cauſam prædictam nunc non adeſſe, tum quia una Eccleſia diſtat ab alia per ſpatium unius milliarii, tum quia Flumen intermedium, ſi aliquando tumeſcit, poſt modicum tempus detumeſcit, & etiam quando tumeſcit poſſunt homines ire, & redire, dummodo Pedagium juxta regulas artis fiat, & conſervetur. Addit, quod tota Diœceſis Placentina a Fluminibus interfecatur, & quod ſi petita concedatur ex dicto capite diſmembratio, plures aliæ Novæ Parochiæ erunt in dicta Diœceſi erigendæ, & quod ipſe non habet in annuo reditu, niſi

tu, nisi scuta quadraginta novem monetæ Romanæ, quæ sibi supersint, deductis oneribus, & in eo, quod attinet ad eos, qui decesserunt sine Sacramentis, inquit, eos fuisse tres, aut quatuor, qui sic mortui sunt spatio annorum quadraginta; item ignorari, an id contigerit ex eorum obitu repentino, vel ex exaggerata difficultate Flumen transeundi, & demum, quod prædicta non contigissent, si Villarum homines aptum Pedagium, prout sunt obligati, fecissent, qua in re concludit totum negotii momentum consistere.

Jura quoque Sacerdotis circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An sit locus dissolutioni Unionis Ecclesiæ Parochialis Villarum Retorti, & Silvæ ab altera Ecclesia Parochiali Villæ Rompeggi, sive potius servanda sit Unio in casu &c. Et quatenus affirmative quoad primam partem.

II. An modernus Parochus Ecclesiæ Rompeggi teneatur ex nunc restituere omnes reditus alterius Ecclesiæ Parochialis dd. Villarum Retorti, & Silvæ, pro substentatione novi Rectoris in casu, &c.

Sacra Congr. respondit,

Cappellanus Curatus pro nunc constituatur in Ecclesia S. Mariæ loci Retorti expensis Parochi, & scribatur Episcopo juxta instructionem.

QUÆSTIO DV.

In Causa Reatina, die 13. Aprilis 1726.

CUM Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Reatinæ procedere deberet ad venditionem domus, sibi una cum aliis bonis, relictæ a Canonico de Giongirlamis defuncto, ut ejus debitis satisfaceret, & reliquum investiret pro injuncto onere Missarum, eam æstimare fecit a peritis, qui retulerunt, ipsius valorem esse in scutis bis mille. Cumque subinde devenisset ad affixionem Edictorum, & ultra domum venditioni exposuisset quædam mobilia inferioris conditionis, reservata sibi expressa facultate eligendi inter Oblatores eum, qui sibi magis profcuus visus fuisset, duo Oblatores comparuerunt, Tiburtius videlicet Mongallus, qui per interpositam personam obtulit scuta bis mille trecentum, & Antonius Gaspar Augustinus, qui per medium alterius personæ obtulit scuta bis mille trecentum sexaginta, sed cum tunc nihil actum fuisset, licet utriusque Licitatoris oblationes devenissent ad summam scutorum bis mille quingentorum, operæ pretium fuit devenire ad affixionem secundi Edicti, in cujus sequelam, cum Antonius Gaspar de Augustinis obtulisset summam scutorum bis mille quingentorum, & viginti, & eandem summam illico etiam Mongallus obtulisset, prævio Episcopali Decreto, & in sequelam reservatæ facultatis præferendi Oblatorem sibi magis bene visum, major pars suffragiorum prælegit Mongallum, cum quo etiam subinde publicum venditionis confecit Instrumentum, reservato Apostolico beneplacito, ante cujus tamen impetrationem, quinimmo ante pretii solutionem, & ante captam possessionem, accessit Sebastianus Bacconus, qui majorem fecit oblationem, in scutis videlicet bis mille sexcentum, & quinquaginta, exortaque lite, eadem ab Auditore Sanctissimi ad hanc Sacram Congregationem remissa fuit.

Sebastianus Bacconus prætendit, Apostolicum beneplacitum esse in sui favorem expediendum, cum sua oblatio cæteras superet oblationes, & in tempore advenerit, ante videlicet pretium persolutum, ante traditam possessionem, & ante beneplaciti expeditionem.

Mongallus e contra excipit, quod oblatio Bacconi non ante, sed post stipulatum Instrumentum supervenit, & quod ab offerente fuit retractata, ita ut perinde se haberet, ac si facta non fuisset.

Et in eo, quod attinet ad aliam oblationem Antonii Gasparis de Augustinis, subdit Mongallus, Capitulum Reatinum bene potuisse suam præeligere, cum facultatem præeligendi sibi expresse reservasset, & cum prælectio fundamentum haberet in eo, quod Mongallus acquisita domo, suum domicilium erat translaturus ad ipsam Civitatem Reatinam; non attento, quod licet pares essent Antonii Gasparis de Augustinis, & ipsius Mongalli oblationes, illa tamen huic præferenda videbatur, utpote prior in tempore; tum quia in eodem actu sive in ipso cursu actus utraque expleta fuit, ita ut nec prius, nec posterius valeat inter eas considerari, tum quia semper jus præeligendi penes Capitulum remanebat, quo, teste etiam Episcopo in Relatione, rationabiliter usum est favore Mongalli.

Adversus hæc excipit Antonius Gaspar de Augustinis, & ait primo, quod in primo Edicto nulla fuit reservata facultas præeligendi, sed dictum fuit domum majori Oblatori esse deliberandam; cumque ipse prior fuerit in tempore in offerenda summa scutorum bis mille quingentorum, & viginti, hinc infert, tunc venditionem debuisse pro se expediri, cum de jure non admittatur oblatio pro eadem summa, quam alius obtulerat. Ait secundo, quod licet in secundo Edicto Capitulum sibi reservasset facultatem præeligendi, id tamen sibi præjudicium afferre non poterat, tum propter jus sibi in primo actu quæsitum, tum quia non videtur, quod Capitulum uti voluerit jure reservato præeligendi, cum perlegendo actum Capitulare, nulla in ipso facta fuerit mentio posterioris Edicti.

Jura circumferuntur; Quocirca quæritur,

An, & cujus favore beneplacitum Apostolicum sit concedendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Beneplacitum Apostolicum esse concedendum favore Tiburtii Mongalli.

QUÆSTIO DVI.

In Causa Urbis, die 13. Aprilis 1726.

EXHIBITUS fuit Sanctissimo Domino Nostro supplex libellus, in quo pauperes Sacerdotes, qui ut plurimum vivunt ex eleemosyna Missæ, instant, ut eleemosyna Missæ manualis, quæ in Urbe est ad rationem unius julii pro qualibet Missa, augeatur. Cumque a Sanctitate Sua preces fuerint remissæ ad hanc Sacram Congregationem, & Eminentissimus Urbis Vicarius remissive se habeat ad id, quod ab hac Sacra Congregatione determinabitur, disputandum in præsenti proponitur Dubium mox referendum. Secretarius ad calcem nonnulla adnotavit pro instantia, & nonnulla contra instantiam, quibus solita maturitate perpensis, quæritur,

An, & in qua quantitate eleemosyna manualis Missæ augenda sit in Urbe in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Nihil esse innovandum, & ad mentem.

DISCURSUS SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

In quo referuntur fundamenta, tam pro, quam contra instantiam promotam de augmento eleemosynæ Missæ Manualis in Urbe.

NONNULLA sunt præmittenda; Primum est, antiquum esse morem offerendi Denarium pro Missa. Cæteris etenim prætermissis, Joannes Monachus in vita S. Petri Damiani hæc habet *cap.* 2. de eodem Petro adhuc Puero: *Petrus quadam die nummum reperit, & tanquam jubito dives effectus gratulabundus, quid eo mercari aptius posset, diu mente revolvere cœpit. Divinitus tandem inspiratus ait; Melius est, ut tradam Presbytero, qui Deo Sacrificium offerat pro Patre meo defuncto.* Et quod caput est, Fidelis Populi ad Sacrificium oblatio est antiquissima, & ab ipsis Apostolis instituta, uti habetur ex Justino Martyre, Tertulliano, & aliis vetustissimis Patribus; cumque hæc oblatio consisteret in pane, & larga vini amphora, quorum solummodo modica pars consecrabatur, & reliqua massa in commodum Sacerdotis, & Cleri cedebat, variatio temporum, & circumstantiarum fuasit, ut dicta oblatio in denarios mutaretur, & quia devotionem hanc avaritia Laicorum diminuerat, aut propemodum extinxerat, opus fuit, ut Episcopi taxarent Missæ denarium, uti eruditе ostendit Christianus Lupus *ad Concilia Generalia, & Provincialia tom. 3. editionis Bruxellensis pag. mihi* 182. *& sequen.*

Secundum est, quod licet a Sacrosancta Tridentina Synodo prohibeantur cujusvis generis conditiones, & pacta pro missis celebrandis, uti habetur *Sessione* 23. *in Decret. de observandis, & vitandis in Missæ celebratione*, licitum nihilominus est Sacerdoti pecuniam recipere pro Missa, non quasi pretium Missæ, sed in causam suæ substentationis, juxta Doctrinam Divi Thomæ *Secundæ secundæ quæst.* 100. *art.* 2. *ad secundum*, ibi: *Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiæ, aut Missæ decantandæ, hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ substentationis:* & rursus in *quartum sentent. dist.* 25. *quæst.* 3. *artic.* 2. *quæstiuncula prima ad quartum*, ibi: *facere pactionem de Missa celebranda est simoniacum semper, si tamen non habet alios sumptus, & non tenetur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicuti conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi substentamentum vitæ:* quod ipsum prosequuntur Theologi recentiores, *Cardinalis de Lugo de Sacram. Eucharistiæ disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 13. *Pasqualig. de Sacrif. novæ legis quæst.* 903. *num.* 5. *Maurus in Theolog. tom.* 3. *lib.* 12. *quæst.* 218. *num.* 4. *Grandin. in Theolog. tom.* 5. *disput.* 2. *de Eucharistia ut Sacrificium sect. proxima de stipendio num.* 1.

Tertium est, communiori calculo reprobatam esse opinionem illorum, qui voluerunt, justam pro Missa eleemosynam esse illam, quæ requiritur, ut Sacerdos celebrans die celebrationis vivere possit, tum quia inutilis esset Sacrorum Canonum dispositio, quæ præscribit, ut nemo ordinari possit, nisi ad titulum Beneficii, vel patrimonii, uti argumentatur *Gibalin. l. de simonia quæst.* 18. *consect.* 7. *num.* 4. tum quia per alia media honesta potest Sacerdos celebrans sibi quærere victum qualibet die, uti bene ponderat *Suarez in tertiam partem Divi Thomæ tom.* 3. *disput.* 86. *art.* 6. *sect.* 2. *concluf.* 3. ibi: *Quia Sacerdos non tantum habet hoc ministerium, sed etiam exercet alias actiones sacras, ratione quarum potest aliquid in substentationem recipere ex Fidelium largitionibus, vel aliis Ecclesiasticis reditibus:* & late prosequuntur *La Croix in Theolog. Moral. tom.* 2. *par.* 2. *de Sacrif. Missæ num.* 126. *Rosignol. de Eucharist. tom.* 15. *quæst.* 12. *art.* 1. *dissert.* 3. *num.* 11. *& sequen. Diana in Edit. Coordinata tom.* 2. *tract.* 1. *resolut.* 22. *num.* 17. Adeoque bene subdit *Juenin. de Sacram. dissert.* 5. *quæst.* 7. *de Sacrificio Eucharistiæ artic.* 5. ibi: *Sed monitum velim Lectorem, rationi consonam non esse consuetudinem, quæ illud stipendium definit ex summa, quæ satis sit Sacerdotis in unam diem substentationi, ratio est, quia stipendia non conferuntur ad integram Presbyteri substentationem, sed ad illius adminiculum; Nec mirum, quippe quod Sæculares Sacerdotes fruantur, aut titulis Patrimonialibus, aut Beneficiis, quæ teneant eorum locum, vetant nempe Canones, ne Sæculares ordinentur, quin sufficienti ad vitam titulo, Mendicantes vero a Populo fideli supponuntur recipere eleemosynas, quibus vescantur, nec enim ad Monasterium admitti debent plures, quam consuetæ eleemosynæ substentare valeant.*

Quartum est, quantitatem eleemosynæ, & justam ejus taxam desumendam esse, vel a communi consuetudine, quæ vigeat in Diœcesi, vel a Lege Synodali, aut a Decreto Episcopi, uti docent *Suarez in tertiam partem Divi Thomæ tom.* 3. *quæst.* 86. *sect.* 2. *in prima, & secunda Conclusione, Maurus tom.* 3. *loco citato num.* 8. *Rosignol. de Eucharistia tom.* 15. *quæst.* 12. *de stipendio Missæ artic.* 3. *num.* 5. *Bonacin. oper. moral. tom.* 1. *disput.* 4. *de Sacram. Eucharist. punct.* 8. *propos.* 2. *num.* 8. *Tamburin. de Sacrif. Missæ lib.* 3. *cap.* 1. §. 1. *num.* 2. & est sententia hujus Sacræ Congregationis, quæ die 15. Novembris 1698. *lib.* 48. *decret. pag.* 548. in Causa Aprutina ita respondit: *Episcopus disputanda proposuit hæc dubia. Primo, quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium, secundo quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a Fundatoribus &c. Sacra &c. ad primum, & secundum censuit, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem Synodalem, quatenus adsit, sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem ejus arbitrio.*

Taxataque per consuetudinem localem, vel legem Synodalem, aut Episcopi Decretum eleemosyna, id operatur, ut Sacerdotes plus exigere non possint, aut accipere, præcedente pacto implicito, vel explicito, sed non facit, ut ampliorem eleemosynam sibi sponte oblatam acceptare non possint, *Cardinalis de Lugo resp. moral. lib.* 5. *dub.* 18. *Pellizzar. in manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 5. *cap.* 9. *num.* 56. *Bonacin. operum moral. tom.* 1. *de Sacram. Eucharistiæ disput.* 4. *quæst. ultima punct.* 8. *propos.* 2. *num.* 9. *& seqq.* Fuitque resolutum ab hac Sacra Congregatione in causa Pistorien. 16. Januarii 1649. *lib.* 18. *decret. pag.* 575. *a tergo;* proposito enim sequenti dubio, *an possit Episcopus prohibere sub pœna Censuræ*

rum Laicis, ne pinguius stipendium Taxæ solvant Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus Missam celebrantibus, & quod iidem Sacerdotes illud acceptare non possint etiam a sponte dantibus, Sacra Congregatio respondit *prohiberi non posse, ideoque moderandum Decretum.* Ita ut sola difficultas consistat in puncto, an Ordinarius statuere valeat, quod Sacerdotes pro Missa non recipiant quid minus eleemosyna taxata, in quo nonnulli negative responderunt, *Gibalin. de simonia quæst.* 18. *consect.* 7. *sub num.* 5. *Azor. instit. moral. part.* 3. *lib.* 12. *cap.* 6. *in fine*, alii affirmative respondent concurrentibus circumstantiis, uti late habetur apud *Pasqualig. de Sacrificio Missæ quæst.* 928. *num.* 3. *& seq.* & adhæsit hæc Sacra Congregatio *in S. Severini eleemosynæ Missarum* 16. *Julii* 1689. ibi: *Episcopus narrat Sacrosanctum Missæ Sacrificium quodammodo vilescere, dum Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynæ dimidii Julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri Julii pro qualibet Missa, imponendo pœnam Celebrantibus pro minori quantitate. Sacra &c. respondit affirmative, quoad eleemosynam manualem.*

Ultimum tandem est, quod in taxatione eleemosynæ habenda est ratio circumstantiarum loci, & temporis, & signanter caritatis, vel vilitatis annonæ, uti cæteris allegatis prosequitur *Pasqualig. quæst.* 925. ibi: *Stipendium datur propter substentationem licet non totalem, ergo debet esse proportionatum illi partiali substentationi, pro qua datur, ita ut sufficiens sit pro illa comparanda. Ergo ubi victualia pluris veneunt, requiritur majus stipendium ut possint comparari, & ubi minoris veneunt, sufficit minus stipendium;* & confert resolutio hujus Sacræ Congregationis *in Nullius Lerenæ* 7. *Decembris* 1675. *lib.* 29. *Decret. pag.* 178. *a tergo*, ibi: *Clerus stante augumento pretii rerum pro victu necessariarum petit augumentum etiam eleemosynæ Missarum, Sacra &c. audita relatione Prioris Lerenæ Sancti Jacobi de Spatha in Provincia Legionensi, eidem benigne commisit, ut veris existentibus narratis pro Missis perpetuis in posterum fundandis taxam eleemosynæ augeat ad octo regalia monetæ nuncupatæ di Villon, pro Missis autem manualibus ad quatuor. Et perspectis tabellis, fundationibus, testamentis, aliisque documentis, & vocatis, qui fuerint vocandi, onera hactenus acceptata, vel fundata gratis moderetur, atque reducat ad rationem quatuor regalium pro qualibet Missa. Ita tamen, ut si reditus augeantur, vel causæ augmenti Taxæ hujusmodi cessent, augeatur proportionabiliter numerus ipse Missarum, quod in actu visitationis præsertim erit inspiciendum.*

His præmissis, facit pro augmento eleemosynæ manualis Missæ in Urbe, quod si ex supradictis datur eleemosyna pro partiali substentatione Sacerdotis Missam celebrantis, si pariter ex supradictis Justitia Taxæ constituitur in circumstantiis loci, & temporis, & signanter in majori, vel minori pretio rerum pro substentatione necessarium; nemo est, qui non videat, julium unum pro qualibet Missa non constituere posse in Urbe partialem substentationem Sacerdotis celebrantis, & eo fortius, cum eleemosyna Missarum in Civitate Viennæ sit obulorum viginti quinque, in Civitate Mediolanensi diebus ferialibus sit unius julii, & tertiæ partis ejusdem julii, & diebus festivis quantitas prædicta duplicetur; & in Civitate Venetiarum sit in julio uno cum dimidio diebus ferialibus, & diebus festivis augmentum suscipiat, & demum in Civitatibus Bononiæ, & Ferrariæ memorata eleemosyna sit in duodecim obulis, & Ferrariæ in quindecim obulis diebus festivis, quæ profecto exempla suadent esse posse locum petito augmento in Urbe, in qua absque dubio annona carior est, quam in prædictis aliis Civitatibus, & ad quam tot exteri confluunt miserabiles Sacerdotes, qui vivunt cum sola eleemosyna Missæ, & carent Beneficio, & Patrimonio, aut propter passa infortunia, aut ex aliis causis, quæ etiam si culposæ essent, id tamen non facit, quin eis succurrendum sit, ne in dedecus characteris sacerdotalis ad mendicitatem redigantur.

Plura e contra sunt, quæ suadent, locum esse non posse petito augmento eleemosynæ Missæ. Primum est, quod a qualibet novitate cavendum esse videtur. Secundum est, quod eo fortius a novitate cavendum est, quando eadem viam aperire posset dicteriis Laicorum, pro ut contingeret in casu, de quo nunc agitur, in quo Laici augmentum referrent ad avaritiam. Tertium est, quod victualia Romæ non sunt in pretio excessivo, si tractetur de victualibus necessariis, & non voluptuosis. Quartum est, quod a tempore, quo introducta fuit taxa unius julii pro Missa ad tempus præsens, ignoratur, quod ulla contigerit variatio pretii in victualibus, qua

variatione deficiente, etiam juxta ſupradicta ceſſat augmentum eleemoſynæ. Quintum eſt, quod experientia teſte, aut quia calamitates temporum excreverunt, aut quia Fidelium devotio decrevit, minor hodie eſt in Urbe numerus Miſſarum manualium, quam eſſet annis præteritis, & incongruum profecto eſſet, quod decreſcente numero Miſſarum manualium, augeretur eleemoſyna earundem. Sextum eſt, quod abundantia Miſſarum manualium in Urbe, ut plurimum provenit ex obitu Magnatum, qui conſpicuum numerum Miſſarum pro ſuis animabus celebrandarum in Teſtamento relinquunt, cum exiſtiment multiplicationem Suffragiorum ſibi eſſe maximopere profuturam, quia licet valor Sacrificii ex opere operato ſit infinitus, in actu primo, talis tamen non eſt in applicatione, & in actu ſecundo, juxta doctrinam Divi Thomæ *in quart. Sent. diſt.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 4, *quæſtiunc.* 2. & 3. *par. quæſt.* 79. *art.* 5. cum aliis, quos cumulat, & ſequitur *Paſqualig. quæſt.* 119. *num.* 4, & 5. & adhæret *Clericat. de Sacrif. Miſſ. deciſ.* 33. *n.* 35. & *ſeqq.*, quo ſtante, ſi augeretur eleemoſyna manualium Miſſarum, nullo negotio, aut Teſtatores, aut hæredes Miſſas relictas demandarent celebrandas, aut celebrare facerent extra Urbem in locis, in quibus minor eſt elegemoſyna Miſſæ manualis. Octavum eſt, quod in Civitate Neapolis, in Regno Neapolitano, in Piceno, & Umbria, aliiſque finitimis Regionibus, multi abſque dubio, & multi pauperes reperiuntur Sacerdotes, qui, audito augmento Eleemoſynæ in Urbe ad eam cito advenirent, ut majorem conſequerentur Eleemoſynam, ea, quam habent, aut unquam ſunt habituri in Patria ſua, prætermiſſiſque inconvenientibus, quæ ex multiplicato pauperum Sacerdotum numero in Urbe facile ſequerentur, illud ad rem, de qua nunc agitur, magna ponderatione dignum eſſe videtur, quod augeretur numerus Sacerdotum, quando numerus Miſſarum minoratur, aut quia minoratio cauſam habet a temporum infortuniis, vel a tepidiori Fidelium devotione, ſeu denique ex tranſmiſſione, quæ fiet, Miſſarum extra Urbem celebrandarum, quoties in Urbe earum eleemoſyna augeatur, juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt. Ultimum denique eſt quod in nulla alia Civitate poſſunt Sacerdotes magis honeſtam, ſi velint, habere ſubſtentationem, ultra Miſſæ eleemoſynam, quam habeant in Urbe, Prætermiſſo quippe, quod in Urbe tot degunt Eminentiſſimi Cardinales, tot degunt Illuſtriſſimi Præſules, tot demum Magnates, quorum famulatui, in Officio ipſorum characteri proportionato adſcribi poſſunt, ſi ſint idonei, poſſunt eſſe Coadjutores Parochorum, & Confeſſarii Monialium, aut confeſſiones excipere in Eccleſiis, pro quo munere adimplendo, congrua non deſunt ſalaria; ſi aliqualem cantus peritiam habent, plures adſunt pro his Cappellaniæ nedum in Choris Baſilicarum, & Collegiatarum, ſed etiam in Choris aliarum Eccleſiarum, puta Sanctiſſimæ Trinitatis Peregrinorum, Sancti Jacobi Incurabilium, Sancti Rocchi, & aliarum; ſi Grammaticam calleant, poſſunt eſſe Magiſtri, & Repetitores Scholarum; ſi competenter ſcribere ſciant, prompræ, & paratæ ſunt occaſiones, ſcripturas in ſuis domibus exemplandi; ſi denique his omnibus qualitatibus careant, Pædagogi eſſe poſſunt Puerorum in Collegiis, & etiam extra Collegia, & demum cum multi ſint, qui ex obligatione tenentur ad faciendum Miſſas celebrare diebus Feſtivis in Eccleſiis ruralibus, ſi pro hac celebratione, juxta morem duplicata, aut etiam triplicata perſolvitur eleemoſyna, omnia hæc aut ſingillatim, aut collective ſumpta oſtendunt, quod ultra Beneficium, aut Patrimonium, ſine quo Sacerdotes ordinari non poſſunt, ultra eleemoſynam Miſſæ manualis, plures alii ſuperſunt in Urbe modi, quibus Sacerdotes aut totalem, aut partialem poſſunt recipere ſubſtentationem, ita ut locus non ſit petito augmento eleemoſynæ, ſed alicui potius providentiæ, quod Miſſæ in Urbe celebrandæ ad rationem unius julii pro qualibet, extra Urbem, uti fit, non tranſmittantur, ut celebrentur in locis, in quibus eleemoſyna eſt julio minor, & quod ulterius julius integer Sacerdoti celebranti perſolvatur, cum in pleriſque Sacrariis unus obulus retineatur pro utenſilibus in præjudicium Celebrantis contra edictum ſanctæ memoriæ Clementis XI. in ejus Bullario pag. 319. Sumpta quippe hac providentia, amplior erit numerus Miſſarum manualium in Urbe, & Sacerdotes integram habebunt manualem.

Et hæc ſunt, quæ pro utraque parte dici poſſunt, & quæ operæ pretium exiſtimarunt fuit EE. VV. exponere, ut prudens, & de more aptum in re, de qua nunc agitur, conſilium Sanctiſſimo præſtari poſſit.

QUÆSTIO DVII.

In Cauſa Fulginatenſi, die 4. Maii 1726.

SOCIETAS Sancti Leonardi erecta eſt in Eccleſia Beatæ Mariæ de Planctu, & eſt intra limites Parochialis Eccleſiæ Sancti Salvatoris Civitatis Fulginaten.

Anno 1703. Confratres poſt redactam propriam Eccleſiam in ampliorem formam, obtinuerunt indultum retinendi in ea SS. Euchariſtiæ Sacramentum; & die ultima Aprilis poſt expoſitionem 40. Horarum ſolemnem faciunt Proceſſionem ſingulis annis per Civitatem cum delatione Sanctiſſimi Sacramenti.

Exorta eſt quæſtio, an delatio Venerabilis facienda ſit a Cappellano Confraternitatis, vel potius a Parocho, auditoque Ordinario, ſuam ille tranſmiſit relationem, in qua jura utriuſque partis compendioſe referuntur.

Parochus innititur diſpoſitioni Juris, qua attenta contendit, delationem Venerabilis, & Benedictionem ad ſe pertinere debere, juxta deducta per *Monacell. in Formular. tom.* 2, *pag.* 17, *num.* 67. & *per modernum Epiſcopum Anagninum in ſuo Tractatu de Sodalitiis quæſt.* 12. *n.* 5. & concordant reſolutiones hujus Sac. Congregationis in Synodo Farfenſi clar. memoriæ Card. Caroli Barberini cap. 35. *de Confraternitatibus Laicorum n.* 8.

Addit, Parochos Anteceſſores fuiſſe in poſſeſſione deferendi Sanctiſſimum Sacramentum, & conſimilem conſuetudinem vigere, quoad cæteras Confraternitates Civitatis Fulginaten., quando ab ipſis fit Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti poſt Expoſitionem 40. Horarum.

Confraternitas contra excipit, delationem Venerabilis, & Benedictionem ſuper Populo non eſſe de juribus meræ Parochialibus, juxta Decreta generalia Congregationis Sac. Rituum anni 1703. diſputato etenim XI. dubio concepto ſequentibus verbis: *An expoſitio* 40. *horarum, & Benedictio, quæ fit ſuper Populo, ſit de dd. Juribus meræ Parochialibus*, & huic Dubio reſponſum fuit *negative*.

In eo, quod attinet ad poſſeſſionem, Confraternitas excipit, quod Sacramentum deferebatur a Parocho, quando Proceſſio incipiebat ab Eccleſia Parochiali, ſed poſtquam Proceſſio inchoari cœpit ab Eccleſia Confraternitatis, illud quidem fuit delatum a Parocho, ſed tanquam Confratre, non tanquam Parocho.

Et in eo, quod ſpectat ad conſuetudinem Civitatis, ait, ſeptem in ea eſſe Confraternitates, & in ſex deferri Venerabile a Cappellanis earumdem, & in una tantum a Parocho.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An Delatio Venerabilis in Proceſſione, quæ ſingulis annis fieri ſolet die ultima Aprilis, ſit faciendæ a Cappellano Confraternitatis, vel potius a Parocho in caſu &c.

Sacra Congr. die 18. Maii 1726. reſpondit,
Delationem eſſe faciendam a Cappellano Confraternitatis de licentia Epiſcopi.

QUÆSTIO DVIII.

In Cauſa Mantuana, die 4. Maii 1726.

COMES Theodoſius Panizza Delfini huic Sacræ Congregationi ſupplicavit pro facultate fabricandi quamdam parvam manſionem a latere ſiniſtro Eccleſiæ Parochialis S. Cathaldi Diœceſis Mantuanæ, & in eadem aperiendi duas feneſtras proſpicientes verſus Altare majus, ut ipſe cum ſua Familia Miſſam audire, & cæteris Divinis Officiis intereſſe poſſit, cui ſupplicationi cum ſe oppoſuerit Comes Joannes Facchinus Cattaneus, una cum aliis quibuſdam litis conſortibus, delata eſt controverſia ad hanc Sacram Congregationem.

Fundamentum Comitis Panizza conſtituitur in majori quantitate bonorum a ſe in loco poſſeſſorum, in magnis beneficiis a ſua Familia præſtitis Eccleſiæ, tum quoad ampliationem ejuſdem, tum quoad ſubminiſtrationem fundi pro Turri Campanaria conſtruenda, & demum quoad largitionem Sacrarum Supellectilium, quibus addit obſervantiam, cum inferiores Benefactores in aliis Diœceſis Eccleſiis conſimili prærogativa fruantur.

E contra Comes Facchinus inquit, non eſſe petitioni indulgendum, tum quia non eſt hoc cæremoniale diſcrimen introducendum inter Familiam Panizzam, & cæteras familias nobiles in eodem loco bona poſſidentes, tum quia non ſunt adeo magna, ſicuti exaggerantur, beneficia Eccleſiæ collata a Familia Panizza, cum alii etiam Parochiani multum de ſuo pro Eccleſia contulerint, & demum quia agitur de ſervitute Eccleſiæ imponenda, quæ eſt inſueta, ex quo Comes Panizza non habet ſuam domum Eccleſiæ contiguam, ſed ab ea diſtantem, & intendit fabricare cubiculum prope Eccleſiam, & in eo aperire feneſtras in Eccleſiam proſpicientes.

Auditus fuit Epiſcopus Mantuanus, qui remiſſive ſe habet ad EE. VV. arbitrium.

Materia Feneſtrarum in Eccleſias proſpicientium eſt de genere prohibitorum, juxta *Textum in Clementina prima de ſententia excom.* quæ regula tamen limitatur in Patrono, qui in limine fundationis id ſibi reſervaſſet juxta tradita per *Piguatel. conſult.* 129. *n.* 17. *tom.* 4. & *per Monacel. tom.* 1. *pag.* 149. *n.* 17. & 18. Ex Epicheja quadam videtur, quod eſſe poſſit locus conceſſioni, quando agitur de Barone, qui etiam eſſet inſignis Benefactor, nec res eſſet de aperienda feneſtra in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata, uti proſequitur *Pignatell, loco citato n.* 25. & 26. & adnotavit *Cardinalis de Luca diſcurſ.* 16. *de ſervitutibus*, Sacrarum Congregationum decreta aperitionem feneſtrarum prohibentia fuſe referuntur *apud modernum Urſaya tomo* 4. *par.* 2. *diſcept.* 14. *n.* 34. & *ſequentibus*.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An ſit locus gratiæ pro aperitione feneſtrarum, & conſtructione manſiunculæ ad effectum audiendi Miſſam, & aſſiſtendi cæteris Divinis Officiis celebrandis in Eccleſia Parochiali S. Cathaldi favore D. Comitis Theodoſii, & aliorum de Panizzis in caſu &c.

Sacra Congr. die 18. Maii 1726. reſpondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO DIX.

In Cauſa Papienſi, die 4. Maii 1726.

SACERDOS Joannes Maria Lenti, die 5. Aprilis Anni 1724. occidit Franciſcum Hieronymum Lenti ſuum Fratrem Germanum, & in præſenti diſputandum proponit dubium, an contraxerit irregularitatem, & quatenus affirmative, ſupplicat pro diſpenſatione, & factum ita ſe habuit, uti colligitur ex accuratiſſima moderni Epiſcopi informatione, quam tranſmiſit, & deſumpſit ex proceſſu in Curia Epiſcopali confecto ſub Eminentiſſimo Cuſano ſuo Anteceſſore.

Franciſcus Hieronymus contendebat, ſibi deberi a Sacerdote Joanne Maria Fratre nonnullas pecunias, qua de cauſa eum injuriis affecit, percuſſit in facie, ad terram dejecit, declaravitque, ſe velle illi mortem inferre, niſi quod volebat præſtitiſſet, ſed accurrentibus Parocho, alio Fratre, & quadam muliere Cognata, Sacerdos e manu Fratris irati ereptus eſt, & in ſuum cubiculum ſe recepit una cum Julia communi Matre.

Dum Sacerdos in dicto Cubiculo permanebat, Franciſcus Hieronymus illud malo ſpiritu ductus ingreſſus eſt, ut ex verbis injuriofis ab eo prolatis colligi potuit; cumque Sacerdos fugere tentaſſet, & a Fratre, qui eum violenter aggreſſus eſt, fuiſſet impeditus, res eo randem devenit, ut Sacerdos cultro Fratrem vulneraverit, idemque ex vulnere mortuus ſit, ſed modo, qui ſequitur.

Franciſcus Hieronymus in prædicta ſecunda aggreſſione violenter arripuit, & una manu compreſſit genitalia Sacerdotis, & alia manu ad crumenam extenſa, tentavit pecuniam, vel clavim capſæ ab ea ſubtrahere; cumque Sacerdos eam libenter exhiberet, & ſimul clamaret pro auxilio, & aggreſſorem exoraret, ut ſe dimitteret, ex violenta etenim, & tenaci ſuorum genitalium apprehenſione, & compreſſione ſe mori ſentiebat; ut e manu Fratris evaderet, & mortem ſibi imminentem evitaret, cultrum domeſticum, vulgo *da tavola* arripuit, qui erat ſuper menſam contiguam, & in ventrem Fratris aggreſſoris injecit, qui ex ictu in terram corruit, & paulo poſt expiravit.

Conſtant hæc omnia ex Proceſſu, ex quo etiam habetur mala qualitas Occiſi, qui per annos quatuordecim a Patria exulaverat bannitus in pœnam Capitis ob homicidium patratum; habetur etiam bona qualitas Sacerdotis, qui fuit ſemper bonæ vocis, & famæ, non rixoſus, non criminoſus, nec arma ſolitus deferre, in quo eodem Proceſſu depoſitiones habentur Matris communis, & communium Fratrum, qui declararunt, occiſionem fuiſſe neceſſariam ad propriam defenſam; cumque Sacerdos Occiſor ſe in Carceribus Epiſcopalibus conſtituiſſet, relaxatus fuit, & dimiſſus, receptaque ad cautelam partis remiſſione, liberatus, & abſolutus eſt, ita tamen, ut per annum exularet a loco ſecutæ occiſionis, ne manus fraterno ſanguine polluta, & adhuc madentes conſpicerentur, reſervato Jure Epiſcopo prædictum tempus exilii moderandi, & reducendi, & in eo, quod attinet ad Irregularitatem, facta eſt remiſſio ad Sedem Apoſtolicam, quatenus Sacerdos eam contraxiſſet.

Quoad eum, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit invaſorem, an ſit irregularis, triplex erat Antiquorum opinio, prima Hugonis, qui cenſuit, eum eſſe irregularem, ſecunda Goffredi, qui ſenſit, occidentem in ſuſceptis miniſtrare poſſe, ſed eſſe irregularem quoad ſuſcipiendos, tertia Brixinenſis, & Hoſtienſis, qui voluerunt, ſic occidentem nullo modo eſſe irregularem, & hæc poſtrema opinio fuit in Concilio Viennenſi Generali approbata a Clemente V. *in Clementina unica de homicidio*, ibi: *ſi furioſus aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit, & idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*; & ille dicitur non poſſe aliter mortem vitare, niſi ſuum occidat, vel mutilet invaſorem, qui eſt ſic arctatus, ut fugere non poſſit, nec ſe juvare clamore, uti ponderat *Gloſſ. in dicta Clementina in verbo non valens*, & late proſequuntur *Concil. reſolut.* 4. *n.* 10. *Maſcard. de probat. concluſ.* 1126. *n.* 23. *Gomez variarum tom.* 3. *cap.* 3. *ſub n.* 23. *Farinac. quæſt.* 175. *n.* 134. *Morel. in manud. ad praxim Criminalem* §. 8. *n.* 20.

Hæc quoad jus antiquum; Quoad jus autem inductum a Sacro Concilio Tridentino, ita legitur *Seſſ.* 14. *de reform. cap.* 7. ibi: *ſi vero homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, ut quis ſe a morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam, etiam ad Sacrorum Ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates jure quodammodo diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſit.*

Scribentes ad hunc Textum Concilii in varias abjerunt Sententias: Nonnulli quippe cenſuerunt, a Concilio fuiſſe derogatum Clementinæ *ſi furioſus*, & novam fuiſſe ab eo inductam Irregularitatem, ex collectis *apud modernum Millioriccium tom.* 4. *Inſtit. Juris Canon. pag.* 327. Alii dixerunt, ſic occidentem etiam in terminis Concilii Tridentini non eſſe Irregularem, ſed inter Irregulares habendum eſſe, uſquequo ſuperveniat declaratoria Epiſcopi, vel Papæ ſuper facto, *Majol. de Irregul. lib.* 1. *cap.* 2. *ſub n.* 10. §. *Vigeſimo*. Alii denique communiori calculo, volunt, nullum jus novum fuiſſe a Concilio Tridentino inductum, nec ullam novam inductam fuiſſe irregularitatem, cum Concilium ſit intelligendum de occidente cum culpata tutela, *Avila de Cenſuris par.* 7. *diſput.* 5. *ſeſſ.* 3. *dub.* 2. *concluſ.* 1. *Gibalin. de irregul. cap.* 4. *confect.* 2. §. *Dico tertio. Sayrus de cenſuris lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 22. *Gallemart cap.* 7. *ſeſſion.* 14. *de reformat. in verbo, vel vim vi repellendo.*

Ponderari quoque poſſet circumſtantia facti, hoc eſt, an occiſio fuerit ſecuta pro vitæ conſervatione, vel potius rerum ſuarum, in quo rerum ſtatu de Irregularitate dubitandum non eſſet, juxta *Textum in cap. ſuſcepimus de homicidio*, ibi: *verum quoniam expediebat potius poſt Tunicam relinquere Pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte humiliter ab Altaris Miniſterio*, & late proſequitur ad hunc Textum *Fagnan. n.* 8. & *ſequen.* ſed cum ex relatione Epiſcopi habeatur, Sacerdotem exhibuiſſe Aggreſſori pecuniam, & clavim Capſæ, non videtur, quod in hac circumſtantia fundamentum conſtitui valeat.

Quibus proinde ſtantibus, quæritur,

I. An Orator ſit Irregularis in caſu, & quatenus affirmative.

II. An ei ſit indulgenda diſpenſatio.

Sacra Congr. die 18. Maii 1726. reſpondit,
Pro diſpenſatione ad Cautelam.

QUÆSTIO DX.

In Cauſa Senogallienſi, die 18. Maii 1726.

PROMOTOR Fiſcalis Curiæ Legationis Urbini prætendit, Epiſcopum Senogalliæ poſſe quidem viſitare Hoſpitale Beatæ Mariæ de Miſericordia in dicta Civitate exiſtens, ſed intra limites ſuæ juriſdictionis, & *in linea Delegati Apoſtolici*, ſed non poſſe exigere rationem adminiſtrationis reddituum, & adminiſtrationem temporalem,

lem, & Œconomicam ejuſdem Hoſpitalis, & electionem, & remotionem Miniſtrorum, & Famulorum pertinere ad Syndicos cum dependentia a ſolo Eminentiſſimo Legato, vel Præſide Status Urbini pro tempore.

Fundamenta Promotoris Fiſcalis conſiſtunt in ſequentibus, primo in fundatione Hoſpitalis, in qua cautum ſuſtineri poteſt, fuiſſe Epiſcopum excluſum ab adminiſtratione, tum quia Clemens Papa VII. illud exemit ab omni alia juriſdictione, & ejus curam, & gubernium bonorum mobilium, immobilium, ſe moventium, oblationum, & rerum quarumcumque ad tramites antiquæ poſſeſſionis detulit Communitati Senogallienſi, ibi: *Nullus etiam Apoſtolicâ Auctoritate, & Ordinariâ, ac Legati, & Delegati, & mixta auctoritate fungens, abſque expreſſa licentia omnium, & ſingulorum Communitatis hujuſmodi Collegialiter in ſcriptis prius tradita, ſe directe, vel indirecte, quovis quæſito colore intromittere poſſit*, tum quia poſt hoc Breve Clementinum, Cives Senogallien. ſemper adminiſtrarunt Hoſpitale, & Duces primum Urbini, deinde Cardinales Legati adminiſtrationi præfederunt abſque ulla Epiſcoporum ingerentia.

Secundo, quia Hoſpitale eſt fundatum in Solo Lateranenſi, & ſolvit annuum canonem Capitulo, & in pertinentibus ad prædictum Hoſpitale, edita fuerunt fere ſemper decreta a Judice Lateranenſi, in quo rerum ſtatu non videtur eſſe dubitandum de exemptione ab Ordinario.

Tertio, quia poſtquam ſan. mem. Clemens Papa XI. elegit in Præſidem Status Urbini præſentem Præſulem Alemannum Salviatum, dedit ei per alias litteras ſubinde expeditas in forma Brevis facultatem revidendi computa Montium Pietatis, Hoſpitalium, & aliorum Piorum Locorum, quorum adminiſtratio ad Communitates, & Oppida dicti Status pertinet, & facultas concepta fuit ſequentibus verbis, *dantes tibi privative, quoad omnes alios liberam, amplam, & abſolutam facultatem, & auctoritatem omnes, & ſingulos reditus, expenſas, & debita, &c. Montium Pietatis, aliorumque Locorum prædictorum hujuſmodi, quovis modo adminiſtraverint, etiamſi alias reviſa, & ſolidata fuerint, revidendi.*

Quarto, & ultimo, quia cum tractu temporis adauctus fuerit numerus Syndicorum Hoſpitalis, tres ex illis fuerunt electi a Civibus, & tres alii a Ducibus Urbinatenſibus, qui merum, & mixtum imperium obtinebant, & deinde a Cardinalibus Legatis, qui fuerunt eorum Succeſſores.

E contra Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis excipit, quod juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem Hoſpitale eſt ſubjectum tum viſitationi, tum obligationi reddendi Ordinario rationem adminiſtrationis, ita ut ſpectet ad aſſerentem onus concludenter probandi prætenſam exemptionem, cui contendit Promotorem Fiſcalem Curiæ Legationis nullatenus ſatisfeciſſe, vel per expoſitam fundationem Hoſpitalis in Solo Lateranenſi, vel per immediatam ſubjectionem Regiæ Protectioni, cum hæc non verificentur in facto, nec relevent in Jure; & in eo, quod attinet ad litteras Apoſtolicas Clementis VII. ait ex Diplomatibus Honorii III. & Gregorii IX. deſumi, quod Eccleſia Sancti Salvatoris erat ſubjecta Epiſcopo Senogallienſi, quod in hac Eccleſia erectum fuit Hoſpitale, quod modo dicitur Sanctæ Mariæ de Miſericordia, de quo nunc agitur, & quod ad effectum illud vindicandi ab impetrationibus, ſtatutum quidem fuit a Clemente Papa VII. quod illud adminiſtraretur a quatuor Viris eligendis a Communitate Senogalliæ, abſque eo quod ullus alius ſe ingerere poſſet in dicto regimine ſine eorum licentia, ſed quod id non importat exemptionem a Juriſdictione, & a Viſitatione Ordinarii, nec non ab onere reddendi eidem rationem adminiſtrationis.

Quoad jus Epiſcoporum, ultra *Clementinam quia contingit de Religioſis domibus*, Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 8. de reformat.* dat Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis Jus viſitandi Hoſpitalia, & Pia Loca omnia, etiamſi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, & etiamſi ſint exempta, non obſtantibus quacumque conſuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut Statuto, & *cap. 9.* idem Concilium præſcribit, quod Adminiſtratores tam Eccleſiaſtici, quam Laici Hoſpitalium, & quorumcumque Piorum Locorum ſingulis annis teneantur reddere rationem adminiſtrationis Ordinario, conſuetudinibus, & Privilegiis quibuſcumque in contrarium ſublatis.

Quoad fundationem in Solo Lateranenſi, Bonifacius Papa IX. Eccleſiis, & Locis Piis, & Hoſpitalibus dicto modo fundatis conceſſit exemptionem a Juriſdictione Epiſcopi, & licet hæc Bonifaciana fuerit revocata a Summo Pontifice Pio IV., reintegrata nihilominus fuit a Sixto Papa V. nonnullis accedentibus circumſtantiis, & ſignanter, quod Juriſdictioni, & ſuperioritati Epiſcoporum præjudicium non intelligeretur irrogatum contra formam Decretorum, & Ordinationum Sacri Concilii Tridentini, uti habetur in *Conſtit. 19. prædicti Sixti V, Bullar. tom. 2.* quo ſtante, quoad Eccleſias Curatas, & ſitas in Solo Lateranenſi intactum remanet Jus Ordinarium Epiſcopi quoad Parochialitatem, & concernentia Curam Animarum, & quoad Eccleſias non Curatas, & alia Loca Pia, & Hoſpitalia in eodem Solo fundata, permanet in ſuo eſſe Jus, quod habet Epiſcopus viſitandi tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, juxta late deducta apud *Card. de Luca de Juriſdict. diſc. 38.*, & *diſc. 39. de Parochis diſc. 9. per totum*, ubi allegantur reſolutiones hujus Sacræ Congregationis, & Rotæ deciſiones.

Quoad Hoſpitalia, & Confraternitates, quæ ſunt ſub immediata Protectione Regum, ea quidem ſunt exempta a Viſitatione Epiſcopi juxta *cap. 8. ſeſſ. 22. de reformat.* ſed hæc immediata Regum Protectio, quæ eximit a Viſitatione juxta citatum *cap. 8.*, non eximit a redditione rationis. Quocirca in ſequenti *cap. 9.*, in quo agitur de redditione rationis, nulla fit mentio dictæ Regiæ Protectionis, uti ponderat *Fagnan. in cap. de Xenodochiis n. 17. & ſeq. de Religioſis domibus*, & firmavit *Rota deciſ. 193. num. 7. & 8. coram Cerro*. Item Regia Protectio debet implorari in limine erectionis, ut ſuffragetur, uti late oſtendunt *Cavalcan. de Brachio Regio par. 9. num. 3. Menoch. conſ. 721. Ricciull. Lucubrat. Eccleſ. lib. 4. cap. 15. num. 10. Straphin. deciſ. 1025.* & reſpondit hæc Sacra Congregatio *die 10. Decemb. 1621. Epiſcopo Leirien. Sacra Limina viſitanti tom. 15. Decret. fol. 413.*, & quamvis nonnulli exiſtimaverint, Conciliarem exemptionem, quæ loquitur *de Regibus*, extendi etiam *ad ſublimes Principes, qui Regalia in ſuis ditionibus poſſident, etiamſi Regis titulum non gerant*, uti habetur *apud Barboſam ad cap. 8. num. 28. ſeſſ. 22. de Reformat.*, alii nihilominus exiſtimant, Concilium eſſe taxative intelligendum de Regibus, ex quo quando voluit comprehendere Reges, & alios ſublimes, ac Supremos Principes, jura Imperii in ſuis Dominiis habentes, id ſcivit exprimere, uti habetur *cap. 9. ſeſſ. 25. de Reformat.*, & adhæſiſſe videtur hæc Sacra Congregatio, quæ reſpondit, Epiſcopum Eugubinum poſſe viſitare Hoſpitale majus dictæ Civitatis, licet illud a Sede Apoſtolica privilegium obtiniſſet, quod gubernari, & regi deberet a ſeptem Civibus eligendis, & a Duce Urbini confirmandis, quemadmodum plene habetur apud *Fagnan. in cap. ad hæc n. 15. & ſequ. de Religioſis domibus*.

Denique quoad redditionem rationis Epiſcopo faciendam ab adminiſtratoribus Hoſpitalium, excipitur *in cap. 9. ſeſſ. 22. de reformat.* caſus in quo aliter cautum fuiſſet in inſtitutione, & fundatione, niſi tamen adminiſtratores eſſent negligentes in adimplenda mente Fundatorum, in quibus circumſtantiis Epiſcopus, quamvis in fundatione excluſus ab exigenda rationum redditione, excludi non poſſet, uti probat *Text. in cap. tua nobis, ibique Fagnan. n. 12. & ſeq. de Teſtamentis, & in cap. ad hæc n. 58. & 59. de Religioſis domibus*.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur.

I. An Epiſcopus Senogalliæ habeat jus viſitandi Hoſpitale B. Mariæ Miſericordiæ, & ab Adminiſtratoribus, & Miniſtris exigendi rationem adminiſtrationis redituum ejuſdem Hoſpitalis, tanquam Ordinarius, ſeu tanquam Delegatus Apoſtolicus.

II. An adminiſtratio temporalis, ſeu œconomica dicti Hoſpitalis, & electio, ſeu remotio ejus Miniſtrorum, & Famulorum ſpectet ad Epiſcopum, ſeu potius ad Syndicos ejuſdem Hoſpitalis cum dependentia ab Eminentiſſimo Legato, ſeu Præſide pro tempore, ita ut licuerit, & liceat Legato, ſeu Præſidi demandare Syndicis electionem, & remotionem dictorum Miniſtrorum in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Dilata, & coadjuventur probationes,

QUÆSTIO DXI.

In Cauſa Siculana Nullitatis Profeſſionis, die 18. Maii 1726.

FRater Gregorius da Bronte Sacerdos Ordinis Minorum Obſervantium Sancti Franciſci, Profeſſionem Regularem in dicto Ordine emiſit circa annum 1711. cumque per ſupplicem libellum Summo Pontifici expoſuiſſet, prædictam Profeſſionem nullitatis vitio laborare, nec ſe ad ejus obſervantiam teneri, facta fuit precum remiſſio ad hanc Sacram Congregationem, quæ ſcripſit Ordinario Pacten. ut Proceſſum conficeret, audito Superiore locali Conventus, in quo Profeſſio facta fuit, & eum deinde ad Sacram Congregationem tranſmitteret.

Omnia ab Ordinario completa fuerunt, & Superior localis, qui fuit citatus ut compareret, & ſua jura deduceret, reſpondit, ſe nihil habere, quod opponeret.

Deveniendo itaque ad relationem contentorum in Proceſſu, cum miſerabilis Orator non poſſit jura, juxta morem, circumferri facere, quinque ſunt in Proceſſu Teſtes examinati, qui ab Ordinario qualificantur tanquam probati, & honeſti, & quorum duo ſunt Sacerdotali charactere inſigniti, quique omnes concordant, quod Orator ex minis a Blaſio Fratre germano majore, & a communi Matre incuſſis, una cum verberibus, & ejectione e domo, inductus fuit ad ingrediendum in Religionem, & in ſuorum dictorum comprobationem, dicunt ſe omnia ſcire, cum eſſent familiares in domo ejuſdem Oratoris, quinimmo ſupra memorati Sacerdotes addunt, *dandogli continuamente baſtonate il ſuddetto Don Michele, e Santa, Madre e Fratello, e vedendoſi detto Placido*, hoc etenim nomine Frater Gregorius in ſæculo appellabatur, *maltrattato, e ſtrapazzato, violentemente ſi buttò dalla feneſtra di ſua Caſa, ed alla fine, per la neceſſità che teneva, e per paura di ſopra indotta, fu forzato veſtirſi Frate*.

Continentur in eodem Proceſſu binæ atteſtationes duorum ejuſdem Ordinis Religioſorum, qui Novitiatum cum Oratore expleverunt, & qui non ſolum teſtantur de ejus averſa voluntate a ſtatu Religioſo, ſed etiam quod a Conventu aufugit, & per unam noctem extra eum permanſit, & quod demum ad Conventum reductus per homines a Patre Guardiano tranſmiſſos, novum Novitiatum non incepit, ſed inceptum proſequutus eſt.

Præter Teſtes mox inſinuatos, extat in Proceſſu Epiſtola a Blaſio Fratre germano Oratori ſcripta occaſione memoratæ fugæ a Novitiatu, quæ Epiſtola eſt etiam formiter recognita, & eſt ſequentibus verbis concepta. *Mi viene avviſato, queſt'oggi li 16. del corrente Settembre, che Voſtra Paternità l'altro jeri ſe ne fuggì dal Noviziato, e coteſto Padre Guardiano per ſua mera corteſia la mandò a prendere con due Secolari, e di nuovo la riportò in Convento, e pure non oſtante queſto mi ſcrive il ſuddetto P. Guardiano, che V. P. ſta nella medeſima intenzione di non voler ſeguitare detto Noviziato. Fratello caro io gli dico, che avverta a' caſi ſuoi, e laſci queſta mala intenzione, che altrimente io Fratello ſe farà queſt' eccelſo, gli butterò una ſchioppettata, e la teſta ce la verrà a mettere alla Torre dell' Alcaloro, e ſe da queſto ſcapperà, la farò andare in galera per aſſentarſi bona voglia; e che tanto io, quanto noſtra Signora Madre mandarvi via dalla caſa, e darvi per alloggio una di queſti fondachi, vinunziandolo io da Fratello, e detta da Figlio. Per amor di Dio, Fratello caro, perſuadaſi alla fine, e laſci queſta tentazione, e cerchi di fare la Profeſſione, e non badi ad altro, ſe non vuole incontrare il mio rigore.*

Et quia opponi poſſet, quod Sacros Ordines in Religione recepit, & quod per tantum tempus abſtinuit a reclamando, ſubdit Orator, hæc nihil habere commune cum nullitate Profeſſionis reſultante ex interruptione Novitiatus, & præter hæc affert Teſtem, qui deponit hoc modo. *Paſsò da queſta all' altra vita Gregorio ſuo Padre, e reſtato orfano incliuava a farſi Prete ſecolare, come in fatti per tal motivo la detta Santa ſua Madre era ſempre in contraſto con detto Placido ſuo Figlio, che voleva ſi faceſſe Frate.* Et in eo quod attinet ad alterum motivum ſupra expoſitum, ſubdit, ſe antecedenter non reclamaſſe, ex quo durabat cauſa metus, & quod reclamavit, ſtatim ac eadem ceſſavit, uti habetur ex ſequenti Epiſtola Fratris in eodem Proceſſu inſerta. *Conoſciuto da noi l'urgenze, per le quali ſin dal Noviziato non volevate profeſſare in coteſta Religione, ed allora vi fu negato per giuſti riſpetti, adeſſo da parte noſtra, cioè tanto da parte della Signora Madre, quanto di me, vi diciamo, che liberamente poſſiate fare le voſtre iſtanze innanzi al Tribunale, a cui de jure ſpetta, che da noi non vi ſarà fatto più oſtacolo, nè vi s' incuterà più timore, e queſto per maggior ſalute dell' anima voſtra, e noi toglierci lo ſcrupolo, in cui vivevamo.*

Hæc ſunt, quæ continentur in Proceſſu. Deſcripta fuit hæc Cauſa in Folio Congregationis habitæ hac die 18. Maii 1726. cumque tunc nulla fuerit capta reſolutio, ſed in Congregatione habita die 27. menſis Julii reſponſum fuerit, quod *coadjuvarentur probationes juxta inſtructionem*, inſtructio reducta fuit ad capita ſequentia. Primum eſt, quod ab Oratore per legitima Documenta demonſtraretur tempus Ingreſſus in Religionem, tempus Profeſſionis, & tempus aſcenſus ad Sacros Ordines. Secundum eſt, quod videretur, an idem Orator Officia habuerit, & exercuerit in ſua Religione, & tertium demum, an poſt emiſſam Profeſſionem conqueſtus fuerit, quod eam emiſiſſet per vim, & metum.

Quæritur itaque,

An ſit locus Reſtitutioni in integrum in caſu &c.

Sacra Congr. die 11. Januarii 1727. reſpondit,
Affirmative, & Epiſcopus procedat prout de Jure contra Fratrem.

QUÆSTIO DXII.

In Cauſa Uritana, die 18. Maii 1726.

NOnnulli Sacerdotes Cathedralis Eccleſiæ Uritanæ obtinuerunt litteras patentales a Vicario Commendæ Sanctorum Mauritii, & Lazzari; cumque inter cætera prætenſionem excitaſſent exemptionis a Juriſdictione Ordinarii, habito a Promotore Fiſcali recurſu ad hanc Sacram Congregationem, demandatum fuit Epiſcopo, ut Proceſſum conficeret, & prætigeret Vicario Commendæ, & cæteris terminum comperentem ad ſua jura deducenda in hac Sacra Congregatione, in cujus reſcripti ſequelam dubium proponitur ad calcem Reſtrictus referendum.

Porro prætendit Promotor Fiſcalis, nullam competere exemptionem ab Ordinarii Juriſdictione, tum quia ita ſe habet conſuetudo in Diœceſi Uritana, cui ad rem, de qua agitur, non parum deferendum eſſe videtur, *teſte Cardin. de Luca de Juriſdictione diſcurſ. 92. ſub num. 8. & ſub num. 16.* tum quia Sanctus Pius Quintus, licet *in ſua Conſtitutione 28. §. 13. Bullarii tom. 2.* æquaverit militiam S. Lazzari Religioni S. Joannis Hieroſolymitani, juxta nihilominus diſpoſitionem *Sac. Concilii Tridentini ſeſſ. 24. de reform. cap. 11. & Bullam 67. Gregorii XIII. Bullar. tom. 2.* inſervientes Religioni S. Joannis Hieroſolymitani, ut exemptione fruantur, debent habere ſequentes qualitates; prima eſt, ut actu inſerviant; ſecunda, ut reſideant intra domos Ordinis, & ſepta; tertia, ut ſub obedientia Ordinis vivant; quarta, ut Profeſſionem emiſerint; & ultima, ut prædictas omnes qualitates coram Ordinario verificaverint.

His ſtantibus, quæritur,

An Officiales Patentati Commendæ Sanctorum Mauritii, & Lazzari ſint exempti a Juriſdictione Ordinarii in caſu &c.

Sacra Congr. die 7. Septembris 1726. reſpondit,
Negative.

QUÆSTIO DXIII.

In Cauſa Neapolitana, die 8. Junii 1726.

CUM vires Ærarii Caroli Sexti Hiſpaniarum Catholici, ac Romanorum Regis in Imperatorem electi, neque Laicorum ei Subditorum facultates, anteactis bellis attritæ, pares eſſe poſſent munitioni & inſtaurationi Civitatum, Arcium, & Oppidorum, & ſignanter Albæ Grecæ, & Temeſvarii, necnon Varadini, & Budæ, Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Papa XIII. per ſuas litteras Apoſtolicas expeditas in forma Brevis die 31. Januarii 1725. eidem conceſſit ſubſidium annuum, ſeu contributionem ſeptuaginta quinque millium ſcutorum monetæ Romanæ *loco, & ad inſtar Decimæ* ſuper omnibus, & ſingulis fructibus omnium Metropolitanarum, Cathedralium, Beneficiorum &c. *& ſuper proprietatibus, & reditibus Mendicantium, & quorumcumque aliorum Ordinum, & Clericorum Regularium Societatis Jeſu, aliarumque Congregationum, Societatum, & Inſtitutorum exemptorum, & non exemptorum*, ut pecuniæ quæcumque ex ſubſidii, & contributionis hujuſmodi exactione quomodolibet proventuræ, & redigendæ memorato Carolo Regi in Imperatorem electo, ſive ejus Miniſtris ab ipſo ſpecialiter ad id deputandis ab Archiepiſcopo Seleucienſi Apoſtoliçæ *Sedis*, & ſuo in Regno Neapolis Nuntio, traderentur, & configurarentur, convertendæ in cauſam expreſſam, pro munien-

niendis videlicet, & instruendis Civitatibus, Arcibus, & Oppidis supra memoratis.

Ab hujus subsidii solutione Pontifex exemit *S. R. E. Cardinales* ob assiduos labores, quos Ecclesiæ Universali impendunt, & *Milites Hierosolymitanos*, qui Turcarum ferociam repellere, atque confringere nusquam desistunt. Exemit quoque Curata Beneficia, quæ in annuo reditu non excedunt triginta, & unum ducata auri de Camera cum quarta parte alterius ducati similis, & alia demum Beneficia Ecclesiastica, quorum annui reditus ad summam septem ducatorum similium non ascendunt, dummodo tamen Beneficiorum hujusmodi Titulares, una cum illis alia Beneficia Ecclesiastica, sive annuas pensiones valorem prædictum conjunctim excedentia non perciperent, tunc quippe illos ad subsidii solutionem teneri, & obligatos esse declaravit, & inter cæteras clausulas derogatorias de more appositas in fine Brevis, legitur etiam derogatio *Constitutionibus, & Ordinationibus Congregationum, & Societatum etiam Jesu, & Privilegiis, & Indultis, & litteris Apostolicis eisdem Congregationibus, Societatibus etiam Jesu, in limine quoque fundationis, & erectionis concessis, confirmatis, approbatis, & innovatis.*

Publicatis hisce litteris Apostolicis, Pater Dominicus Viva Provincialis Societatis Jesu in Regno Neapolitano Sanctitati Suæ supplicavit pro exemptione a subsidii solutione, non quoad omnia bona, & reditus suorum Collegiorum in Regno existentium, sed tantum quoad unum julium Romanum pro quolibet ejusdem Societatis Sacerdote in dicto Regno commorante, ita ut contributio fit quoad Societatem regulanda, facta prius dictæ quotæ detractione, & a Sanctitate Sua preces fuerunt remissæ ad hanc Sacram Congregationem.

Fundamentum petitionis consistit primo in exemptione a contributionibus Societati concessa per Gregorium XIII. & alios duos Romanos Pontifices, propter magnos labores, quos Societatis Religiosi sustulerunt & sufferunt in Vinea Domini.

Secundo in dispositione *Extravagantis unicæ inter communes titulo de decimis*, in qua decernitur, quod decimæ non solvantur de pitantiis Monachorum.

Tertio in ipsius Nuntiaturæ Apostolicæ praxi, quæ contributionem non exigit a Beneficiis, ad quorum Titulum Clerici fuerunt ordinati, si taxam non excedunt pro Sacra Ordinatione in Diœcesi statutam, nec a Legatis, quæ cæteris Religiosis relicta fuerunt cum onere Missarum.

Concludendo, quod si juxta Constitutiones Societatis, nec ejus Collegia, nec ejus Religiosi recipiunt eleemosynas pro Missis, congruum omnino, & justum esse videtur, ut contributio non exigatur, nisi detracta quota unius julii pro quolibet Sacerdote, uti constituente minimam taxam pro alimentis uniuscujusque ex ipsis, vel uti subrogata eleemosynæ Missarum, quam cæterorum Ordinum Regulares percipiunt, & pro qua contributionem non solvunt, & eo fortius, cum Regni Collegia sint debitis gravata in ducat. 136. mil. pro quibus solvunt interesse; Et eo etiam fortius, cum per litteras Secretariæ Status fuerint PP. Theatini attenta ipsorum paupertate a contributione liberati, uti colligitur ex epistola Eminentissimi Paulutii scripta 11. Augusti 1725. Nuntio Neapolitano: *Vuole Sua Beatitudine, che V. S. non le obblighi*, sermo est de Domibus Theatinorum in Regno existentibus, *in alcuna maniera alla detta contribuzione, facendone loro godere una piena esenzione.*

Ante omnia datæ fuerunt pro informatione, & voto litteræ ad Nuntium Neapolitanum, qui respondit, fuisse taxata Collegia Societatis Jesu ad rationem quatuor pro centenario super eorum reditibus, detractis oneribus consuetis, & etiam onere interesse per dicta Collegia singulis annis solvendi ex causa debiti supra expressi, nec ullam habitam fuisse, vel a se, vel a suo Prædecessore in regulanda impositione considerationem alimentorum, quæ pro manutentione Religiosorum sunt necessaria, ex quo, si habita fuisset hæc consideratio, cum summa certa, & determinata septuaginta quinque millium scutorum monetæ Romanæ sit ex impositione retrahenda, & Imperatori solvenda, taxa non fuisset imposita ad rationem quatuor, sed ad rationem triginta, aut quadraginta pro centenario. Subdit Nuntius, non esse ullam vim constituendam in privilegiis Societatis, vel quia hæc loquuntur de decimis, vel quia illis fuit derogatum a Sanctissimo Domino Nostro in prædictis suis litteris Apostolicis, & in eo, quod attinet ad Caput a Patre Provinciali propositum de æquitate, quam sua Collegia merentur, ex quo non recipiunt eleemosynas Missarum, hæc habentur ab eodem Nuntio, *e però sembrandomi degna di molt' equità l'istanza di questo P. Provinciale de' Gesuiti per questo capo, crederei che dall' EE. VV. potesse usarsegli qualche particolare Indulgenza, non già col detraersi dalla Tassa tutto il peso, che può importare il vitto de' Padri Sacerdoti di questa Provincia, nè con bonificare a ciascheduno d' esse a rigore l' elemosina manuale, che qui è solita darsi per le Messe, ma bensì con ordinare, che dalla Tassa del sussidio a cui presentemente soggiace tutta questa Provincia della Compagnia in questo Regno, che importa circa un centinajo meno di tre mila ducati annui, si detraesse la somma di ducati tre, o quattrocento per ciascheduno anno.*

Communicata fuit hæc informatio, & a Patre Provinciali responsum fuit præfixam quidem a Summo Pontifice fuisse summam Imperatori solvendam, & ex reditibus Ecclesiasticis Regni Neapolitani desumendam, sed modum regulandi Taxam, & subsidium repartiendi non fuisse determinatum, ita ut cum ille sit regulandus ad normam juris, de jure est, quod ante omnia congrua alimentaris Ministrorum Dei non sit impositioni subjecta, qua de causa ipsamet Nuntiatura non exigit Taxam a Sacris Patrimoniis, non a Parochis, quorum annui reditus juxta litteras Apostolicas non excedunt triginta, & unum ducatum auri de Camera, non denique a Legatis cum onere Missarum, ex quo hæc omnia cedunt in causam alimentorum de Jure Divino, & naturali debitorum Ministris Ecclesiæ; Idemque Pater Provincialis concludit, non sufficere detractionem tercentum, aut quatuor centum ducatorum quolibet anno, sed ad minus requiri detractionem in summa annuorum scutorum 720. habita ratione unius julii pro quolibet Sacerdote Societatis, qui Missam celebrat, & eleemosynam non recipit, cum tercentum degant Societatis Sacerdotes in Provincia Neapolitana.

Quoad Privilegia Societatis Jesu exemptiva a solutione Decimarum videri potest *decis. 276. num. 3. part. 11. recent.* ubi aliæ cumulantur.

Quoad punctum pertinentem ad eandem Societatem, quod nimirum nec Religiosi in particulari, nec Collegia, seu Domus recipiant eleemosynas pro Missis, videri potest *Suarez de relig. tom. 4. lib. 4. cap. 7. num. 8. & seq.*

Quo demum ad exemptionem, quoad pitantias Monachorum, facit citatus *Textus in cap. unico de decimis inter Extravagantes communes*, ibi: *Sed non solvetur de pitantiis Monachorum*, & nomine pitantiæ comprehenditur res comestibilis, quæ inter Religiosos dividitur, juxta illud *Cæsarii lib. 8. cap. 10.* ibi: *in Claustro Sacerdos quidam ante paucos annos defunctus est: & homo simplex, & illitteratus, Daniel nomine, vitæ satis duræ, orationibus, & jejuniis infatigabiliter operam dabat, omnes pitantias sibi appositas recusabat.*

His stantibus, quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congreg. respondit,

Dilata.

QUÆSTIO DXIV.

In Causa Derthonensi, die 8. Junii 1726.

EXcitata a Cappellanis, & aliis Sacerdotibus de Clero Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Pontis Curoni Diœcesis Derthonensis prætensione, quod prædictæ Ecclesiæ Archipresbyter teneatur pro Missis per eos in memorata Ecclesia celebrandis, subministrare Vinum, Ceram, & Hostias, Curia Episcopalis sententiam protulit, in qua condemnavit Clerum d. Oppidi ad expensas necessarias pro manutentione Vini, Candelarum & Hostiarum pro Missarum celebratione, & ad reintegrandum Archipresbyterum de importantia subministrationis per eum factæ a die, quo prædicta subministrare cœpit sub spe reintegrationis, devolutaque causa ad Curiam Archiepiscopalem Mediolanensem, hæc confirmavit præcedentem sententiam, & in eo, quod respicit supradictam refectionem favore Archipresbyteri, declaravit, eam habere debere initium *a die 8. Maii 1716.* novaque a Clero interposita appellatione, non fuit hæc per Curiam Archiepiscopalem admissa, nisi in devolutivo.

Pro impedienda executione harum sententiarum, quæ a Judicibus Ecclesiasticis latæ fuerunt, Clerus a Sede Apostolica obtinuit consuetum Breve simplicis appellationis, directum Canonico Theologali Ecclesiæ Mediolanensis, & prætenditur, quod opera Archipresbyteri denegatum fuerit Regium prædicto Brevi Exequatur, eo potissimum sub fundamento, quod post duas uniformes sententias Bulla Leonis X. ulteriori obstaret appellationi, & ab Archipresbytero exponitur, Clerum pro impediendis sententiis, quæ uti supra visum est, latæ fuerunt ab Episcopo, & a Metropolitano, habuisse recursum ad Regia Tribunalia; quod ipsum habetur in relatione prædicti Eminentissimi Archiepiscopi §. 64. Addit Archipresbyter, quod idem Clerus nonnullos Laicos excitavit, qui assumpto nomine Communitatis Pontis Curoni, apud eadem Tribunalia Laicalia, institerunt pro eodem effectu, impediendi videlicet dictarum Sententiarum executionem. Cumque nihil fuerit a Tribunalibus prædictis obtentum, Causa tandem ad hanc Sacram Congregationem delata est, habitisque informationibus tum memorati Eminentissimi Archiepiscopi Mediolanensis, tum Episcopi Derthonensis, quatuor in præsenti disputanda dubia proponuntur ad calcem restrictus juxta morem inferenda.

Primum ex prædictis dubiis respicit attentata, & hæc Archipresbyter contendit, fuisse a Clero commissa propter habitos ad Tribunalia Laicalia recursus, & e contra Clerus contendit, attentata fuisse ab Archipresbytero commissa, tum ex causa impedimenti, quod præstitisse supponit executioni Brevis Appellationis, tum ex actibus subsequenter factis tam in Curia Ordinarii, quam in Curia Metropolitani super taxatione valoris Ceræ, Vini, & Hostiarum, & super expeditione mandati executivi pro litis expensis, non obstante protestatione nullitatis, & attentatorum propter appellationem ad Sanctissimum interpositam, & eandem per Breve commissam.

Secundum Dubium respicit merita Causæ, hoc est obligationem subministrandi Vinum, Ceram, & Hostias Cappellanis, & aliis Presbyteris de Clero celebrare volentibus, vel obligatis ad celebrandas Missas in Collegiata Ecclesia, & Archipresbyter contendit, se ad tramites Sententiarum sui favore latarum exemptum esse debere ab onere subministrationis, attentis Decretis super hac re editis tum in Constitutionibus Provincialibus, tum in Constitutionibus Synodalibus, uti etiam legitur in informationibus tam Metropolitani, quam Episcopi.

Tertium dubium pertinet ad reintegrationem ejus, quod expensum fuit ab Archipresbytero pro Vino, Cera, & Hostiis subministratis ab anno 1616. ad annum 1722. idemque Archipresbyter sibi debitam esse contendit prædictam refectionem tam in sequelam sententiarum super eadem latarum, quam in sequelam conditionis indebiti.

Quartum denique Dubium, refertur ad refectionem expensarum in lite factarum, & Archipresbyter ingenue admittit, non esse locum dictæ refectioni, attento stylo hujus Sacræ Congregationis, sed magnam pro se nihilominus militare æquitatem, cum agatur de magnis expensis factis in utraque Curia, Ordinaria videlicet, & Metropolitana, & cum sibi satis sit, quod declaretur competentia refectionis, remissa liquidatione ad Eminentissimum Archiepiscopum Mediolanensem, tamquam Judicem secundæ Instantiæ.

Alia Cleri Jura a me exponi non possunt, cum ad me non fuerint delata; quocirca ex juribus circumferendis, quæritur,

I. An, & de quibus constet attentatis, & quomodo sint purganda.

II. An Archipresbyter Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Pontis Curoni fuerit, & sit obligatus subministrare Vinum, Ceram, & Hostias Cappellanis, aliisque Presbyteris de Clero celebrare volentibus, vel obligatis ad celebrandum Missas in eadem Ecclesia, & quatenus negative.

III. An, & quomodo prædictus Archipresbyter sit reintegrandus de expensis pro Vino, Cera, & Hostiis subministratis ab anno 1716. usque ad diem 25. Martii inclusive anni 1722. & in qua summa.

IV. An sint reficiendæ expensæ litis, & in qua summa in casu &c.

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. respondit,

Ad primum quoad Clerum propter recursum ad Judices Laicos Eminentissimus Archiepiscopus procedat prout de jure, quo vero ad Archipresbyterum circumscribenda esse omnia gesta post intimationem Brevis cum omnibus inde secutis. Ad secundum Archipresbyterum non teneri ad subministranda utensilia de quibus agitur,

illis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione Beneficii, sive Cappellaniæ, exceptis illis, cum quibus habet conventiones particulares, & quoad Missas adventitias teneri ad dictam administrationem, quatenus permittat, eos in sua Ecclesia celebrare, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per Celebrantes. Ad tertium affirmative juxta resoluta in secundo dubio. Ad quartum, non esse reficiendas expensas factas occasione litis in hac Sacra Congregatione, & quoad alias ad Eminentissimum Metropolitanum prout de Jure.

Obtenta nova audientia, disputandum in Congregatione habita die 7. Septembris 1726. proponitur dubium ad calcem referendum.

Primum dubium propositum, & resolutum die 6. Junii erat conceptum sequentibus verbis, *An, & de quibus constet Attentatis, & quomodo sint purganda*, & huic dubio responsum fuit, *quoad Clerum propter recursum ad Judices Laicos, Eminentissimus Archiepiscopus procedat, prout de jure, quo vero ad Archipresbyterum circumscribenda esse omnia gesta post intimationem Brevis cum omnibus inde secutis.*

Secundum dubium erat conceptum sequentibus verbis, *An Archipresbyter Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Pontis Curoni fuerit, & sit obligatus subministrare vinum, ceram, & Hostias Cappellanis, aliisque Presbyteris de Clero celebrare volentibus, vel obligatis ad celebrandum Missas in eadem Ecclesia, & quatenus negative*, & huic dubio responsum fuit, *Archipresbyterum non teneri ad subministranda Utensilia, de quibus agitur, iis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione beneficii, sive Cappellaniæ, exceptis illis, cum quibus habet conventiones particulares, & quoad Missas adventitias, teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat, eas in sua Ecclesia celebrari, nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis Utensilibus per Celebrantes.*

Tertium dubium erat conceptum sequentibus verbis, *An, & quomodo prædictus Archipresbyter sit reintegrandus de expensis pro vino, cera, & hostiis subministratis ab anno 1716. usque ad diem 25. Mart. inclusive anni 1722. & in qua summa*, & huic dubio responsum fuit *affirmative juxta resoluta in secundo dubio.*

Quartum denique dubium erat conceptum sequentibus verbis, *An sint reficiendæ expensæ litis, & in qua summa, in casu &c.* & huic dubio responsum fuit *non esse reficiendas expensas factas occasione litis in hac Sac. Congregatione, & quoad alias, ad Eminentissimum Metropolitanum prout de jure.*

Jura hinc inde circumferuntur, quocirca quæritur,

An, & in qua parte sit standum, vel recedendum a decisis die 6. Julii 1726.

Sacra Congr. die 28. Septembris 1726. respondit,

Quoad primum, & Secundum in decisis, & quoad Tertium non esse molestandos quoad præteritum illos, qui celebrarunt Missas adventitias, quatenus acquieverint resolutioni, & ad Quartum in decisis, sed teneri pro virili, & amplius.

QUÆSTIO DXV.

In Causa Trivicana, seu Tricaricensi, die 8. Junii 1726.

CUM Patres Concilii Provincialis Beneventani habiti anno 1693. sub præsidentia Sanctissimi Domini Nostri tunc Archiepiscopi Beneventani, sanctæ mem. Innocentio XII. supplicassent pro admissione Episcoporum Regni Neapolitani ad Spolii compositionem cum Camera Apostolica, ad modum, & formam, quibus Capitula Cathedralium ejusdem Regni jam reperiebantur admissa, uti ex dicta Patrum Epistola colligitur impressa inter Synodos Beneventanas ultimæ impressionis Romanæ *pag.* 578., prædictus Summus Pontifex Innocentius Constitutionem edidit, quæ est *vigesima tertia in suo parvo Bullario*, in qua Archiepiscopos, Episcopos, & Prælatos inferiores Regni Neapolitani exemit, & liberavit a Spolio, ita tamen, ut Spolia prædicta essent applicanda, non ut antea, favore Cameræ Apostolicæ, sed favore Cathedralium, & illis non indigentibus, favore Parochialium, uti latius habetur in memorata Constitutione.

Nihil in ea statutum fuit, quoad casum Episcopi, qui ab una Ecclesia, Auctoritate Apostolica ad aliam transiret, cujus videlicet Ecclesiæ commodo Spolia cedere deberent, an primæ videlicet, an secundæ; cumque anno 1708. contigisset obitus Episcopi Gorii, qui ab Ecclesia Cathacensi fuerat translatus ad Ecclesiam Suessanam, & quæstio super pertinentia Spolii inter has duas Ecclesias de-

lata fuiſſet Anno 1709. ad hanc Sacram Congregationem, diſputatum fuit *die* 28. *Septembris ejuſdem Anni* ſequens dubium, *an bona mobilia, libri, pecuniæ, cæteraque, præter Sacra paramenta, inventa tempore obitus bon. mem. Franciſci Gorii Epiſcopi Sueſſani, prius Epiſcopi Cathacen, apud ipſum, ſpectent ad Eccleſiam Cathacen., vel potius ad Eccleſiam Sueſſanam*, & huic dubio reſponſum fuit, *quod bona quæſita ex fructibus Eccleſiæ Cathacen. ſpectabant ad eamdem*; repropoſitoque eodem dubio *die* 25. *Januarii* 1710., Sacra Congregatio *ſtetit in deciſis*, uti habetur *lib.* 59. *decret. pag.* 331. *& lib.* 60. *pag.* 27., petitaque horum Decretorum executione coram A. C. ad eorum normam deventum fuit ad Spoliorum affignationem, & Sententia A. C. fuit in Auditorio Rotæ confirmata, uti habetur *in Cathacen., ſeu Sueſſana Spolii* 22. *Februarii* 1715. *coram R. P. D. Cerro*.

In memorata Bulla Innocentiana præſervata fuit diſpoſitio Bullæ 42. *Sancti Pii V.*, qua decretum fuit, quod ornamenta, & paramenta, & res aliæ, & alia bona ad uſum, & cultum divinum ſpectantia applicari debeant Eccleſiis, quibus Epiſcopi præfuerint, quæ Piana Conſtitutio adeo privilegiata cenſetur, ut diſputato in hac Sacra Congregatione dubio, *an Creditoribus defuncti Epiſcopi in ſubſidium, ſi alia bona non ſufficiant, ſatisfaciendum ſit ex bonis etiam benedictis, ſeu Pontificalibus, non obſtante Conſtitut.* 42. *Beati Pii V.* poſt longam diſputationem vix affirmativum potuerit *die* 29. *Maii* 1683. haberi reſponſum, licet prædicta Bulla ſolum ſuſtulerit contrarias diſpoſitiones de dictis bonis factas per ultimam voluntatem, & per contractum lucrativum donationis, ſecus autem per contractum oneroſum, uti firmant *Guttier. practic. quæſt. lib.* 2. *quæſt.* 94. *in fine Rodric. in Summa Caſuum Conſcientiæ tit. de Teſtament. concluſ.* 44. *Garz. de benefic. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 204. 205. *Salgad. in Labyr. Credit. par.* 1. *cap.* 42. *n.* 16.

Conſimilis ſupradictæ Controverſiæ excitatæ inter Eccleſiam Cathacenſem, & Sueſſanam excitatur in præſenti Controverſia inter Eccleſiam Tricaricenſem, & Trivicanam propter obitum videlicet Epiſcopi Viglini translati ab Epiſcopatu Trivicano ad Epiſcopatum Tricaricenſem, poſtquam primam Eccleſiam per annos decem, & ſeptem, & ultra adminiſtraverat, & poſtquam paucorum menſium ſpatio ſecundæ præſedit Eccleſiæ; contendit enim Capitulum Trivicanum, ad ſe ſpectare debere mobilia, libros, pecunias, argenta, & alia bona reperta tempore obitus Epiſcopi Viglini, utpote quæſita ex fructibus ſuæ Eccleſiæ. Item ad eamdem Eccleſiam pertinere paramenta, Vaſa ſacra, & alia ſupellectilia ad cultum Divinum deſignata, necnon quædam alia argenta, & mobilia, quæ erant Epiſcopi Prædeceſſoris, & quæ fuerunt memorato Epiſcopo Viglino commodata, quæque ipſe ſecum detulit ad Eccleſiam Tricaricenſem.

Jura circumferuntur, quapropter quæritur,

I. An mobilia, libri, pecuniæ, argenta, aliaque bona (præter Sacra Paramenta) bon. mem. Simonis Viglini prius Epiſcopi Trivicani, & poſtea Tricaricen. reperta tempore ejus obitus ſpectent ad Eccleſiam Trivicanam, vel potius ad Eccleſiam Tricaricen. in caſu &c.

II. An Paramenta, & Vaſa Sacra, aliaque argenta, & ſupellectilia ad uſum Cappellæ, & cultum Divinum deſtinata; reperta, ut ſupra, debeantur Eccleſiæ Trivicanæ, vel potius dictæ Eccleſiæ Tricaricen. in caſu &c.

III. An Argenta, & Mobilia, aliaque bona ab Eccleſia Trivicana commodata d. bon. mem. Epiſcopo Viglino, tunc Epiſcopo Trivicano debeant eidem Eccleſiæ Trivicanæ reſtitui, in caſu &c., & quatenus affirmative.

IV. An, & a quo, & ex quibus bonis, illis non exſtantibus, debeat ſolvi illorum pretium in caſu &c.

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. reſpondit,

Ad primum, & ſecundum pertinere ad Eccleſiam Trivicanam. Ad tertium affirmative. Ad quartum, ſolvenda eſſe ex hæreditate Epiſcopi.

QUÆSTIO DXVI.

In Cauſa Lavellana, ſeu Romana, die 8. *Junii* 1726.

SACERDOS NN. de nefando ſcelere accuſatus, fuit a Curia Eminentiſſimi Urbis Vicarii *die* 31. *Auguſti* 1718. damnatus ad Triremes per ſeptennium, & licet fuerit tranſmiſſus, nunquam tamen remigavit, cum toto tempore dictæ condemnationis fuerit addictus ſervitio Hoſpitalis S. Barbaræ, uti habetur ex atteſtatione Prioris d. Hoſpitalis. Expleto tempore pœnæ, & præſtito laudabili ſervitio memorato Hoſpitali, Sacerdos habuit recurſum ad Sanctiſſimum D. Noſtrum pro facultate Miſſam celebrandi, & a Sanctitate ſua preces fuerunt remiſſæ ad hanc Sac. Congregationem.

Sanctæ mem. Urbanus VIII. *die* 4. *Januarii* 1635. ſequens edidit decretum, impreſſum apud *Conrad. in addit. ad Tract. de diſpenſationibus num.* 55. *pag.* 31., *ut impoſterum tam presbyteri Sæculares, quam cujuſcumque Ordinis Regulares damnati ad triremes perpetuo, vel ad tempus, & qui cum effectu fuerint in eiſdem Triremibus Remiges, finito tempore dictæ pœnæ, nunquam habilitentur ad exercitium ſuorum Ordinum.*

De hoc Decreto nonnulli dicunt, illud non eſſe declarativum Juris communis, nec eſſe eidem conforme, & locum ſibi non vindicare extra Tribunal Sancti Officii, cum a Summo Pontifice fuerit editum in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis, uti plene habetur apud *Theſaur. de pœnis par.* 2. *in Verb. Miſſa cap.* 5. §. *Immo hodie*; ſed hæc plene refelluntur a *Raynald. in Obſervat. criminal. cap.* 8. §. 1. *ſub n.* 45. *Venetæ impreſ. Ann.* 1699.

Aliqui cenſent, damnatum ad Triremes effici infamem infamia Juris ex genere pœnæ; & per conſequentiam Irregularem, *Navar. conſil.* 16. *n.* 3. *& conſ.* 17. *num.* 32. *Tit. de Hæreticis, Ugolin. de poteſtate Epiſc. par.* 2. *alleg.* 43. *num.* 15. *Guazzin. ad defenſ. reorum defenſ.* 33. *cap.* 4. *num.* 9. *Lezzan. quæſt. regul. Tomo primo cap.* 16. *nu.* 32. *Ciarlin. controverſiar. foren. cap.* 207. *n.* 73.

At opinio hodie recepta eſt, quod ex ſimplici damnatione, aut tranſmiſſione ad Triremes, quis non efficiatur infamis, nec Irregularis, niſi vel actu remigaverit, vel fuerit tranſmiſſus propter delictum, quod de Jure habeat annexam infamiam, uti late proſequuntur *Raynald. loco citato ſub num.* 45., *& ſequen., Monacell. in formulario legali Tom.* 3. *pag.* 173. *num.* 13. *Urſaya Inſtit. Criminal. lib.* 4. *tit.* 5. *n.* 144., *& ſeq.*, & concordat reſolutio hujus Sacræ Congregationis in *Comen. diſpenſationis* pro Presbytero Joſepho Cataneo, qui ad Triremes damnatus, & tranſmiſſus ob armorum delationem, abſque eo quod remigaverit, ſupplicavit pro rehabilitatione ad Ordines, & Sacra Congregatio, ſi Sanctitati Suæ placuiſſet, cenſuit, ut conſtito, quod non remigaſſet, eſſe eum per Litteras Apoſtolicas ad exercitium ſuorum Ordinum rehabilitandum, & reſtituendum, uti reſolutum fuit *die* 14. *Martii* 1671., & habetur libro 27. *Decretorum pag.* 54.

His poſitis, nonnulla ſunt, quæ faciunt contra petitionem Oratoris, & ſignanter, quod ſodomiæ Crimen annexam habet infamiam, tam de jure Civili, quam de jure Canonico, dummodo ſit notorium notorietate juris, vel facti, uti plene habetur apud *Theſaurum de pœnis Eccleſiaſticis par.* 2. *cap. primo in Verbo Sodomiæ*.

E contra pro Oratore faciunt nonnullæ facti circumſtantiæ latius expreſſæ in Informatione Eminentiſſimi Urbis Vicarii, in qua poſt admiſſam limitationem ſupradictam, quod tranſmiſſus ad Triremes, licet non remigaverit, efficiatur infamis, & Irregularis, ſi crimen, propter quod fuit condemnatus, habebat de Jure annexam infamiam, hæc habentur, *talis tamen limitatio applicabilis non videtur in caſu præſenti, uvi crimen, pro quo Orator fuit damnatus, non aliunde probatum remanſit, quam ex dicto eorum, qui ſocios ejuſdem criminis ſe fecerunt, & quidem non coacte, ſed ultronee, & qui ultra hanc nobilem exceptionem ob quam eorum dictum nullis præſertim concurrentibus adminiculis, nullam prorſus fidem facit, alios inſuper patiebantur defectus; nedum enim erant vilis conditionis, ſed etiam plura depoſuerunt inveriſimilia, in aliquibus contrarii inter ſe deteguntur, ac ſemper voluntarie acceſſiſſe fatentur ad domum inquiſiti, quæ proinde exceptiones haud ſatis per leve ſibilorum tormentum expurgatæ remanſerunt. Addito etiam, quod in Proceſſu, nec præſumptiones, neque conjecturæ ullæ relevantes afferri potuerunt adverſus inquiſitum, immo ejus favore militabat qualitas Sacerdotalis cum quotidiana celebratione Miſſæ, gravis ſexaginta, & ultra annorum ætas, ac ſolitum retinendi jugiter apertam januam ejus cubiculi, etiam de tempore, quo ibi viſi fuerant Pueri; quemadmodum concorditer depoſuerunt tres teſtes repetiti ad inſtantiam Fiſci, qui proinde dubitans per inquiſitum purgari potuiſſe indicia, ex dicto Corvorum deſumpta, mediante illius tortura, ad eam noluit devenire, ſed conſultius exiſtimavit ad Triremes damnare eundem inquiſitum, delictum conſtanter, negantem, & ob ſuam paupertatem penitus indefenſum.*

His ſtantibus, quæritur

An petitis ſit annuendum, nec ne.

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. reſpondit,

Negative.

QUÆ-

QUÆSTIO DXVII.

In Cauſa Nullius Faſani die 8. *Junii* 1726.

IN loco Faſani extat major Eccleſia dicata Sancto Joanni Baptiſtæ, cui quadraginta Sacerdotes inſerviunt, & de ejus reditibus participant, & uno eorum moriente, alter ſubingreditur ad modum optionis, & habita ratione ſervitii antecedenter ſine ulla participatione Eccleſiæ præſtiti, quique hoc modo inſerviunt, extra numerum, ſeu ſupranumerarii appellantur, ad differentiam aliorum, qui ad dictum ſervitium non curant admitti, qui Exgremiales dicuntur.

Sacerdos Leonardus Colucci, qui ad participationem fuerat admiſſus, & per nonnullos annos Eccleſiæ inſervierat, Anno 1715. ſub obtentu infirmitatum participationi renuntiavit in manibus Capituli, ſeu Comparticipantium, ſalvis tamen Juribus ſuis, & attenta hac renunciatione, admiſſus fuit inter Participantes Sacerdos Joannes Maria Brandi, & in hac admiſſione renunciationis, & reſpective collatione portionis favore memorati Sacerdotis, addita fuit hæc clauſula, *Che volendo il ſuddetto D. Leonardo Colucci forſe in appreſſo eſſere ammeſſo a detta Reverenda Comunità, in tal caſo è di parere, che non reſtino pregiudicati gli attuali Eſtranumerarj, ma poſſa ſuccèdere dopo l' ultimo luogo di quelli, che ſi trovano in Sacris.*

Anno 1725. per mortem Sacerdotis Joſephi Gaglieci contigit vacatio unius ex portionibus numerariis, cumque Sacerdos Leonardus Colucci ſuas promoviſſet inſtantias pro admiſſione, & reintegratione ad primum ſtatum Capitularem, Comparticipantes eum acceptarunt, ſed cum ſequentibus conditionibus, quod in caſu perpetuæ infirmitatis, onus Miſſarum propriis ſumptibus ſubiret, quod ultimum locum haberet in Choro, & in optionibus, quod præcedentiam habere deberet tantum in Proceſſionibus, & quod in poſterum ſuæ portioni renunciare non poſſet, unacum aliis etiam conditionibus, quæ in Summario exhibendo legi poſſunt.

Memoratus Sacerdos Leonardus admiſſionem ſui favore factam acceptavit, ſed non conditiones in ea appoſitas, inſtetitque in Curia Ordinarii pro modificatione prædictarum Conditionum, cumque ex Epiſtola ab eodem Ordinario ad Sacerdotes Comparticipantes conſcripta putaverint ipſi, ſe eſſe in libertate agendi quidquid rationabiliter ipſis viſum fuiſſet in eo, quod ſpectare poterat ad proviſionem portionis vacantis; Et Sacerdos Thomas Faſanus ſuas hoc interim preces exhibuiſſet pro ſui admiſſione ad participationem, ſub eo potiſſimum fundamento, quod Presbyter Leonardus, utpote qui ante tot annos renunciaverat, ſibi tamquam omnia requiſita habenti præferri non poterat, major Capitularium pars animadvertens quod Leonardus conditiones appoſitas non acceptabat, & quod juxta Sacræ Viſitationis decreta numerus participantium erat complendus, cenſuit, Presbyterum Joſephum Thomam Faſanum eſſe admittendum, idemque in Poſſeſſionem Loci Capitularis immiſſus fuit, & hinc exorta eſt lis inter ipſum, & Sacerdotem Leonardum Colucci.

Adverſus Sacerdotem Coluccium plura opponuntur, quæ fuſe legi poſſunt in ſcriptura Faſani, per manus circumferenda, & ſignanter, quod ad portionem vacantem Jus habere non poterat, ſive per optionem, ſive per reſtitutionem in integrum; Non per optionem, quia poſt factam renunciationem non curavit acceptari inter expectantes, & Eccleſiæ inſervientes; non per reſtitutionem in integrum, cum ejus renunciatio fuerit admiſſa cum conditione, ut quatenus iterum admitti peteret, non poſſet ipſe admitti cum præjudicio Extranumerariorum, uti ſupra viſum fuit. Additur imperceptibile videri, quod ille, qui renuntiavit ex cauſa infirmitatis, durante, immo aucta Podagræ, & Chiragræ infirmitate, prætendere valeat novam admiſſionem ad ſervitium Eccleſiæ.

Quæ ſint Jura Sacerdotis Leonardi ignoro, cum ad me delata non fuerint: Quocirca quæritur

I. An, & quæ electio, ſeu optio ſuſtineatur, & quatenus illa Colucci, an, & quæ conditiones in ea appoſitæ ſint ſervandæ in caſu &c.

II. An, & quæ Attentata ſint purganda in caſu &c.

Sacra Congr. die 6. Julii 1726. reſpondit,

Ad primum ſuſtineri electionem Faſani. Ad ſecundum proviſum in primo.

QUÆSTIO DXVIII.

In Cauſa Mechlinienſi Legitimitatis Prolis, die 6. *Julii* 1726.

ALBERTINA Tilli, quæ juncta eſt Matrimonio cum Joſeph Ruiz de Caſtro, a Conſiliis Catholicæ Majeſtatis Hiſpaniarum Regis, & ejus Auditore in Regia Audientia Regni Granatæ, contendit, ſe eſſe legitimam, utpote natam ex Matrimonio, ſi non in ſe valido, ſaltem putative habito, uti tali, & contracto *die* 17. *Octobris* 1702. inter Principem Albertum Octavium de Serclaes Tilli, & Principiſſam Alexandrinam Sucre de Bacq in privata Cappella ejuſdem Principis Alberti coram Sacerdote Cappellano Exercitus Regis Catholici, præviaque ſpeciali licentia Ordinarii Mechlinienſis, & adſtantibus tribus Teſtibus.

Porro in eo, quod attinet ad qualitatem Matrimonii putative validi, ultra teſtes examinatos, qui deponunt de Matrimonio contracto coram prædicto Sacerdote, & prævia licentia Ordinarii, & quorum dicta potius referenda eſſe videntur ad qualitatem Matrimonii in ſe revera validi, quam ad qualitatem Matrimonii putative tantum validi: Albertina exhibet Epiſtolas a Principe Alberto Octavio ſcriptas Alexandrinæ matri, in quibus eam agnoſcit ut ſuam legitimam Uxorem; Affert probitiones de communi exiſtimatione tam in Belgio, quam in Hiſpaniis, quod Alexandrina eſſet Uxor vera memorati Principis Alberti Octavii, & quod ipſamet Albertina eſſet eorum filia legitima; Et quia Eminentiſſimus Zonzedarius, dum erat Hiſpaniarum Nuntius, Laudum protulit, in quo cenſuit, Principem Albertum Octavium eſſe obligatum ad contrahendum Matrimonium cum Principiſſa Alexandrina intra triginta dies, ſin minus, ad eam congrue dotandam, & ad alimenta ſubminiſtranda Albertinæ ab ipſo, & Alexandrina progenitæ, idemque Princeps Albertus Octavius, vivente adhuc Alexandrina Matrimonium contraxit, prævia Apoſtolica diſpenſatione cum Maria Magdalena de Serclaes Tilli ſua Nepote, ſubdit Albertina, hæc ſuæ intentioni obeſſe non poſſe, tum quia Laudum prolatum fuit ab Eminentiſſimo Arbitratore, tempore quo non potuerunt haberi probationes, quæ modo habentur, & exhibentur, tum quia ſecundum Matrimonium contractum fuit in evidentem ſpretum litis pendentis ſuper primo, & in ſequelam diſpenſationis ſubreptitie obtentæ, uti latius videri poteſt in ſcripturis exaratis pro dicta Albertina, quæ ſolæ ad me delatæ fuerunt.

Obvia eſt in Decretalibus materia legitimitatis prolis ex Matrimonio publice, & bona fide contracto, licet ob latens aliquod impedimentum poſtea deprehendatur eſſe nullum; in *Textu* etenim in *cap. cum inter, qui filii ſint legitimi* deciſum eſt, filios conceptos ante ſententiam divortii a Parentibus, qui ignorabant impedimentum, eſſe legitimos, quod ipſum procedit etiam quoad liberos natos poſt litem conteſtatam, qua valor Matrimonii impugnatur, uti colligitur ex dicto *Textu*, & comprobatur *ex cap. laudabilem ut lite pendente*, ubi permittitur carnale commercium inter Conjuges, quandiu lis pendet ſuper Matrimonio bona fide contracto, & favore pariter legitimitatis liberorum ſtatutum eſt non requiri bonam fidem in utroque Conjuge, ſed ſufficere bonam unius ex ipſis fidem, uti habetur *cap. finali §. Si quis de clandeſtina deſponſat.*, & cohærenter ad hæc, Sacri Canones dicunt, illegitimam eſſe prolem, ſi Conjugatus, vivente ſua Uxore, ducat aliam, & hæc ſciat illum eſſe Conjugatum, uti habetur *in cap. cauſam, & in cap. referente, Qui filii ſint legitimi*, & e contra legitimam eſſe Prolem, ſi ſecunda Uxor ignorat impedimentum ligaminis, quo Vir laborat, uti patet ex *cap. ex tenore eodem titulo*, non niſi quia in primo caſu deeſt bona fides in utroque Conjuge, quæ bona fides in ſecundo caſu in altero ex Conjugibus verificatur; cumque ad effectum bonæ fidei, ſive in utroque, ſive in altero ex Conjugibus, oporteat, quod ipſi non fuerint affectatores ignorantiæ, ad rem de qua agitur, neceſſe eſt, quod Matrimonium non fuerit clandeſtine contractum, hoc eſt ſine denunciationibus; Si enim ſine illis contractum fuiſſet, & impedimentum adfuiſſet, licet a Conjugibus ignoratum, filii, qui naſcentur, non erunt legitimi, ſed illegitimi, uti habetur *in citat. cap. finali §. Si quis de clandeſtina deſponſatione*, niſi forte denunciationes, quæ fuerunt omiſſæ, non potuiſſent ullo modo conferre ad detegendum impedimentum, uti ſi Matrimonium clandeſtine contractum, fuiſſet nullum ex

defectu consensus interni alterius Conjugis, vel ex defectu Parochi communiter talis reputati, quamvis nullum titulum haberet, sed esset intrusus, uti bene ostendit *Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 42. num. 5.*

Præter dubium respiciens Prolis legitimitatem, disputandum proponitur, instante Maria Magdalena secunda Uxore, aliud pertinens ad validitatem primi Matrimonii, in ordine ad quod quatenus aliqua insurgat difficultas, Albertina, quæ obtinuit litteras compulsoriales pro extrahendis diversis Juribus ad Causam facientibus, instat pro dilatione.

Proposita fuit hujusmodi causa in hac Sac. Congregatione, disputatisque dubiis: *An constaret de primo Matrimonio vero, seu potius de validitate secundi, & an saltem constaret de primo Matrimonio Putativo, ad hoc, ut Proles sit declaranda legitima:* & hisce Dubiis nulla fuit data responsio, sed dictum: *Dilata*: cum essent necessariæ majores probationes, & eo fortius cum Albertina Litteras Remissoriales expediviset.

Deinde ad tramites mentis Sacræ Congregationis facta est expeditio novarum Litterarum Remissorialium, & Compulsorialium instante eadem Albertina pro Hispaniis, & pro Belgio: Confectoque in Hispaniis Processu, & ad Urbem transmisso, Procurator Mariæ Magdalenæ Principissæ de Tillis exhibuit articulos, & instetit, sibi concedi Remissoriam pro Testibus examinandis, magnumque fecit fundamentum in relevantia articulorum, relataque instantia inter Summaria precum die 20. Decembris anni 1727. proxime elapsi, & excipiente Procuratore Albertinæ, quod pluribus de causis non erat locus huic Remissoriæ: Tunc prodiit rescriptum, quod proponeretur Dubium super Remissoria una cum negotio principali in secunda post Reges.

Adeoque nunc quæritur,

I. An constet de primo Matrimonio vero in casu &c. & quatenus negative, an constet de validitate secundi in casu &c.

II. An saltem constet de primo Matrimonio putativo, ad hoc ut Proles sit declaranda legitima, in casu &c.

III. An sit locus petitæ concessioni Remissoriæ in casu &c.

Sacra Congr. die 25. Septembris 1728. respondit,
Constare de primo Matrimonio Putativo, ita ut Proles sit legitima.

QUÆSTIO DXIX.

In Causa Firmana, die 27. Julii 1726.

UT pia Domus Missionis fundaretur in Civitate Firmana Clar. Mem. Cardinalis Cincius ejusdem Civitatis Archiepiscopus consensum præstitit, ut super Mensa Archiepiscopali Pensio imponeretur ducatorum auri de Camera centum sexaginta trium annuorum, quæ durare deberet, usquequo Presbyteri Missionis scuta quatuorcentum monetæ Romanæ, in annuo reditu adipiscerentur, & pensio hæc fuit Auctoritate Apostolica san. mem. Clementis XI. roborata.

Post secutam fundationem, memorati Presbyteri emerunt a Joanne Baptista Ferro, & a Lucia Trevisana ejus Conjuge nonnulla Prædia in Terra Altidonæ pretio scutorum 3300. solutaque tantummodo summa scutorum 505. & 25. reliqua summa scutorum 2794. & 75. sic conventum fuit, ut solveretur ad rationem videlicet scutorum 200. quolibet anno, & cum obligatione solvendi fructus compensativos ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario.

Emptio hæc facta fuit a Dominico Costa Superiore Domus Missionis juxta tenorem Mandati Procuræ Capitulariter facti ab ejusdem Domus Presbyteris, & quamvis in emptione nulla facta fuisset Apostolici Beneplaciti reservatio, idem nihilominus Superior Dominicus Costa recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem pro revalidatione contractus, & Sacra hæc Congregatio negotium commisit Ordinario in forma commissaria, & postquam ipsi constitisset, quod contractus cessisset in evidentem Domus Missionis utilitatem, promotoque ab eodem Dominico Costa instantia coram Ordinario, examinatisque nonnullis Testibus, lata est ab eodem Ordinario sententia revalidatoria contractus sub obtentu, quod idem cedebat in evidentem Domus utilitatem.

Sententia hæc Ordinarii juxta Presbyterorum prætensionem fuit ipsis maximopere suspecta, ex quo eidem maximopere expediebat, quod augeretur valor annuorum reddituum, ut eo citius Mensa Archiepiscopalis commodum experiretur diminutionis, sive extinctionis memoratæ pensionis, exhibitoque proinde huic Sacræ Congregationi novo supplici libello, insteterunt, & obtinuerunt, ut Testium examen, & aliarum probationum compilatio super asserta inutilitate contractus committeretur claræ mem. Card. Spadæ, tunc Episcopo Auximano, coram quo institutum fuit novum Testium examen.

Porro in eo, quod attinet ad evidentis utilitatis defectum, dicunt Presbyteri, ex Testibus plene desumi, nihil aliud percipi quolibet anno ex fructibus Prædiorum emptorum, quam summam scutorum 87. & obulorum 55. cumque pro residuali pretio non exbursato scutorum 2794. & 75. teneantur solvere fructus compensativos ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario, summa hæc ascendit quolibet anno ad scuta 84. quibus omnibus si addatur partita scutorum 505. & 25. exbursata, & huic assignetur congruus annuus fructus ad rationem scutorum trium pro quolibet centenario, tantum abest, quod constet de evidenti utilitate, quod potius de evidenti inutilitate constare dicendum est.

Excipiunt e contra Conjuges, non esse hic, & nunc procedendum cum terminis evidentis utilitatis, quæ non procedit nisi in casu alienationis, sed cum terminis læsionis, quæ procedit in Contractibus, qua attenta, cessare dicunt quodlibet fundamentum pro evertendo contractu.

Alia ab ipsis afferuntur, tum contra personas, tum contra dicta Testium, & contra calculum redituum a Presbyteris expositum: unde cum jura circumferantur, quæritur,

An contractus Emptionis, de quo agitur, sustineatur in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Affirmative, & amplius.

QUÆSTIO DXX.

In Causa Placentina, die 27. Julii 1726.

ARCHIPRESBYTER S. Petri Pontis Nurii, tanquam specialiter delegatus ab Episcopo Placentino visitavit publicum Oratorium, sive Ecclesiam sub titulo S. Mariæ de Albiano, quæ pertinet ad Patres Carmelitas Calceatos ejusdem Civitatis, mandavitque, ut intra tempus quindecim dierum, vel docerent de privilegio retinendi in ea sedes Confessionales, vel eas amoverent sub pœna Interdicti in casu inobedientiæ.

Habitus fuit recursus a Patribus ad Episcopum, qui eum admisit tantum in devolutivo, cumque iidem Patres alium subinde recursum habuissent ad hanc Sacram Congregationem, datæ fuerunt juxta morem litteræ ad Episcopum pro informatione, & post earum adventum, dictum fuit, quod Causa poneretur in Folio.

Ab anno 1723. usque ad annum 1725. publicum Oratorium, sive Ecclesia, S. Mariæ de Albiano habita est tamquam interdicta. Cumque nulla prævia, vel Episcopi, vel hujus Sacræ Congregationis licentia anno prædicto 1725. Patres Carmelitæ ad eam se contulerint, & cum Missa, & Vesperis solemniter celebraverint Festum S. Firmi, & Pœnitentiæ Sacramentum e Sedibus Confessionalibus ministraverint, & Sacerdotes Sæculares invitaverint ad Missas in ea celebrandas, hisce de causis deventum fuit ad subscriptionem dubiorum, quæ ad calcem Restrictus referuntur.

Contendunt Patres Carmelitæ, tam se, quam suas Ecclesias esse exemptas ab Episcopi jurisdictione, & visitatione, juxta notoria ipsorum privilegia, & de pertinentia Ecclesiæ ad ipsos non esse dubitandum, cum in ejus sint possessione usque de anno 1495. quo tempore Sacerdos Antonius de Prato Subcollector Apostolicus amplam fecit ipsorum favore concessionem; cumque ulterius prætendant, eam nunquam fuisse ab Episcopis formiter visitatam, & esse publicam Ecclesiam, concludunt, jura sua esse in tuto, etiam quoad celebrationem consuetarum festivitatum sine licentia Parochi, & retentionem sedium Confessionalium.

Promotor e contra Fiscalis Curiæ Episcopalis innititur Juris dispositioni, quæ favet Ordinario, excluso Apostolico Privilegio. Idem ulterius exhibet tres visitationes factas de hac eadem Ecclesia, necnon Constitutiones Synodales, quibus pluries statutum est, non posse in Oratoriis, licet publicis retineri sedes Confessionales, nec posse in eis celebrari Festivitates, nisi Parocho invitato.

Quoad visitationem Ordinarii respectu ad Ecclesias pertinentes ad Regulares, si iisdem immineat Cura Animarum Personarum sæcularium, certum est, quod in pertinentibus ad dictam Curam possunt ab Episcopo visitari juxta *cap. 11. Sess. 25. de Regularibus*, quod pro-

cedit, quando agitur de Monasteriis, & de Abbatiis Commendatis, in quibus non viget Regularis observantia, juxta *cap. 7. sess. 7. de Reformat.* & etiam extenditur ad alias quascumque Ecclesias, licet spectent ad Regulares, dummodo iisdem deserviatur a sæcularibus, & licet non sint Curatæ, juxta *cap. 8. sess. 7. de Reform.* & casum decisum in *Lycien. Visitationis 23. Junii 1625.*

Conciliares istæ dispositiones hypothesi non videntur applicabiles, quocirca jus Episcopale desumi prætenditur a posterioribus Summorum Pontificum Constitutionibus. Notum est, Summum Pontificem Innocentium X. parvos suppressisse Conventus Regularium juxta *Bullam 50.* quæ incipit *Instaurandæ Bullar. tom. 5.* eundemque Pontificem nonnullos subinde ex dictis parvis Conventibus restituisse Regularibus, ita tamen, ut subjecti esse deberent Visitationi, Correctioni, & omnimodæ Jurisdictioni Ordinarii, tamquam Sedis Apostolicæ Delegati, juxta alteram ejusdem Pontificis *Constitutionem 55.* quæ incipit, *Ut in parvis Bullar. tom. 5.* & a Summo Pontifice Alexandro VII. declaratum fuisse, quod Visitationi, & Jurisdictioni Ordinarii subsunt Ecclesiæ Conventuum, & Cappellæ Granciarum, sive in eis degant Conversi pro Agrorum cultura, sive non, uti habetur in ejus *Constitutione 4. Bullar. tom. 6.*

Historia horum parvorum Conventuum, & Ecclesiarum, ad eos pertinentium plene habetur apud *Fagnan. in cap. relatum n. 41. & seqq. ne Clerici vel Monachi.*

Jura circumferuntur, quocirca quæritur.

I. An Episcopo Placentino liceat visitare Ecclesiam Campestrem S. Mariæ de Albiano Pontis Nurii, & quatenus affirmative.

II. An liceat PP. Carmelitis in eadem Ecclesia celebrare consuetas festivitates sine licentia, & assistentia Parochi, & in ea Sedes Confessionales retinere in casu &c.

III. An celebratio Festi S. Firmi, & aliarum Festivitatum expleta in Oratorio S. Mariæ de Albiano post comminatum Interdictum sit attentata, ita ut omnes actus supradicti sint circumscribendi in casu &c.

Sacra Congr. die 17. Augusti 1726. respondit,
Ad primum affirmative, Jure tamen delegato. Ad secundum affirmative. Ad tertium negative.

QUÆSTIO DXXI.

In Causa Nucerina Paganorum, die 27. Julii 1726.

EPISCOPUS Nuceriæ Paganorum inter reliqua decreta quæ edidit in Sacra Visitatione, sequens edidit decretum: *integra eleemosyna pro qualibet Missa taxata solvatur celebranti, deductis expensis, quatenus pro utensilibus tantum.* Cumque nonnulli Gubernatores Ecclesiarum dictæ Civitatis, se gravatos a dicto Decreto asseruerint; Causa delata est ad hanc Sac. Congregationem, quæ juxta morem scripsit Episcopo pro informatione.

Fundamentum Decreti Episcopalis constituitur in expressa voluntate Testatorum, qui si in suis Testamentis bona Ecclesiis reliquerunt, adjecta conditione, ut eorum reditus erogarentur in determinatum numerum Missarum statura pro Celebrantibus eleemosyna granorum quindecim, vel viginti, eleemosyna relicta taliter est persolvenda, ut Gubernatores nequeant aliquid ex ea detrahere pro assertis suarum Ecclesiarum indigentiis.

Adduntur notissima Decreta, tum Urbani VIII. tum Innocentii XI. & Innocentii XII. in quibus prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, eandem Missam celebrandam alteri committere, parte ejusdem eleemosynæ retenta, nec aliquid ab Administratoribus Ecclesiarum retineri posse ex Missarum eleemosynis ratione utensilium, nisi quando Ecclesiæ, & Loca Pia carent aliis reditibus, quos in prædictam Causam valeant erogare.

Gubernatores e contra dicunt; quæstionem præsentem versari in relictis pro celebratione Missarum, quæ sunt concepta sequentibus verbis, *Con peso, & obbligazione, che li Governatori della Cappella siano tenuti, & obbligati far celebrare perpetuamente tante Messe per l'anima &c. alla ragione di grana quindici la Messa, incluso in detta Carità il salario di detto Sagrestano, cera, paramento, ed ogni altra cosa necessaria per detta celebrazione.*

Hinc inferendo, inapplicabiles esse dispositiones allegatorum Decretorum, tum quia loquuntur de Missis manualibus, quæ a Sacrista, vel alio Sacerdote colliguntur, & aliis celebrandæ committuntur, & non de Missis perpetuis, & in Tabella descriptis, tum quia Testatores, licet statuerint, Missas esse celebrandas ad rationem granorum quindecim pro qualibet, in hac tamen summa comprehensam esse voluerunt summam pro utensilibus necessariam, & demum quia Ecclesiæ indigent, qua indigentia admissa, ipsa decreta permittunt detractionem pro utensilibus.

Jura circumferuntur, quapropter quæritur,

I. An Elæmosyna Missarum a Gubernatoribus Ecclesiarum solvenda sit Cappellanis ad rationem perpetuæ, sive manualis in casu &c. & quatenus ad rationem perpetuæ.

II. An dd. Gubernatores teneantur solvere prædictis Cappellanis eleemosynas non solutas pro Missis celebratis in casu &c.

Non proposita.

QUÆSTIO DXXII.

In Causa Trevirensi, die 27. Julii 1726.

CUM san. mem. Clemens PP. XI. usque de anno 1716. unum ex Canonicatibus Collegiatæ Ecclesiæ S. Simeonis Civitatis Trevirensis, contulisset Episcopo Rosmensi, & Suffraganeo Trevirensi, & in prædicta Collegiata Ecclesia usus vigeat, juxta quem nullus ad fructuosam, & Capitularem possessionem Canonicatus admittitur, nisi locus aperiatur per mortem naturalem, vel resignationem sex Canonicorum, quos vocant Expectantes, & Extra-Capitulares, quique lapso triennio, ad minorem, ut ajunt, residentiam, & correspondentem ei partem fructuum admitti solent; secutaque vacatione unius ex Canonicatibus in prædicta Ecclesia, oblataque occasione loci Capitularis, & fructuosæ possessionis, prædictus Suffraganeus Trevirensis SS. D. N. supplicaverit pro sui admissione ad prædictum locum vacantem, & perceptionem fructuum actualem cum derogatione pro hac vice tantum usui prædicto, & salva in reliquis substantia Statutorum, preces remissæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, cumque eadem consilium SS. D. N. præstiterit pro gratiæ concessione, & expeditæ fuerint litteræ Apostolicæ in forma Brevis cum præservatione Auctoritatis ejusdem Sacræ Congregationis, excitatis super ejus executione controversiis, disputandum proponitur dubium.

An Breve Apostolicum, prævio Consilio hujus Sacræ Congregationis favore Episcopi Rosmen. expeditum super admissione ejusdem ad locum Capitularem, & fructuosam possessionem Canonicatus Collegiatæ S. Simonis sit exequendum in casu &c.

Sacra Congr. die 17. Augusti 1726. respondit,
Negative.

QUÆSTIO DXXIII.

In Causa Policastrensi, die 17. Augusti 1726.

EMANUEL Pistachio in suo ultimo, cum quo decessit, Testamento condito de anno 1694. hæredem sibi scripsit Beatricem de Tomasio suam Uxorem, cum onere tamen infrascripto: *Che subito seguita la sua morte, debba per atto pubblico fare assegnamento d'annue entrate d'una Messa quotidiana nel giorno da celebrarsi nella Venerabile Cappella di Sant' Antonio di Padova dentro la Matrice Chiesa di questa Terra*, hoc est Sancti Joannis ad Pyrum Diœcesis Policastrensis, quas Missas statuit celebrandas ad rationem granorum duodecim cum dimidio pro qualibet, vocavitque ad hanc Cappellaniam Sacerdotem Joseph Lanza, & eo defuncto Sacerdotem Julium Ursayam.

In executionem hujus præcepti Beatrix devenit ad assignationem Capitalium, sed prætendente Sacerdote Joseph, quod hæc assignatio esset sibi læsiva, opus fuit devenire ad aliam assignationem, quæ fuit anno 1695. auctoritate Ordinaria roborata.

Post obitum Sacerdotis Joseph delata fuit Cappellania ad Sacerdotem Julium Ursaya, cumque sub obtentu, quod ejus tempore, & ejus præcipue culpa secuta fuisset Capitalium assignatorum deterioratio, Beatrix habuisset recursum ad hanc Sacram Congregationem pro facultate rehabendi capitalia assignata, & solvendi vel unica vice pecuniam, vel assignandi annuos reditus sufficientes pro quotidiana Missarum celebratione, & integra solutione eleemosynæ, ad effectum signanter evitandi lites imminentes, juxta morem demandatum fuit, quod exhiberetur particula Testamenti, & quod audiretur Vicarius Apostolicus Policastrensis, & dicto Vicario plene attestante

stante bonorum assignatorum deteriorationem, de qua sibi constare dixit ex depositionibus Peritorum medio juramento in Episcopali Curia receptis, Sacra Congregatio die 28. Julii 1724. noluit absolute, & simpliciter annuere petitioni Beatricis, quæ in nova assignatione volebat se obligare ad solam evictionem capitalium assignandorum pro prima vice, sed commisit dicto Vicario Apostolico, *ut veris existentibus narratis, petitam facultatem impertiretur deveniendi ad novam bonorum assignationem, sed cum obligatione de evictione in forma juris validâ emittenda*, & adversus hoc rescriptum recurrentibus Laurentio Ursaya novo Cappellano proviso a Sede Apostolica, & Theodoro Ursaya, & Margarita Severino uti Cappellaniæ Compatronis, Sacra Congregatio die 20. Januarii 1725. stetit in decisis, cumque remoto Vicario Apostolico, Episcopus ad suam Ecclesiam rediisset, eidem commisit, *ut veris existentibus narratis, petitam daret facultatem faciendi novam bonorum assignationem, repetita obligatione de evictione in forma juris valida emittenda*.

Agnito a recurrentibus, quod remissio ad Episcopum facta fuerat in forma commissaria, non destiterunt iidem suas coram eo promovere instantias, cumque eorum oppositionibus minime refragantibus, Episcopus ad novam devenerit assignationem, Causa iterum ad hanc Sacram Congregationem reversa est, & in ea proponuntur disputanda tria dubia ad calcem Restrictus referenda.

Contendunt itaque Laurentius, & alii litis consortes, primo, quod in facto non subsistat exposita deterioratio bonorum, secundo, quod quatenus subsisteret, non subsistat tamen exequutio rescripti Sacræ Congregationis, quæ facta est ab Episcopo, & signanter cum non fuerit bene adimpleta clausula circa obligationem *de evictione in forma juris valida*, & tertio demum, quod quatenus hoc motivum cessaret, novum assignamentum ex alio capite corrueret, & signanter, quia novum assignamentum factum fuit in censibus ad rationem novem pro quolibet centenario, quod non solum dicitur exorbitans, quando agitur de assignamento pro Missis, etiamsi in Regione intereſſe censuum currat ad dictam rationem, sed etiam dicitur contrarium menti Sacræ Congregationis, quæ quando permittit, ut fiat assignamentum in bonis pro celebratione Missarum, intelligit de bonis vere stabilibus, & non de censibus, licet ad alios effectus census inter stabilia recenseantur, juxta resolutionem *in Fundana* 28. *Februarii* 1654. *tom.* 19. *pag.* 319. *a tergo*, ibi: *Census non reputantur bona stabilia, ad effectum investiendi pro celebratione Missarum*, & late prosequitur Eminentissimus D. meus Card. Petra in suo *novissi. tom.* 5. *ad Constitutiones Apostolicas pag.* 462. *n.* 18. & de facto praxis est, ut quando conceditur facultas investiendi in censibus, id individualiter exprimatur, nec ea unquam conceditur, nisi limitate ad census cum Communitatibus, vel Locis Piis tutis, & securis.

Jura circumferuntur, & ex eorum lectura benigne decerni poterit,

I. An sustineatur novum assignamentum subrogationis Capitalium in locum bonorum stabilium in casu &c., & quatenus negative.

II. An sit locus novo assignamento; & quatenus affirmative.

III. Super quibus bonis, & quomodo sit faciendum.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum negative. Ad secundum negative, & esse manutenendam assignationem factam ab Episcopo de Rosa, reservato Jure Cappellano agendi super bonis hæreditariis in casu deficientiæ bonorum assignatorum, prout de jure. Ad tertium provisum in præcedentibus, & amplius.

QUÆSTIO DXXIV.

In Causa Policastrensi, die 17. Augusti 1726.

Frater Aloysius a Marathea Ordinis Strictioris Observantiæ Sancti Francisci habitum suscepit mense Februarii Anno 1709. in Conventu Sancti Antonii loci Rivelli Diœcesis Policastren., & in Conventu Terræ Laureæ de mense Februarii Anno 1710. Professionem emisit, quam in præsenti contendit nullitatis vitio laborare, cum eam dicat emississe propter vim, & metum sibi a Patre incussum, uti colligitur ex Testibus, qui de gravi metu deponunt, de fuga arrepta a Monasterio, de protestationibus emissis ante Professionem, de continuis querimoniis, & de rejectione Officiorum ejusdem Religionis sibi sponte pluries oblatorum. Pater, qui vim, & metum incussit, adhuc vivit, & declarationem emisit de metu, minis, & verberibus a se filio illatis, ut Professionem regularem emitteret, & quia opponi posset, quod Ordines Sacros in religione recepit ad titulum Religiosæ paupertatis, hinc inferendo ad ratificationem Professionis, replicatio nihilominus suppetit, & est, quod susceptio Sacrorum Ordinum, utpote separata a Professione minus operatur, quam gestatio habitus Professorum, aut suffragii præstatio, *juxta decis.* 195. *n.* 22. *part.* 4. *tom.* 2. *recentiorum*, & quod concurrentibus querimoniis etiam extrajudicialibus, non valet Argumentum a susceptione Sacrorum Ordinum ad Ratificationem Professionis *juxta late deducta per Dominum Ursayam tom.* 5. *parte prima discep.* 12. *n.* 104. *&* 105. Præterquam quod susceptio Sacrorum Ordinum non validat Professionem, quando durat causa metus, propter quem Professio emissa fuit *juxta decis.* 705. *part.* 2. *recent.* & resolutionem S. Congregationis Episcoporum, & Regularium approbatam ab Alexandro VII. uti habetur *apud Pignatelli consult.* 173. *n.* 105. *tom.* 9., qua potissimum de causa in ultima Synodo Romana non fuit determinatum, quod Regulares ante receptionem Sacrorum Ordinum Professionem ratificarent, licet in plerisque Synodis, & signanter Mediolanensibus sub S. Carolo Borromæo id fuerit statutum, & in contradictorio partium admissum fuerit a Congregatione particulari deputata super examine ultimæ Synodi Fulginatensis.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

Sacra Congr. die 7. Septembris 1726. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO DXXV.

In Causa Maceratensi, die 7. Septembris 1726.

Nicolaus Paulinus in ultimo, cum quo decessit Testamento condito de anno 1706. demandavit, quod ex sua hæreditate scuta sexcentum desumerentur investienda in censibus, aut stabilibus, ut ex eorum fructibus duæ honestæ Puellæ de Terra Ulmi in Matrimonium collocari possent, ita tamen, ut id durare, seu continuare deberet, *sino a tanto che uno de' figliuoli di Michel' Angelo Silvestri di Macerata sarà in stato d' ordinarsi in Sacris, perchè allora voglio, e dispongo, che li suddetti sc.* 600. *siano impiegati in una Cappellania Laicale, da fondarsi nell' Altare maggiore del Suffragio di Macerata, unendo in tal caso a detta Cappellania tutti gl' altri miei beni stabili, e mobili*.

Testator habebat Uxorem nomine Catharinam, quæ tempore conditi Testamenti vivebat, cumque eandem hæredem usufructuariam instituisset in prædictis cæteris bonis stabilibus, & mobilibus, sic in casu ejus obitus disposuit, *e dopo seguita la sua morte, debba il tutto incorporarsi per la predetta Cappellania, cioè li scudi seicento, e tutti li stabili, e mobili miei, de' quali dopo la mia morte se ne debba fare inventario, ed in caso che uno de' figli del predetto Michel' Angelo Silvestri sia in stato di prender gli ordini Sagri, e la predetta Catterina sopraviva, voglio, che li detti scudi seicento, colla proprietà degl' altri miei beni possino servire ad titulum Cappellaniæ, perchè questa è la mia disposizione, e volontà, acciò possa ordinarsi agli Ordini Sacri, riservato però l' usofrutto delli stabili, e mobili ad essa Catterina vivente come sopra, e non altrimente*.

Et demum in eo, quod attinet ad jus nominandi activum, Testator illud detulit ad Michaelem Archangelum Silvestri, & ejus descendentes in infinitum, illisque deficientibus, vocavit Antonium Mariam Luminati, & ejus pariter descendentes in infinitum, & illis pariter deficientibus, subsidiarie vocavit Episcopum Maceratensem pro tempore: & in eo, quod spectat ad onera Cappellani, voluit quotidianum Missæ Sacrificium *con peso al Rettore di detta Cappellania pro tempore di Messa una il giorno, se sarà conosciuta capace la detta Cappellania, e li beni, che li assegno per il detto peso*, & quia prævidit casum, quod alter ex filiis Michaelis Archangeli esse posset in statu assumendi Ordinem Sacrum, vivente adhuc Catharina Uxore, sic prosequutus est: *dichiarando, che sin tanto viverà la suddetta Catterina, e goderà respettivamente l' usofrutto delli suddetti miei stabili, e mobili, voglio, e dichiaro, che il frutto delli suddetti sc.* 600. *rimvestiti, come sopra, subito che sarà ordinato agl' Ordini Sagri uno de' figli del suddetto Michel' Angelo, siano goduti da esso ordinato, con peso di celebrare, o far celebrare tanto numero di Messe l' anno*,

no, quanto ne porterà di rendita a dd. scudi seicento ad arbitrio similmente di Monsignor Vescovo di Macerata, & post hæc ab eodem Testatore in eodem Testamento Cappellania instituta est hæres universalis.

Secuto obitu Testatoris, cum inter filios Michaelis Archangeli, Ignatius esset constitutus in ætate annorum 14. primam ipse Tonsuram susscepit, & deinde ascendit ad Ordines Minores, & postremo promotus fuit ad Subdiaconatum ad titulum prædictæ Cappellaniæ, in cujus pacifica possessione permansit usque ad obitum.

Sequuto ejusdem obitu, Joseph de Silvestris, filius memoratij Michaelis Archangeli, nominavit ad prædictam Cappellaniam Laurentium suum filium constitutum in infantili ætate, utpote natum die prima Octobris 1720. cumque Maria filia ejusdem Michaelis Archangeli, & Compatrona pro medietate præsentaverit, seu nominaverit Sacerdotem Mathiam Generali, & Ordinarius Maceratensis nedum admiserit nominationem Laurentii, sed etiam ei dederit licentiam capiendi possessionem, & ulterius manutentionem concesserit, exorta est inter nominatos controversia, eademque remissa a R.P. D. Auditore Sanctissimi ad Signaturam Justitiæ, cum competentia adesset in ordine ad Tribunal, in quo eadem esset discutienda, & rescriptum a Signatura prodierit sequentis tenoris: *Suspenso judicio manutentionis, & apposita sequestro, ad Sacram Congregationem Concilii pro declaratione qualitatis Cappellaniæ*, ex juribus circumferendis quæritur,

An Cappellania, de qua agitur, sit Legatum pium, cujus sint capaces etiam fœminæ, & infantes, seu potius sit Cappellania Ecclesiastica &c.

Sacra Congr. die 28. Septembris 1726. respondit,

Ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative, sed non esse collativam, & amplius.

QUÆSTIO DXXVI.

In Causa Ulixbonensi, die 7. Septembris 1726.

Joannes Teixcira Sobrado a sex circiter annis negotiationis causa commorans in Civitate Ulixbonen. Occidentali, sed natus in Civitate Bracharensi, stupravit Mariam a Conceptione Colimbriensem, non obstante quod esset Matrimonio junctus cum alia Muliere, quæ larem, & domicilium habebat in Diœcesi Bracharensi. Cumque, post defloration em, & copulam sæpius habitam cum memorata Maria a Conceptione, intellexisset adulterium a sua uxore commissum fuisse cum alio Viro, Civitatem petiit Bracharensem, & veritate comperta, Uxorem occidit, & Uxoricidii accusatus, cum in defensionibus ostendisset, Uxorem fuisse adulteram, juxta patrias leges impunitus evasit.

Post annum, & ultra elapsum a die prolatæ Sententiæ, Joannes rediit ad Civitatem Ulixbonensem, cumque vellet Matrimonium contrahere cum supradicta Maria a Conceptione, & ei oppositum fuisset criminis impedimentum, tam ab ipso, quam a Maria præstitum fuit juramentum, in quo declararunt, copulam ab ipsis habitam tempore prioris Matrimonii, non fuisse habitam cum promissione contrahendi subsequenter inter se Matrimonium, vel cum machinatione mortis primæ Uxoris, cumque, hoc minime obstante, exorta sit dubitatio tum circa existentiam criminis impedientis, & dirimentis Matrimonium, tum circa dispensationem, quatenus opus esset, nec ne concedendam, delata est ad hanc Sacram Congregationem controversia, quæ juxta morem litteras dedit ad Patriarcham, qui in responsionibus dixit, omnia exposita in facto subsistere, subdens se ob Sanctæ Sedis reverentiam noluisse, uti nonnulli consulebant, declarare, quod nullum aderat impedimentum, concluditque, quod quatenus necessaria sit dispensatio, expediret in Domino eam concedere, cum inter Joannem, & Mariam non modica detur affectio, & periculum sit, ne ad vomitum redeant.

Quoad simplex Uxoricidium, juxta Sacros Canones, Maritus, qui Uxorem interemit, in pœnam hujus peccati non potest cum alia Matrimonium contrahere, uti habetur in *Canone interfectores*, ibi: *quibus penitus Conjugium denegatur*; & in *Canone admonere* ibi: *uxorem nunquam ducere* 33. *quæst.* 2. quod sibi vindicat locum, etiamsi Maritus occidat Uxorem in adulterio deprehensam, licet id impune fiat per leges civiles, uti ponderat *Perez de Matrim. disput.* 23. *sect.* 6. *num.* 2. sed cum hoc impedimentum sit impediens, & non dirimens, juxta doctrinam Divi Thomæ *in* 4. *Sententiarum*, *dist.* 38. *quæst.* 1. *art.* 2. ibi: *Uxoricidium ex statuto Ecclesiæ Matrimonium impedit, sed quandoque impedit contrahendum, & non dirimit contractum, quando scilicet vir propter adulterium, aut propter odium occidit Uxorem*, binæ super hoc puncto occurrunt inspectiones, altera est, an hoc impedimentum adhuc duret, vel potius sit a communi consuetudine sublatum; altera est, an super eo possit Episcopus dispensare, quatenus adhuc sint in usu. Nonnulli quippe docent, quod ex duodecim impedimentis impedientibus, & non dirimentibus, in suo robore tantum permaneant Interdictum, Votum, & Sponsalia, *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 17. *num.* 9. *Pontius eodem tract. lib.* 6. *cap.* 14. *Perez de Matrim. disput.* 23. *sect.* 8. *numer.* 2. *Salmanticenses in cursu moral. Tomo* 2. *tractatu* 9. *de Matrim. cap.* 13. *puncto unico num.* 15. Alii volunt prædicta omnia impedimenta adhuc esse in usu, ex quo consuetudo adversus Canones, non consuetudo, sed abusus dicenda sit, ut late prosequuntur *Card. Toletus in summa lib.* 7. *cap.* 19. *Card. de Lauræa de Matrim. disput.* 36. *art.* 5. *a num.* 272. & alii distinguunt inter impedimenta impedientia, & non dirimentia delata ad Forum contentiosum, & impedimenta occulta, ita ut prima adhuc permaneant, & non secunda; uti habetur *apud Clericat. de Matrim. decis.* 37. *num.* 33. & in eo, quod attinet ad alteram inspectionem, hoc est ad dispensationem, concordant omnes, quod Episcopus potest dispensare in impedimentis impedientibus, & non dirimentibus, exceptis impedimentis Sponsalium, & Voti absoluti Castitatis, & Religionis, quia licet in Jure id non sit expressum, nisi quoad Incestum, uti habetur *in cap.* 2. *de eo, qui cognovit consanguineam*, pacifica tamen consuetudo inolevit, attribuens Episcopis facultatem dispensandi super cæteris impedimentis impedientibus, & dirimentibus, exceptis allegatis impedimentis Sponsalium, & non Voti supradicti, uti prosequuntur *Sanchez loc. cit. num.* 15. *Salmanticenses loc. cit. num.* 16. *&* 17. *Perez loco citato, num.* 5. *& sequent. Cleric. loco pariter citato num.* 34.

Hæc quoad simplex Uxoricidium, & quoad impedimentum impediens, & non dirimens Matrimonium. Quia vero suspicio esse valet de impedimento impediente, & dirimente, operæ pretium est adnotare, impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium consurgere ex adulterio cum promissione contrahendi Matrimonium, quoties uxor moriatur, uti habetur in *cap. veniens* ibi: *dummodo non præstiterit fidem Adulteræ, de eo, qui duxit in Uxorem*, & concordat Textus *in cap. si quis uxorem eodem titulo*, & in *Canone relatum* 31. *quæst.* 1. ibi: *relatum est auribus Sanctorum Sacerdotum quemdam alterius uxorem stupro violasse, & insuper Mœchæ, vivente Viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi Mariti mortem, si supervixisset, duceret Uxorem, quod, & factum est; tale ergo connubium prohibemus, & anathematizamus*, & etiam consurgere posse ex machinatione in mortem Conjugis una cum adulterio, etiamsi nulla accesserit promissio in Uxorem ducendi eam, quam polluit per adulterium, juxta Textum *in cap. Significasti, & in cap. Super hoc*, ibi, *sive fidem dederit, sive non, Tit. de eo, qui duxit in Matrimonium*, nulla concurrente necessitate, quod tam Vir, quam Mulier in morte Uxoris sint machinati, cum utriusque machinatio necessaria sit, quando non intervenit adulterium, & alterutrius sufficiat, quando adulterium intervenit, uti late ostendunt *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 78. *num.* 9. *Clericat. de Matrim. decis.* 25. *num.* 11. *& seqq. Anaclet. ad tit. decretal. de eo, qui duxit in Uxorem num.* 21. *& num.* 25. quo stante, firmo instituendus est de unoquoque ex dictis impedimentis impedientibus, & dirimentibus.

Et loquendo quidem de primo, hoc est de adulterio cum promissione Matrimonium contrahendi, si Joannes, & Maria ingenue admittunt, adulterium, vivente adhuc prima Conjuge, commissum, & interposito juramento affirmant, promissionem, & fidem non intercessisse de contrahendo insimul Matrimonium post mortem Uxoris, non videtur, quod alia via superesse possit ad effectum demonstrandi, quod promissio non intercessit, & eo fortius, cum nulla dictæ promissionis probatio afferatur.

Atque post hæc sermonem transferendo ad secundum, hoc est ad machinationem in mortem Conjugis una cum adulterio, & animadverso, quod Sedes Apostolica non consuevit super hoc impedimento dispensare, quoties illud publicum sit, uti testantur *Conrad. in praxi dispens. Apostol. lib.* 8. *cap.* 9. *num.* 4. *& seqq. de Justis de dispens. Matrim. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 64. *& seqq. P. Schmaltzgrueber ad tit. decretal. de eo, qui duxit in Matrimo-*

trimonium n. 65. & seqq. Miglioruc. Juris Canonici tom. 2. pag. 242. ubi distinguunt inter impedimentum proveniens ex adulterio cum promissione contrahendi Matrimonium, & impedimentum proveniens ex adulterio una simul cum machinato Uxoricidio, asseruntque, in primo casu esse locum dispensationi, & non in secundo, juxta praxim Romanæ Curiæ, stricte inquirendum est, an super expressum adsit in casu impedimentum.

Communis esse videtur opinio, quod ut inducatur impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium ob Uxoricidium simul cum adulterio, necesse est, quod occisio facta fuerit animo contrahendi Matrimonium cum complice vel occisionis, vel adulterii, uti probat *Textus in Can. si quis vivente 31. quæst. 1.* ibi: *occidisse notetur, ut conjungeretur*, & est doctrina *D. Thomæ in 4. Sentent. dist. 38. quæst. 1. art. 2.* ibi, *quandoque etiam dirimit contractum: ut quando aliquis interficit Uxorem suam, ut ducat eam, cum qua mœchatur*, idque facit, ut si Uxoricidium ex alia causa descendat, prædictum impedimentum non adsit, ut cæteris allegatis ostendunt *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 78. num. 13. Salmanticenses in cursu morali tom. 2. tract. 9. cap. 12. num. 53. P. Schmalzgrueber ad cit. titul. de eo, qui duxit in Matrimonium num. 52. Pirhing ad tit. decretal. de eo, qui duxit in Matrimonium §. 3. num. 25.* Cumque de hac intentione in præsenti rerum statu non constet, sed potius constet occisionem Uxoris causam habuisse ab adulterio, per eam commisso, concludi posse videtur, deesse impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium.

Quia vero Sanchez loco citato *num. 19.* docet, quod in foro fori, quidquid sit de foro Conscientiæ, quando Maritus Uxorem interficit, & contrahere vult Matrimonium cum Adultera, præsumitur, quod interfecerit animo, & intentione eam in Uxorem ducendi, ibi, *monuerim tamen circa intentionem requisitam ineundi Matrimonii, ad hoc impedimentum præsumi eam in foro externo, quando quispiam Conjugem perimit, & cum alio Conjuge, cum quo adulterium præcesserat, inire matrimonium vult, vel Conjux superstes, qui Conjugem perimit, vult cum Adulterante Matrimonio copulari, & ita reputari in foro externo impedimentum dirimens, quamvis tale non sit in foro Conscientiæ, quando ea intentio vere non adfuit*, & sequuntur *Piringh, & Anaclet. ad tit. Decretal. de eo qui duxit in Matrimonium, primus §. 3. n. 25. & alter n. 24.*, idemque Sanchez hanc suam limitat affertionem in eo rerum statu, in quo ex magnis conjecturis constaret de opposita intentione, ibi: *quare nisi ex magnis Conjecturis probaretur opposita intentio, non est concessurus Judex Ecclesiasticus, qui fori externi præsumptioni stare debet, dum oppositum non probatur, licentiam talis Matrimonii ineundi*; indago restricta videtur ad hunc unicum punctum, an præsumptio supradicta, quæ non est juris, & de jure, sublata dici valeat a Sententia a Judice prolata, in qua Joannem suæ Uxoris occisorem absolvit, ex quo in defensionibus ostendit, quod adulterium fuerat ab Uxore commissum, in his quippe circumstantiis homicidium videtur referendum non ad animum contrahendi novum Matrimonium, sed ad ulciscendam injuriam.

His stantibus, quæritur

I. An adsit aliquod impedimentum impediens, & dirimens Matrimonium in casu &c. & quatenus affirmative.

II. Quomodo sit procedendum.

Sacra Congr. die 28. Septembris 1726. respondit,

Ordinarius procedat prout de jure, & scribatur eidem juxta instructionem.

QUÆSTIO DXXVII.

In Causa Florentina, seu Lucana, die 28. Septembris 1726.

ANno 1603. cum Raphael Federicus vellet Matrimonium contrahere cum Catharina Prunai, & pro dicto contrahendo Matrimonio fierent solitæ denunciationes in Parochiali Ecclesia, habitus fuit recursus ad Vicarium Generalem Florentiæ a quibusdam consanguineis ejusdem Raphaelis, in quo exposuerunt, Matrimonium contrahi non posse propter impedimentum affinitatis in secundo gradu ex copula illicita, quod vigere dicebatur inter Raphaelem, & Catharinam propter copulam ab hac antecedenter habitam cum quodam Juliano Davanzati secundo consanguinitatis gradu eidem Raphaeli conjuncto, cumque contestata lite, & facta Parochis inhibitione, ne Matrimonio interessent, post examen nonnullorum Testium petita fuisset a Consanguineis Remissoria ad effectum alios Testes examinandi in Civitate Neapolitana, & Vicarius concessionem Remissoriæ denegasset, interposita fuit appellatio ad Nuntium Apostolicum Florentiæ degentem.

Dum Appellatio pendebat, & Catharina passa fuerat exilium a Civitate Florentiæ, Raphael Civitatem petiit Lucanam, in quam Catharina se receperat; cumque in hac Civitate Matrimonium in facie Ecclesiæ contraxissent *die 28. Martii 1605.*, res judicialiter delata fuit ad prædictum Nuntium Apostolicum, qui *die 9. Septembris ejusdem anni* Matrimonium sic contractum declaravit nullitate laborare; & Contrahentes esse separandos. Et quamvis contrahentium Procurator ab hac sententia appellationem interposuisset, Contrahentes nihilominus certiores facti de impedimento supplices preces exhibuerunt Summo Pontifici Paulo V., qui eos absolvit a quibuscumque pœnis, a jure vel ab homine latis, & dispensationem concessit, ut non obstante impedimento secundi affinitatis gradus ex actu fornicario, Matrimonium inter se de novo publice servata forma Concilii contrahere, & in eo postmodum remanere libere, & licite valerent, cum declaratione legitimatis prolis, tam suscepturæ, quam suscipiendæ.

In executione hujus Mandati Pontificii deventum fuit ab Oratoribus, servatis servandis, ad reiterationem consensus, & ad celebrationem de novo Matrimonii coram Vicario Generali Lucano *die 9. Decembris 1605.* cumque *die 5. Februarii 1606.* ex hisce Conjugibus natus sit filius masculus nomine Jacobus, & successive ex eodem Matrimonio natus sit alius filius masculus nomine Carolus, & uterque ex his Conjugem duxerit, & filios procreaverit, lis inter hos exorta est super successione in majoratu instituto a Maria de Federichis.

Utque id bene percipiatur, operæ pretium est adnotare, quod memorata Maria Majoratum instituerat, a quo excluserit legitimatos, adoptatos, vel arrogatos, a jure, vel ab homine, etiam Papa, Imperatore, vel alio quovis, excepto solo casu, in quo deessent legitimi, & naturales a principio eorum nativitatis, & de legitimo Matrimonio nati, & procreati: Cumque Thomas Antonius descendens a Carolo secundogenito, prætensionem excitasset excludendi a Successione in Majoratu instituto a Maria, Carolum descendentem a Jacobo primogenito, sub obtentu, quod Jacobus licet editus post adventum Pontificiæ Dispensationis, fuerat tamen conceptus tempore non legitimi Matrimonii, quando Maria in suo Majoratu non admiserat nisi natos, & procreatos de Matrimonio legitimo usque a principio, Controversia delata fuit ad Curiam Florentinam, & in hac prodierunt sententiæ, quæ successionem in Majoratu adjudicarunt Carolo tamquam descendenti a Jacobo primogenito dicti Raphaelis.

Adversus has sententias nuper petita fuit Restitutio in integrum a prædicto Thoma descendente a Carolo secundogenito Raphaelis; cumque Judices, antequam ad Causæ cognitionem deveniant, necessarium esse existimaverint, quod super intelligentia, & explicatione dispensationis a Paulo V. concessæ exquireretur Oraculum hujus Sacræ Congregationis, juxta tenorem dubii a D. Senatore *Buonarotti* concepti, nihil aliud mihi faciendum superest, quam paucis exponere fundamenta, quæ hinc inde afferuntur.

Deveniendo ad jura Thomæ in scriptura mihi communicata, ille totus est in probando, quod stante impedimento affinitatis ex copula illicita, quod ex supradictis intercedebat inter Raphaelem, & Catharinam, quodque nullum reddebat primum Matrimonium, ab illis contractum in Civitate Lucana, opus fuit ut illud de novo contraherent coram Parocho, & Testibus, servata forma Concilii. Super quo assumpto nulla mihi videtur, quod adesse possit difficultas, tum quia Summus Pontifex Paulus V. in dispensatione super dicto impedimento voluit, quod Oratores inter se de novo publice servata forma Concilii Tridentini contraherent, & illud in facie Ecclesiæ solemnizarent, tum quia cum impedimentum inter prædictos Oratores non esset occultum, sed publicum, sibi vindicat locum conclusio, quod quando publicum adfuit impedimentum, non potest Matrimonium revalidari, nisi per novum contrahentium consensum, præstandum coram Parocho, & Testibus, ad tramites Concilii Tridentini, licet forma hæc a Concilio præscripta in primo Matrimonio nulliter contracto fuerit adhibita, juxta resolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Hispalen. 20. Junii 1709. lib. 11. Decret. fol. 58. a tergo, & in Constantinopolitana 2. Decembris 1634., & 16. Decembris ejusdem anni*, uti habetur *lib. 15. decret. fol. 130. a tergo* 140. *pariter a tergo*.

Ad

Ad differentiam casus, in quo impedimentum esset occultum, & in Matrimonio, licet nulliter contracto, servata fuisset forma Concilii, in ejus etenim revalidatione, licet opus sit, quod a contrahentibus consensus renovetur, non est tamen necessarium, ut iterum contrahant, repetitis solemnitatibus in primo contractu adhibitis, *Fagnan. in cap. is, qui fidem n. 14. de sponsal. & matrim. Zerola in praxi in verbo dispensat. §. Quintum dubium. Salmanticenses in cursu Theolog. moral. tom. 2. tract. 9. de Matrim. cap. 3. punct. 5. num. 128. & sequen. Pignatell. consult. 27. per tot. tom. 8.*

Et dubitantibus Rotæ Auditoribus de veritate hujus conclusionis, Cardinalis Carafa olim meritissimus hujus Sacræ Congregationis Præfectus ad se vocare fecit Dominos Seraphinum, & Comitulum Rotæ Auditores, eisque ostendit Sacræ Congregationis resolutionem, innixam stylo Sacræ Pœnitentiariæ, & sic declarationi Sancti Pii V. de qua apud *Navarr. consil. 4. de sponsal.* & abunde citra Rotæ Auditorium pro revalidatione Matrimonii, si impedimentum fuerit occultum, & in primo contractu servata fuerit forma Concilii, renovationem consensus coram Parocho, & Testibus necessariam esse non existimavit, uti habetur *in decis. 900. coram Seraphino in decis. 395. num. 1. coram Ludovisio, in decis. 405. num. 19. & sequen. par. 18. recen. & in Spalaten. Nullitatis Matrimonii 3. Martii 1653. coram bon. mem. Albergato.*

Et ab hac necessitate tam a Pontifice, quam a jure requisita contrahendi coram Parocho, & Testibus infert Thomas, non fuisse revalidatum primum Matrimonium, nulliter, & antecedenter contractum in Civitate Lucana, sed in dispensatione tantum fuisse concessum, ut Oratores in illo permanere possent, post illud tamen de novo celebratum; ita ut validitas non fuerit *ex tunc, sed ex nunc*.

Excipit autem adversus hæc Jacobus junior, uti descendens a Jacobo seniore concepto post primum Matrimonium, nulliter contractum in Civitate Lucana, licet nato post adventum dispensationis Apostolicæ, non esse dubitandum de Summi Pontificis potestate super dispensatione in radice Matrimonii, nec esse pariter dubitandum de ejusdem voluntate in casu, de quo nunc agitur, qua supposita dispensatione in radice, validitas Matrimonii non est desumenda *ex nunc*, hoc est a consensu post dispensationem iterato coram Parocho, & Testibus, sed *ex tunc*, hoc est a tempore primi Matrimonii nulliter ante dispensationem contracti, ex quo deinde inferunt Doctores, quod Proles, quæ ex hoc nata est Matrimonio, etiamsi nata sit ante dispensationem, pro legitima habenda est usque a tempore conceptionis, juxta ea, quæ habentur apud *Barbosam voto 27. n. 20. l. 2.*

Et in eo quidem, quod attinet ad Summi Pontificis potestatem, nefas est de ea dubitare, quando etenim proles nata est non ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative Matrimoniali, & Matrimonium non fuit nullum propter impedimentum Juris Divini, aut naturalis, sed propter impedimentum Juris Ecclesiastici, Summus Pontifex abrogando in casu particulari legem Ecclesiasticam, quæ impedimentum induxit, nedum potest eam irritare, & revocare, quoad effectus imposterum secuturos, sed etiam, quoad effectus antea secutos, juxta *Textum in Clementina quoniam de Immunitate Ecclesiarum*, & alias auctoritates fuse a me cumulatas in folio Causæ *Pragen. Matrimonii 16. Januarii, & 28. Augusti 1723.* hic inutiliter non repetendas.

In eoque, quod spectat ad voluntatem, si Raphael, & Catharinæ nullitatem Matrimonii ab ipsis contracti in Civitate Lucana Summo Pontifici exposuerunt, si dixerunt, se non posse in d. Matrimonio remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione, & gravia scandala esse exoritura, casu quod divortium fieret inter ipsos; Item si Summus Pontifex eorum petitionibus annuendo absolvit a pœnis, & insimul post contractum inter ipsos de novo publice Matrimonium, servata forma Concilii benigne indulsit, ut in eo postmodum remanere libere, & licite possent, si demum *Prolem susceptam, & susciendam exinde legitimam decrevit*, contextus hic patefacit dispensationem concessam, fuisse dispensationem in radice Matrimonii, uti ponderatis prædictis circumstantiis, & signanter *legitimationis prolis tam susceptæ, quam exinde suscipiendæ*, ad rem firmant *Conrad. in praxi dispens. Apost. lib. 8. cap. 3. a num. 46. ad num. 56. de Justis de dispensat. lib. 1. cap. 7. num. 285. Rota decis. 455. num. 12. & decis. 687. num. 14. & seq. par. 2. recent. & decis. 273. num. 16. & seq. par. 6. recent.*

non obstante novo consensu iterando coram Parocho, & Testibus, & servata forma Concilii, cum ex hoc non possit inferri, quod Papa noluerit concedere dispensationem in radice Matrimonii, dicendum siquidem est, quod primum Matrimonium contractum convalidavit, sed cum conditione novæ solemnizationis, servata forma Concilii, pro evitando scandalo, quod posset oriri inter ignorantes, primum Matrimonium de facto contractum fuisse, & videntes publicam Supplicantium cohabitationem, uti prosequitur *Rota citata decis. 687. num. 10. par. 2. recent. & decis. 273. num. 12. & 13. par. 6. recent.*

Jura circumferuntur, cumque ex dubio a Curia Florentina transmisso bene colligatur, punctum a Judicibus Florentinis promotum in hoc consistere, quod stante novi consensus reiteratione coram Parocho, & Testibus prætendi potest Matrimonii validitatem, non a tempore primi consensus, sed a tempore secundi post dispensationem interpositi esse desumendam, quæritur,

An sit disputandum hoc dubium a Curia Florentina transmissum, *An dispensatio revalidet Matrimonium præcedenter contractum inter Raphaelem, & Catharinam, ita ut possent in eo remanere absque necessitate illud contrahendi de novo in casu &c.* vel potius hoc aliud; *An dispensatio a Summo Pontifice Paulo V. Raphaeli, & Catharinæ concessa Matrimonium validaverit inter eos præcedenter contractum, non obstante, quod in dicta dispensatione fuerit præscriptum, quod deberent Matrimonium inter se de novo publice servata forma Concilii Tridentini contrahere, & illud in facie Ecclesiæ solemnizare, & non obstante, quod ipsi Matrimonium inter se de novo servata forma Concilii publice contraxerint, & illud in facie Ecclesiæ solemnizaverint.*

Sacra Congr. respondit,

Dilata.

QUÆSTIO DXXVIII.

In Causa Urgellensi, die 28. Septembris 1726.

PROPOSITA fuit hæc Causa in Congregatione habita *die prima Decembris 1725.* nec fuit resoluta, cumque in subsequenti Congregatione habita *die 15. Decembris ejusdem anni* fuerit reproposita sub quinque dubiis, & quartum, & quintum non fuerint resoluta, sed dictum, quod *de illis particulariter videretur*, & super tertio fuerit concessa nova Audientia, & hoc interim Benedictus Vadella, & Figueras obtinuerit a Sanctissimo Domino Nostro Canonicatum, quem Episcopus erexerat in Præbendam Theologalem, & Sacerdoti Carolo de Apestequi suo ex germano Fratre Nepoti contulerat una cum Statoria de Ger, quam prædictæ Præbendæ univerat, opus fuit novum superaddere dubium, uti recognosci potest ex dubiis relatis ad calcem hujus Restrictus.

Cum primum itaque dubium respiciat erectionem Canonicatus in Lectoralem, sive Theologalem, contendit supradictus Benedictus Vadella, & Figueras, non potuisse Episcopum Præbendam vacantem erigere in Theologalem, & ei adjungere pingues reditus Statoriæ de Ger, cum etenim huic Statoriæ esset impositum onus Lectionis Sacræ Scripturæ ex speciali Constitutione Apostolica Clementis VII. & sic ante Concilium Tridentinum, non poterat ad tramites hujus Concilii Episcopus aliud agere, quam juris remediis adigere eum, qui dictam Statoriam obtinebat, ad legendum per se ipsum Sacram Theologiam, quatenus in suo munere defecisset, sed non poterat Præbendam vacantem erigere in Theologalem, & ei adjungere fructus Statoriæ, cum erectio Præbendæ in Theologalem sibi vindicet locum, quando in Ecclesia non adest ulla Præbenda, ullum Præstimonium, ullum stipendium deputatum pro Lectoribus Sacræ Theologiæ, uti habetur *Sess. 5. de reformat. cap. 1.* & eo fortius cum a tempore Sacri Concilii usque ad tempus præsens nullus ex Episcopis cogitaverit de erectione præbendæ in Theologalem, sed omnes satisfactum putaverint menti ejusdem Concilii per Statoriam, cujus possessor erat adstrictus ad Sacræ Theologiæ lectionem.

Addit idem Benedictus, quod quatenus erectio subsisteret, nunquam tamen subsistere posset collatio Canonicatus ab Episcopo facta suo Nepoti, tum quia in Ecclesia Urgellen. Capitulum habet cumulativam cum Episcopo collationem omnium Canonicatuum, & beneficiorum, tum quia juxta Constitutiones Apostolicas pro Regnis

gnis Hiſpaniarum electio Canonici Theologi facienda eſt prævio concurſu per vota ſecreta ab Epiſcopo ſimul, & a Capitulo.

Alia ab eodem Benedicto afferuntur ſuper recurſu habito a Carolo Epiſcopi Nepote ad Judices Laicos, ſed cum ſuper hoc eodem argumento alia deducantur a Capitulo, complexive de hoc recurſu habebitur ſermo, quando agetur de dubiis, quæ a Capitulo diſputanda proponuntur,

Tranſeundo itaque ad hæc dubia, in Congregatione habita die 15. *Decembris* 1725. ſuppoſita validitate erectionis Præbendæ in Theologalem, de qua validitate tunc formalis diſputatio inſtitui non poterat, propoſitum fuit tertio loco ſequens dubium, *An Canonicus Theologalis concionare poſſit etiam per alium in caſu &c.* & huic dubio reſponſum fuit *poſſe, petita licentia a Capitulo*, cumque tunc non fuerit reſolutum, an ſufficeret, quod Canonicus peteret licentiam, ſed etiam neceſſarium eſſet, ut eam obtineret, Capitulum in præſenti contendit, debere Canonicum concionare per ſe ipſum ex lege impoſita Statoriæ de Ger, in cujus juribus ſucceſſit, & quatenus valeat concionare per alium, debeat non ſolum petere a Capitulo licentiam, ſed etiam obtinere: obſervantia quippe, ſi quæ favet, aut favere poteſt Canonico, non eſt reſtricta ad ſimplicem licentiæ petitionem, ſed extenditur ad ejus conceſſionem, cum petitioni Canonici accederit licentia Capituli, una cum clauſula, quod licentia non tranſiret in exemplum,

Subſequitur recurſus ad Judices Laicos, & tam Benedictus, quam Capitulum in ſuis Informationibus præmittunt regulas generales, juxta quas recurrens ad Judices Laicos ad tramites Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum nedum incurrit pœnam excommunicationis ipſo jure, ſed etiam ipſo Jure privationem beneficii, & cujuſcumque juris ad beneficium, juxta late firmata per *Rotam in Virdunen. Abbatiæ 2. Julii* 1723. §. *Cumque iſta, & pluribus ſequentibus, coram Eminentiſſimo Cardinali Falconerio, & in Compoſtellana Parochialis 2. Julii* 1725. §. *Pro eo coram Reverendiſſimo Aldrovando Decano*, ubi etiam in §. *Minuſque* dicitur, nec contrariam conſuetudinem vigere in Regnis Hiſpaniarum, & quatenus vigeret, eam tanquam abuſivam non eſſe attendendam.

Et quia alias a Carolo dicebatur, non eſſe locum hiſce pœnis, quando Judex Laicus præſtat aſſiſtentiam poſſeſſioni habitæ a Judice Eccleſiaſtico, donec ab eodem Judice Eccleſiaſtico aliter provideatur *juxta decif. 54. num. 13. & ſequen. coram Ubago* totis viribus oſtendere conantur, hæc eſſe inapplicabilia caſui præſenti, in quo Carolus nunquam obtinuit poſſeſſionem Canonicatus a Judice Eccleſiaſtico, nec eam nanciſci poterat auctoritate Epiſcopali, ſine interventu, & convocatione Capituli, ſed eam directe obtinuit opera Miniſtrorum Laicorum, ad quos habuerat recurſum, ita ut per hanc viam poſſeſſionem Canonicatus habuerit, ad Chorum aſcenderit, & in aulam Capitularem ſe receperit: obnitente Capitulo, qui a collatione Canonicatus ei facta ab Epiſcopo appellationem interpoſuerat ad Metropolitanum Tarraconenſem.

His ſtantibus, quæritur,

I. An erectio Canonicatus in Lectoralem, & ejuſdem collatio ſuſtineatur in caſu, & quatenus affirmative.

II. An Canonicus Theologalis concionari poſſit per alium, & quatenus id facere poſſit, petita licentia a Capitulo, ſufficiat, quod eam petat, vel ulterius neceſſarium ſit, quod obtineat.

III. An conſtet de recurſibus ad Judices Laicos, in caſu &c.

IV. Quomodo ſit providendum in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Quoad ſecundum teneri petere, & obtinere licentiam a Capitulo ſalvo recurſu ad Epiſcopum. In reliquis ad Judicem executorem in litteris datum.

QUÆSTIO DXXIX.

In Cauſa Reatina, die 26. Septembris 1726.

CUM Capitulum Cathedralis Eccleſiæ Reatinæ procedere deberet ad venditionem domus ſibi una cum aliis bonis relictæ a Canonico de Giungirlamis defuncto, ut ejus debitis ſatisfaceret, & reliquum inveſtiret pro injuncto onere Miſſarum, eam æſtimari fecit a Peritis, cumque ſubinde deveniſſet ad affixionem Edictorum, & ultra domum venditioni expoſuiſſet quædam mobilia inferioris conditionis, tres comparuerunt oblatores Tiburtius videlicet Mongallus, Antonius Gaſpar Auguſtinus, & Sebaſtianus Bacconus; cumque Capitulum ſibi facultatem reſervaſſet præferendi oblatorem ſibi magis beneviſum, & major pars Canonicorum præelegiſſet Mongallum, confectum fuit cum ipſo venditionis inſtrumentum pretio ſcutorum bis mille quingentorum, & viginti, reſervato Apoſtolico beneplacito, quod etiam ejus favore expeditum fuit; diſputato etenim 13. *Aprilis* 1726. dubio *An, & cujus favore Beneplacitum Apoſtolicum ſit concedendum in caſu &c.* reſcriptum fuit *eſſe concedendum favore Tiburtii Mongalli*, uti dignoſci poteſt ex folio dictæ Congregationis benigne reaſſumendo.

Juxta mox dicta hæc contigerunt *die* 13. *Aprilis*; cumque *die* 25. *ejuſdem Menſis*, & ante traditam poſſeſſionem domus, necnon ante mobilium conſignationem, & pretii ſolutionem, novus comparuerit Oblator, Joannes videlicet Palmegianus, qui pro eiſdem domo, & mobilibus fecit pro Perſona nominanda oblationem ſcutorum 2945. & Capirulum, annuente Epiſcopo, hanc novam acceptaverit oblationem, Procuratore Mongalli ſolemniter proteſtante, ei locum eſſe non poſſe, diſputandum in præſenti proponitur dubium ad calcem reſtrictus referendum.

Quæſtio, an in alienationibus rerum Eccleſiæ ſit locus adjectioni in diem, ſcilicet novæ oblationi poſt candelam extinctam, & ultimo oblatori rem adjudicatam, pertractatur a Doctoribus, & Sententia favens Eccleſiæ videtur communior, dummodo actus non ſit perfectus, & actus non dicitur perfectus, ſi beneplacitum fuerit reſervatum, & adhuc non fuerit obtentum, vel ſi fuerit obtentum, non fuerit executioni mandatum, juxta late deducta per *Eminentiſſimum Petra ad Conſtitut. Apoſtol. tom. 1. pag. 83. num. 34. & ſeq. uſq. ad num. 44.*

De hac re actum fuit in hac Sacra Congregatione in quadam Cauſa Neapolitana 17. Auguſti 1697. uti habetur *lib. 47. Decret. pag. 367.* in qua cum poſt ſtipulatum Inſtrumentum cum reſervatione beneplaciti Apoſtolici, & beneplacitum expeditum, ſed adhuc non executum pro Franciſco Recupito tanquam majore Oblatore pro ſumma ducatorum 1500. occaſione venditionis cujuſdam Domus pertinentis ad Patres Tertii Ordinis S. Franciſci, ſupervenifſet oblatio Joſephi Tartaglioni in ſumma ducatorum 1600. & diſputatum fuiſſet dubium, *an, & ad cujus favorem Beneplacitum Apoſtolicum eſſet exequendum*, cauſa remiſſa fuit ad Cardinalem Præfectum juxta mentem, quæ fuit, ut prælatio concederetur majori Oblatori, hoc eſt Tartaglione, ſine tamen præjudicio Recupiti, quatenus voluiſſet augere oblationem ad ducatos 1600.

Reſolutio utrique Parti diſplicuit, Recupitus etenim excepit, ſuam venditionem uti jam perfectam, retractari non poſſe, & Tartaglionus ſubdidit, ſibi tanquam majori Oblatori prælationem competere, nullo habito reſpectu ad Recupitum, vel in omnem caſum eſſe deveniendum ad novam candelæ accenſionem, repropoſitaque idcirco cauſa in Congregatione habita die 28. Septemb. ejuſdem anni 1697. ſub hiſce duobus dubiis, primo, *an ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, & quatenus affirmative quoad primam partem, & negative quoad ſecundam*; ſecundo *an ſit danda prælatio favore Recupiti, & pro qua ſumma, vel potius ſit deveniendum ad accenſionem novæ candelæ in caſu &c.* Sac. Congregatio *ad primum ſtetit in deciſis, & ad ſecundum cenſuit, eſſe locum prælationi favore Recupiti pro ſumma oblata per Tartaglionum*, uti habetur *cit. lib. 47. Decretorum pag. 456.*

Hæ reſolutiones habentur etiam impreſſæ apud *Bertachinum voto 152. num. 6.* adeoque ex juribus circumferendis quæritur,

An, & cujus favore ſit concedendum Beneplacitum Apoſtolicum in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Beneplacitum eſſe concedendum favore Joannis Palmegiani, ſine præjudicio Tiburtii Mongalli, quatenus proferre velit pro eadem ſumma, & amplius.

QUÆ-

QUÆSTIO DXXX.

In Cauſa Bambergenſi Canonicatus, die 28. Septembris 1726.

EX reſcripto Sanctiſſimi Domini Noſtri decidenda proponitur in hac Sacra Congregatione controverſia, ſuper uno ex Canonicatibus Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Stephani Civitatis Bambergen. Adamus etenim Triebel contendit, ad ſe pertinere tanquam ad Canonicum Turnarium jus conferendi prædictum Canonicatum, & e contra Joannes Joſeph Lobenhoffer contendit, validam fuiſſe collationem ſui favore factam ab Ordinario, & ſubinde ad cautelam a Summo Pontifice, quo ſtante diſputanda proponuntur tria dubia, ad calcem reſtrictus exponenda.

Jura Adami Triebel conſiſtunt in hoc, quod Canonicatus vacavit menſe Februarii anno 1725. & menſis Februarii eſt menſis pertinens ad Canonicum in Turno exiſtentem, cum Turnus incipiat a menſe Januarii, & Alternativa per menſes ab immemorabili vigeat inter Epiſcopum, & Capitulum ſuper Collatione Canonicatuum hujus Collegiatæ.

Et quamvis Joannes Gaſpar Lobenhoffer menſe Januarii Canonicatum modo vacantem, & ſuper quo viget controverſia, libere renuntiaſſet in manibus Ordinarii, Adamus nihilominus excipit, hanc Renunciationem fuiſſe invalidam.

Primo, quia Renuncians fuit ad titulum dicti Canonicatus ordinatus, in quo rerum ſtatu invalida fuit, & nulla Renunciatio abſque ſubrogatione Patrimonii, vel alterius Eccleſiaſtici Beneficii *juxta Seſſ. 21. cap. 2. de Reform.* ibi: *& taliter facta reſignatio nulla ſit.*

Secundo, quia Canonicatus, de quo nunc agitur, collatus fuit ab Ordinario Joanni Joſepho, qui eſt Germanus Frater Reſignantis, ita ut applicabilis ſit diſpoſitio Bullæ 58. S. Pii V. §. 5. *Bullar. tom. 2.* ubi viribus, & effectu ſtatuitur carere debere Collationem factam ab Ordinario de beneficio in ſuis manibus Reſignato, favore vel conſanguineorum ſuorum, vel conſanguineorum Reſignantis.

Tertio, quia juxta regulam 19. Cancellariæ, ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit Beneficium, & poſtea infra viginti dies ex infirmitate deceſſerit, Beneficium vacare dicitur per obitum, & collatio facta per Reſignationem nulla eſt; cumque iſti viginti dies currere incipiant non a die factæ Reſignationis, ſed a die præſentationis prædictæ Reſignationis, & acceptationis factæ ab Ordinario, infert Adamus, nullam fuiſſe in cauſa collationem Canonicatus, cum lapſus viginti dierum non interceſſerit inter admiſſionem Reſignationis, & obitum Reſignantis.

Haud urgente, quod allegata Bulla Piana non ſit ubique recepta, uti advertit *Card. de Luca de Beneficiis diſc. 65. n. 12. & ſequent.* & quod in Hiſpaniis fuit ab ea ſupplicatum, juxta cumulata *apud Leurenium Fori Beneficialis tom. 3. quæſt. 370. n. 5. & ſequent.* quia aut hæc non ſunt attendenda, aut quia de uſu hujus Bullæ in Germania non videtur eſſe dubitandum, juxta late deducta *in deciſ. 200. par. 17. recent.*

Minuſque refragante Apoſtolica proviſione hujus ejuſdem Canonicatus reportata a Joanne Joſepho, quandoquidem, cæteris prætermiſſis reſponſionibus, quæ legi poſſunt in ſcriptura Adami per manus circumferenda, ea ſufficere dicitur, quæ ex ipſa Apoſtolica proviſione deſumitur, cum in ea ſub pœna Nullitatis imponatur proviſo onus renunciandi antecedenti Collationi, & exhibendi publicum documentum dictæ renunciationis, & novæ captæ poſſeſſionis infra ſex menſes, cui præcepto ſatisfactum non fuit.

E contra Joannes Joſeph in ſua Scriptura per manus quoque circumferenda ſuſtinet, Collationem ſibi factam ab Ordinario eſſe validam, cum reſignatio fieri potuerit in manibus Ordinarii, & facta ſit menſe Januarii, qui juxta Turnum eſt menſis ejuſdem Ordinarii.

Addit, non eſſe attendendas exceptiones deductas, vel ex quo Reſignans fuerat ordinatus ad titulum dicti Canonicatus, vel ex quo collationi obſtet Bulla Piana, tum quia Reſignans fuerat Alumnus in Collegio Germanico Urbis, & Alumni hujus Collegii ordinari poſſunt juxta privilegium Gregorii XIII. ſine titulo Beneficii, aut Patrimonii; tum quia quidquid ſit de aliis Diœcetibus Germaniæ, Bulla Piana in Diœceſi Bambergenſi non eſt uſu recepta.

Denique concludit, quod ſi omnia ceſſarent, ſemper

ſui favore ſubſiſteret proviſio Apoſtolica; non attento, quod infra ſex menſes non fuerit exhibitum publicum documentum Renunciationis, & de novo captæ poſſeſſionis, cum hæc proceſſerint ex facto Adami, qui ſe oppoſuit executioni Litterarum Apoſtolicarum.

His poſitis, quæritur,

I. An, & ad quem ſpectet jus conferendi Canonicatum Collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani Bambergen. in caſu &c. & quatenus ſpectet ad Eminentiſſimum Ordinarium.

II. An Collatio dicti Canonicatus per ipſum facta favore Jo. Joſephi Lobenhoffer ſit valida, & quatenus negative.

III. An Proviſio Apoſtolica dicti Canonicatus favore ejuſdem Jo. Joſeph Lobenhoffer ſuſtineatur in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,

Ad primum, ſpectare ad Turnarium. Ad ſecundum ſatis proviſum in primo. Ad tertium negative, & amplius.

QUÆSTIO DXXXI.

In Cauſa Larinenſi Reſtitutionis in integrum, die 11. Januarii 1727.

FRATER Marianus a Decimo ingreſſus eſt Ordinem PP. Reformatorum Sancti Franciſci, & ad Novitiatum admiſſus in Conventu Sancti Honuphrii Terræ Caſacalendæ die 12. Septembris 1693. & Profeſſionem emiſit die 12. Septembris ſubſequentis anni 1694. & hanc Profeſſionem contendit nullitate laborare, utpote emiſſam ante tempus a Sacro Concilio Tridentino præfinitum: Dicit etenim, & probat, ſe habuiſſe Fratrem nomine *Petrum*, qui natus fuerat die 14. Aprilis anno 1676. quique paucos poſt dies mortuus eſt. Addit ſe natum fuiſſe die 19. Octobris 1678. & ſibi pariter impoſitum fuiſſe nomen *Petri*, & a Plebano, in cujus Parochia uterque fuerat baptizatus, occaſione Profeſſionis ab ipſo, uti ſupra, emiſſæ, tranſmiſſam fuiſſe fidem Baptiſmatis non ſui, ſed Fratris prædefuncti, ita ut profeſſio fuerit emiſſa *per menſem, & dies 6. aut 7.* ante annum decimum ſextum completum, in quo rerum ſtatu, Sacrum Concilium Tridentinum *Seſſ. 25. de Regul. & Monial. cap. 15.* decernit, eam nullam eſſe, nec ullam inducere obligationem.

Pluries de hoc articulo tam in Rotæ Auditorio, quam in hac Sacra Congregatione actum eſt, & difficultas ſemper reducta fuit ad tacitam Profeſſionem, vel antecedentis Profeſſionis ratificationem deductam ex actibus ſubſequenter geſtis, & ſenſus tam dicti Auditorii, quam hujus Sacræ Congregationis in eo conſtitutus fuiſſe videtur, quod concurrente probabili ætatis ignorantia, & conſequenter ignorantia nullitatis Profeſſionis, non potuerit ex actibus ſubſequenter geſtis induci tacita Profeſſio, vel antecedentis Profeſſionis ratificatio, juxta *deciſ. 952. & deciſ. 983. coram Emerix juniore*, dummodo tamen ignorantia ætatis, & ſic nullitatis Profeſſionis ſit veriſimilis, & non deducatur ex ſolo dicto Profeſſi, ſed munita ſit circumſtantiis, conjecturis, & variis adminiculis, ut videre eſt *in citata deciſ. 952. ſub n. 23. coram Emerix jun.*

Porro Orator in ſua ſcriptura contendit, ſe veram ſuam ætatem ignoraſſe uſque ad annum 1706. ita ut ex actibus antecedenter geſtis non poſſit ullo modo inferri ad ratificationem Profeſſionis, & ab inde citra contendit, ſe ſemper reclamaſſe, & ex variis tergiverſationibus fuiſſe impeditum, ne Proceſſum ſuper nullitate ſuæ Profeſſionis ad optatum finem perduceret, uti fuſius in ejus ſcriptura legi poteſt.

Quo ſtante, quæritur,

An ſit locus Reſtitutioni in integrum in caſu &c.

Sacra Congreg. reſpondit.

Affirmative.

QUÆSTIO DXXXII.

In Cauſa Illerdenſi, die 11. Januarii 1727.

EPiſcopus Illerden. huic Sanctæ Sedi expoſuit in ſua Cathedrali irrepſiſſe quendam antiquum abuſum, juxta quem alter ex Canonicis prædictæ Eccleſiæ, qui nuncupatur *Vacantero*, locat majori Oblatori pro integro anno bona, & proventus pertinentes ad quamcumque Eccleſiam vacantem, licet celeriter eidem provideatur de idoneo Rectore, & auxilium, auctoritatemque Apoſtoli-

ſtolicam imploravit pro dicta prava conſuetudine eliminanda, remiſſiſque a Sanctitate Sua precibus ad hanc Sacram Congregationem, ſcriptum fuit Epiſcopo, ut terminum præfigeret Canonicis, & Capitulo ad ſua Jura deducenda, ſubſcriptiſque dubiis, Jura circumferuntur pro eorum deciſione.

Capitulum exponit, ſe percipere fructus Eccleſiarum Parochialium vacantium in Diœceſi per annum integrum, ſi vacatio ſequatur per obitum, & per annum dimidium, ſi vacatio ſequatur per reſignationem ex cauſa permutationis, ſe curare adimplementum omnium onerum prædictis Parochialibus annexorum, ſe etiam nominare perſonam idoneam ab Epiſcopo approbandam, quæ tempore prædicto animarum curam exerceat, & demum fructus applicari Maſſæ diſtributionum quotidianarum, de quibus participant Epiſcopus, Canonici, Beneficiati, & alii intereſſentes horis Canonicis, ita tamen, ut per hoc non augeantur diſtributiones ſingulorum, ſed tantum reditus præfati deſerviant pro manutentione Maſſæ communis prædictæ, ne propter illius onera tam ordinaria, quam extraordinaria, juxta varias temporum, ac rerum viciſſitudines diminutionem patiatur.

Promotor Fiſcalis innititur diſpoſitioni textus *in cap. cum Vos de Officio Ordinarii*, ibi; *Fraternitati Veſtræ mandamus, quatenus, ſi quando in vacantibus Eccleſiis, in quibus Eccleſiaſtica Perſona præſentationem non habet, vel quia Perſonæ minus idoneæ præſentantur, vel alia de cauſa de Jure Perſonas non poteritis in eis inſtituere, appellatione remota, ponatis Œconomos, qui debeant fructus percipere, & eos, aut in Eccleſiarum utilitatem expendere, aut futuris Perſonis fideliter reſervare*,

Capitulum e contra innititur Centenariæ, & immemorabili Conſuetudini, pro cujus juſtificatione titulos etiam deducit in ejus Scriptura legendos, & contendit, poſſe alicui competere fructus Eccleſiarum vacantium ex Privilegio, vel præſcripta Conſuetudine, uti probat Textus in *cap. tua nobis de verborum ſignificatione*, ibi: *ut fructus Beneficiorum, quæ interim in Diœceſi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere*; & in *cap. ſi propter de reſcriptis in ſexto*, ibi: *ſi fructus hujuſmodi Eccleſiæ tuæ Fabricæ, vel alteri uſui, ſeu cuicumque ſingulari Perſonæ de ſpeciali conſuetudine, privilegio, vel ſtatuto forſitan debeantur*; & in *cap. ſi præſenti de Officio Ordinarii in ſexto* ibi: *niſi de ſpeciali privilegio, vel conſuetudine jam præſcripta legitime, ſeu alia de cauſa rationabili hoc eiſdem competere dignoſcatur*.

Propoſita fuit hæc Cauſa, & non reſoluta in Congregatione habita hac *die* 11. *Januarii*, cumque Cauſæ momentum non conſiſtat in antiquo jure Decretalium, quo attento Privilegia percipiendi fructus vacantes Eccleſiarum ſubſiſtere videbantur juxta *Text. in cap. tua nobis de Verborum ſignificatione, & in cap. ſi propter de Reſcriptis in ſexto, & in cap. ſi præſenti de Officio Ordinarii in ſexto*, ſed in jure novo Concilii Tridentini *ſeſſ. 24. cap. 14. de Reform.* & in Conſtitutione 104. *S. Pii V. Bullarii tom. 2.* quæ fuit innovata a ſan. mem. Innocentio XII. in ſua Conſtitutione 51. in quibus derogatur Statutis, Privilegiis, & Conſuetudinibus etiam Immemorabilibus, dignabuntur EE. VV. ſolita maturitate ponderare, an Conſuetudo vigens pro Capitulo Illerden. utpote directa ad commodum particulare Canonicorum, ſit ſub decreto Conciliari, & Conſtitutionibus Apoſtolicis prædictis comprehenſa, juxta tradita per *Garz. de Beneficiis, par. 8. cap. 1. n. 90. & per Barboſ. de Canonicis cap. 15. n. 19. in fine*, vel potius ſit ab illis exempta, utpote reſpiciens augmentum Cultus Divini, juxta individualiter firmata per *Rotam deciſ. 320. n. 8. cor. Mantica*, & ex quo non reſpicit Canonicatus, & Beneficia ſita in ipſa Cathedrali Eccleſia, ſed Parochiales, quæ ſunt extra illam, diſputari ſiquidem poteſt, an Piana Conſtitutio ſit reſtricta ad Canonicatus tantum, & Beneficia ſita in ipſa Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia, in ordine ad quæ ſuſpicio Simoniæ, ſive Avaritiæ ſibi locum poterat vindicare, juxta *deciſ. 139. par. 2. diverſ.* in qua favore Portionariorum Eccleſiæ Toletanæ reſponſum fuit, non obſtante prædicta Bulla Piana, tum ex quo perceptio reſpiciebat *fructus Beneficii ſit extra Cathedralem, & Collegiatam Eccleſiam*, tum ex quo perceptio applicabatur diſtributionibus, & ſic manutentioni Cultus Divini.

Reaſſumptis informationibus quæritur,

I. An Capitulo Illerden. pertineat jus percipiendi fructus Eccleſiarum Parochialium de tempore illarum vacationis in caſu &c.

II. An dictum jus percipiendi pertineat per integrum annum a die vacationis.

III. An idem jus pertineat etiam ubi infra annum Eccleſia Parochialis proviſa fuerit de novo Paracho.

Sacra Congr. die 25. Januarii 1727. reſpondit,

Ad primum, & ſecundum Affirmative. Ad tertium Dilata, & ſcribatur Epiſcopo pro nova Informatione juxta Inſtructionem.

QUÆSTIO DXXXIII.

In Cauſa Piſaurenſi Hæreditatis, die 11. Januarii 1727.

ANNO 1654. Lucia Toſani ſuum ultimum condidit Teſtamentum, in quo hæredem univerſalem ſibi ſcripſit Matthæum Filium, eique ſine Prole decedenti ſubſtituit Franciſcum alterum filium ſuum, quo etiam ſine filiis obeunte, ſic diſpoſuit, *che detta ſua roba ricadi al Sindico del Convento, e Chieſa ſuddetta de' Zoccolanti di Monte Baroccio, con obbligo per detto Signor Sindico, ſia obbligato detta Eredità metterla in eſecuzione in beneficio, e bonificamento di detta Chieſa in ogni modo migliore*,

Filii Teſtatricis mortui ſunt abſque liberis, cumque Matthæus, qui ultimo loco deceſſit, fecerit prædictæ hæreditatis donationem favore Patrum S. Marci Ordinis Congregationis B. Petri de Piſis, iis exorta eſt inter Syndicum Minorum Obſervantium, & prædictos Patres Donatarios, cumque in eadem, una Sententia in Partibus, & quatuor in Urbe emanaverint, & illa de Partibus, & alia in Urbe fuerint Syndico favorabiles, & tres in Urbe prolatæ fuerint favore Patrum S. Marci, ab Auditore Sanctiſſimi facta fuit ejus remiſſio *in ſtatu, & terminis* ad hanc Sacram Congregationem, & hodie diſputandum proponitur dubium, quod ad calcem Reſtrictus refertur.

Quod Fratres Minoritæ de Obſervantia ex vi ſuæ regulæ ſint prorſus incapaces hæreditariæ Succeſſionis, deſumitur *Ex Clementina Exivi §. Cupientes, de verborum ſignificatione*, quod procedit, ſive hæreditas eis relinquatur per viam directæ inſtitutionis, ſive per viam ſubſtitutionis, & fideicommiſſi, uti late adnotarunt *Fagnan. in cap. nimis prava, num. 331, & ſeqq. de exceſſibus Prælatorum, & in cap. in præſentia num. 39. & ſeqq. de probat. Eminentiſſimus Petra ad Conſtitutiones Apoſtolicas tom. 2. pag. 450. num. 6., & ſeqq. Pater Matthæucius Ordinis Minorum de Obſervantia in ſuo opere, cui titulus Schola paupertatis tit. 1. conſ. 5., a num. 1. uſque ad 4.*

Quod pariter non poſſint iſti Fratres Minoritæ de Obſervantia inſtitui hæredes, cum hoc, ut bona hæreditaria per Executores a Teſtatore nominatos vendantur, & pretium erogetur in reparationem Eccleſiæ, conſtructionem Cappellæ, & Sacram Supellectilem, & quod quateus hæredis inſtitutio non valeat ex aliqua cauſa in corpore Juris clauſa, tunc valeat Jure legati, Doctrina eſt originalis Baldi adverſus Bartolum *in Authentica ingreſſi num. 50., & ſeqq. C. de Sacroſanctis Eccleſiis*, & Baldo ceteri adhæſerunt, uti videri poteſt *apud Fagnan. in allegato cap. nimis prava num. 20., & ſeqq. de exceſſibus Prælatorum*, & apud *Matthæuc. citato tit. 1. conſ. 5. a n. 4. uſque ad finem*.

Quod etiam prædicti Fratres non ſint capaces, nedum hæreditatum, ſed nec etiam annuorum legatorum, ſi Capitalia, & Mobilia, ſive eorum dominium deferatur ad Syndicum Apoſtolicum, idque, ſive Syndicus conſideretur uti talis, ſive uti tertia Perſona, latiſſime oſtendit citatus Pater *Matthæuc. in allegato opere Schola paupertatis tit. 3., conſ. 3.* per totum, *& ſignanter num. 7. & ſeqq.*, ibi: *etenim ſi Syndicus, ut tertia Perſona habilis eſſet ad retinenda legata pro neceſſitatibus Fratrum, poſſet etiam cenſus, loca Montium, ac Poſſeſſiones, eorumque fructus, immo, & pingues hæreditates acquirere, cum eadem ratio ſit de omnibus, & hinc via eſſet aperta excludendi Fratrum mendicitatem, & introducendi abuſus repugnantes puritati regulæ*.

Quoad Eccleſias horum Fratrum diſputatio eſt, an hæredes inſtitui valeant; Bartolus enim *in tract. Minoritarum lib. 1. diſt. 4.* affirmative reſpondit, ſed deinde ab hac opinione receſſit *in l. 1. num. 5. Cod. de Conduc., & procurat. lib. 11.* ibi: *ſi Legatum relinquitur Eccleſiæ Sancti Franciſci, illud Legatum eſt nullum, ſicut ſi relinqueretur Fratribus de S. Franciſco, licet teneretur contrarium in Libello Minoritarum*. Negativæ vero opinioni ſtrenue adhæſit *Baldus in allegata Authentica ingreſſi num. 55. de Sacroſanctis Eccleſiis*, quod repetit *conſ. 416.*

lib. 4. ubi ſic concludit, *ridiculum eſt dicere, non poteſt relinqui Fratribus, ſed poteſt relinqui Eccleſiæ, hoc enim quid aliud eſt, niſi verba Sacra cavillari, & mentem juris lacerare?*

Suppoſita incapacitate FF. Minorum de Obſervantia, ſupereſt, ut videatur, an Matthæus potuerit de bonis, ſive hæreditate diſponere favore Conventus PP. S. Marci ex Congregatione B. Petri de Piſis, vel potius ſibi vindicent locum Privilegia Rev. Fabricæ; *Bartolus in tract. Minoritarum lib. 1. cap. 2.* hæc habet: *quidam in ſuo Teſtamento FF. Minores, vel unum eorum inſtituit hæredem; Primo quæritur, an valeat Teſtamentum? Ad quod ſciendum eſt, quod Decretalis Exivi de Paradiſo, dicit, quod Fratres Minores iſtarum Inſtitutionum nullatenus ſunt capaces; Tamen addam, ſi quidem ſunt inſtituti, & nullum habent ſubſtitutum, vel cohæredem, quod Teſtamentum eſt nullum, & hæreditas pertinet ad venientes ab inteſtato; ſi vero Fratres inſtituti habeant ſubſtitutum vel cohæredem, tunc Teſtamentum poteſt valere, ſubſtituto adeunte hæreditatem, ad quem primo pertinet, vel adeunte Cohærede, cui creſcit portio relicta Fratribus, ubi ſubſtitutus non eſt*; & ſequitur *Ancharan. in Clementina exivi num. 2. verſiculo revertor ad primum de verborum ſignificatione*; & ex recent. firmant *Fagnan. in cap. in præſentia num. 42. de probat. Matthæuc. in opere citato tit. 1. conſ. 5. num. 30.* & Eminentiſſimus Petra *ad Conſtitutiones Apoſtolicas tom. 2. pag. 452. num. 20., & ſeqq.* dicit id eſſe reſolvendum, attento tenore Teſtamenti; & in eo, quod attinet ad Fabricæ Privilegia, eadem ſunt impreſſa *apud Veſpignan. fol. 33., & fol. 71., & apud Eminentiſſimum Petram loco citato pag. 451. num. 19.*

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An hæreditas Luciæ Toſani ſit adjudicanda Syndico Apoſtolico PP. Minorum Obſervantium Montis Barocci, vel potius FF. S. Marci ejuſdem loci.

Sacra Congr. die 25. Januarii 1727. reſpondit,

Ad primam dubii partem negative, ad ſecundam affirmative, & ampliùs.

QUÆSTIO DXXXIV.

In Cauſa Giennenſi Celebrationis Ordinum, die 25. Januarii 1727.

CUM propter controverſias exortas inter Epiſcopum, & Capitulum Giennen. exortæ fuiſſent diſputationes ſuper modo celebrandi Sacras publicas Ordinationes, & hac de cauſa eædem intermiſſæ fuiſſent, Sacra hæc Congregatio *die 28. Sept. 1726.* providentiam ſumpſit, ut publicæ Ordinationes fieri poſſent.

Providentia capta pro terminandis litibus non ſufficiebat, cumque dubia jam fuiſſent a me ſubſcripta, & informationes jam compoſitæ, & impreſſæ fuiſſent, & Cauſa a me in folio deſcripta fuiſſet, ut proponeretur in prima Congregatione, quæ fieri debuiſſet de menſe Novembris, ſi Conſiſtoria pro Cauſis Canonizationum, Congregationis coactionem non impediviſſent, & hoc interim Sanctiſſimi Domini Noſtri reſcriptum ſuperveniſſet, in quo præcipiebatur, ut quatenus hæc Cauſa eſſet de appendicibus Conſtitutionis Apoſtolici Miniſterii editæ ab Innocentio XIII. pro Regnis Hiſpaniarum, & a Sanctitate Sua confirmatæ remitteretur ad Congregationem Particularem, cujus etiam ipſe ſum a Secretis, quæ deputata eſt ſuper dubiis, quæ proponentur circa intelligentiam ſupradictæ Conſtitutionis, non potui abſtinere a proponenda hac Cauſa Giennen. in ultima Congreg. habita *die 11. Januarii*, tum quia folium erat jam impreſſum, tempore quo ad me delatum fuit Sanctiſſimi Reſcriptum, tum quia illud erat prudentiſſime conceptum, hoc eſt non abſolutum, ſed conditionatum, ita ut ſupereſſet indago, an eſſet, necne purificata conditio.

Scribentes in prædicta ultima Congregatione ſupplicem exhibuerunt libellum, in quo nuntiarunt Cauſæ remiſſionem ad Congregationem Particularem; cumque Sacra Congregatio mihi dederit in mandatis, ut totam rei ſeriem Sanctitati Suæ aperirem, & ejus deliberatam mentem audirem, ut ei debita præſtaretur obedientia, mandatum mihi commiſſum adimplevi *die 12. currentis menſis Januarii*, cumque Sanctitati Suæ reverenter expoſuiſſem, nedum præcedentem Cauſæ in hac Sac. Congregatione inſtructionem, ſed etiam, quod ea non erat de appendicibus Conſtitutionis Apoſtolici Miniſterii, ſed Concilii Tridentini, ex quo Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 8. de Reform.* ſic ſtatuit: *Ordinationes Sacrorum Ordinum ſtatutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis, publice celebrentur, ſi autem in alio Diœceſis loco, præſente Clero Loci, dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur*, & Conſtitutio Apoſtolici Miniſterii iiſdem fere verbis utatur, *noverint autem Epiſcopi, ſe debere per ſemetipſos, ſecluſo ægrotationis caſu, Ordines conferre, & Sacrorum Ordinum collationem ſtatutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Eccleſia, vocatis, & aſſtantibus Canonicis, publice habendam eſſe, vel ſi in alio Diœceſis loco, ſemper tamen in Eccleſia, quantum fieri poterit, digniori, & præſente Clero ejuſdem Loci*, Sanctitas Sua, perpenſis his, & aliis rationum momentis benigne annuit, ut hæc Cauſa in hac Sac. Congregatione proponeretur.

Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita *die 11. Januarii 1727.* nec ulla fuit capta reſolutio, eademque repropoſita in Congregatione habita die 25. ejuſdem menſis, reſponſum fuit *Dilata ad primam poſt Agnos, non retardata interim executione Decreti proviſionalis uſque ad exitum Cauſæ*.

Iterum propoſita fuit in Congregatione habita die 7. Junii, nec ulla fuit capta reſolutio, ſed demandatum, *ut proponeretur in prima etiam unica*, item morem gerendo mandatis EE. PP. notificavi, nullam eſſe quæſtionem in ordine ad factum, ſeu ad ſequentes facti circumſtantias, quod videlicet in Eccleſiis Hiſpaniarum Sanctiſſimum Sacramentum conſervatur in Altare majori, & quod in præteritum functio Ordinum Generalium non fuit ad dictum Altare celebrata. Quibus proinde ſtantibus, quæritur

I. *An Epiſcopus Giennen. vigore diſpoſitionis Sac. Concilii Tridentini ſeſſ. 23. de Reformat. cap. 8. & Conſtitutionis ſan. mem. Innocentii XIII. incipien. Apoſtolici Miniſterii, & alterius Sanctiſſimi Domini Noſtri illius confirmatoriæ poſſit, vel debeat Temporibus a jure ſtatutis celebrare functionem Ordinum Generalium ad Altare Majus Eccleſiæ Cathedralis, & quatenus affirmative.*

II. *An occaſione prædictæ poſſit ibidem Pontificaliter celebrare Miſſam Conventualem ad Sabbatum deſignatam loco illius, quæ celebrari a Capitulo deberet cum aſſiſtentia omnium Præbendatorum, & aliorum de Choro, & quatenus negative.*

III. *An ob dictam functionem Ordinationum in prædicto Altari explendam poſſit cogere Capitulum, ut horam conſuetam pro Horis Canonicis, & Miſſa Conventuali anticipet, vel poſtponat, ita tamen, ut ultra horas debitas neutra ex da. functionibus protendatur.*

IV. *An poſſit celebrare dictam functionem Ordinationis ad Altare Majus, non obſtante, quod juxta conſuetudinem vigentem in omnibus Cathedralibus in Hiſpaniarum Regnis, ad Altare Majus adſit Tabernaculum, in quo aſſervetur Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum, & quatenus negative.*

V. *An poſſit compellere Capitulum, & Canonicos, ut pro explenda ordinatione, aliiſque Functionibus Pontificalibus, tranſportavi faciant Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad aliud Altare Eccleſiæ.*

VI. *An poſſit Epiſcopus impediri, quominus in dicto Altari ſolemnem, & generalem Ordinationem faciat ſub prætextu conſuetudinis, ex quo nunquam in dicto Altari per Epiſcopum facta ſit celebratio Ordinum, & quatenus affirmative.*

VII. *An Epiſcopus teneatur prædictam functionem explere in aliqua ex Cappellis Eccleſiæ, & quatenus Cappellæ non ſint capaces, teneatur illam explere in Sacriſtia, & quatenus affirmative.*

VIII. *An in hoc caſu poſſit Epiſcopus Capitulum cogere, ut anticipet, vel poſtponat horam conſuetam pro Horis Canonicis celebrandis; ne celebratio Ordinum Chorum impediat, vel Chorus ipſam Ordinum celebrationem.*

IX. *An Epiſcopus ad formam ſupradictæ Conciliaris diſpoſitionis, ſive Ordinationem celebret ad Altare Majus ante, vel poſt Horarum celebrationem, ſive ad aliquam ex Cappellis, ſive in Sacriſtia Cathedralis, poſſit cogere integrum Capitulum, & omnes Canonicos ad aſſiſtendum functioni Ordinationis Generalis, & quibus pœnis; ſeu potius contentus eſſe debeat aſſiſtentia illorum, qui in functionibus Pontificalibus eidem Epiſcopo ex præſcripto Cæremonialis, vel ex conſuetudine Eccleſiæ aſſiſtere debent.*

X. *An Epiſcopo accedenti ad Eccleſiam Cathedralem pro explenda ſolemni ordinatione, vel pro intereſſentia Divinis Officiis, vel aliis quibuſvis functionibus, ſive aſſolvatur a toto Capitulo, ſive a ſolis duobus deputatis, debeat parari nedum Faldiſtorium, ſeu Genuflexorium in loco, ubi Epiſcopus functionem facere, ſeu eidem aſſiſtere debet; verum etiam aliud ſimile, etſi diverſum in apparatu,*

tu, ut antequam ad ſedem ſuam accedat, orare poſſit ad Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, vel ſaltem loco Faldiſtorii, ſeu Genuflexorii parari debeat pulvinar cum Tapeto, ſuper quo orare poſſit, ſeu potius ſervanda veniat conſuetudo, præſertim ſi ſit immemorabilis, juxta quam Epiſcopo ad Eccleſiam accedenti nec Faldiſtorium, nec Pulvinar parari ſolet, ſuper quo Epiſcopus oret, antequam ad locum ſuum accedat, in caſu &c.

Sacra Congr. die 2. Auguſti 1727. reſpondit,
Ad primum, poſſe, & debere, niſi adſit rationabilis cauſa arbitrio Epiſcopi judicanda. Ad ſecundum affirmative. Ad tertium, poſſe, dummodo non excedat ſpatium unius horæ ultra horas conſuetas. Ad quartum, & quintum, ſervetur Ceremoniale. Ad ſextum, & ſeptimum, ſatis proviſum in primo. Ad octavum, ſatis proviſum in tertio. Ad nonum, dilata. Ad decimum, ſervetur Ceremoniale Epiſcoporum lib. 1. cap. 12.

QUÆSTIO DXXXV.

In Cauſa Lancianenſi, die 25. Januarii 1727.

DOMINICUS Antonius Neapolitani Adoleſcens ætatis annorum 21. ſimplex, & innocens, dum ſtudiorum cauſa morabatur in Civitate Neapolitana, familiaritatem contraxit cum Sacerdote Joſepho Capretto, e Civitate Lanciani.

Sacerdos habebat Neptem ex Fratre nomine Conceptitiam degentem in Civitate Lanciani, induxitque Dominicum Antonium ad ſtipulandum Inſtrumentum, in quo ſolemniter ſe obligavit ad contrahendum Matrimonium cum prædicta Muliere, & ad eam dotandam in ducatis 2000.

In executionem prædicti Inſtrumenti expeditum fuit Mandatum Procuræ pro exhibendo annulo ſponſalitio Conceptitiæ, addita tamen conditione oretenus inter Dominicum Antonium, & Sacerdotem Capretti, ut Mandatum prædictum Procuræ tranſmitteretur ad Annam Veronam Matrem, & Conſanguineos & Tutores, ut ipſi ſuum aſſenſum præſtarent, prædictuſque Dominicus Antonius litteras dedit ad Sacerdotem Joſephum Macciocchini, ſub cujus regimine, ex diſpoſitione Ignatii Patris prædefuncti vivebat, in quibus animum ſuum declaravit ſubordinatum voluntati Matris, Conſanguineorum, ac Tutorum.

Litteræ fuerunt conſignatæ Sacerdoti Capretto, qui eas expedivit per ſuum Emiſſarium una cum Mandato Procuræ, & annulo, traditoque mandato Procuræ, & annulo Doctori Ferdinando Capretti, Patri Conceptitiæ, & Fratri Sacerdotis Joſephi, appoſitoque nomine Franciſci de Flore in Mandato Procuræ, in quo nomen Procuratoris erat in Albo relictum, facta eſt nomine Dominici Antonii inſciis Matre, & Tutoribus ejus, annuli ſponſalitii præſentatio Conceptitiæ.

Magnus ex hoc facto rumor invaluit in Civitate Lanciani, idemque major factus eſt, poſtquam per tertiam Perſonam exhibitæ fuerunt litteræ a Dominico Antonio ſcriptæ Sacerdoti Macciocchino, in quibus dicebat, ut in Mandato Procuræ apponeretur nomen Perſonæ ipſi beneviſæ in hypotheſi, in qua Mater, & Conſanguinei ſuum dediſſent aſſenſum præſtationi annuli, & poſtquam ſæpe memoratus Dominicus Antonius, qui ſubinde reditum fecit ad Patriam, invenit alias ſuas Epiſtolas ſcriptas Macciocchino, non fuiſſe ipſi conſignatas, in quibus demandat ſuſpenſionem traditionis annuli.

Hiſce minime obſtantibus, Ferdinandus Pater Conceptitiæ, judicium inſtruxit in Curia Lancianenſi pro cogendo Dominico Antonio ad contrahendum Matrimonium, ſed habito recurſu ad hanc Sacram Congregationem, cum datis juxta morem litteris Ordinario pro informatione, ipſe libenter Cauſam ad hanc eandem Sacram Congregationem remiſiſſet, diſputanda in præſenti proponuntur bina dubia, quæ ſequuntur.

I. An conſtet de Sponſalibus in caſu &c. & quatenus affirmative:

II. An ſit locus coactioni in caſu &c.

Sacra Congr. die 8. Februarii 1727. reſpondit,
Ad primum negative. Ad ſecundum ſatis proviſum in primo, & amplius.

QUÆSTIO DXXXVI.

In Cauſa Januenſi, die 25. Januarii 1727.

BENEDINELLUS Saulus in ſuo, cum quo deceſſit Teſtamento, condito de anno 1481. Multiplicum ordinavit, ut conſtrueretur Eccleſia ſub invocatione Sanctæ Mariæ, & Sanctorum Fabiani, & Sebaſtiani, cui inſervire deberent treſdecim Sacerdotes, relicto Jurepatronatus ad Majorem natu ex ſua Familia, addiditque, ut conſtructa modo prædicto Eccleſia, ex eodem Multiplico bina conſtruerentur, & dotarentur Hoſpitalia, unum pro Hominibus, & aliud pro Mulieribus.

Anno 1543. emptus fuit ſitus pro Ædificio Eccleſiæ, & anno 1583. expedita fuit Bulla Apoſtolica a ſan. mem. Gregorio XIII. ſuper Erectione Collegiatæ, modo, qui ſequitur, conſtituendo videlicet in eadem unum Abbatem Primam Dignitatem cum dote centum ducatorum annuorum Auri de Camera, duodecim Canonicos cum dote quinquaginta annuorum ducatorum pro quolibet, & quatuor Beneficiatos cum dote viginti quatuor ducatorum pro quolibet ſingulis annis, reſervato jurepatronatus favore Majoris natu ex deſcendentia Teſtatoris.

Bulla Erectionis in Collegiatam non fuit executioni mandata, niſi anno 1671. Auctoque hoc interim Multiplico, & celebratis hoc interim in Eccleſia Miſſis per Cappellanos, quorum unicuique ſolvebatur eleemoſyna ad rationem quinquaginta florenorum pro quolibet, res eo tandem devenit, ut factis a Multiplico neceſſariis diſmembrationibus pro conſtituenda dote binis Hoſpitalibus a Teſtatore demandatis, reliquum fuerit applicatum pro Fabrica, ſeu perfectione Fabricæ Eccleſiæ, pro Abbate, Canonicis, Cappellanis, & Clericis ejuſdem, & Domini de Saulis uſque ad annum 1677. perſolverunt Canonicis non quinquaginta ducatos de Camera pro quolibet, uti præſcribebatur in Bulla Erectionis, ſed ampliorem ſummam, hoc eſt centum ſcuta argenti Januæ.

Patronorum cura reditus Collegiatæ excreverunt, cumque ipſi augmentum cum ſuis juſtificationibus exhibuiſſent ſan. mem. Innocentio XI. inſtando pro augmento dotis Abbatis, & Canonicorum, ex quo potiſſimum, facto etiam juxta ipſorum ſupplicationem augmento, ſupererant pro Eccleſia annua libera ſcut. 1535. monetæ Romanæ, examen inſtantiæ remiſſum fuit ad hanc Sacram Congregationem, quæ die 21. Auguſti 1677. approbante Sanctitate Sua, cenſuit ut Abbati pro tempore dictæ Eccleſiæ aſſignarentur Petiæ mille ab octo nuncupatæ quolibet anno, quoties fuiſſet de Familia Teſtatoris, & Petiæ quingentæ, quoties fuiſſet Extraneus, & quod ſingulis Canonicis aſſignarentur ſcuta centum monetæ Romanæ, quodque ſex Cappellaniæ erigerentur, & demum, quod exprimerentur pii uſus, in quos reliqui reditus eſſent erogandi.

In hujus reſcripti executionem facta fuit a Patronis ab inde citra ſolutio Petiarum Annuarum 1000. Abbati de Familia, & Petiarum 500. Abbati Extraneo, nec non ſingulis Canonicis facta eſt ſolutio, non ad rationem ſcutorum 100. monetæ Romanæ, ſed ſcutorum centum Argenti Januæ, quorum valor excedit ſcuta Romana in ſcutis circiter 26. Cumque, & olim, & nunc Patroni fuerint proteſtati, ſe velle quidem continuare in ſolutione ſcutorum centum monetæ Argenti Januæ, ſed ita tamen, ut libræ 500. conſtituentes valorem ducatorum 50. auri de Camera, eſſent pro Præbenda aſſignata in Bulla Erectionis Collegiatæ, edita a Gregorio XIII. & reliquæ libræ 260. eſſent pro Eleemoſyna Miſſæ privatæ ſingulis diebus celebrandæ a Canonicis in Eccleſia, & applicandæ juxta intentionem adminiſtratoris, ſive in ſuffragium Animæ Teſtatoris, & Conſanguineorum, lites exortæ ſunt inter Marchionem Dominicum Sauli Patronum, atque Canonicos, & Capitulum, tam ſuper hoc puncto, quam ſuper adminiſtratione redituum; iiſdemque delatis ad hanc Sacr. Congregat. quæritur,

I. An Abbas, & Canonici Collegiatæ Eccleſiæ B. Mariæ Virginis, & SS. Fabiani, & Sebaſtiani de Garignano Civitatis Januæ teneantur ſingulis diebus infra annum celebrare propriam Miſſam in eadem Eccleſia in caſu &c.

II. An Capitalia aſſignata in Dotem Eccleſiæ Collegiatæ B. Mariæ Virginis, & SS. Fabiani, & Sebaſtiani de Carignano Civitatis Januæ adminiſtranda ſint a Patronis, de quorum manibus Abbas, & Canonici reditus ſibi tangen. recipere debeant, ſeu potius eadem ſint relaxanda in Dominium

minium Eccleſiæ, ita ut Abbas, & Canonici reditus ſuos exigere valeant independenter a Patronis.

III. An eiſdem Abbati, & Canonicis debeantur non ſolum reditus aſſignati in Bulla erectionis Gregorii XIII. ſed etiam in Decreto Sacræ Congregationis 21. Auguſti 1677.

IV. An ſcuta centum Monetæ Romanæ aſſignata in ſupradicto Decreto ſingulis Canonicis, debeantur in ſcutis centum argenti ſtampæ, & Coronæ Januæ in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Ad primum affirmative. Ad ſecundum affirmative quoad primam, & negative quoad ſecundam partem. Ad Tertium, & quartum, prævia Brevis expeditione ad favorem Decreti Sacræ Congregationis, deberi ſcuta cum additione augmenti ſcutorum centum ſtampæ, & Coronæ Januæ, cum obligatione tamen Miſſas applicandi pro Anima Fundatoris, & ſuorum.

QUÆSTIO DXXXVII.

In Cauſa Eugubina, ſeu Peruſina Matrimonii, die 25. Januarii 1727.

LICET regula Juris ſit, actum valere, qui per Procuratorem legitimum adimpletur, licet hic tempore actus geſti fuiſſet a ſuo principali revocatus, dummodo revocatio ad ejus notitiam non deveniſſet, juxta Textum *in cap. Ex parte 33. de Reſcriptis, & in Clementina unica de Renunciatione:* fallit tamen hæc regula in Procuratore conſtituto ad contrahendum Matrimonium; cum enim de ejus eſſentia ſit conſenſus utriuſque Contrahentis, ſi alter ex his mandatum revocavit, Matrimonium eſt nullum, licet revocatio non fuerit delata ad notitiam Procuratoris, vel alterius Contrahentis, juxta Decretalem Bonifacii VIII. *in cap. finali de Procuratoribus in ſexto*, ibi: *Sane ſi Procurator, antequam contraxerit, a Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum Matrimonium ab eodem, licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignoraverit, nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit.*

Ad tramites hujus limitationis contendit Eliſabeth de Ghirardis, Matrimonium a ſe per Procuratorem contractum cum Hieronymo de Raphaelibus nullitate laborare, ex quo videlicet, antequam illud contractum fuiſſet, mandatum a ſe fuerat revocatum, licet id tunc non fuiſſet deductum ad notitiam Procuratoris.

Addit aliam nullitatem conſiſtentem in hoc, quod fuit contractum coram Parocho Cathedralis Eccleſiæ, quando ipſa utpote degens in Monaſterio S. Benedicti educationis gratia erat de Parochia S. Secundi, intra cujus fines prædictum Monaſterium ſitum eſt, & quando Hieronymus de Raphaelibus degebat in Parochia S. Petri ejuſdem Civitatis. Certum etenim eſt, Matrimonium non contractum coram Parocho vel Mulieris, vel Viri, nullitate laborare, juxta *cap. primum ſeſſ. 24. de Reform. Matrim.*

Spreta reſponſione, quod Hieronymus erat Clericus, & quod in Civitate Eugubina juxta conſuetudinem, & Conſtitutiones Synodales, Clerici licet habitantes in aliis Parochiis, ſubſunt Eccleſiæ Cathedrali, quandoquidem aſſerit id procedere poſſe ad alios effectus, ſed non ad effectum Matrimonii.

E contra Hieronymus ſe opponit, & probare conatur, mandatum revocationis contigiſſe poſt Matrimonium contractum, & revocationem non fuiſſe ſpontaneam, ſed coactam, & ulterius Parochum Cathedralis in Civitate Eugubina eſſe Parochum omnium Clericorum ad omnes effectus, & etiam ad effectum Matrimonii.

Propoſitum igitur fuit in Congregatione habita hac die 25. Januarii 1727. ſequens dubium, *an conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.* & reſcriptum fuit *dilata, & puella cauta tranſportetur ad aliquod Monaſterium Civitatis Caſtelli, in quo exploretur ejus voluntas a dictæ Civitatis Epiſcopo juxta inſtructionem.*

Cohærenter ad hæc, datæ fuerunt litteræ ad Ordinarium Peruſinum, ut ſe intelligeret cum Epiſcopo Civitatis Caſtelli ſuper tranſportatione Puellæ, ut tranſportatio videlicet adimpleretur recta via, & comitante una Matrona, de qua tamen ulla eſſet ſuſpicio, quod eſſet ſubornatura Puellam, aut pro, aut contra Matrimonium, aliiſque adhibitis cautelis, quæ revera fuerunt adhibitæ a Vicario Generali Peruſino ſub directione Archiepiſcopi, Epiſcopi Peruſini in Urbe commorantis.

Datæ etiam fuerunt litteræ ad Epiſcopum Civitatis Caſtelli, in quibus ſecuto Puellæ adventu, demandatum eſt, ut eam collocaret in Monaſterio ſibi beneviſo, eam quoque cuſtodiendam traderet probæ Moniali cum prohibitione, ne aliquis cum Puella alloqueretur, vel ad eam Epiſtolæ deferrentur, & cum additione, ut tranſacto termino viginti dierum, ipſe ſepoſitis Arbitris, eam interrogaret, & de reſponſionibus Sacram Congregationem faceret certiorem,

Quia vero Matrimonium per Procuratorem fuerat contractum die 29. Martii 1724. hora duodecima, & Puella per Actum publicum Mandatum revocaverat eadem die, ſed uti probabiliter credebatur, poſt contractum Matrimonium, & prætendebatur; quod actus publicus revocationis Mandati factus quidem appareret dicta die 29. ſed quod conſenſus pro Matrimonio contrahendo fuiſſet ab ipſa revocatus die 28. uti ex nonnullis teſtibus habebatur, & Eliſabeth examinata die 2. Maii 1724. depoſuerat coram Vicario Generali Peruſino, ſcriptum idcirco fuit Epiſcopo Civitatis Caſtelli, ut delato Juramento, Puellam interrogaret, primo, an revera conſenſum revocaſſet die 28. Martii, ſecundo, an revocatio fuerit ſpontanea, vel per metum incuſſum a Patruis de Donninis, vel ex ſubornationibus aliorum, qui cum eis Eugubium acceſſerunt, & tertio, in qua nunc voluntate perſiſtat, contrahendi videlicet, vel non contrahendi Matrimonium cum Hieronymo.

Supervenerunt Acta tranſmiſſa ab Epiſcopo Civitatis Caſtelli, ex quibus habetur, Puellam interrogatam reſpondiſſe, primo, ſe ſuam voluntatem revocandi Mandatum propalaſſe die 28. Martii ſummo mane Petro de Donninis Patruo, Patri Gaſpari de Giglis, & Moniali Hieronymæ de Bonaſſonis, eos rogando, ut ad Monaſterium accedere facerent Notarium, ut publicum ſuæ revocationis fieret Inſtrumentum; ſecundo, ſe die 27. ejuſdem Menſis conſimilem revocationem Conſenſus, & Mandati Procuræ ſignificaſſe Patri Gaſpari de Giglis, & poſt ejus diſceſſum a Monaſterio, Moniali Felici Sarzi, cui injunxit, ut ſuam voluntatem Hieronymo notificaret ad effectum, ut ſe a Matrimonio abſtineret; tertio ſe hæc omnia feciſſe ſponte, & libere; non autem per metum incuſſum a Petro de Donninis Patruo, nec ex perſuaſione, ſeu ſubornatione cujuſvis alterius Perſonæ; ultimo, ſe nolle contrahere Matrimonium, & ſe in hac voluntate eſſe, atque fuiſſe a momento, quo conſenſum, & mandatum Procuræ revocavit.

His ſtantibus repropoſita Cauſa in Congregatione habita *die 26. Aprilis currentis anni*, cujus Folium poterit pariter ab EE. VV. benigne reaſſumi, nulla fuit capta reſolutio, ſed dictum *dilata, & proponatur in ultima Junii, & Partes informent*; cumque *die 5. Julii* 1727. Cauſa pro tertia vice proponatur, quæritur,

An conſtet de nullitate Matrimonii in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Affirmative,

QUÆSTIO DXXXVIII.

In Cauſa Alatrina, die 25. Januarii 1727.

INNOCENTIA de Comitibus *anno 1614.* hæredem inſtituit univerſalem Collegium Clericorum Regularium Congregationis Matris Dei Scholarum Piarum Civitatis Alatrinæ, & inter cætera Legata demandavit, quod erigeretur novus Canonicatus in Cathedrali Eccleſia Alatrina, aſſignatis pro ejus dote viginti locis Montium reditus annui ſcutorum 60. cum obligatione, ut novus Canonicus deberet aſſiſtere Choro ad inſtar aliorum Canonicorum, & celebrare, & applicare unam Miſſam qualibet hebdomada pro Anima ſua, ſuique Mariti, & in Codicillo condito *de anno* 1720. in primum Canonicum nominavit unum ex filiis Joannis Baptiſtæ de Antoninis.

Poſt obitum Teſtatricis, terminatis nonnullis controverſiis exortis inter patres Scholarum Piarum, & Antoninos, deventum tandem fuit ad nominationem Alexandri de Antoninis in novum Canonicum, cumque hic ſupplicem exhibuiſſet Capitulo Libellum pro ſui receptione in Canonicum, Capitulum in acceptatione nonnullas addiderit conditiones, ex his nova exorta eſt Controverſia, quæ ad tramites dubii infra referendi, diſputanda, & reſolvenda in hac Sac. Congregatione proponitur.

Prima itaque Conditio, quæ dat cauſam liti, eſt, quod novus Canonicus ſemper ſtare debeat in ultimo Stallo, Antoninus etenim admittit, ſe non poſſe prætendere, niſi ultimum Stallum, quoad uſque vivunt Canonici, qui mo-

quì modo occupant alia Stalla, sed sibi denegari non posse ascensum, statim ac aliquis ex prædictis Canonicis moriatur, vel Canonicatum dimittat.

Secunda Conditio est, quod novus Canonicus habeat onus faciendi hebdomadam, quod onus novus Canonicus subire non recusat, quando juxta Turnum illud erit a se explendum, sed dummodo tempore, quo explet munus Hebdomadarii, sedeat in medio Chori, quo in loco sedent cæteri Canonici dicto munere fungentes.

Tertia Conditio est, quod perpetuo careat voce activa, & passiva in Capitulis, & id durum videtur novo Canonico, quando agitur de negotiis pertinentibus ad statum, seu servitium Ecclesiæ, Sacristiæ, & electionem Ministrorum, & Officialium Massæ Communis.

Quarta Conditio est, obligationis ad residentiam, Officiaturam, Hebdomadam, Campanellam, & aliud quodcumque onus præsens, & futurum. Admittit novus Canonicus onus residendi, officiandi, faciendi hebdomadam, & canendi Missam Conventualem per Turnum, sed se prætendit debere esse exemptum ab oneribus eorum Legatorum, & Anniversariorum, pro quibus alii Canonici, & non ipse Emolumenta recipiunt; Idemque asserit esse practicandum quoad onus *Campanelle* quod consistit in celebratione 29. Missarum quolibet anno, pro quo adest particulare Emolumentum, de quo alii Canonici, & non ipse participant.

Quinta Conditio est, quod novus Canonicus, ejusque Successores nunquam participare debeant de futuris relictis Legatis Piis, & aliis largitionibus tractu temporis ad Capitulum devolvendis, & novus Canonicus asserit, id sibi posse vindicare locum in Legatis, quæ relinquentur antiquis Canonicis, secus autem in illis, quæ Capitulo relinquentur, & hanc conditionem nunquam comprehendere posse Mortuaria, & Funeralia, ad quæ Canonici invitabuntur.

Sexta Conditio est, ut pro manutentione Utensilium, & subministratione Expensarum extraordinariarum pro necessitate Ecclesiæ, & Sacristiæ, fiat a novo Canonico contributio scutorum sex quolibet anno, & novus Canonicus non recusat contribuere, sed ad mensuram, quæ sit ab aliis Canonicis.

Ultima tandem Conditio est, quod novus Canonicus non participet de Punctaturis Canonicorum absentium, & quod si ipse non resideat, vel non interfit, distributiones amittat quotidianas applicandas Ecclesiæ, vel Sacristiæ; Novusque Canonicus non recusat tertiam partem fuorum redituum deponere in Massa Communi pro distributionibus, sed ait, eas in casu absentiæ non esse applicandas Sacristiæ, vel Ecclesiæ, sed dividendas inter interessentes, seque idcirco esse admittendum ad participationem Punctaturarum aliorum Canonicorum in casu absentiæ eorumdem.

Jura circumferuntur; unde quæritur,

An, & quomodo in Cathedrali Alatrina sit erigendus Canonicatus ordinatus ab Innocentia de Comitibus in casu &c.

Sacra Congr. die 8. Februarii 1727. respondit,
Affirmative juxta Conditiones præscribendas ab Eminentissimo Præfecto.

QUÆSTIO DXXXIX.

In Causa Mantuana, die 25. Januarii 1727.

IN Civitate Mantuana vigebat Consuetudo, ut quæcumque Ecclesiæ tumulantes, sive Sæculares, sive Regulares persolverent Ecclesiæ Parochiali medietatem Cereorum, cum quibus Cadavera ad Ecclesiam tumulantem deferebantur, & quod pro aliis Cereis Funeralibus, quæ in Ecclesia tumulante circa Cadaver, & Castrum doloris accendebantur, solveretur quædam Quota pecuniaria ab hæredibus defuncti, sed nunquam minor libris duodecim.

Consuetudo hæc solvendi videlicet ad minus libras duodecim pro Cereis Funeralibus, quæ accendebantur circa Cadaver, & Castrum doloris, impugnata fuit a nonnullis particularibus Civitatis Mantuæ, causaque delata ad hanc Sacram Congregationem, hæc anno 1694. censuit, non esse gravandos hæredes ad dictam solutionem, sed reservavit jura Parochialium adversus Ecclesias tumulantes, cumque Parochiales Ecclesiæ sua Jura ad tramites præservationis prosecutæ fuissent adversus Ecclesias tumulantes, Sacra hæc Congregatio fuit in sensu, *quod medietas debebatur omnium, quæ ratione funerum erogabantur.*

Ecclesiæ Civitatis Mantuanæ, hoc est Cathedralis, & aliæ Sæculares a prædicta resolutione reclamarunt, sub obtentu, quod antea nunquam soluta fuerat medietas eorum, quæ ratione funerum erogabantur, sed Sacra Congregatio bene perpendens, hanc observantiam negativam causam habuisse ab alia per eamdem Sacram Congregationem sublata, juxta quam, uti dictum est, hæredes persolvebant quotam librarum ad minus duodecim, *die 30. Aprilis 1695.* stetit in decretis.

Post Sæculares Ecclesias, insurrexerunt Ecclesiæ Regulares Civitatis Mantuæ, cumque hæ nedum sua privilegia allegassent, sed etiam formiter dixissent, non esse adversus se probatam Consuetudinem exigendi Portionem Canonicam, Sacra hæc Congregatio *die 17. Martii 1696.* Parochos adstrinxit ad coadjuvandas probationes super prædicta Consuetudine, cumque Parochi per formale Testium Examen Consuetudinem in aperto posuissent, & sic res esset redacta ad punctum privilegiorum, *die 27. Aprilis 1697.* responsum fuit, quod exhiberentur Privilegia Regularium, & interim solitum servaretur, allatisque subinde prædictis privilegiis, & informantibus semper Regularibus, *die tandem 18. Julii 1699.* responsum fuit *servandam esse Consuetudinem solvendi Quartam in medietate Cereorum tantum, quæ deferuntur per viam.*

Ad tramites hujus postremæ resolutionis facta est a Parochis exactio, sed edita a SS. Domino Nostro Benedicto Papa XIII. Constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*, & quæ est sexta in ordine post Concilium Romanum, in qua sublatis Regularium privilegiis, iidem adstringuntur ad solutionem Quartæ favore Ecclesiarum Parochialium, tam Candelarum, quibus defunctorum Cadavera ad Ecclesiam deferuntur, quam aliarum, quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus pariter accenduntur, exceptis tantum Candelis, quas Regulares funus associantes in manibus deferunt, cum Parochi memoratæ Civitatis Mantuæ cœperint prætendere medietatem non solum Intorticiorum, quibus Cadavera ad Ecclesias Regularium associantur, sed etiam aliorum, quæ in die funeris circa Cadaver, Castrumque doloris, & etiam in Altaribus tumulantis Ecclesiæ accenduntur, controversia inter ipsos, & Regulares exorta est, ipsaque proposita, & non resoluta hac die 25. Januarii, ejus tandem resolutioni locus factus est in Congregatione habita die 8. Februarii, in qua examinato sequenti Dubio *quomodo, & in qua summa liceat Parochis Sæcularibus exigere Quartam funeralem ab Ecclesiis Regularium in casu &c.* responsum fuit *solvendam esse a Regularibus medietatem tam Cereorum, quæ deferuntur per viam, quam aliorum, quæ accenduntur in Ecclesia circa Cadavera, & Castrum Doloris, & altaria.*

Fundamentum resolutionis constitutum fuit in memorata Constitutione Sanctiss. Domini Nostri, in qua ad solutionem Quartæ Regulares adstringuntur, & derogatur contrariis Privilegiis quibuscumque, & in eo, quod attinet ad Consuetudines, ita legitur, ubi vero *Consuetudines legitime probatæ, Conventiones, Concordiæ, vel Statuta vigerent, illisque pinguiorem prædicta Quarta Emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in his, in quibus vigent, locis inconcusse ab omnibus observari præcipimus.*

Adeoque si Mantuæ aderat Consuetudo solvendi medietatem tam ex Cereis, cum quibus Cadavera ad Ecclesiam tumulantem deferuntur, quam ex aliis Cereis funeralibus, quæ in Ecclesia tumulante circa Cadaver, & Castrum Doloris in Altaribus accenduntur, non erit sufficiens pro Ecclesiis Parochialibus, si ipsis solvatur medietas Cereorum, quæ deferuntur per viam, si iisdem solvatur Quarta Cereorum, quæ in Ecclesia tumulante circa Cadaver, & Castrum Doloris, & in Altaribus accenduntur, sed erit omnino necessarium, ut horum omnium medietas persolvatur Parochialibus ab Ecclesiis Regularium, quando in eis Cadavera alienorum Parochianorum sepeliuntur.

Ad partes posita responsione, quod Consuetudo solvendi medietatem de Cereis, quæ in Ecclesia tumulante, circa Cadaver, & Castrum Doloris accenduntur, respiciebat Ecclesias Sæculares, & non Regulares Civitatis Mantuæ; quando etenim Sanctissimus Dominus Noster præservavit in sua Constitutione Consuetudines locorum magis favorabiles Parochiis, non potuit id intelligere nisi de Consuetudinibus Ecclesiarum Sæcularium. Supponit enim in sua Constitutione, Ecclesias Regulares esse exemptas vigore Privilegiorum, quibus proinde derogavit.

His

His stantibus quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis die 8. Februarii currentis anni.

Sacra Congr. die 24. Maii 1727. respondit,
Ad Dominum Secretarium cum Sanctiss. juxta mentem.

QUÆSTIO DXL.

In Causa Auximana Procurationis, die 8. Februarii 1727.

SACRUM Tridentinum Concilium *sess. 24. cap. 3. de Reformat.* demandavit Episcopis, ut vel per se, vel per suum Vicarium Generalem, aut Visitatorem quotannis visitarent totam Diœcesim, & si id intra dictum tempus propter Diœcesis latitudinem fieri non posset, visitatio modo prædicto, hoc est, vel per ipsos Episcopos, vel per Vicarios Generales, aut Visitatores intra biennium compleretur. Plura etiam idem Concilium statuit quoad Procurationem a Visitandis exigendam, & inter cætera decrevit, ut Consuetudo vigens in Locis, seu Provinciis nihil in visitatione accipiendi, punctualiter observetur, per quam Conciliarem dispositionem correcta est dispositio Juris communis *in cap. Venerabili de censibus*, ad cujus tramites Procuratio ratione visitationis debita, non erat a subdito præscriptibilis, uti bene ponderat *Fagnan. in d. cap. Venerabilis, n. 20. & segq. de censibus.*

Plures ab hac Sacra Congregatione editæ sunt resolutiones pro regulanda materia Procurationis; quoad Monasteria etenim Monialium, sive earum Ecclesias, sic resolutum fuit *in Volaterrana 13. Novembris 1638. lib. 16. decret. pag. 116. a tergo* ibi: *Sacra &c. censuit Episcopo Visitanti Ecclesiam Monialium, si in ea non adsit Beneficium, non deberi Procurationem, seu expensas Victualium.* Quoad possidentes Beneficia simplicia, sic resolutum fuit *die 12. Septembris 1654. lib. 19. decret. pag. 399.* ibi: *quæritur, partibus citatis, & auditis, an obtinentes Beneficia simplicia in Terra Garbii, teneantur cum Parochis contribuere Procurationi Episcopo Visitanti Diœcesim præstandæ. Sacra &c. censuit, hujusmodi Beneficiatos teneri contribuere cum Parochis Procurationi Episcopo Visitanti Diœcesim*: Et demum, quoad eosdem Beneficiatos, & quoad Confraternitates, disputatis *in Causa Bojanen. 14. Novembris 1654.* pluribus dubiis, uti habetur *lib. 19. decret. pag. 427. a tergo*; quarum erat conceptum sequentibus verbis: *an obtinentes Beneficia etiam simplicia, seu Cappellanias in titulum teneantur contribuere dictis Victualibus*, & huic dubio responsum fuit *obtinentes Beneficia, seu Cappellanias in titulum, teneri pro rata contribuere*, & quintum erat conceptum his aliis verbis, *an eisdem Victualibus teneantur contribuere Confraternitates Laicorum*, & huic dubio responsum fuit *Confraternitates visitatas teneri ad eamdem contributionem pro rata.*

In Terra Montis Philoptrani quatuor existunt Ecclesiæ Parochiales, adsunt Confraternitates, & adest Monasterium Monialium S. Claræ, cui unitus est Conventus S. Augustini suppressus, cumque occasione Visitationis in dicta Terra expletæ ab Eminentissimis Dominis de Abdua, Spada, & Pipia, Præpositus Gentilonus eos in domum suam receperit, & necessarias Procurationis expensas solus subiverit, & contributum exigere prætenderit ab aliis Visitatis, juxta demandata a supradictis Eminentissimis de Abdua, & Spada, & alii Parochi contributo non refragentur, sed ad illud Moniales, & Confraternitates dicant, se non teneri, quæstio exorta, est ad hanc Sac. Congregationem delata, super qua requisitus Eminentissimus Pipia pro informatione responsi, Moniales, & alia Loca Terræ nolle contribuere eo sub obtentu, quod sunt in pacifica possessione nihil contribuendi.

In simili controversia adest resolutio Sacræ Congregationis *in Signina 2. Augusti 1670. lib. 26. decret. pag. 392.* quæ est concepta sequentibus verbis: *Nonnulli Beneficiati simplices, & Confraternitates Terræ Vallis Montanæ conqueruntur, quod, licet ab antiquo tempore Procuratio Episcopo visitanti solvi consueverit a Capitulo, & Canonicis dictæ Terræ, absque eo quod Oratores aliquid contribuere gravati fuerint, nihilominus dictum Capitulum illos respective taxavit pro hujusmodi contributione: Ideo supplicatur, per Sacram Congregationem declarari, an dictis Beneficiatis, & Confraternitatibus suffragetur assertæ consuetudo, quominus ad dictam contributionem minime cogendi sint. Sacra &c. auditis partibus, & Juribus hinc inde deductis, censuit, Beneficiatos, & Confraternitates Terræ Vallis Montanæ teneri Procurationem contribuere Episcopo Visitanti, nec illis suffragari assertam Consuetudinem, quod hujusmodi Procuratio solvi consueverit a Capitulo, & Canonicis Collegiatæ dictæ Terræ.*

Verum, quidquid sit de Consuetudine, scribens pro Monasterio Monialium S. Claræ, & Confraternitatibus Laicalibus, contendit, nec Monasterium, nec Confraternitates teneri ad contribuendum propter paupertatem, qua laborant, ea etenim concurrente, statim consurgit exemptio a solutione Procurationis; juxta late firmata per *modernum Episcopum Anagninum in tract. de Sodalit. quæst. 13. n. 8.* Addit, Parochos esse divites, & ex hoc motivo introductum fuisse, quod in hac Terra, & alii Parochi in aliis locis Diœcesis solvant integram Procurationem. Pro Monialibus S. Claræ ultra paupertatem facere potest, quod Episcopus visitans parvum Conventum suæ jurisdictioni suppositum, nihil potest accipere titulo Procurationis, juxta resolutionem Sacræ Congregationis super Statu Regularium, impressa *apud Lantusca in verbo Conventus n. 16.*

E contra scribens pro Parochis dicit, allegatam paupertatem non esse probatam.

Ex Juribus itaque circumferendis quæritur,

I. An procuratio sit præstanda per contributum ab omnibus Parochis, Beneficiatis, Ecclesiis, Monasteriis, & Confraternitatibus Montis Philoptrani, & quatenus affirmative.

II. An Parochi, qui sustinuerunt totum pondus Procurationis in retroactis Visitationibus sint proportionabiliter reintegrandi, & a quo fieri debeat repartitio & exactio in casu &c.

Sacra Congr. die 15. Martii 1727. respondit,
Ad Primum affirmative.
Ad Secundum affirmative pro ultimis procurationibus, & amplius.

QUÆSTIO DXLI.

In Causa Montis Regalis, die 8. Februarii 1727.

PATRES Carthusiani Casularum habent in Diœcesi Montis Regalis quamdam Granciam vocatam *Confovero*, quæ habet Cappellam annexam sub titulo B. Mariæ Virginis ad Nives. Cappella hæc habebat januam in Via Publica, sed anno 1699. eadem clausa fuit; relictis tantum duabus lateralibus fenestris crate ferrea muniti, & ostio aperto intra ambitum Granciæ. Cappellæ huic inservit Sacerdos Sæcularis, qui celebrat Missam diebus festivis, & eleemosynam recipit a Colonis Patrum, & ab aliis personis ejusdem Regionis.

Procul ab hac Grancia per milliare circiter habent iidem Patres habitationem, & in ea semper degit unus ex ipsis Sacerdos, qui appellatur Procurator una cum aliquibus Fratribus Conversis pro Agrorum cultura, & in hac habitatione adest Sacellum pro Missæ celebratione. Cappella sub titulo S. Mariæ ad Nives alias fuit visitata ab Ordinario; cumque hodie super visitatione exorta sit controversia, disputandum proponitur dubium ad calcem Restrictus referendum.

Juxta Sac. Concilium *Sess. 7. cap. 8. de Reformat.* subjiciuntur Episcopi Visitationi Ecclesiæ, quæ pertinent ad Regulares, & ab eis dependent, si illis per Sacerdotes sæculares deserviatur, uti late firmavit Rota *in Firmana Jurisdictionis 15. Aprilis 1701. coram bon. mem. Molines*, & fuit resolutum in hac Sac. Congregatione *in Licien. Visitationis 23. Junii 1725.*

Loquendo de Granciis Monasteriorum, eædem de jure communi sunt exemptæ a Jurisdictione Ordinarii, qui idcirco prohibetur exigere Procurationem ab Oratoriis, quæ in illis existunt juxta Textum *in c. ultimo de Cappellis Monachorum.* Quo attento, si Procuratio est prohibita, prohibita etiam dici debet Visitatio, uti late argumentatur *Fagnan.* in Opusculo de Granciis impresso *ad cap. Auctoritate de Censibus num. 4. & segq. Venetæ impressionis.*

Sed res hæc aliter se habet, attentis posterioribus Constitutionibus tum Innocentii Decimi, tum Alexandri Papæ Septimi; ab hoc etenim declaratum fuit, quod subsunt Visitationi, & Jurisdictioni Ordinarii Ecclesiæ Conventuum, & Cappellæ Granciarum, sive in eis degant Conversi pro Agrorum cultura, sive non, juxta ejusdem Alexandri *Constitutionem 4. Bullar. tom. 6.* & ab hac Visitatione exemptæ sunt solum Granciæ, quæ sunt Domus Rurales, sive Prædia Rustica, in quibus degunt Conversi pro Agris colendis, sed absque eo quod sit in

his Ecclesia, vel publicum Oratorium, teste *Fagnan. loco citato*.

In Terminis Ecclesiæ Campestris Sanctæ Mariæ de Albiano Placentinæ Diœcesis, quæ erat Grancia Conventus PP. Carmelitarum ejusdem Civitatis, Sacra hæc Congregatio *die* 17. *Augusti* 1726. *& die* 11. *Januarii* 1727. *censuit esse visitandam ab Ordinario, sed Jure Delegato*.

Difficultas autem specialis in casu, qui proponitur, consistit in ostio Ecclesiæ, quod amplius non est apertum in via publica, sed in Grancia. Videndum est etenim, an id fieri potuerit, & an etiam si factum sit, prodesse valeat.

Quibus stantibus, quæritur,

An Episcopus Montis Regalis possit visitare Cappellam Ruralem sub titulo B. M. V. ad Nives existen. in sua Diœcesi in finibus Loci Morosii, & nuncupat. alla Porta, sive in Regione di Consovero in casu &c.

Sacra Congr. die 15. Martii 1727. respondit,
Affirmative, & portam esse aperiendam versus viam publicam.

QUÆSTIO DXLII.

In Causa Firmana Nullitatis Professionis, die 8. *Februarii* 1727.

PATER Joseph Ghigiotti anno 1691. Professionem Regularem emisit in Conventu Ordinis S. Augustini Terræ S. Elpidii Firmanæ Diœcesis, cumque propter varia impedimenta, & infortunia, jura compilare, & eadem deducere fuerit usque ad præsens impeditus, uti legi potest in ejus Scriptura per manus circumferenda, instat in præsenti pro Restitutione in integrum.

Primum ejus fundamentum constituitur in hoc, quod Professio emissa fuit in prædicto Conventu, qui non erat designatus ad receptionem Novitiorum, & ad admittendum Novitios ad Professionem, in quibus circumstantiis Professio nullitatis vitio laborat, juxta *Constit.* 83. *Clementis VIII. Bullar. tom.* 3.

Et quia in citata Constit. excipitur casus licentiæ a Sede Apostolica impetratæ Novitiatum faciendi, & Professionem emittendi in Conventu, licet ad id non designato, subdit licentiam præcedenter impetratam, hoc est anno 1689. a Sacra Congregatione super statu Regularium, non posse ad rem suffragari, tum quia suppositum fuit eidem Sac. Congregationi, quod quatuor adessent Adolescentes, qui in dicto Conventu vellent Professionem emittere, quando ipse solus erat, nec alii aderant admittendi ad Professionem, tum quia in dicto Conventu, nec observantia, nec forma Novitiatus, nec aderat ullus Magister Novitiorum, ita ut non fuerit servata forma in dicta licentia præscripta, uti videri potest in citata scriptura, cui solum ratione Officii mihi addere fas sit, ut ab Eminentissimis Patribus perpendatur, non posse allegari nullitatem Professionis ex capite, quod emissa sit in Conventu ad id non designato, postquam Quinquennium elapsum est, *juxta Constit.* 146. *Urbani VIII. Bullar. tom.* 5.

Secundum nullitatis fundamentum constituitur in Interruptione Novitiatus; cum etenim currente anno Novitiatus, ipse habitum Religiosum dimiserit, & in terram projecerit, & aufugere voluerit, sed impeditus facere id non potuerit, contendit Scribens, casum hunc esse æquiparandum casui, in quo quis durante Novitiatu, fugit e Conventu, quæ fuga licet ad modicum tempus irritam reddidit Professionem, ex quo annus Novitiatus debet esse continuus, juxta *decis.* 89. *coram Arguell.*

Ultimum fundamentum stat in seductionibus, & violentiis a Patre adhibitis, ut Professionem Regularem emitteret, cui fundamento dicit, non adversari longam acquiescentiam, tum quia semper conquestus fuit, & semper reclamavit, tum quia Religionis officia non suscepit, & demum, quia in receptione Sacrorum Ordinum dixit, se eos recipere, ut esset Presbyter Secularis.

His stantibus quæritur,

An sit locus Restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. die 15. Martii 1727. respondit,
Negative.

QUÆSTIO DXLIII.

In Causa Calaritana, die 8. *Februarii* 1727.

ANTIOCHUS a Siligua, qui Professionem Regularem emisit in Ordine Cappuccinorum, contendit, eam nullitate laborare, tum quia emissa fuit per vim, & metum a suo Genitore sibi incussum, tum quia Constitutiones hujus Ordinis præscribunt, quod ille, qui admittitur ut Clericus, debeat esse in ætate annorum decem, & septem completorum, & ipse Professionem emisit fere in principio anni decimi septimi, & demum, quia in acceptione Professionis defuit consensus majoris partis Religiosorum, qui in Conventu morabantur.

Hic idem Frater Antiochus, pendente causa super nullitate suæ Professionis coram Vicario Capitulari Calaritano, & P. Guardiano Conventus solemnem edidit protestationem, in qua, medio juramento, asseruit, tum metum, tum cætera, quæ pertinent ad suffragia Religiosorum, qui ipsum admiserunt ad Professionem, non subsistere in facto, & se hæc proposuisse, Diabolo suadente.

Hisce minime obstantibus, hæc eadem ab ipso proponuntur in hac Sacra Congregatione, & Pater Procurator Generalis Ordinis dicit, quoad punctum ætatis, Professionem esse validam, licet fuerit emissa ante ætatem a Constitutionibus præfinitam, dummodo facta fuerit tempore statuto a Sac. Concilio Tridentino, & quoad reliqua existimat, Professionem nullitate laborare.

Jura circumferuntur, unde quæritur,

An sit locus restitutioni in integrum, in casu &c.

Sacra Congr. die 15. Augusti 1727. respondit,
Negative.

QUÆSTIO DXLIV.

In Causa Agrigentina Matrimonii, die 15. *Martii* 1727.

ANNA Maria Morillo per speciale mandatum commisit Emanueli Mammanæ, ut suo nomine coram Parocho, & Testibus Matrimonium per verba de præsenti contraheret cum Luciano Genovese, & Procurator commissum sibi munus adimplevit. Cumque propter ægreferentiam Gasparis Patris Annæ Mariæ quæstiones exortæ sint, demandatum fuit ab hac Sacra Congregatione, quod Anna detineretur in Monasterio, in quo degebat, & quod Episcopus Agrigentinus procederet ad voluntatis explorationem; supponebatur etenim, eam fuisse non liberam, sed coactam.

Ordinarius subdelegavit Andream de Angelo Sacerdotem, ut prædictam faceret explorationem, cumque Anna Maria in hoc novo experimento asseruisset, se cum omni sua libertate Mandatum Procuræ fecisse, se ratum habere quicquid a suo Procuratore gestum est, se quoque in eadem voluntate persistere, & usque ad obitum perstituram, novæque subinde ab utroque Conjuge preces exhibitæ fuerint pro impetranda cohabitatione, rescriptum fuit, quod Episcopus procederet, prout de jure; cumque ejusdem Ordinarii, & Partium intercedente consensu causa fuerit ad hanc Sacram Congregationem delata, bina in præsenti dubia disputanda proponuntur ad calcem Restrictus referenda.

Solæ mihi exhibitæ fuerunt Scripturæ Annæ Mariæ, & Luciani, ita ut quid a Gaspare sit opponendum, ignorem; cumque ex prædictis Scripturis mihi exhibitis, & ex contradictoriis habitis coram me, supponatur majorem vim pro annullando Matrimonio ex parte memorati Gasparis, constitui posse in præcedenti inhibitione per Ordinarium Agrigentinum Parocho facta, ne Matrimonio assisteret, & in sponsalibus præcedenter a Luciano contractis cum quadam Francisca Lamagna, quam etiam stuprasse supponitur.

Contendunt Conjuges, neutram ex his oppositionibus esse attendendam; non primam, quia juxta receptam, & formiter disputatam in hac Sacra Congregatione sententiam, validum est Matrimonium contractum coram Parocho, cui Ordinarius interdixerat, ne ejus celebrationi interesset, uti videri potest apud *Fagnan. in cap. litteræ a num.* 5. *usque ad fin. de matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ*. Non secundam, quia licet de jure Decretalium sponsalia de futuro transirent in Matrimonium de præsenti, ex copula inter Sponsos affectu maritali exercita ad normam *Textus in cap. Is, qui fidem de Sponsalibus*, cessat tamen hæc dispositio propter jus novum a Sac. Concilio Tridentino inductum *Sess.* 24. *de Reform. Matrim. cap.* 1. ubi nullum declaratur Matrimonium sine Parochi præsentia contractum, uti adnotarunt in *d. cap. Is qui fidem Gonzal. sub num.* 2. *versic. hodie tamen, Fagnan. n.* 8. *de Sponsalibus, & Matrim. Rota decis.* 19. *n.* 37. *& seq. part.* 10. *rec.* & quod ita fuerit declaratum tempore Gregorii XIII. ab hac Sacra Congregatione, testatur fundatissimus *Theologus Estius in librum quartum Sententiarum dist.* 27. §. 10. *vers. diximus autem*.

Ad ornatum quoque materiæ adnotasse fas sit, quod licet a nonnullis fuerit dubitatum, an Matrimonium contractum contra Interdictum Summi Pontificis sit validum, uti habetur in Scripturis, quæ circumferuntur, vera tamen opinio est, quæ adstruit nullitatem Matrimonii contra Interdictum Papæ celebrati, dummodo Interdictum fuerit munitum decreto irritante. Sicut etenim Papa potest statuere per legem universalem impedimenta impedientia, & dirimentia Matrimonium, ita potest in casu particulari sub pœna nullitatis interdicere, ne tale Matrimonium in casu particulari contrahatur, uti adnotarunt *Alexander de Nevo, & Calderin. in cap. tua de Sponsa duorum, Barbosa in cap. ad dissolvendam sub num.* 4. *de desponsat. Impuberum, Leander operum moral. tom.* 2. *tract.* 9. *decis.* 23. *de impedimentis Matrim. quæst.* 3. *Beccan. summa tit. de Sacramentis cap.* 49. *quæst.* 1. *num.* 6. *P. Schmalzgrueber ad lib.* 4. *Decret. tit.* 16. *num.* 9.

Et in eo, quod attinet ad cæteros Prælatos inferiores, ea recepta videtur esse sententia, ut eorum Interdictum non valeat nullitatem Matrimonii causare, nisi sit innixum Causæ perpetuæ, hoc est impedimento impedienti, & dirimenti, ad differentiam casus in quo esset innixum Causæ temporali, hoc est impedimento tantum impedienti, quocirca ab Alexandro III. validum declaratur Matrimonium celebratum, pendente lite super præcedentibus Sponsalibus, & pendente Superioris inhibitione, uti habetur *in cap. litteræ, & in cap. ex litteris de matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ, & Clemens III. in cap. dissolvendum de desponsat. Impuberum*, nullum declaravit Matrimonium pendente Interdicto contractum a Puella constituta in ætate impubere, uti colligitur ex integra *Textus* lectura *in tertia Decret. collectione Antonii Augustini pag. mihi* 205. & Alexander III. *in cap. tua fraternitas de sponsa duorum*, nullum quoque declaravit Matrimonium pendente Inhibitione contractum, post aliud præcedenter initum, licet carnali copula non consummatum, uti pariter ex integra *Textus* lectura desumitur *in prima collectione Decretalium edita ab eodem Antonio Augustino pag.* 62.

Hæc sunt, quæ primum dubium respiciunt. Quia vero secundum pertinet ad Matrimonii contracti dissolutionem per gratiosam Dispensationem, Conjuges replicant, ei nunquam esse posse locum, quia admissa Papæ potestate dissolvendi Matrimonia simpliciter rata, desunt tamen circumstantiæ pro usu hujus potestatis, & signanter, ex quo nullus ex Conjugibus pro dissolutione instat, cum instantia promoveatur a Gaspare Patre Annæ Mariæ, quæ non vult recedere a Matrimonio præcedenter contracto cum Luciano.

His positis, quæritur,

I. An Matrimonium contractum inter Annam Mariam Morillo, & Lucianum Genovese fuerit validum in casu &c. & quatenus affirmative.

II. An sit locus illius dissolutioni per viam gratiosæ Dispensationis in casu &c.

Sacra Congreg. respondit,
Ad primum affirmative. Ad secundum negative.

QUÆSTIO DXLV.

In Causa Amerina, die 15. *Martii* 1727.

JOANNES Baptista Martinuccius universalem sibi scripsit hæredem Monasterium, & Moniales Sanctæ Elisabeth Civitatis Amerinæ, & inter cætera onera hoc appositum legitur: *che dentro il termine di tre Mesi dopo seguita la mia morte, in ciascun giorno faccino celebrare nella loro Chiesa cento Messe basse di Requiem, e nell' ultimo giorno una Messa cantata per suffragio dell' Anima mia, alla quale Messa cantata si dovrà far assistere* 12. *povere Vedove, alle quali si dia un giulio per ciascheduna, ed una candela di cera d' oncie tre. La spesa di quello, che importerà dette Messe, ed elemosina, si dovrà fare con il frutto della mia Eredità.*

Littera Testamenti importare videtur, Testatorem voluisse suffragium centum Missarum lectarum de Requie qualibet die per spatium trium mensium, sed ex nonnullis conjecturis prætenditur, ipsum voluisse celebrationem centum Missarum in termino trium mensium, vel ad summum suffragium 100. Missarum quolibet mense spatio trium mensium.

Prima ex conjecturis consistit in impossibilitate, cum nec in Ecclesia Monialium tot adsint Altaria, nec in Civitate Ameriæ tot Sacerdotes, sive Sæculares, sive Regulares, qui possint centum Missas celebrare quolibet die per tres menses.

Secunda est, quod juxta litteram Testamenti videtur, Testatorem voluisse, quod eleemosyna desumeretur ex fructu suæ hæreditatis. Cumque annuus reditus sit in scutis 577. & per consequens fructus hæreditarius ascendat ad scuta 143. spatio trium mensium, imperceptibile est, quod ex hoc reditu trium mensium celebrari valeant centum Missæ qualibet die per dictos tres menses.

Tertia est, quod Testator mortuus est in Urbe, & voluit sepeliri in Ecclesia Archiconfraternitatis SS. Stigmatum; cumque dixerit: *voglio, che si faccino celebrare cento Messe basse di Requiem in quella maggior quantità, che sarà possibile, nella stessa mattina, che sarà esposto il mio Cadavere con Messa cantata, ed il compimento di dette Messe* 100. *ne' giorni susseguenti*: Hinc est, quod si Testator impossibilem quodammodo existimavit celebrationem centum Missarum una die hic in Urbe, incomprehensibile est, quod possibilem existimaverit Ameriæ celebrationem centum Missarum quolibet die per tres menses.

Ultima tandem est, quod in quodam posteriori Testamento, quod ob inopinatam mortem non fuit consignatum, Testator se expressit, quod hæredem universalem instituebat Monasterium *con li seguenti pesi, cioè di far celebrare nella loro Chiesa, e dentro il termine d' un mese* 100. *Messe di Requiem ed una Messa cantata*: & tam Parochus, quam Confessarius testantur, mentem ejus fuisse restrictam ad 100. Missas distributive celebrandas in termino unius mensis.

Rursus in eodem Testamento Joannis Baptistæ ita subditur: *Il rimanente de' miei mobili, Argenti, e Gioje da me comprate per scudi* 800. *nota de' quali sarà inserta nel presente Testamento &c. la Trabacca, e la mia Libreria si dovranno vendere con depositare il prezzo per investirlo in Luoghi di Monti Camerali*.

Contenditur autem, Testatorem subinde recessisse ab hac voluntate, atque statuisse, ut pretium dd. rerum erogaretur in emptionem Argentorum, & Supellectilium pro Ecclesia, & Sacristia.

Tum quia clare hanc suam voluntatem explicavit in posteriori Testamento, quod licet manus solemne dicitur attendendum, utpote continens Legatum Pium, tum quia comprobari id asseritur ex binis Epistolis a Testatore scriptis post Testamentum, & demum, quia sic testatur Parochus.

Circumfertur scriptura. Unde quæritur,

I. An, & in qua quantitate Missæ sint celebrandæ.

II. An residuum pretii Argentorum, aliorumque Mobilium sit erogandum in emptionem Candelabrorum, aliorumque Utensilium Ecclesiæ &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad primum, celebrandas esse centum Missas quolibet Mense per tres Menses, & quoad Missam Cantatam servetur Testamentum. Ad secundum negative.

QUÆSTIO DXLVI.

In Causa Florentina, die 29. *Martii* 1727.

1. RICCA Esther, dum erat Judæa, Matrimonium contraxit cum Abraham Hebræo, & illud consummavit; cumque post aliquod temporis spatium Judaicam perfidiam abjurasset, & ad Catholicam Religionem conversa esset, post canonicam consuetam monitionem reliquit Abraham in sua Judaica perfidia, & licet ad alia vota transire posset, cælibem nihilominus statum elegit, & etiam hodie remanet innupta.

2. Post Ricchæ conversionem, Abraham existimavit se in libertate positum, quocirca anno 1721. aliam Hebræam nomine Blancam duxit in Uxorem, & Matrimonium cum

ea consummavit, cumque tam Abraham, quam Blanca anno præterito suam patefecerint voluntatem de Judaismo abjurando, & Catechismo fuerint subjecti, suum quoque desiderium explicaverunt de perseverando, post receptum Baptismum, in Matrimonio uti supra contracto.

3. Ricca interrogata, quid super hac re sentiret, respondit se suum libentissime assensum præstare, & se nolle ullo modo ad Abraham redire, etiam post abjuratam ab ipso Judaicam perfidiam, & ejus conversionem ad nostram Sanctam Religionem.

4. Visum fuit, & merito, Ricchæ consensum non sufficere ad rem, de qua nunc agitur, exortisque proinde super hac re in Civitate Florentina controversiis, iisdemque remissis ad hanc Sac. Congregationem, de illis actum fuit in Consessu habito *die* 27. *Julii* 1726. Et Secretarius facilioris studii gratia nonnulla adnotavit ad calcem referenda.

5. Dubia igitur, quæ tunc fuerunt proposita, sunt hæc, quæ sequuntur.

I. An adhuc subsistat Matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam, & Abraham, & quatenus affirmative.

II. An Abraham post suam, & Blanchæ conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, & Blancam relinquendam, & quatenus affirmative.

III. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem converso, & quatenus affirmative.

IV. An Summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in Matrimonio in infidelitate, uti supra, contracto cum Blanca, & quatenus affirmative.

V. An consilium præstandum sit Sanctissimo Domino Nostro pro concessione dictæ dispensationis in casu &c.

Et in Congregatione habita *prædicta die* 27. *Julii* ad primum, & secundum responsum fuit *affirmative*, & in reliquis nulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod scriberent Theologi, & Canonistæ, & perquirerentur exempla, & additum fuit ad mentem, quæ fuit ut scriberetur Archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut citra præjudicium Conversionis ad Fidem Catholicam Abraham separaretur a Blanca, & ad Riccam rediret, item, an Ricca esset in statu virum ducendi, aut emittendi Professionem Religiosam in aliqua Religione, per hanc etenim viam credebatur evitari posse resolutionem dubiorum propositorum, & non resolutorum.

6. Fundamentum affirmativæ responsionis ad prima duo dubia, constitutum fuit in hoc, quod licet certum sit, Matrimonium in infidelitate contractum solvi quoad vinculum, si alter ex Conjugibus in infidelitate permaneat, & nolit habitare cum Conjuge ad Fidem converso, vel si cohabitare velit, nolit cohabitationem sine contumelia Creatoris, incertum nihilominus est, quo tempore Matrimonium prædictum quoad vinculum solvatur, cumque communis, & communissima hodie sit Theologorum, & Canonistarum Sententia, quod Matrimonium quoad vinculum dissolvatur, tunc cum Conjux Fidelis aliud contrahit Matrimonium, hinc optimo jure ponderatum fuit, quod si Ricca conversa nullum adhuc contraxit Matrimonium post conversionem, subsistere de necessitate debebat Matrimonium per eam in Judaismo contractum cum Abraham; & sic per consequens, quod Abraham post suam, & Blanchæ conversionem tenebatur ad redeundum cum Ricca, & Blancam relinquendam, & eo fortius, cum auditis Theologis, & Articulo formiter examinato, & accedente Summi Pontificis approbatione, in consimili prorsus casu fuerit eodem modo responsum, ab hac Sacra Congregatione in alia Causa Florentina 1. *Julii* 1679. *&* 13. *Aprilis* 1680. uti habetur ex resolutionibus per extensum relatis in meo discursu edito ad calcem Folii memoratæ Congregationis habitæ *die* 27. *Julii* 1726.

7. Et in eo, quod attinet ad tertium, quartum, & quintum dubium, quæ in citata Congregatione fuerunt proposita, & non resoluta, juxta demandata scripserunt Theologi, & scripsit etiam Canonista super quarto, & quinto dubiis, & eorum allegationes exhibentur; in eoque, quod spectat ad litteras dandas ad Archiepiscopum Florentinum, litteræ datæ sunt ad eundem, & ex ejus responsionibus *die* 13. *Augusti*, *&* *die* 7. *Septembris anni præteriti* duo colliguntur, alterum possibile non esse, ut Abraham separaretur a Blanca, *in risposta di quanto V. S. Illustrissima s' è compiaciuta di comandarmi con sua lettera de'* 31. *Luglio, posso per ora dirle brevemente, che ho fatto parlare a' consaputi Conjugi Ebrei Abramo, e Bianca che desiderano di venire alla S. Fede per iscoprire, se fossero in disposizione di farlo anco con separarsi, ritornando Abramo colla sua Moglie Ricca Esther precedentemente convertita; sopra di ciò si trova grandissima opposizione, protestandosi essi, che solo la morte può separarli, e che non sapranno mai indursi a rompere un vincolo, che è loro troppo caro. Non s' è lasciato d' usare le più efficaci persuasive, e si continuano le diligenze, ma dubito assai, che se ne voglia ottenere l'intento. Deve ancora Vostra Signoria Illustrissima essere informata, che prima della Conversione di Ricca, e sussistendo il di lei Matrimonio con Abramo, Bianca stava in casa del medesimo per Serva, ed era da esso così ben veduta, che ne nacquero gelosie, e dissensioni colla prima Moglie; onde si deduce, che l' affetto scambievole tra Abramo, e Bianca non è un puro affetto Maritale, ma geniale ancora, e radicato per lungo tempo negli animi d' amheduc, il che a mio credere renderà molto più difficile la loro separazione*; alterum est, Riccam nolle, vel aliud Matrimonium contrahere, vel religiosæ Professioni nomen dare, uti habetur ex verbis alterius Epistolæ Archiepiscopi Florentini tertia Septembris anni præteriti, *la predetta Ricca alla proposizione fattale disse subito, che in quanto a farsi Religiosa non le bastava l' animo di fare un tal passo, e quanto al maritarsi si sentiva della ripugnanza, ma pure si contentò di pigliar tempo a pensarci prima di dare positiva risposta. Finalmente dopo molti giorni non obstante tutti i motivi addotile persistè nella negativa, dicendo, che nell' età avanzata di* 40. *anni non si sente di soggettarsi a nuovo vincolo di Matrimonio, ed a perder quella quiete, che prova nello stato libero, in cui colle proprie sostanze vive comodamente.* Quo propterea stante tantum abest, quod ex responsionibus Archiepiscopi Florentini evitari valeat resolutio dubiorum alias propositorum, & non resolutorum, quod ex illis potius subingredi videtur necessitas procedendi ad eorum discussionem, atque resolutionem, & id, quod ex dictis responsionibus evitatur, est examen Articuli, an Matrimonium consummatum Infidelium dissolvatur per Professionem in Religione emissam ab altero ex illis converso ad Fidem, altero in infidelitate adhuc permanente; licet enim nonnulli velint, Matrimonium in infidelitate consummatum solvi per religiosam Professionem; ex quo si Professio religiosa solvit Matrimonium ratum inter Fideles, multo magis solvere debet Matrimonium consummatum inter infideles; cum vinculum Matrimonii rati inter fideles sit fortius Matrimonio consummato Infidelium: *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disp.* 76. *num.* 8. *Clericat. de Sacram. Matrimonii dec.* 12. *num.* 7. *Salmanticenses in Cursu morali tom.* 2. *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 4. *dub.* 2. *punct.* 2. *num.* 52. alii tamen non desunt formiter sustinentes, quod Matrimonium in infidelitate consummatum non solvitur per religiosam Professionem, tum quia non subsistit principium, quod vinculum Matrimonii rati inter Fideles sit fortius vinculo Matrimonii consummati inter Infideles, tum quia potestas dissolvendi Matrimonium consummatum inter Infideles provenire debet a divina concessione, nec ullibi concessum invenitur, quod Professione Religiosa dirimatur Matrimonium consummatum Infidelium, uti late prosequuntur *Perez de Matrim. disp.* 36. *sect.* 8. *num.* 3. *Diana in edit. coordinata tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 125.

8. Ad examen itaque materiæ descendendo, cum Theologi, & Canonistæ scripserint super quarto, & quinto dubio, an videlicet possit Summus Pontifex dispensare, ut Abraham conversus permaneat in Matrimonio in infidelitate contracto cum Blanca, & an adsint legitimæ causæ pro dicta dispensatione concedenda, quod est idem ac dicere, an Summus Pontifex possit solvere quoad vinculum Matrimonium in infidelitate contractum, & consummatum inter Abraham, & Riccam, antequam Abraham ad Fidem Christianam convertatur, nec enim locus est dispensationi, ut Abraham conversus ad Fidem permaneat in Matrimonio in infidelitate contracto, cum Blanca, nisi præcedat solutio vinculi intercedentis inter Abraham, & Riccam, vigore antecedentis Matrimonii ab ipsis, uti sæpe dictum est, in infidelitate contracti, & consummati, & eo magis, cum ab hac Sacra Congregatione jam resolutum sit, illud adhuc subsistere, & Abraham de jure post suam, & Blanchæ conversionem teneri ad redeundum cum Ricca, iidemque Theologi, & Canonistæ de tertio dubio proposito, & non resoluto sermonem non fecerint, prima, quæ se offert, inspectio in hoc consistit, an videlicet admissa subsistentia Matrimonii in infidelitate contracti inter Abraham, & Riccam, & admissa obligatione Abrahæ relinquendi Blancam post suam conversionem,

nem, & redeundi ad Riccam, teneatur Ricca, & cogi possit ad cohabitandum cum eodem Abraham ad Fidem converso.

9. Et quidem pro negativa, quod Ricca videlicet cogi non possit ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem converso, facere posse videtur, quod ex causa adulterii Conjux innocens potest a peccatore Conjuge divertere, & se a toro, & cohabitatione illius separare, juxta illud *Matthæi* 5. *Excepta causa fornicationis*, & quando adulterium publice notorium est, sive notorietas illa sit facti, sive juris, potest Conjux innocens propria auctoritate ab adultero recedere, tam quoad debiti redditionem, quam quoad mutuam cohabitationem, uti probat *Text. in cap. Ex parte de Sponsalibus*, ibi: *Sine manifesta causa fornicationis*, & late adnotarunt *Sylvester in verb. divortium* 9. *quæst.* 8. *Covarr. par.* 2. *de Sponsalibus cap.* 2. §. 5. *n.* 12.

10. Applicando activa passivis, si demonstrabitur, illicitam ad minus fuisse commixtionem habitam ab Abrahamo cum Blanca, cum qua post Ricchæ conversionem, & durante adhuc vinculo cum Ricca, more suo Matrimonium contraxit, demonstratum etiam dici debebit, notorium fuisse, & esse ejus adulterium, & sic per consequens Riccam non posse etiam post ejus conversionem cogi ad cohabitandum cum ipso.

11. Assumptum vero mira facilitate ponitur in claris; Quidquid etenim sit de controversia inter Theologos agitata, an Conjux, qui fidelem Conjugem fequi noluit, possit novum sibi Conjugem eligere ex sua gente, quæ est in eadem perfidia, qua in re affirmative respondetur a nonnullis, ex quo id nullo jure prohibitum est Conjugi infideli, *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disp.* 77. *n.* 6. & a nonnullis aliis negative respondetur, uti habetur apud *Pont. de Matrim. lib.* 7. *cap.* 48. *num.* 25. & est expressa doctrina *Divi Thomæ in* 4. *dist.* 37. *quæst.* 2. *art.* 5. *ad* 3. ibi: *ad* 3. *dicendum, quod postquam Fidelis contraxit, solutum est vinculum Matrimonii ex utraque parte, quia Matrimonium non claudicat quantum ad vinculum, sed quandoque claudicat quantum ad effectum, unde in pœnam Uxoris infidelis ei indicitur, quod non possit cum alio contrahere, magis quam ex virtute Matrimonii præcedentis; sed si postea convertatur, potest ei concedi dispensative, ut alteri nubat, si Vir ejus aliam duxerit Uxorem*, & tam una, quam alia opinio tanquam probabilis admittitur a *Diana in edit. coord. tom.* 2. *tract.* 6. *de Sacram. Matrim. resolut.* 122.

12. Communis hodie videtur esse sententia, quæ distinguit casum a casu; aut etenim Conjux permanens in infidelitate aliud Matrimonium contraxit, antequam conversa ad alia vota transivit, & tunc illicite, & nulliter agit, aut item Conjux permanens in infidelitate aliud contrahit Matrimonium, postquam conversa ad alia vota transivit, & tunc ille valide agit, & forte etiam licite; Privilegium quippe datum ab Apostolo solvendi vinculum matrimoniale in casu, quo alter ex Conjugibus convertatur ad Fidem, est datum favore Fidei, & sic per se Fideli, & per accidens Infideli. Idque facit, ut non possit Infidelis ad alia vota transire, nisi postquam Fidelis solutus est, quæ solutio non datur nisi per novum Matrimonium, quod ab ipso post conversionem contrahatur, quemadmodum ad rem bene distinguunt *Sanchez de Matrim. lib.* 7. *disput.* 75. *num.* 6. *&* 7. *Card. de Lauræa de Matrim. disput.* 16. *art.* 9. §. 5. *per tot. Clericat. de Matrim. decis.* 12. *num.* 2. *Rasignol. de Matrim. par.* 1. *tom.* 6. *contract.* 15. *prænot.* 14. *n.* 19. *& seq. P. Schmalzgrueber ad lib.* 4. *Decretal. tit.* 19. 4 *num.* 29. *usque ad* 34. cumque Abraham, innupta adhuc Ricca, & cœlibem vitam agente, Matrimonium more suo contraxerit cum Blanca, sicuti dubitandum non est de adulterio, ita neque dubitandum esse videtur de Ricchæ immunitate a coactione, sive a necessitate cohabitandi cum ipso, etiam postquam ipse ad Fidem Christianam conversus est.

13. Accedit, quod etiam præscindendo ab adulterio, potest ex aliis causis Ecclesia inter Conjuges decernere tori separationem, juxta *Can.* 8. *sess.* 24. *de Reform. Matrim.* Cumque inter Causas adscribatur molesta cohabitatio ex probabili periculo jurgiorum, atque rixarum, uti ponderant *Henriquez lib.* 11. *de Matrim. cap.* 17. *n.* 7. *Pirhing ad lib.* 4. *Decretal. tit. de Divortiis num.* 61. *notabili tertio*, & ex supra relatis Epistolis Archiepiscopi Florentini, de prædicta molesta cohabitatione non videatur esse dubitandum, satis id esse potest, etiam præscindendo ab adulterio, ne Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham, etiam postquam ille ad Fidem conversus sit.

14. E contra pro affirmativa, quod Ricca scilicet cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem conversa, militare potest sequens animadversio. Quidquid etenim sit, an Abraham ante Ricchæ conversionem potuerit, vel non potuerit contrahere Matrimonium cum Blanca, & se cum eadem commiscendo adulterium patraverit, nec ne, punctus est in videndo, an Ricca possit hoc adulterium Abrahæ opponere, postquam ille ad Fidem conversus erit. Videtur quippe certum esse, quod secuta Abrahæ conversione, permissum esse non valeat Ricchæ prædictum adulterium opponere, cum certum sit certitudine Fidei, sublatum esse per Christum Dominum libellum repudii a Moyse permissum, & quod si Uxor repudiata, vivente Viro repudiante, transeat ad alia vota, adulterium committit, juxta illud *Matthæi cap.* 5. *dictum est autem, quicumque dimiserit Uxorem suam, det ei libellum repudii: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit Uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat*, & certum pariter sit, quod secuta Mariti conversione ad Fidem Christianam, si Uxor in infidelitate repudiata, in statu infidelitatis transeat ad alia vota, & deinde convertatur ad Fidem, antequam Maritus aliam duxerit Uxorem, non potest Maritus ei objicere, quod contrahendo Matrimonium mœchata sit, sed tantum objicere poterit adulterium, si cum alio Viro sibi per Matrimonium non copulato rem habuerit, juxta solemnem *doc. Text. in cap. Gaudemus de divortiis*, ibi: *Si conversum ad Fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ducat ille Uxorem, eam recipere compelletur, quamvis quoque secundum Evangelicam veritatem, qui duxerit dimissam, mœchatur, non tamen dimissor poterit objicere fornicationem dimissæ pro eo, quod nupsit alii post repudium, nisi alias fuerit fornicata*: In quo proinde rerum themate nihil aliud supereset Ricchæ pro evitanda cohabitatione cum Abraham ad Fidem converso, nisi causa odii & inimicitiarum, propter quam non rigorosum divortium, sed abstinentia conceditur a cohabitatione, & a toro ad tempus certum, vel incertum, uti bene ponderant *Maldonat. in Matthæum cap.* 5. *vers.* 32. *Bellarm. lib.* 1. *de Matrim. cap.* 14. §. *Secunda causa. Reginald. in Praxi Fori Pœnitent. lib.* 31. *num.* 313. *vers. Porro. Sanchez de Matrim. lib.* 10. *disp.* 15. *num.* 2. & fuit ab hac Sacra Congregatione resolutum *Taurinen.* 13. *Septembris* 1721. *&* 16. *Martii* 1726.

15. Hæc sunt, quæ pertinent ad tertium dubium, supersunt quartum, & quintum, in quorum examine, uti supra dictum est, perpendendum occurrit, an possit Summus Pontifex dissolvere Matrimonium in infidelitate contractum, & consummatum inter Abraham, & Riccam, & an supposita potestate, adsint pro ejus usu causæ legitimæ, super quo articulo scripseruat Theologi, & Canonistæ, & in varias abierunt sententias.

16. Ne autem confuse procedatur, distinguendus est casus a casu. Primus est, quando ambo Conjuges infideles non solum contraxerunt, & consummarunt Matrimonium in infidelitate, sed etiam dum actu sunt infideles, instant pro ejus dissolutione, & in hoc primo casu, qui potius videtur idealis, quam practicus, negativa responsio tutissima esse videtur, ut inquit Apostolus, *quid ad nos de his, qui foris sunt, judicare*, Secundus casus est, quando Matrimonium fuit contractum, & consummatum in infidelitate, & uterque Conjux post suam conversionem ad Fidem Christianam, & sine nova Matrimonii consummatione post conversionem instant pro dissolutione, & in hoc secundo casu responsio negativa haberi posset pro tutiore, quandoquidem in hoc Matrimonio utraque qualitas verificatur, quod videlicet sit Matrimonium Fidelium, & sit consummatum, & eo fortius, cum consummati in infidelitate ratio habeatur etiam post conversionem, ut infra, & in eo, quod attinet ad Matrimonium Fidelium consummatum, certum sit, non posse Summum Pontificem dispensare, ut in his terminis late prosequitur *P. Schmaltzgrueber ad lib.* 4. *Decret. titul.* 19. *de Divortiis num.* 58. *& seq.* Tertius denique casus est, quando Matrimonium fuit contractum, & consummatum in infidelitate, & post unius ex Conjugibus conversionem, & alterius permanentiam in infidelitate promovetur instantia pro dissolutione, hic est casus noster, & in ejus resolutione discrepant Theologi a Theologis, Canonistæ a Canonistis, ita ut utraque opinio tanquam probabilis habeatur a *Diana in editione coordinata tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 125. *n.* 4. & controversia tanta ab aliis existimetur, ut super ea expectandum dicant judicium Sedis Apostolicæ, uti habetur apud *Clericat. de Sacram. Matrimon. decis.* 12. *n.* 16. *in fine*,

17. Illi,

17. Illi, qui afferunt, Summum Pontificem posse dispensare, sic argumentantur, vinculum Matrimonii rati inter Fideles, fortius est vinculo Matrimonii consummati Infidelium, cum primum suam firmitatem deducat non solum a natura contractus, sed etiam a Sacramento, & in secundo nulla adsit firmitas, quam ea, quæ descendit a contractu, & ab ejus indole, atque natura; Sacramentum etenim inter Infideles esse non potest. Cumque hodie non amplius controversa, sed certa sit undequaque sententia, quæ dat Pontifici potestatem dissolvendi, quoad vinculum, Matrimonium ratum inter Fideles, ex hoc a fortiori descendit, posse eundem Summum Pontificem dispensare in Matrimonio consummato Infidelium.

18. Hoc est argumentum originale, *Navar. conf. 3. lib. 3. a num. 12. tit. de Convers. Infidel. edit. Lugdunensis anni* 1594. *& Navar.* sequuntur *Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 17. per tot. Verricel. de Apostolicis Missionibus tit. 12. de Matrim. quæst. 177. n. 18. Layman in Theologia Morali tom. 2. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 3. sub n. 2.* & plures alii facile cumulandi.

19. Confirmatur: quandoquidem si Infidelis in infidelitate plures insimul habuerit Uxores, & ipse ad Fidem convertatur, debet remanere cum prima Uxore, eo quod cum ea solum fuit verum Matrimonium; cumque Summi Pontifices passim concesserint, ut dicti Infideles ad Fidem conversi, possent permanere cum ea Uxore, quæ ad Fidem convertitur, relicta prima, quæ in infidelitate permansit, & hoc fieri non possit, nisi dissoluto quoad vinculum primo Matrimonio contracto, in infidelitate consummato, infertur ex his, posse Summum Pontificem dispensare in Matrimonio, quod est in infidelitate contractum, & consummatum.

20. Quod autem, si Infidelis in infidelitate plures habuerit Uxores, & ipse ad Fidem convertatur, debeat cum prima Uxore remanere, doctrina est *Divi Thomæ in 4. distinct. 39. quæst. unica art. 3. ad 4.* quam cæteris cumulatis late sequuntur *Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 73. num. 4. & 5. de Justis de dispensat. Matrimonialibus lib. 2. cap. 15. n. 31. & seqq.*

21. Quod vero Summi Pontifices aliquando dispensaverint, ut Infidelis ad Fidem conversus possit remanere cum ea Uxore, quæ Fidem Christianam amplexa est, derelicta prima, quæ in infidelitate permansit, desumitur ex Brevi S. Pii V. expedito *die 2. Augusti anno* 1571. in quo cum exposuisset, Indos in infidelitate plures insimul habere Uxores, *cum itaque sicut accepimus Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur Uxores*, & aliquando dari casum, ut Maritus convertatur ad Fidem, & una cum Marito Uxor convertatur, non prima, sed alia, prima remanente in infidelitate, *Sed quia durissimum esset separare eos ab Uxoribus, cum quibus ipsi Indi Baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam Conjugem reperire*, ex Apostolica benignitate concessit, ut permanerent cum Uxore, quæ Baptismum recepit, & hujusmodi Matrimonium validum declaravit, *ut Indi, sic, ut præmittitur, baptizati, & in futurum baptizandi cum Uxore, quæ cum ipsis fuerit baptizata, & baptizabitur, remanere debeant tanquam cum Uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, Matrimoniumque hujusmodi legitime inter eos consistere, sicque, &c. judicari, ac definiri debere.*

22. Quod denique id fieri non potuerit, nisi dissoluto quoad vinculum primo Matrimonio contracto, & in infidelitate consummato, patet, quia alias discurrendo sequeretur, quod Pontifex super Polygamia dispensasset contra Jus Divinum, quæ dispensatio soli Deo est reservata, uti probat *Textus in cap. Gaudemus de divortiis*, ibi: *verum absonum hoc videtur, & inimicum Fidei Christianæ, cum ab initio una costa in unam Fœminam fit conversa, & Scriptura Divina testetur, quod propter hoc relinquet Homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una, non dixit tres, vel plures, sed duo, nec dixit Uxoribus, sed Uxori*; & paulo post: *sine dubitatione aliqua protestamur, quod nulli unquam licuerit insimul plures Uxores habere, nisi cui fuit Divina revelatione concessum*; & ad rem prosequitur *Card. Bellarminus de Sacramento Matrimonii lib. 1. cap. 9. controv. 3.* ibi: *prima propositio circa Polygamiam tam Uxoris cum multis Viris, quam Viri cum multis Uxoribus, nullus Homo dispensare potest, & maxime post Evangelium prædicatum. Patet, quia Polygamia prohibita est primum Jure Divino naturali, & deinde Jure Divino Evangelico: non potest autem inferior dispensare in Lege Superioris, proinde nec homo in Lege Dei.*

23. Apostolicæ litteræ S. Pii V. impressæ sunt apud *Veracruæ in Speculo Conjugum par. 3. art. 8. conclus. 5.* & earum meminit *Avendanus in Thesauro Indico tom. 2. tit. 12. cap. 14.* & præter has Apostolicas litteras aliæ occurrunt Gregorii Papæ XIII. impressæ apud *Pont. de Matrim. lib. 7. cap. 48.*

24. Exponitur in his postremis litteris, quod plures ex Angola, Æthiopia, Brasilia, & aliis Indicis Regionibus, ab eis exterminantur, ita ut proprias cogantur relinquere Uxores. Exponitur, hos aliquando ad Fidem Christianam converti, & non posse interpellare Conjugem Fidelem, an velit converti. Facta hac expositione Pontifex ait, *idcirco nos attendentes hujusmodi connubia inter Infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint*, & deinde concedit non solum, ut contrahere possint Matrimonium, & consummare cum Muliere Fideli, postquam summarie constiterit, non potuisse interpellare Conjugem Infidelem, ibi: *ut eorum quilibet etiam superstite Conjuge Infideli, & ejus consensu minime requisito, responso non expectato, Matrimonium cum quovis Fideli alias tamen rite contrahere, & in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint, remanere licite valeant, dummodo constet eis summarie*, hoc est Missionariis, *& extrajudicialiter, Conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus eidem monitioni præfixum suam voluntatem non significasse*; sed ad ulteriora procedendo, valida, & firma declavarit hæc Matrimonia contracta ab Infideli converso cum Muliere Christiana, etiamsi deinde probaretur primam Conjugem non potuisse justis de causis suam voluntatem explicare, & etiam, quod ipsa non erat Infidelis, sed Fidelis tempore secundi Matrimonii contracti, ibi: *quæ quidem Matrimonia, etiam si postea innotuerit, Conjuges priores Infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, & ad Fidem etiam tempore transacti secundi Matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi numquam debere, sed valida, & firma esse.*

25. Quocirca si Gregorius dixit, Matrimonia Infidelium, necessitate suadente, dissolvi posse, si dependenter ab hoc principio validum declaravit Matrimonium ab Infideli converso contractum cum Muliere Fideli, etiamsi primum ipse contraxisset, & consummasset Matrimonium in infidelitate, & etiam si tempore secundi Matrimonii Uxor conversa fuisset, & id fieri non valeat, nisi dissoluto, quoad vinculum, primo Matrimonio in infidelitate contracto, & consummato, eo magis crescit assumptum, favens Pontificiæ Potestati in ordine ad dispensandum super Matrimonio Infidelium licet consummato.

26. Denique pro concedenda dispensatione non est necessarium definire, quod Pontifex possit dispensare in hujusmodi Matrimoniis, sed satis est, ut sententia favens Pontificiæ potestati suam habeat probabilitatem, cumque in casu, de quo nunc agitur, certa sit probabilitas sententiæ, quæ favet auctoritati Pontificiæ, & causæ non desint, quæ ejus usum suadent in casu præsenti, ut Abraham videlicet, & Blanca Fidem Christianam amplectantur, quam sine dispensatione non sunt amplexuri, omnia hæc simul sumpta ostendunt, Summum Pontificem posse, atque etiam congruere, ut petitam concedat dispensationem, & sic, quod quarto, & quinto dubiis affirmative respondeatur.

27. Alii e contra, qui dubitant de Pontificia potestate, & multo magis de usu, sic discurrunt: Matrimonium suam obtinuit indissolubilitatem in ipso Mundi principio ex jure naturali Divino, & deinde ex Evangelico, juxta illud *Genesis cap. 2. quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una*; quæ verba fuerunt a Christo Domino reassumpta in Evangelio *Matthæi cap. 19. Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos: Dixit propter hoc, dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una, itaque jam non sunt duo, sed una caro; Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet*; & paulo post: *dico autem vobis, quia quicumque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*. Divina hæc eloquia procedunt in Matrimonio saltem consummato, juxta responsum *Alexandri III. in cap. Ex publico de convers. Conjugatorum*, ibi: *Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere Viro, nisi ob causam fornicationis, Uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem Sacri Eloquii de his, quorum Matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua consummari non*

non potest, & præscindendo ab auctoritatibus Theologorum, quæ facili negotio cumulari possent, ab his Divinis Eloquiis desumitur indissolubilitas Matrimonii saltem consummati jure naturali Divino, & Evangelico, uti exposuit *Bonifacius VIII. in cap. unico de voto, & voti redemptione in sexto*, ibi: *Matrimonii vero vinculum ab ipso Ecclesiæ Capite rerum omnium Conditore, ipsum in Paradiso in statu innocentiæ instituente unionem, & indissolubilitatem accepit*; & concordat *Sacrum Concilium Tridentinum in Doctrina de Sacramento Matrimonii*, ibi: *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum primus humani generis Parens Divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relinquet homo Patrem suum, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit, itaque jam non sunt duo, sed una caro, statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatam his verbis confirmavit, quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

28. Posito quod vinculum Matrimonii saltem consummati sit indissolubile Jure naturali, Divino, & Evangelico, non operatur hæc indissolubilitas, quin in aliquo casu dissolvi possit, sed oportet, ut hic casus sit expressus ab eo, qui primam statuit indissolubilitatem, quique potest dicto juri derogare, cumque hujus vinculi dissolutioni solus faveat Textus Apostoli *1. ad Corinthios cap. 7.* ibi, *quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus*, quod est idem ac dicere, cum unicus sit dissolutionis casus a Deo per Apostolum Paulum expressus, quando videlicet Conjux infidelis non vult cohabitare, vel si vult id facere, non vult id exequi sine contumelia Creatoris, juxta Textum *in Canone si infidelis 28. quæst. 2. & in cap. gaudemus de divortiis*; Extra consequenter hunc casum solvi non potest vinculum Matrimonii consummati, ita ut per consequens interdictus dici debeat Summus Pontifex solvere Matrimonium in infidelitate consummatum, vel quando ambo Conjuges permanent in infidelitate, vel quando ambo sunt conversi, vel quando alter est conversus, & alter vult converti, nec enim in hoc casu Infidelis discedit, sed potius venire dicendus est. Hoc in substantia est argumentum, quo utuntur dubitantes de Pontificia auctoritate in casu, de quo nunc agitur, *Pontius de Matrim. lib. 9. cap. 2. Castropal. oper. moral. tom. 4. tit. de Sponsal. disput. 3. punct. 2. §. 3. num. 2. Aversa de Matrim. quæst. 2. sect. 5. versic. postrema, & fusius omnibus Card. de Lauræa de Matrim. disput. 16. artic. 11. §. 6. per totum, & signanter num. 227.* ibi: *dispensatio pro solutione Matrimonii consummati est Divina, non Papalis, ergo in eo tantum casu potest applicari, pro quo Deus vult, Papa autem declaravit semel. locum Apostoli, prima ad Corinthios 7. pro casu conversionis unius, & renitentiæ alterius, ergo stante hac lege in aliis casibus non potest.* Et locus, in quo Papa id declaravit, est Textus *in cap. Quanto de Divortiis*, ibi: *si enim alter infidelium Conjugum ad Fidem Catholicam convertatur altero, vel nullo modo, vel saltem sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, si Infidelis discedit, discedat, frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi.*

29. Difficultatibus super potestate succedunt difficultates super ejus usu, quatenus de ea non esset dubitandum, & cum respectu ad usum Causa sit necessaria, & etiam Exempla requirantur, contendunt, Causam non adesse, & Exempla omnino deficere, quæ concludant intentum. Quod autem causa requiratur, controverti non potest, juxta regulam textus *in cap. in Causis de Sententia, & re judicata, & in cap. non debet de consanguinitate, & affinitate*, & concordat Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 24. de Refor. Mat. cap. 5. & sess. 25. de Reform. cap. 18.* Quod vero Causa non adsit, demonstratur; cum etenim causa constituatur in Conversione duorum Infidelium ad Fidem, eadem non videtur apta, atque sufficiens, teste *Pont. de Mat. lib. 9. cap. 2. num. 9.* ibi: *quod autem aliqui Gentiles ad Fidem facilius converterentur, si licevet illis, dimissa prima, aliam, quam magis diligunt, retinere, nulla idonea causa est, nisi laxare libidini habenas, & velle, ut Evangelium libidini, & voluptati deserviat. An quia Germaniæ Clerici ad Ecclesiæ gremium redirent, si illis licentia ineundi Conjugia concederetur, id indulgendum esset? minime sane. Quo enim pacto credemus illum erga Religionem esse affectum, qui erga legis naturalis obligationem male affectus est, aut quo animo religionem Christianam amplectetur, quam videt suæ voluptati, & deliciis obsequentem?* Quod exempla pariter requirantur, desumitur nedum ex praxi Sedis Apostolicæ, sed etiam ex solemni facto Summi Pontificis Clementis VIII. petita quippe per Henricum Ducem Barrensem a dicto Pontifice dispensatione ducendi in Uxorem Catharinam Sororem Henrici Regis Galliæ, Hæresi Calvini addictam, ac præterea tertio, & quarto Consanguinitatis gradibus conjunctam, uti fuse exponitur a *Spondano in continuat. Annalium ad Annum Christi 1600. num. 3. & seq.* Summus ille Pontifex Congregationem particularem deputavit, in qua examinari jussit, primo, an adesset Potestas, secundo, an concurrerent Causæ, & tertio, an Exempla consimilis dispensationis reperirentur, protestatione emissa, quod nulla fieret indago de primo, & secundo, nisi tertium concurreret, ex quo novæ dispensationis Exemplum in Ecclesia introducere nolebat, uti plene refertur in *Tom. 5. Epistolar. Card. D. Ossat. Epist.* 317. Quod denique aptum ad rem, de qua agitur, desit exemplum, ponitur in claris. Si etenim aliquod aptum adesset Exemplum, esset illud, super quo Navarrus suum edidit Consilium *3. lib. 3. de Convers. Infidelium*, in quo agebatur de Judæo, qui instabat pro dissolutione Matrimonii in infidelitate consummati, & de ejus Uxore ad Fidem præcedenter conversa, & quæ adhuc innupta remanebat; suumque consensum dissolutioni præstabat, & in quo demum Auctor ille de potestate Summi Pontificis inquit dubitandum non esse, multoque minus de Causa dispensandi, ex quo agebatur de Conversione tum Viri, tum secundæ Uxoris, quam duxerat in infidelitate post primæ Conversionem ad Fidem Catholicam; sed hoc Consilium suo caruit effectu, cum Summus Pontifex Sixtus V. petitam dispensationem concedere noluerit, Teste inligni Theologo Societatis Jesu Gabriele Vasquez *in tertiam partem Divi Thomæ tom. 4. disput. 2. cap. 6. de Matrim. num. 58.* ibi: *id, quod*, fermo est de prædicta dispensatione, *anno Domini* 1588. *cum ego Romæ essem a Summo Pontifice Sixto V. obtinere pro viribus contenderunt, sed repulsam passi sunt, in quorum Sententiam nunquam subscribere voluti.*

30. Neque his admissis, putant quidquam obesse posse argumentum in superioribus expositum, quod scilicet Papa dispensat in Matrimonio rato Fidelium, & sic, quod multo magis dispensare valet in Matrimonio consummato Infidelium, cum Vinculum illius utpote Sacramenti sit fortius Vinculo hujus, quod est simplex Contractus. Admissa siquidem libentissime Summi Pontificis potestate super dispensatione Matrimonii rati inter Fideles, & admisso quoque, quod Matrimonium ratum Fidelium sit Sacramentum, negatur, quod Vinculum Matrimonii rati inter Fideles sit fortius Vinculo Matrimonii consummati Infidelium: Primo, quia Matrimonii indissolubilitas non provenit a Sacramento; Matrimonium etenim uti Sacramentum non habet effectum indelebilem, puta characterem, uti late ostendunt *Sanchez de Matrim. lib. 2. disput. 13. sub num. 7. Pont. de Matrim. lib. 1. cap. 13. num. 10.* & ad summum dici potest, quod indissolubilitas Matrimonii fuerit ex elevatione hujus Contractus ad esse Sacramentale confirmata, benedicta, & sanctificata, & eo validius roborata, uti desumitur ex Catechismo Concilii Tridentini *tit. de Mat. §. Jam vero* ibi: *quamvis Matrimonio, quatenus naturæ est, officium conveniat, ut dissolvi non possit, tamen id maxime fit, quatenus est Sacramentum*; & late prosequitur *Card. de Lauræa de Matrim. disput. 16. art. 2. num. 23.* cum enim Christus Dominus in Sacramentorum institutione assignaverit pro materia id, quod erat aptum ad significandum, quod intendebat, ablutionem videlicet corporis in Baptismate ad significandam animæ ablutionem, Panem, & Vinum in Eucharistia ad innuendam Spiritualem Animæ nutritionem, pro materia in Matrimonio assignavit Contractum ab intrinseco indissolubilem, ut significaret indissolubilem nexum, quem habet cum natura humana per Incarnationem, & per Gratiam, & Charitatem cum tota Ecclesia, uti ad rem argumentantur *Salmanticenses in cursu morali tomo 2. tract. 9. de Matrim. cap. 4. dub. primo num. 21. Clericat. de Mat. decis. 7. num. 26.* Ostendunt hæc omnia Matrimonium ratum Fidelium licet Sacramentum non constituere Vinculum fortius Matrimonio consummato Infidelium; quod ipsum suadetur a posteriori, cum

multi

multi Theologi doceant, dari posse inter Fideles validum Matrimonium, atque indissolubile, licet non sit Sacramentum, puta, si Sponsi in contrahendo Matrimonium essent in peccato mortali, & dicerent in animo suo, volo facere contractum validum Matrimonii, sed nolo facere Sacramentum, quia nolo committere novum peccatum), vel si ad invicem pacisercrentur ita, faciamus contractum, non autem Sacramentum, uti bene disputant *Mastrius in 4. Sentent. tom. 4. disput. 7. num. 10. Dian. in edit. Coordinat. tom. 2. tract. 6. resolut. 118. Gonett. in Clypeo Theologiæ Thomisticæ tom. 5. disput. 2. art. 2. §. 3. n. 52. & sequen.*

31. Secundo, quia Matrimonium ratum significat unionem Christi cum Anima justa, & Matrimonium consummatum significat unionem inter Christum, & Ecclesiam per carnem assumptam, juxta solemne responsum Innocentii III. *in cap. debitum de Bigamis*, ibi: *cum duo sint in Conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio Corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in Spiritu inter Deum, & Justam Animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus, qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo, reliquum vero designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum, & Sanctam Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Evangelista testatur, Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, profecto Conjugium illud, quod non est commixtione Corporis consummatum, non pertinet ad illud Conjugium designandum, quod inter Christum, & Ecclesiam per Incarnationis Mysterium est contractum, juxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplastus; Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, & propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt duo in Carne una, statim subjungit, hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo, & Ecclesia.* Quocirca si Matrimonium ratum significat unionem Christi cum Anima justa per Gratiam, & Matrimonium consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, imperceptibile est, quod vinculum Matrimonii rati inter Fideles sit fortius vinculo Matrimonii consummati inter Infideles; optime Card. Bellarminus *Controvers. tom. 2. lib. 2. de Monachis cap. 38. §. Ad primam rationem, & tom. 3. lib. primo de Sacram. Matrimonii cap. 4. §. Primo, & seq.* nullatenus attenta responsione, quod Matrimonium consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, sed inter Fideles, non autem inter Infideles; quandoquidem etiam inter Infideles Matrimonium consummatum prædictam significat unionem, ut in puncto, proposito argumento respondit *Card. de Lauræa de Matr. disput. 16. art. 9. §. 6. num.* 231. quæ doctrina adeo approbatur a Gabriele Vasquezio, ut contrariam non dubitaverit erroris insimulare, uti habetur apud eumdem *in 3. parte Divi Thomæ tom. 4. disput. 2. cap. 6. sub num. 37.* ibi: *habet ergo hujusmodi Infidelium Matrimonium quicquid necessarium est, ut sit signum conjunctionis Christi, & Ecclesiæ, idque usque adeo verum est, ut sine nota aliqua negari non posse censeam.* Et licet hæc censura nimis gravis videatur *Pont. in suo tractatu de Matrim. lib. 1. cap. 11.* ubi ostendere conatur, prædictam significationem adesse in Matrimonio Infidelium per aptitudinem, negari tamen non potest, quod supra recensita Vasquezii doctrina non sit Sacris Canonibus undequaque conformis, tum quia in plerisque Sacris Canonibus Matrimonium Infidelium appellatur Sacramentum, *in cap. videlicet gaudemus de divortiis*, ibi: *Sacramentum Conjugii apud Fideles, & Infideles existit, & in cap. ultimo de transactionibus*, ibi: *utpote Conjugii Sacramentum, quod non solum apud Latinos, & Græcos, sed etiam apud Fideles, & Infideles existit;* verba hæc etenim non possunt intelligi de vero Sacramento Gratiam conferente, cum id solum verificetur in Ecclesia, *Textus in Can. extra Catholicam prima, quæst. prima, & in Can. plerumque §. Hinc est secunda quæst. 7.* quocirca nihil aliud remanet, quam ut intelligantur de Sacramento large sumpto, hoc est de mysterio, & sic de significatione unionis Christi cum Ecclesia; tum quia irregularitas Bigamiæ descendit ex defectu significationis unionis Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, uti habetur *in cit. cap. debitum de bigamis non ordinandis*, ibi: *cum propter Sacramenti defectum inhibitum sit, ne Bigamus, aut Maritus Viduæ præsumat ad Sacros Ordines promoveri*; cumque etiam Bigamus sit ille, qui duxit unam Uxorem ante Baptismum, & aliam post Baptismum, uti habetur *in Can. deinde dist. 26. & in Canone acutius 28. quæst. 3.* ibi: *sic qui ante Baptismum habuit unam, & post Baptismum alteram, non nisi Bigamus est reputandus; amisit enim quidnam non ad Vitæ meritum, sed ad signaculi Sacramentum*, id absque dubio supponit Matrimonium Infidelium significare conjunctionem Christi cum Ecclesia, uti subtiliter argumentatur Vasquez loco citato, ibi: *si autem Matrimonium Infidelium non esset Sacramentum Conjunctionis Christi cum Ecclesia, Infideles plures ducentes uxores non amitterent ullam normam, aut aliquid de hac significatione, ac proinde Bigamia in eis impedimento non esset, quominus recte ordinari possent; nam impedimentum non aliunde, nisi ex defectu significationis oritur.*

32. Additur, fuisse ante tempora Alexandri III. ab aliquibus dubitatum, an Matrimonium ratum inter Fideles dissolveretur per aliud Matrimonium subsequenter contractum, atque consummatum, uti habetur *in cap. licet de sponsa duorum*, in quo idem Alexander decrevit, Matrimonium ratum nullatenus dissolvi per posterius consummatum, *quamvis aliter a quibusdam Prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum*, hoc est, licet aliquando Prædecessores non ex Cathedra, sed uti privati Doctores aliter judicassent, juxta veram intelligentiam *Textus apud Gonzal. in comment. ad eumdem num. 3.* Cum autem nunquam fuerit dubitatum, an Matrimonium consummatum Infidelium dissolvatur per secundum ex post contractum, & subsequenter consummatum, signum evidens hoc est, dici tuto non posse, quod Matrimonium ratum Fidelium sit fortius Matrimonio consummato Infidelium.

33. At præscindendo ab omnibus hisce Scholæ subtilitatibus, de natura Matrimonii ut sic est indissolubilitas. Matrimonium consummatum est indissolubile de Jure naturali, Divino, & Evangelico, uti supra dictum fuit. Matrimonium simpliciter ratum est pariter verum Matrimonium, & indissolubile, individuam etenim vitæ consuetudinem continet, uti loquendo de Matrimonio Beatissimæ Virginis cum Sancto Joseph inquit Sanctus Augustinus, *in Canone Beata 27. quæst. 2.* & Matrimonii rati indissolubilitas a Jure Divino etiam procedit juxta veriorem opinionem, de qua *Aversa de Matrim. quæst. 2. sect. 6. Card. de Lauræa de Matrim. disput. 16. art. 8. num.* 100. excepto siquidem illo Matthæi loco 19. ubi expresse mentio fit de Matrimonio consummato, jus illud Divinum, de quo *in cap. unico de Voto in sexto, & in sess. 24. Concilii Tridentini de Sacram. Matrim.* utpote loquens de Matrimonio ut sic comprehendit tam Matrimonium consummatum, quam Matrimonium simpliciter ratum.

34. Cessat indissolubilitas Matrimonii consummati ex dispensatione Divina, de qua Apostolus in loco sæpe citato, quando alter ex Conjugibus convertitur ad Fidem, altero in Infidelitate remanente, & nolente cohabitare sine Contumelia Creatoris.

35. Cessat indissolubilitas Matrimonii rati in casu, in quo alter ex Conjugibus Professionem regularem emittat, & hæc solubilitas originem habet a Jure Divino, quemadmodum late probant *Pont. de Matrim. lib. 9. cap. 5. num. 4. & seq. Mastrius in 4. sentent. disput. 7. de Sacram. Matrim. num.* 190. *novissime Pater Maurus in sua Theologia tomo 3. lib. 13. quæst. 298. num. 3.* probaturque ex Canone *Scripsit 27. quæst. 2.* ibi, *Deus tamen, & non homo separat, quando Divini amoris intuitu ex consensu utriusque Conjugis Matrimonia dissolvuntur*, & concordat *Textus in cap. ex publico de conversione Conjugatorum*, ibi, *secundum interpretationem Sacri Eloquii*, & clarissime ostenditur ex *Canone 6. sess. 24. de Matrim.* ubi anathema profertur adversus afferentes, Matrimonium ratum non solvi per Professionem Religiosam, si etenim post hunc Tridentini Canonem de fide est, ratum solvi per Professionem, solubilitas debuit esse imposita a solo Deo, qui eam potuit facere sempiterne veram, uti subtiliter argumentatur sæpe citatus Cardinalis de Lauræa *de Matrim. disput. 16. art. 14. n. 325.*

36. Cessat quoque indissolubilitas Matrimonii rati in aliis omnibus casibus extra Professionem religiosam, in quibus Summus Pontifex, justis, & gravissimis de causis censet, ejus dissolutioni esse locum, ita suadente Traditione, ita exposcente Observantia, ita demum convincente continuata plurium sæculorum Praxi Sedis Apostolicæ, ex quibus interpretatio Juris Divini optime colligi potest, cumque hæc Traditio, hæc Observantia, hæc Praxis non procedat in Matrimonio consummato Infidelium, unusquisque facili negotio colligere poterit a dissolutione Matrimonii rati inter Fideles non valere argumentum ad dissolutionem Matrimonii consummati infidelium.

37. Absque eo quod Praxis in ordine ad Matrimonia consummata Infidelium argui valeat ex supra citato Brevi Sancti Pii V. tum quia in illo nullum fit dispensationis verbum, sed verba potius important juridicam Sententiam, ibi: *Apostolica auctoritate tenore præsentium declaramus, Matrimonium hujusmodi inter eos consistere, sicque per quascunque Judices, & Commissarios judicari, & definiri debere:* tum quia, ut ex Brevi S. Pii V. argui posset dispensatio in Matrimonio consummato infidelium, ostendendum esset, eumdem Summum Pontificem supposuisse, repertam fuisse primam Uxorem, cum qua ab infideli subinde conversо ad Fidem Matrimonium consummatum fuit in infidelitate, & hoc minime obstante, eumdem Pontificem declarasse validitatem Matrimonii cum secunda, aut tertia Uxore ad Fidem conversa, & ad effectum pariter concludendæ dispensationis in Matrimonio consummato infidelium, necesse esset demonstrare, quod prima Uxor esset parata ad amplectendam fidem Christianam, cum autem Sanctus Pius V. tantum abest, quod admiserit primæ Uxoris repetitionem, quod hanc potius excluserit, uti colligitur ex verbis Brevis: *maxime quia difficillimum foret primam Conjugem reperire*: cumque in eodem Brevi nullum fiat verbum de præparatione primæ Uxoris ad recipiendam Fidem Christianam, id quod ex hoc Brevi desumi potest, non est, quod Papa dispensaverit in Matrimonio consummato Infidelium, sed quod habuerit pro dissoluto quoad vinculum, Matrimonium cum prima Uxore contractum, & in infidelitate consummatum, ex quo ipsa discedit, juxta Apostoli verba, & haberi debet pro discedente, etiamsi, juxta morem, non fuerit interpellata, an vellet converti; concurrentibus etenim legitimis circumstantiis, & signanter difficultate reperiendi primam Conjugem, probabilis est opinio Doctorum interpellationem omitti posse, & sine ea permissum esse Conjugi conversо ad alia vota transire. *Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 74. n. 14. & 15. Comitol. lib. 1. quæst. 124. Genuensis in praxi Curiæ Neapolitanæ cap. 27. num. 20. Riccius in praxi part. 1. resolut. 241.*

38. Neque est majoris momenti aliud Breve allegatum Gregorii XIII. tres quippe habet partes; in prima dicitur, quod Matrimonia Infidelium, necessitate suadente, dissolvi possunt, ibi: *nos attendentes hujusmodi connubia inter Infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint*: & hoc est verum, sed non videtur facere ad rem: Solvuntur etenim quoad vinculum Matrimonia Infidelium licet consummata, quando alter convertitur ad Fidem, & alter non vult converti, & hoc est specialissimum, ex quo Matrimonia Fidelium consummata numquam quoad vinculum dissolvi possunt, quod enim Deus conjunxit, homo separare non debet: In secunda parte Brevis dicitur, non posse Conjuges ad Fidem conversos, propter longum terrarum intervallum monere Conjuges Infideles, an velint sine contumelia Creatoris cohabitare, & decernitur, Conjugem Fidelem posse ad alia vota transire, non absolute tamen, & simpliciter, sed qualificate, *dummodo constet etiam summarie, & extrajudicialiter, Conjugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione præfixum suam voluntatem non significasse*: At hæc secunda pars non probat, quod Papa dispensaverit in Matrimonio consummato Infidelium, sed tantum quod rigorosæ interpellationis morem temperaverit, & licet usus sit verbis importantibus dispensationem, *concedimus facultatem dispensandi*, dispensatio tamen percutit, & respicit interpellationem; cum etiam concurrentibus gravissimis circumstantiis, probabilis sit opinio Doctorum, necessariam esse Pontificiam Dispensationem, ut vel omittatur in totum, vel in parte temperetur interpellatio, uti respondet *Pont. de Matrim. lib. 7. cap. 48. num. 22. Nicol. lucub. civil. lib. 10. de nuptiis num. 43.* & fuit resolutum ab hac Sacra Congregatione in alia causa *Florentina 17. Januarii 1722.* Tertia demum Brevis Apostolici pars est cæteris difficilior, in ea etenim Papa decernit validitatem Secundi Matrimonii, etiamsi prima Uxor ostenderet se non discessisse, sed venisse, hoc est se non fuisse Infidelem, sed Fidelem tempore, quo a suo Viro ad Fidem conversо secundum Matrimonium contractum fuit, *quæ quidem Matrimonia, etiamsi postea innotuerit, Conjuges priores Infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, & ad Fidem etiam tempore transacti secundi Matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi numquam debere, sed valida, & firma esse*; non videtur enim posse validum declarari secundum Matrimonium, nisi supposita dissolutione primi per dispensationem: verum in eo quod attinet ad hanc tertiam partem, respondetur, Summum Pontificem non dispensasse super vinculo prioris Matrimonii, sed tantum decrevisse, ut fides non præstaretur Conjugi, quæ requisita, & latitans non expressit voluntatem de cohabitando sine contumelia Creatoris, & deinde post contractum a Conjuge conversо Matrimonium cum Christiana, comparet, & asserit se tempore, quo illud contractum est, jam fuisse conversam, responsio hæc est *Pont. lib. 9. cap. 2. n. 17.* & quamvis a nonnullis dicatur divinatoria, uti talis tamen qualificari non potest, quia alias discurrendo sequeretur absurdum, quia sequeretur, quod Papa dispensasset in Matrimonio consummato in infidelitate post utriusque Conjugis conversionem, & sic in Matrimonio consummato Fidelium, cum tale dicatur etiam illud, quod est in infidelitate consummatum, postquam Conjuges conversi sunt, etsi post conversionem novam non fecerint consummationem.

39. Hæc sunt, quæ pro utraque parte deducta fuerunt, ut Sacra Congregatio maturum super dubiis non resolutis judicium ferre valeat.

40. Sed ne aliquid intactum relinquatur, operæ pretium esse existimo duo alia subdere, primum est, in præsenti agi de Matrimonio ab Abraham Hebræo contracto cum Ricca tunc pariter Judæa, & sic cum lege Repudii, uti testando de praxi Judæorum docent *Marquad. de Judæis par. 2. cap. 8. n. 4. Sessa eodem tract. cap. 33. n. 21. Tondut. quæst. benefic. cap. 48. n. 21. & 22.*

41. Secundum, quod Repudii libellus, de quo in *Deut. cap. 24.* sive importaverit simpliceм tolerantiam, sive positivam dispensationem, juxta varias Theologorum Sententias, de quibus *Perez de Matrimon. disp. 55. sect. 1. num. 2. & seqq. Salmantic. in cursu morali tom. 2. tract. 9. cap. 4. dub. 2. num.* 30. a Christo Domino sublatus fuit in Evangelio, uti habetur *Marci cap. 10. & Matthæi cap. 19.* & adnotavit Innocentius III. *in cap. Gaudemus de Divortiis*, & bene prosequuntur *Cornel. a Lapide in Deuteronom. cap. 24. Card. Bellarmin. tom. 2. contr. de matrim. cap. 15. & seqq.*

42. Quibus suppositis, omissisque disputationibus super facultate dispensandi, videri posset, an validum, necne fuerit Matrimonium contractum ab Abraham cum Ricca; si etenim invalidum fuisset, ad declarationem nullitatis servatis servandis procedi posset, & unico contextu permitti eidem Abrahamo cum Blanca cohabitare, renovato debitis formis consensu.

43. Regula Juris est, quod si Matrimonium contrahatur cum conditione, quæ sit contraria substantiæ Matrimonii, conditio non vitiatur, sed vitiat Matrimonium, juxta *Text. in cap. si conditiones de conditionibus appositis*, ibi: *Si conditiones contra substantiam Conjugii inserantur &c. matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu.*

44. Adeoque si Matrimonium fuisset contractum inter Abraham, & Riccam cum expresso pacto Repudii, Matrimonium esset nullum; pactum quippe dissolubilitatis est contra substantiam Matrimonii, juxta *Glossam in cap. de Infidelibus in verbo esse Matrimonium de consanguinitate, & affinitate*, ibi: *item alia ratione non est Matrimonium inter eos, ipsi enim contrahunt eo proposito, ut cum voluerint, separentur, dato libello Repudii, sed hoc est contra substantiam Matrimonii; respondeo, Si hoc pactum exprimatur in ipso contractu, nec inter eos, nec inter Christianos esset Matrimonium, sed non copulantur ex pacto, licet postea abjiciant Uxores de facto*: Et in terminis Matrimonii initi inter Judæos, quod nullum sit, si fuerit contractum cum pacto expresso Repudii, vel cum intentione non observandi perpetuitatem, firmant *Sanchez lib. 1. disp. 12. Sessa de Judæis cap. 33. numer. 19. Card. de Lauræa de Matrimonio disp. 17. art. 10. num. 176. & num.* 180. *Clericat. de Sacramento Matrimonii decis. 8. num. 43. Pater Schmalzgrueber ad lib. 4. Decretalium tit. 5. de condit. appositis §. 5. num.* 129. & sola difficultas est quoad Matrimonia, quæ contrahuntur inter Infideles, apud quos viget usus Repudii, sed absque eo quod facultas repudiandi deducatur in pactum, nec interne intendatur tanquam conditio, & circumstantia contractus, ita ut idem intendant Matrimonium, uti possunt, valide contrahere, licet sint in opinione, quod possint valide repudiare, hæc siquidem Matrimonia uti valida reputantur *Pont. in Appendic. de Matrimon. Hæreticorum cap. 9. num. 10. Perez de Matrim. disput. 14. sect. 7. num. 5. Gobat in Theologia Experimentali tract. 10. num. 707. Card. de Lauræa de Matrimonio disputat. 17. art. 10. num.* 185. *Salmantic. in cursu morali tom. 2. tract. 9. de Matrimonio cap. 4. tom. 2. num. 26. Pater Schmalzgrueber ad lib. 4. De-*

evangalium tit. 19. de Divortiis a numer. 64. ad numer. 77.

45. Hæc innuisse satis sit; quocirca ex his, ceterisque, quæ legi possunt in suffragiis Theologorum, & Canonistæ, quæritur,

I. An Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem conversо &c.

II. An Summus Pontifex dispensare possit, ut Abraham conversus permaneat in Matrimonio in infidelitate contracto cum Blanca, & quatenus affirmative,

III. An consilium præstandum sit Sanctissimo Domino Nostro pro concessione dictæ dispensationis in casu &c.

Sacra Congr. die 29. Martii 1727. respondit,
Scribatur juxta Instructionem.

DISCURSUS SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV,

In Causa Florentina.

1. CERTUM est, quod Matrimonium in infidelitate contractum solvitur quoad vinculum, si alter ex Conjugibus in infidelitate permaneat, & nolit cohabitare cum Conjuge ad fidem converso, vel si cohabitare velit, nolit cohabitationem sine contumelia Creatoris. Incertum est autem, quo tempore Matrimonium prædictum quoad vinculum solvatur, & a resolutione hujusce controversiæ pendet resolutio primi ex propositis dubiis, *an videlicet adhuc subsistat Matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam, & Abraham*, necnon secundi, *an Abraham post suam, & Blanchæ conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, & Blancam relinquendam*.

2. Quod autem certum sit, Matrimonium in infidelitate contractum solvi quoad vinculum, si alter ex Conjugibus in infidelitate permaneat, & nolit cohabitare cum Conjuge ad fidem converso, vel si velit cohabitare, nolit id facere sine Contumelia Creatoris, colligitur ex *Apostolo in prima ad Corinthios cap. 7.* ubi sic inquit: *nam cæteris Ego dico, non Dominus, si quis Frater Uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, & si qua mulier fidelis habet Virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat Virum &c. Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est Frater, aut Sovor in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus*: Cum etenim Christus Dominus *Matthæi 19.* de Conjugio inter fideles contracto dixisset *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, Apostolus in citatis verbis *de cæteris*, hoc est de illis, qui Matrimonium ante Fidem contraxerunt, locutus est, & facultatem concessit Conjugi ad Fidem converso transeundi ad alia vota, si Conjux permanens in infidelitate cohabitare nolit sine contumelia Creatoris, uti prædictos Textus conciliando docet *S. Augustinus lib. 2. de Adulterinis Conjugiis*, & bene prosequitur *Card. Bellarminus de Sacram. Matrimon. lib. 1. cap. 12. controv. 14. operum Tom. 3. Venetæ editionis anni 1721. pag. mihi 642.* & facit apertus *Textus in can. si Infidelis 28. quæst. 2.* & concordat alius *Textus* in *cap. quanto de divortiis*, ibi: *si enim alter Infidelium Conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero, vel nullo modo, vel non sine blasphemia Divini Nominis, vel ut eam pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda si voluerit, vota transibit, & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus, infidelis discedit, discedat. Frater enim, vel Sovor non est servituti subjectus in hujusmodi*; *& Canonem etiam, in quo dicitur, contumelia Creatoris solvitur jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur*, & cohærenter ad hæc, quando alter ex Conjugibus ad Fidem convertatur, alium in infidelitate permanentem interpellat, an velit converti, & cohabitare sine contumelia Creatoris, ad effectum, ut ad alia Vota sibi liber aditus esse possit, juxta plene a me deducta in alio Folio hujus Congregationis in alia *Causa Florentina 17. Januarii* 1722. quæ interpellatio non fuit omissa a Ricca, quando ad Catholicam fidem conversa est, permanente Abraham in sua Judaica perfidia.

3. Quod vero incertum sit, quo tempore Matrimonium prædictum quoad vinculum solvatur, dignoscitur ex variis Doctorum sententiis: Nonnulli etenim docent, Matrimonium quoad vinculum dissolvi statim ac Infidelis monitus renuit legitime habitare; Alii docent, illud non statim dissolvi, sed tunc solum, quando elapsus est terminus auctoritate Ecclesiæ Infideli præfixus, ut se declaret, an velit cohabitare sine contumelia Creatoris, & cæteri demum in ea sunt sententia, ut Matrimonium tunc solum dissolvatur quoad vinculum, quando Conjux Fidelis aliud contrahit Matrimonium, quas omnes Sententias exponit *Glossa in cap. gaudemus in verbo compelletur de Divortiis*, & fusius prosequitur *Sanchez de Matrimonio lib. 7. disp. 75. per totam*.

4. Quod denique a resolutione hujusce controversiæ pendeat resolutio primi ex propositis dubiis, *an videlicet adhuc subsistat Matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam, & Abraham*, necnon secundi, *an dictus Abraham post suam, & Blanchæ conversionem teneatur ad redeundum cum Ricca, & Blancam relinquendam*, plane dignoscitur. Si etenim juxta primam, & secundam opinionem Matrimonium quoad vinculum dissolvitur, vel statim ac Infidelis monitus renuit legitime habitare, vel statim ac elapsus est terminus ab Ecclesia Infideli præfixus, ut se declaret, an velit habitare sine contumelia Creatoris, Matrimonium utique in infidelitate contractum inter Riccam, & Abraham amplius non subsistet, cum elapso triennio præfixo Abraham non se declaraverit, quod volebat habitare sine contumelia Creatoris, & Abraham post suam, & Blanchæ conversionem non tenebitur ad redeundum cum Ricca, sed debebit permanere cum Blanca. At si juxta ultimam opinionem Matrimonium quoad vinculum tunc tantum dissolvitur, quando fidelis aliud contraxit Matrimonium, Matrimonium in infidelitate contractum inter Riccam, & Abraham adhuc subsistet, cum Ricca nullum contraxerit Matrimonium, & adhuc sit innupta, & sic consequenter Abraham post suam, & Blanchæ conversionem tenebitur ad redeundum cum Ricca, & Blancam relinquendam.

5. Descendendo itaque ad supradictæ controversiæ examen, prima, & secunda Sententia, quæ, uti dictum est, vult quod Matrimonium, quoad vinculum dissolvatur, vel statim ac Infidelis renuit legitime habitare, vel statim ac intra terminum præfixum non se declarat, quod vult habitare sine contumelia Creatoris, innititur *in Can. si infidelis 28. qu. 2.* ibi: *Contumelia quippe Creatoris solvit Jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur*. At tertia Sententia, quæ vult, Matrimonium quoad vinculum dissolvi, tunc cum Conjux Fidelis aliud contrahit Matrimonium, suum desumit fundamentum a Decretali Innocentii III. *in citato cap. gaudemus de Divortiis*, ibi: *quod si Conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur*. Si etenim conversus ad fidem, qui aliam non duxit uxorem, compellitur ad recipiendam uxorem, quæ in infidelitate permansit, & deinde Catholicam Fidem amplexa est, signum evidentissimum hoc est, quod Matrimonium non erat solutum, & quod in tantum solutum non erat, in quantum Conversus ante suæ Uxoris conversionem, aliam non duxerat uxorem.

6. Pro prima, & secunda Sententia stant antiquiores Canonistæ, *Abbas videlicet num. 7. Host. num. 3. Præpos. num. 5. Innocentius num. unico, in cap. quanto de divortiis, & in cap. gaudemus eodem tit. de divortiis, Joannes Andreas n. 15. Buttius n. 20. Anchavan. n. 26.* Sed pro tertia opinione strenue pugnant antiqui, & recentiores Theologi, & etiam recentiores Canonistæ, & huic eidem postremæ opinioni, re mature discussa, adhæsit hæc eadem Sacra Congregatio.

7. Antiquorum Theologorum agmen ducit S. Thomas, qui in 4. *Sentent. dis. 39. qu. 1. art. 5. in resp. ad 2.* sic ait: *Crimen uxoris nolentis cohabitare sine contumelia Creatoris absolvit virum a servitute, qua tenebatur Uxori, ut non posset, ea vivente, alias ducere, sed nondum solvit Matrimonium, quia si blasphema illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir suus, sed solvitur per Matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis non solutus a servitute uxoris per culpam ejus*, sequitur *S. Raymundus lib. 4. Summæ pag. mihi 549.* ubi ait: *solvitur statim Matrimonium quoad servitutem, sed non quoad substantiam, nisi tunc demum cum contrahit cum alia Matrimonium. Et ideo dicit Apostolus, Frater enim, vel Sovor non est servituti subjectus in hujusmodi, & Canon contumelia Creatoris solvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur, non dicit solvit Matrimonium, sed jus, idest vinculum, obligationem, sive servitutem Matrimonii*. Adhæret Cardinalis Turrecremata *in Can. simili modo in secunda quæstione 28. quæst.*

28. *quæst. 1.* ibi: *solvitur per Matrimonium sequens, ad quod pervenire non posset vir fidelis non absolutus a servitute uxoris per culpam ejus*, cæterisque omissis concordat *Sylvester in verbo Matrimonium 8. num. 10. qu. 10.* ubi dicit, *quod per solum Matrimonium solvitur primum, unde quod si antequam contrahatur secundum Matrimonium, infidelis convertatur, reliquus tenetur illum recipere, & hoc est, quia stat vinculum*.

8. Ex recentioribus Theologis hanc ipsam tertiam sequuntur opinionem *Sanchez de Matrimonio lib. 7. disp. 75. per totam, Pont. de Matrim. lib. 7. cap. 48. num. 17. Perez de Matrimon. disp. 36. sect. 7. num. 4. Salmanticenses in cursu morali tomo 21. tract. 9. de Matrimonio cap. 4. dub. 2. num. 51. Leander operum moralium tomo 2. tract. 9. de Matrimon. disputat. 12. qu. 16. Cardinalis de Lauræa de Matrimon. disput. 16. num. 183. & 184. Clericat. de Sacramento Matrimon. decis. 11. num. 19. Rosignol. de Matrim. part. 1. tomo 6. prænot. 14. Contractu 15. num. 8. §. Alii asserunt*.

9. Ex recentioribus Canonistis *Navar. consil. 3. lib. 3. de Conversione Infidelium, edit. Lugdunensis anni* 1594. *ubi num. 9.* ait, hanc opinionem esse veriorem, & Religioni Christianæ convenientiorem, *de Justis de dispensat. matrimon. lib. 2. cap. 15. num. 36. Anaclet. ad lib. 3. decret. tit. 23. num. 4. Engel ad tit. decret. de Convers. Infidel. num. 2. Piringh ad tit. Decret. de Divort. lib. 4. tit. 19. §. 6. num. 35. versiculo notandum 3. Schmalzgrueber ad eundem tit. decret. de Divort. num. 25.* apud quos fuse cumulantur concordantes.

10. Et demum huic ultimæ opinioni suffragatur resolutio hujus Sacræ Congregat. in alia Causa Florentina prima Julii 1679. *lib. 30. decret. pag. 352. a tergo*, ibi: *Vicarius Generalis Eminentissimi D. Cardinalis Archiepisc. super infrascripta facti specie Sac. Congregat. oraculum exquirit. Pluribus ab hinc annis Stella Enriquez, Mulier Hebræa, & uxor Isaach Pinto, divina afflante gratia, Catholicam Fidem amplexa est, & Mariæ Rosæ nomen accepit, viro in Judaica perfidia relicto. Quo juridice præmonito, an vellet & ipse Christianus fieri, & Uxorem conversam sequi, terminoque assignato ad deliberandum elapso, declaratum fuit a Judice Ecclesiastico, præfati Matrimonii vinculum esse omnino dissolvendum, ita ut liceret præfatæ Mulieri conversæ ad secunda Vota transire; ipsa nihilominus sperans fore aliquando, ut & ipse vir converteretur, semper mansit innupta. E converso vir infidelis in matrimonium duxit Esther neptem ex sorore, una cum qua novissime Baptismi gratiam suscepit, Ferrantis Mariæ nomen assecutus. Quia vero Maria Rosa prima Uxor instabat suum sibi Virum restitui, a secunda Uxore statim post Baptismum separatus est, quæ in Conservatorio honestarum Mulierum degit, donec vel Viro restituatur, vel alteri nubat. In re autem tanti ponderis, ut rectius, ac tutius procedatur, meum esse existimavi EE. VV. certiores reddere, humillime insuper istius Sacri Senatus oraculum expetendo pro decisione, an dictus Ferrantes Maria debeat ad primam Uxorem redire, an vero cum secunda perseverare. Die &c. Sacra &c. censuit referendum Sanctissimo votum Sacræ Congregationis, scilicet debere Ferrantem redire ad primam*. Repropositaque Causa die 13. Aprilis 1680. uti habetur *lib. 31. Decret. pag. 88. a tergo*, Sacra Congregatio stetit in decisis, uti colligitur ex sequenti Decreto, sub die 1. Julii 1679. *cum disputatum fuisset de dubio infrascripto, EE. PP. mihi injunxerunt, ut Sanctissimo referrem vota Sacræ Congregationis, scilicet Ferrantem teneri redire ad primam Uxorem, quo facto, Sanctitas Sua, ob gravitatem materiæ, voluit eam amplius examinari. Verum quotquot Theologi consulti sunt, sententiam Sacræ Congregationis veram renunciarunt; Canonista dumtaxat contrariæ sententiæ scripto adhæret, quamobrem revocato ad trutinam articulo, ac posita facti specie descripta in folio præcitato, quæritur, an Ferrantes debeat ad primam Uxorem redire, an vero cum secunda perseverare. Die &c. Sacra &c. stetit in decisis, scilicet teneri redire ad primam*.

11. Haud urgente, quod in casu mox expositio infidelis duxerat in Uxorem neptem ex sorore, hinc inferendo, Matrimonium fuisse nullum, & sic mirum non esse, quod ipsi fuerit demandatus reditus ad primam Uxorem; totum quippe dictæ Causæ momentum fuit constitutum in examine, an primum Matrimonium fuisset, quoad vinculum, dissolutum, ex quo intra terminum præfixum infidelis non dixerat, se velle habitare sine contumelia Creatoris, vel potius subsisteret, ex quo conjux fidelis ad alia vota non transiverat: Nec aliter profecto res esse potuit, cum etenim infideles legibus Canonicis non teneantur, Matrimonia ab ipsis in infidelitate contracta in secundo, vel tertio, vel ulteriori gradu, non dissolvuntur, sed permanent etiam post receptum Baptismum, juxta famigeratum Textum *in cap. Gaudemus de divort.* Et eo fortius in nostra facti specie, cum juxta legem Levitici, & praxim Judæorum possit Judæus ducere in uxorem neptem suam, hoc est filiam fratris, aut sororis, uti late probat *Joannes Selden. de Jure nat. & gent. lib. 5. cap. 11. fol. 631.* & sequitur Sessa de Judæis *cap. 33. num. 12.* ibi: *quare Judæus ducere potest in uxorem neptem suam, fratris aut sororis filiam*; & aperte desumitur ex citato libro Levitici *cap. 18.* ibi: *turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui*, cum ibi quippe Moyses diligenter exprimat omnes gradus, & de filia sororis, aut ejus, qui est frater patris, non loquatur, signum evidens hoc est, quod in lege Hebræorum prohibentur nuptiæ cum amita, sed non cum ejus filia, uti ad dictum locum argumentatur Cajetanus, & bene prosequitur Cornelius a Lapide *pag. mihi 704.* atque de facto in libro Judicum *cap. 1.* memoratur Matrimonium inter Othonielem, & Axam filiam fratris sui, ibi, *cumque cœpisset eam Othoniel filius Cenez, frater Caleb minor dedit ei Axam filiam suam conjugem*.

12. Hucusque deducta pertinent ad primum, & secundum ex propositis dubiis, sed quia non obstante, quod primum Matrimonium adhuc persistat, & quod conjux infidelis post Baptismum teneatur ad cohabitandum cum prima, & ad relinquendam secundam, dubitari potest, an Ricca, quæ est uxor prima, & jam pridem ad Fidem conversa, cogi possit ad cohabitandum cum viro post sequutam ejus conversionem, & an in casu, quo Ricca cogi non possit, valeat Summus Pontifex, & congruum sit, ut dispenset, & facultatem concedat Abraham permanendi cum Blanca, quam tempore suæ infidelitatis duxit in Uxorem, ne eorum conversio difficilior evadat, de quibus omnibus rebus, disputatio proponitur in tertio, quarto, & quinto dubiis, fermo idcirco ad hæc transferendus esse videtur.

13. Adeoque ducto initio ab examine, an Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad Fidem conversо, docent Auctores, non posse quidem mulierem conversam post conversionem sui viri aliud contrahere Matrimonium, cum primum permaneat, sed posse ab eo recedere quoad torum, ex quo infidelis admonitus noluit converti, *Salmanticenses in cursu moral. tom. 2. tract. 9. de Matrimon. cap. 4. dub. 2. punct. 2. num. 51. pag. mihi 128.* ibi: *si antequam Uxor fidelis ad alias Nuptias perveniat, Vir ab infidelitate ad Fidem convertatur, poterit habitare cum eo, nec poterit alium ducere, etiamsi admonitus fuerit, & renuerit converti, fas tamen erit ipsi ab eo quoad torum recedere ob infidelitatem, a qua admonitus noluit converti*.

14. Additur, magnam esse inter Theologos disputationem, an etiamsi Uxor fidelis transeat ad alia vota, possit Vir, qui in infidelitate permansit, aliam ducere in Uxorem, quæ fit in infidelitate constituta; in qua controversia, licet post Divum Thomam, negative respondeat *Pont. de Matrim. lib. 7. cap. 48. num. 25.* & affirmative respondeat *Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 77. num. 6.* utramque probabilem dicat *Diana in edit. coordin. de Sacram. Matrim. tom. 2. resolut. 122. tract. 6.* omnes tamen, tam Theologi, quam Canonistæ, qui juxta communiorem sententiam volunt, Matrimonium non dissolvi quoad vinculum, nisi per Matrimonium contractum a conjuge ad Fidem converso, tenentur admittere, nullum esse Matrimonium ab infideli contractum, antequam Uxor fidelis ad alia vota transierit, in quo rerum themate, sicuti copula habita ab Abraham cum Blanca, habenda effet pro copula adulterina, sic secuta Abraham, & Blanchæ conversione, non poterit Ricca cogi ad cohabitandum cum Abraham, ex quo conjux innocens potest quoad torum divertere a conjuge, qui adulterium commisit, ex Canonibus collectis a Gratiano *32. quæst. 5. & 7.*

15. Post hæc supereſt, ut aliquid dicatur de dispensatione, seu facultate, quæ Abraham converso concedatur permanendi in Matrimonio in infidelitate contracto cum Blanca. Cumque id fieri non possit, nisi dissoluto quoad vinculum primo Matrimonio contracto inter Abraham, & Riccam, & consummato, punctus reducitur ad videndum, an possit Pontifex dispensare in Matrimonio in infidelitate consummato, postquam conjuges ad Fidem converſi sunt.

16. In hac controversia affirmativa opinio placet *Sanchez lib. 2. de Matrim. disput. 17.* & in terminis terminantibus Judæi, qui habebat Uxorem, quæ conversa est, & quæ remansit innupta, quique duxit secundam,

& deinde ipse cum secunda conversus est, quod possit Papa dispensare, ut cum secunda remaneat, dissoluto quoad vinculum primo Matrimonio in infidelitate contracto, latissime ostendit *Navar. cit. consil. 3. lib. 3. an. 12. de conversione Infidelium edit. Lugdunensis anno* 1594. at cum tam doctrina Sanchez, quam Navarri consilium late impugnetur a *Pontio de Matrim. lib. 9. cap. 2.* cui adhæret Perez *de Matrim. disput. 20. sect. 10. per totam*, nec adsint, quod sciam exempla consimilis dispensationis, quidquid sit de Pontificia auctoritate, quam sartam tectam in omnibus esse debere sentio, ejus exercitium absque dubio effet in casu periculosum.

Atque hæc sunt, quæ facilioris studii gratia cumulata fuerunt.

QUÆSTIO DXLVII.

In Causa Tiburtina, die 26. Aprilis 1727.

SAcrum Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 6. de Regul.* præscripsit, ut in electionibus Abbatissarum per vota secreta procedatur, & *cap. 7.* quod Episcopus, sive alius Superior Claustra Monasterii non ingrediatur, sed ante Cancellorum fenestellam vota singularum audiat, vel accipiat: ita ut electio, quæ fieret sine prædicta qualitate votorum secretorum, nulla esset, juxta litteram Concilii *citato cap. 6.* & resolutiones hujus Sacræ Congregationis apud *Sperell. dec. 161. per totam*, & *signanter num.* 34. cum advertentia tamen, quod secretæ electioni non officit, si eadem expleatur per vota singularum Monialium oretenus expressa coram Superiore, juxta resolutionem Sacræ Congregationis impressam apud *Zerolam in praxi parte 1. in verb. Abbatissa ad 6.* & etsam coram duobus, aut tribus aliis personis adhibitis non tamquam simplicibus Testibus, sed tanquam Scrutatoribus obstrictis lege secreti, uti late allegatis resolutionibus hujus Sacræ Congregationis, prosequuntur *Gallemart ad c. 6. supra citatum, Garzias de benefic. 5. par. cap. 4. num.* 190. *Pellizar. in manual. Regul. tom. 2. tract. 10. cap. 10. num. 99. Passerin. de electione cap. 17. num. 6. & 7. Monacell. in Formulario tom. 3. pag.* 188. *num. 9. &* 10. & cum additione in ordine ad ingressum, sive ad prohibitionem ingressus intra Claustra Monasterii, ut eadem sibi locum non vindicet, quando magna concurreret necessitas, evitandi scilicet subornationem Vocalium, aut alia adesset consimilis circumstantia, uti habetur apud *Gallemart ad cap. 7. in remissionibus*, & late prosequitur *Eminentiss. Dominus meus Card. Petra ad Constitutiones Apostolicas tom. 4. pag.* 478.

Procedendo ad tramites Sacri Concilii Tridentini, Episcopus præesse deberet Electioni Abbatissæ, quæ fit a Monialibus ei subjectis, & Prælatus Regularis præesse deberet Electioni, quæ fit a Monialibus sibi subjectis, & exemptis a jurisdictione Episcopi. Sed aliter res se habet post *Constitutionem 18. Gregorii XV.* in qua cautum est, ut in Monasteriis exemptis, Episcopus una cum Superioribus Regularibus per se, vel per alium interesse valeat, & præsidere Electionibus Abbatissarum, citra tamen ullam Monasteriorum impensam, uti habetur in citata *Constitutione §. 5. tom. 4. Bullarii*.

Pleraque inter Episcopos, & Prælatos Regulares exorta sunt dissidia occasione harum Electionum, quibus tamen Sacræ Congregationes occurrere non destiterunt. Resolutum etenim fuit primo, quod Regulares tenerentur Episcopo significare diem Electionis, & eum usque ad præfinitum tempus expectare, si declaraverit, se velle uti facultate interessendi, & præsidendi per se, vel per alium, eundemque Episcopum post dictam declarationem animadvertere posse in Regulares, qui ante tempus significatum, aut die Electionis ei non prænunciato, procedunt ad Electionem, uti habetur *ex resolutione impressa ad calcem dictæ Constitutionis*. Adduntque Doctores, declarationem fieri debere ab Episcopo in Synodo, & quatenus facta non sit in Synodo, alio modo legitimo esse deducendam ad notitiam Regularium, & Electionem aliter factam esse validam, sed volente Episcopo, nullam esse, uti habetur apud *Monacell. in Formul. legal. tom. 3. pag.* 187.

Secundo, resolutum fuit, non posse Episcopum in Electione Abbatissæ Monialium exemptarum exquirere voluntates Eligentium juxta resolutionem impressam apud *Lantuscam in Theatro Regularium in verbo Abbatissa*.

Tertio, non posse ipsum exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa esse exquirenda, & recipienda a Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo juxta resolutionem editam *in Causa Urbanien. die 10. Septemb. 1639. lib. 16. decret. pag.* 258.

Quarto, non posse Episcopum adnotare suffragia, cum id non pertineat ad ipsum, nec ad ejus Vicarium Generalem, neque ad ejus Cancellarium juxta resolutionem Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium 19. Junii 1671. *apud Matthæuc. in Officiali cap. 1. num.* 10. ita ut hæc receptio, sive adnotatio reservata videatur Prælato Regulari, uti profequitur *Pellizar. in manual. Regul. tom. 2. tract. 10. cap. 10. sub num. 96.*

Quinto, non posse Episcopum, aut Prælatum Regularem suffragium dare in hisce electionibus, & electionem in vim hujusmodi voti celebratam vires non obtinere, juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis editam anno 1621. & impressam apud *Castellin. de Electione cap. 17. sub num. 28. & apud Tamburin. de jure Abbatiss. disput. 28. quæst. 6. num. 6.*

Ultimo, confirmationem electionis non pertinere ad Episcopum, juxta resolutionem hujus Sacræ Congregationis impressam post Constitutionem Gregorianam *in respons. ad 5.* & sic pertinere ad Superiorem Regularem, tanquam ad Prælatum immediatum, uti profequitur *Matthæuc. loco citato num. 11.*

Sola supererat difficultas de Notario, & hæc sublata fuit per hanc Sacram Congregationem die 4. Maii 1675. *in Neapolitana Electionis Abbatissæ libro 29. decret. pag. 65. a tergo* ibi: *post editam Constitutionem Inscrutabili a Gregorio XV. consuevit Archiepiscopus Neapolis pro tempore, ut narrat Eminentiss. Caracciolus modernus Archiepiscopus, interesse Electionibus Abbatissarum Monasteriorum Regularibus subjectorum, adhibito ultra seipsum, vel Vicarium, etiam Notario, qui gesta adnotaret, ac fidem de his faceret, ne res alioquin remaneret sub dispositione Superiorum Regularium, si controversia super electione, & nullitas occurrisset, utque ne Ordinarii interessentia frustratoria redderetur, hoc non obstante Superior Monasterii Reginæ Cæli ex Canonicis Regularibus in Electione nuper facta noluit admittere Notarium, & non obstante, quod Vicarius Generalis de nullitate protestaretur, ad electionem processit, allegans pro se declarationem hujus Sac. Congregationis tenoris sequentis: Urbaniæ 10. Septembris 1639. Sac. &c. Censuit Episcopum in electione Abbatissæ Monasterii Monialium Regularibus subjectarum non posse exquirere, seu recipere vota Monialium, sed illa exquiri, & recipi debere a Superiore Regulari, sciente tamen, & audiente eodem Episcopo. His stantibus, Eminentiss. Archiepiscopus, citato P. Procuratore Generali in Curia, instat declarari, primo, an in electionibus Abbatissarum, una cum Vicario Generali interesse possit etiam Notarius Archiepiscopalis; secundo, an dicta electio facta absque interessentia Vicarii, & Notarii sit contra Constitutionem prædictam, ac propterea nulla. Sacra Congregatio Concilii ad utrumque respondit negative.*

Hisce minime obstantibus, cum Episcopus Tiburtinus in sequelam antiquæ Consuetudinis prætendat, Electionibus Abbatissarum præficiendarum Monasteriis subjectis Ordini Minorum Observantium suum Cancellarium adsistere debere, non quidem, ut adnotet vota, vel ea audiat, sed longe a loco Scrutinii, & prope januam Ecclesiæ, eo modo, quo alii adstant Fratres ultra Provincialem, vel Superiorem Regularem, & Disquisitores, & huic prætensioni se opponat P. Provincialis Provinciæ Romanæ, ex juribus circumferendis quæritur,

I. An in Electionibus Abbatissarum in Monasteriis sub disciplina Regularium Minorum de Observantia possit Episcopus secum conducere Cancellarium, & quatenus affirmative.

II. An liceat eidem Cancellario interesse, ac assistere Scrutiniis, ac Electionibus Abbatissarum, quæ fiunt in Monasteriis Monialium Ordinis Minorum de Observantiæ Tiburis, & quatenus negative.

III. An saltem dictus Cancellarius durante Scrutinio permanere possit intra Ecclesiam in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad Primum affirmative. Ad Secundum negative, Ad Tertium, nec Cancellarium, nec Fratres, exceptis Superiore, & Scrutatoribus, permanere posse intra Ecclesiam.

QUÆ-

QUÆSTIO DXLVIII.

In Causa Calaritana, die 26. Aprilis 1727.

IN Congregatione habita die 15. Januar. 1718. propositum fuit hoc dubium, *an sit locus distinctioni, & divisioni Beneficiorum pro rata Decimarum, & Fructuum, qui solvuntur Capitulo Villæ Manrique a Populis viginti quatuor Aldearum dictæ Villæ, ita ut ad eadem Beneficia in Concursu sint præferendi Filii Patrimoniales dictarum Aldearum*, & huic dubio responsum fuit *affirmative ad formam aliorum decretorum*.

Capitulum, & Beneficiati quatuor Ecclesiarum Villæ S. Petri Manrique reclamarunt ab hac resolutione, & nova Audientia eis concessa fuit die 2. Decembris 1719. & instantibus iisdem pro purgatione attentatorum adversus nonnulla, quæ hoc interim gesta fuerant a Curia Episcopali, bina dubia fuerunt proposita in Congregatione habita die 13. Aprilis 1726. quorum primum conceptum erat sequentibus verbis, *an sit standum, vel recedendum a decisis sub die 15. Jan. 1718. in casu &c.* & huic responsum fuit *recedendum a decisis*, & alterum erat conceptum his aliis verbis, *an, & quomodo sit locus ulteriori purgationi attentatorum in casu &c.* & super hoc nulla fuit capta resolutio, sed dictum *dilata*. At repropositio hoc eodem dubio die 27. Julii 1726. responsum fuit *esse locum purgationi attentatorum, & pro hujusmodi effectu esse circumscribendas provisiones factas, & indicendum novum Concursum ab Ordinario ad formam resolutionis Sacr. Congregationis die 13. Apr. currentis anni*.

Oppidani Ecclesiarum, & locorum Filialium insteterunt pro nova Audientia adversus hasce resolutiones, quas passi fuerant, & nova Audientia concessa fuit *in statu, & terminis a die intimationis faciendæ in Partibus*, sed cum in Congregatione habita die 25. Januarii currentis anni, Beneficiati quatuor Ecclesiarum Parochialium Matricum instantiam promovissent pro habenda aliqua provisione, & signanter super Beneficiis vacantibus, & vacaturis, ut eorum scilicet fieret collatio juxta formam Motus proprii Clementis VIII. pro Beneficiis Patrimonialibus Diœcesis Calaguritanæ, & absque ulla restrictiva certarum Personarum de loco loci, & ad tramites ejus, quod practicabatur ante introductionem præsentis controversiæ, responsum fuit, *quod Causa proponeretur in secunda Congregatione Quadragesimæ, firma interim remanente clausula apposita in concessione novæ Audientiæ, in statu videlicet, & terminis a die intimationis faciendæ in partibus*.

Hisce proinde stantibus, quæritur,

I. An sit standum in primo decisis sub die 15. Januarii 1718. seu potius in secundo loco decisis sub die 13. Aprilis 1726. quoad negotium principale.

II. An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 27. Julii anni 1726. quoad purgationem attentatorum in casu &c.

Sacra Congr. die 7. Junii 1727. respondit,

Ad primum, in secundo loco decisis. Ad secundum, standum esse decisis, & amplius.

QUÆSTIO DXLIX.

In Causa Romana, die 26. Aprilis 1727.

CLARÆ mem. Cardinalis de Abdua in sua Schedula Testamentaria reliquit Venerabili Ecclesiæ SS. Ambrosii, & Caroli ad Cursum summam scutorum trium mille implicandam in Capitalibus fructiferis ad dictæ Ecclesiæ beneficium, necnon medietatem suæ Cappellæ, cumque Schedula hæc proprio charactere exarata fuisset die 12. Septembris 1718. & die 21. Januarii 1719. aliquid addere voluisset, nec proprio charactere id exequi potuisset, usus est aliena manu, & nonnulla legata superaddidit, & ulterius disposuit, ut erigeretur Cappellania Laicalis in prædicta Ecclesia SS. Ambrosii, & Caroli assignatis pro ejus dote annuis scutis sexaginta, impositio onere Missæ perpetuæ, & delata ejus Collatione ad Cardinalem Protectorem pro tempore, & Secretam Congregationem memoratæ Ecclesiæ, & hanc suam dispositionem propria manu prædicta *die 21. Jan.* 1719. signavit.

Sacerdos Ferdinandus Cesatus fuit a claræ mem. Cardinali Scotto Ecclesiæ Protectore nominatus ad Cappellaniam, exortaque controversia circa subministrationem utensilium, an eadem videlicet fieri deberet expensis Cappellani, vel potius Sacræ Congregationis de Propaganda Fide hæredis institutæ a Cardinali de Abdua in bonis Urbis cum onere alendi tot Alumnos, vel Ecclesiæ SS. Ambrosii, & Caroli; prædictaque Controversia delata ad hanc Sacram Congregationem, juxta morem exquisitum fuit Votum prædicti Eminentiss. Scotti, qui uti Protector dictæ Ecclesiæ SS. Ambrosii, & Caroli, & uti adscriptus inter Cardinales Congregationis de Propaganda Fide, jura hinc inde deduxit, sed a suo ferendo Suffragio abstinuit, propositaque inter summaria precum instantia, rescriptum fuit *die 24. Augusti 1720.* quod utensilia erant subministranda ab Ecclesia SS. Ambrosii, & Caroli, sed petita, & impetrata per eam nova Audientia, disputandum in præsenti proponitur dubium, ad Calcem Restrictus referendum.

Quoad utensilia extant decreta Summi Pontificis Urbani VIII. edita *anno 1725.* cum resolutionibus nonnullorum dubiorum, cumque in septimo ex dubiis propositis quæsitum fuisset, an esset permittendum Administratoribus Ecclesiarum, ut retinerent aliquam Eleemosynarum portionem pro utensilibus, rescriptum fuit *negative*, excepto casu, in quo Ecclesiæ, & Loca Pia alios reditus non haberent, quos in usum dictarum expensarum erogare licite possent. Verba horum Decretorum fuerunt a me relata in Causa Auximana proposita in Folio Congregationis habitæ *die 19. Nov.* 1724.

Atque cohærenter ad citata Decreta, san. mem. Clemens XI. mandavit, ut in Ecclesiis Urbis integra Eleemosyna unius Julii Sacerdotibus Celebrantibus persolveretur, nulla facta retentione pro utensilibus, & in ejus Edicto publicato *die 23. Decembr.* 1706. & impresso in ejus Bullario *pag.* 320. additum fuit, quod si aliqua Ecclesia tali paupertate laboraret, ut dicta Utensilia de proprio subministrare non posset, id exponeret, ut sumi posset providentia ad tramites Decretorum supra memoratorum, & in citata Causa Auximana, in qua nulla fuit capta resolutio *die 18. Nov.* 1724. cum nova propositio facta fuisset *die 23. Febr.* 1726. & sequens dubium disputatum fuisset, *An Rectores Beneficiorum, Cappellani, aliique Celebrantes in Ecclesia Collegiata Cinguli teneantur solvere utensilia Capitulo dictæ Ecclesiæ, & pro qua summa*, rescriptum fuit *Rectores Beneficiorum, Cappellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra Canonicatum, Cappellanias perpetuas, & ipsum Capitulum pro rata onerum perpetuorum, teneri ad solutionem utensilium Sacristiæ ad rationem unius obuli pro qualibet Missa, exceptis tantum a solutione utensilium Missis Adventitiis*.

Hæc quoad Decreta Sacræ Congregationis; cumque fundamentum adigendi Ecclesiam SS. Ambrosii, & Caroli ad solutionem utensilium constitutum fuerit in Relicto facto eidem Ecclesiæ scutorum 3000. scribens pro eadem contendit, nullam hujus relicti habendam esse rationem in casu ad effectum, de quo agitur, tum quia ex providentia Testatoris summa hæc est investienda in Stabilibus, tum quia legatum hoc scriptum fuit *die 12. Sept.* 1718. cumque aliud Erectionis Cappellaniæ adjectum fuerit *die 21. Januarii* 1719. contendit, imperceptibile esse quod sine nova expressione Pius Testator voluerit, ut legatum scutorum trium mille ab Ecclesia compensaretur cum utensilibus Cappellaniæ post tantum tempus demandatæ.

Jura circumferuntur, unde quæritur,

An, & a quo sint solvenda utensilia pro celebratione Missæ quotidianæ, & ad quam rationem in casu &c. its ut sit standum, vel recedendum a decisis die 24. Augusti 1720.

Sacra Congr. die 10. Martii 1727. respondit,

Prævio rec. sit a decisis, utensilia esse solvenda a Cappellano ad rationem scutorum quatuor quolibet anno, & ad Eminentissimum Præfectum.

QUÆSTIO DL.

In Causa Maceratensi, die 26. Aprilis 1727.

EPiscopus Maceraten. in Visitatione facta anno 1725. Ecclesiarum, & Piorum Locorum Castri Urbisaliæ suæ Diœcesis, visitavit Ecclesiam sub titulo Sanctæ Mariæ Misericordiæ, cumque hæc Ecclesia fundata prætenderetur in Solo Lateranensi, eam visitavit sine præjudicio quorumcumque Jurium, sibi uti Ordinario competentium; cumque Confraternitas Laicorum prædictam gubernet Ecclesiam a se, uti dicitur, ædificatam, Confraternitatem auctoritate Ordinaria visitavit, cumque exhibitis libris administrationis bonorum, nonnullos inveniset

set Administratores absolutos in redditione rationis a Vicario Capituli Lateranensis Tolentini degente, eos novæ redditioni rationis subjecit, & Vicario inhibuit, ut se in posterum in hisce actibus Jurisdictionalibus ad Episcopalem auctoritatem pertinentibus immisceret, habitoque adversus hoc decretum recursu a Capitulo Lateranensi, Causa remissa fuit ad hanc Sacram Congregationem.

Quoad Confraternitates existentes in Ecclesiis Regularium pluries resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione, eas subesse Jurisdictioni, & Visitationi Episcopi, & eas ab ipso visitari posse, nec non illorum Cappellas, in his tamen, quæ respiciunt administrationem dictarum Confraternitatum, nec non Altare, si dictis Confraternitatibus incumbit onus illud manutenendi, & Decreta fuerunt a me per extensum relata *in Causa Consentina Visitationis & Censurarum*, quæ fuit proposita in Congregatione habita *die 19. Septembris* 1722.

Quoad Confraternitates erectas in Ecclesiis sitis in Solo Lateranensi nonnullæ aliæ adsunt resolutiones; prætendente etenim Confraternitate SS. Sacramenti Civitatis Anconæ, se esse exemptam a Jurisdictione Episcopi, & subjectam Vicario Basilicæ Lateranensis, & constituente suum fundamentum in donatione facta anno 1535. Capitulo cujusdam domus, in qua constructa fuit Ecclesia, & in aggregatione facta anno 1597. & excipiente Episcopo, obstare Constitutiones Apostolicas Clementis VIII. & Pauli V. & pluries eam visitatam fuisse a suis Prædecessoribus, propositum fuit in Congregatione habita die 8. Martii 1681. sequens dubium: *an Eminentissimo Episcopo Anconæ competat jus ordinarium, vel delegatum super dicta Confraternitate, & Ecclesia*, & in Congregatione habita *die* 22. *ejusdem mensis, & anni*, rescriptum fuit *competere Eminentissimo Episcopo Jus ordinarium*, uti habetur *libro* 31. *Decret. pag.* 352. *& pag.* 363. & licet die 26. Aprilis 1687. fuerit recessum a decisis quoad Ecclesiam, & dictum, quod iterum proponeretur quoad Confraternitatem, Causa tamen deinde nullum alium habuit progressum.

Item, cum *die 19. Februarii* 1701. proposita fuisset Causa Mileten., in qua Deputatus a Capitulo Basilicæ Lateranensis Ecclesias sitas in Solo Basilicæ, & Confraternitates in eis erectas visitaverat, in revisione Computorum pecunias exegerat, disputatum fuit tertio loco sequens dubium, *An prædictus Vicarius Lateranensis in dicta Diœcesi Miletensi possit revidere Computa, & visitare libros administrationis redituum Societatum Laicarum erectarum in eisdem Ecclesiis, & an pro dicta Computorum revisione possit recipere a dictis Societatibus aliquod emolumentum, seu mercedem*, & huic dubio *die* 23. *Aprilis ejusdem anni* rescriptum fuit *negative ad utrumque*, uti habetur *libro* 51. *decret. pag.* 97. *& pag.* 211.

Causa reproposita fuit *die* 29. *Aprilis* 1702. & in eo, quod attinet ad dictum tertium dubium, in Congregatione habita *die* 13. *Maii ejusdem anni*, rescriptum fuit *in decisis quoad primam partem, præterquam quoad Archiconfraternitates erectas auctoritate Capituli, & quoad secundam in decisis*, uti habetur *libro* 52. *Decretal. pag.* 160. *& pag.* 190.

Hæc ipsa Causa Mileten. ad ulteriora progressa est, & instante Capitulo Lateranensi, dubia mutata fuerunt, quocirca in Congregatione habita *die* 17. *Novembris* 1703. proposita fuerunt hæc dubia: *Primo, an sine subdelegatione speciali subdelegatus ab Episcopo ad visitandam Diœcesim, possit visitare Ecclesias, Confraternitates, & Loca Pia fundata in Solo Lateranensi: Secundo, an dicta subdelegatio specialis debeat a subdelegato ostendi, & inseri in Actis Visitationis: Tertio, an Episcopus, vel ab eo subdelegatus, teneatur declarare expresse se visitare jure delegato*; & ad primum responsum fuit *negative, etiam quoad Confraternitates erectas auctoritate Capituli*; & ad secundum, & tertium *affirmative*, uti habetur *lib.* 53. *Decret. pag.* 482. *& pag.* 486. *a tergo*.

Jura circumferuntur; unde quæritur,

An Episcopus Maceratensis possit Jure ordinario visitare Confraternitatem sub invocatione S. Mariæ Misericordiæ, erectam in Ecclesia ejusdem tituli, sita in Castro Urbisaliæ, quamvis in Solo Basilicæ Lateranensis ædificata sit in casu.

Sacra Congr. die 10. Martii 1727. respondit,
Negative.

QUÆSTIO DLI.

In Causa Mazarien., die 10. *Maii* 1727.

Collata fuit Episcopo Mazarien. consueta facultas dandi Infirmis Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia Plenaria in Articulo mortis, & facultas concepta est sequentibus verbis, erutis ex Epistola Eminentissimi Brevium Secretarii ad eum scripta.

Desiderium Dominationis Vestræ Illustrissimæ, quo Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria in Articulo mortis agonizantibus istarum Civitatis, & Diœcesis Mazarien. concedendi tenetur, exposui Sanctissimo Domino Nostro, qui benigne annuit, ut Dominatio Vestra Illustrissima ad triennium proximum Benedictionem, & Indulgentiam hujusmodi agonizantibus Civitatis, & Diœcesis præfatarum per se ipsam immediate, & auctoritate Apostolica concedat; ubi vero præcisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat eidem permittit, ut alicui Sacerdoti per Dominationem Vestram Illustrissimam qualibet vice eligendo, quoad Moniales autem illarum Confessario ordinario facultatem similem communicare valeat, id justu Sanctitatis Suæ, quæ Dominationem Vestram Illustrissimam facultate supradicta vigore præsentium litterarum uti posse vult, eidem significo.

Hoc præmisso, quærit prædictus Episcopus, an teneatur facultatem benedicendi Moniales in Articulo mortis constitutas committere earum Confessario ordinario, vel potius ipse possit ingredi Clausura, & quatenus velit aliquando benedicere per se ipsum, & an in hypothesi, in qua ingredi possit, an, & quibus Sociis comitatus ingredi teneatur, & demum, an in casu, quo aliqua Monialis sit infirma, & pro sua devotione velit Confessionem fuorum peccatorum explere, possit Confessarius ordinarius, aut extraordinarius, vel etiam ipse Episcopus ingredi Clausuram.

Præscindendo a prohibitione ingressus in Monasteria Monialium in ordine ad eos, qui aliorum indigent licentia, ut ingrediantur, Gregorius XIII. in declaratione ad calcem suæ *Constitut.* 28. *Bullar. tom.* 2. sanxit quoad eos, qui alterius licentia non indigent, sed sui auctoritate Officii, Monasteria Monialium ingrediuntur, non posse illos id facere, nisi in casibus necessariis, & cum comitatu paucorum, & quidem seniorum, & Religiosorum, *Prælatos omnes tam Sæculares, quam Regulares, quibus cura, & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & a paucis, iisque senioribus, ac Religiosis Personis comitati.* Quocirca transgrederetur Gregorianam Constitutionem, & illius pœnis esset subjectus Prælatus ille, qui secum duceret Laicum, excepto casu, in quo ejus opera tanquam periti indigeret, uti allegatis resolutionibus Sacrarum Congregationum late prosequitur *Monacell. in formular. tom.* 3. *pag.* 109. *n.* 112. *& seq.*

Quoad ingressum Confessarii pro excipiendis Monialium Confessionibus, extat *Constit.* 153. *Alexandri VII. Bullar. tom.* 6. quæ in terminis Confessariorum Regularium ita statuit §. 5. *ad hæc, Confessor Sanctimonialium, tam ordinarius, quam extraordinarius minime ingrediatur septa Monasterii, nisi ad Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis ministranda Monialibus, vel aliis Personis infirmis, ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatæ vitæ, & maturæ ætatis, semperque maneat in ea parte Monasterii, qua Confessorem videre, & ab ipso videri semper possit;* & quoad alios Confessarios extant Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium impressa apud *Nicolium in Flosculis in verbo Clausura num.* 32. *& seqq.* ubi dicitur, eum ingredi posse ad ministranda Sacramenta *principalibus anni solemnitatibus* Confessionis, & Communionis illis Monialibus, quæ ita sunt infirmæ, ut neque per se, neque cum aliarum auxilio possint ad Confessionarium, & Fenestellam accedere, item quod solus ingredi debet excipiendus a duabus Monialibus senioribus, quæ illum rectæ euntem ad Valetudinarium, & simili modo exeuntem comitentur, & cum cautela, quod dum audit Confessionem, Cella ita sit aperta, ut duæ comitatrices, quæ super ejusdem Cellæ janua remanere debebunt, Confessarium, & infirmam commode cernere, non autem audire possint.

Idem Episcopus exponit, passim a Regularibus in sua Diœcesi dari Ordinis habitum Mulieribus sæcularibus, quæ

quæ Bizzocchæ appellantur, absque sua licentia, & quærit, quomodo se gerere debeat.

Quoad facultatem Regularium in re, de qua nunc agitur, extant nonnullæ Constitutiones Sanctissimi Domini Nostri, in quarum altera decrevit ad Generalem Ministrum Ordinis Minorum privative quoad alios pertinere per se, vel per suos Ministros secundarios recipere Tertiarios utriusque sexus, quod ipsum a Sanctitate Sua fuit extensum ad Ministrum Generalem Cappuccinorum, ad Ministrum Generalem Fratrum Minorum Conventualium, nec non ad Patrem Generalem Ordinis Servorum, ita ut hi omnes per se, vel per suos secundarios Ministros possint habitum suæ Religionis dare Tertiariis utriusque sexus.

Verum admissa, tam quoad prædictos, quam quoad alios Regulares Privilegia habentes, facultate concedendi habitum Fœminis non collegialiter viventibus, de quibus hic tantum est sermo, extant Decreta Generalia impressa apud *Lantuscam in verbo Tertiaria num.* 1. *& seqq. apud Nicolium in Flosculis eodem verbo, apud Matthæucc. in Officiali Curiæ Ecclesiasticæ cap.* 52. quæ ita se habent: *Superioribus autem Regularibus sufficienti facultate ad id a Sancta Sede Apostolica suffultis, Cappuccinis exceptis*, qui deinde simili facultate donati sunt, *libere Mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere, non autem ad habitum admittendas, & recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, & non cum aliis Viris, quam cum Consanguineis, vel Affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario Loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi constiterit.*

His positis, quæritur

I. An Episcopus habens facultatem dandi Benedictionem Apostolicam constitutis in Articulo mortis, teneatur quoad Moniales eam committere earum Confessario ordinario, vel potius sit in ejus facultate aliquando ingredi Monasterium, ut eis det benedictionem, & quatenus affirmative quoad secundam partem.

II. An, & quibus sociis comitatus Monasterium ingredi debeat.

III. An Episcopus, & Confessarii, sive ordinarius, sive extraordinarius ingredi possint Monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua Moniali infirma, quæ pro sua devotione velit Confessionem explere.

IV. Quænam sint conditiones requisitæ, ut Regulares habentes facultatem dandi habitum suæ Religionis Mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint, & an examen dictarum facultatum pertineat ad Episcopum.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum negative quoad primam partem, & ad secundam affirmative, & ad Dominum Secretarium, cum Eminentissimo Secretario Brevium.

Ad secundum, debere ingredi in casu, de quo agitur, cum Confessario Monialium, & uno probo Sacerdote per eum eligendo.

Ad tertium, uniantur Decreta.

Ad quartum, examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam; examen conditionum quoad Mulieres vestiendas, & licentiam vestiendi pertinere ad Ordinarium; & conditiones vestiendarum esse expressas in Decretis generalibus alias editis, & hæc Decreta esse omnino servanda.

QUÆSTIO DLII.

In Causa Majoricensi, die 10. *Maii* 1727.

Episcopus Majoricen. devenit ad Taxam Beneficiorum suæ Diœcesis, ut fieret contributio Seminario ad rationem quatuor pro centenario, & inter cetera Beneficia subjecit Taxæ quatuor Beneficia unita, & annexa Monasterio Patrum Carthusianorum Vallis de Mossa.

Primo anno Patres persolverunt, sed mota lite pro non solutione, eademque delata ad Reverendiss. Gentilem A. C. prolata fuit ab ipso Sententia eximens Monasterium, & Beneficia unita a demandata contributione, habitoque per Seminarium recursu ad Auditorem Sanctissimi, cum facta fuerit Causæ remissio ad hanc Sacram Congregationem, bina dubia disputanda proponuntur ad calcem Restrictus referenda, quorum alterum respicit attentata, alterum bonum jus.

Quoad attentata, Seminarium contendit, illis non esse locum, non obstante exactione facta post Sententiam, vel quia ante Sententiam erat in possessione exigendi, vel quia constito de bono jure, non est locus discursui super attentatis.

Quoad bonum jus, Sacrum Concilium Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 18. subjicit contributioni pro Seminario, etiam Abbatias, & Prioratus cujuscumque Ordinis etiam Regularis, excipit a contributione Monasteria Mendicantium, excipit Fratres S. Joannis Hierosolymitani, sed Fratres Mendicantes ex reditibus Beneficiorum Monasteriis annexorum tenentur contribuere Seminario, uti adnotarunt ad dictum *cap.* 18. *Gallemart sub n.* 19. *& Barbos. n.* 28. Sanctissimus Dominus Noster in sua *Constitutione* 27. impressa post Concilium Romanum statuit, & declaravit, Regulares non esse exemptos, nisi pro illis Beneficiis, quorum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte, ac expresse, & ex causa vere ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere Taxæ pro Seminario essent exempti, sed Constitutio est restricta ad Ordinarios Locorum Italiæ, & Insularum Adjacentium. Mentio fit cujusdam Privilegii exemptivi Carthusianorum a solutione Taxæ pro Seminario, tamquam approbati ab hac Sacra Congregatione *die* 12. *Maii* 1587. uti videri potest apud *Pignatell. consult.* 81. *n.* 113. *tom.* 9. Sed hujus Decreti nulla fit mentio in Regestis.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An constet de prætensis attentatis in casu &c.

II. An Monachi Carthusiani Diœcesis Majoricen. teneantur solvere contributionem Seminario pro Beneficiis eorum Monasterio unitis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & scribatur juxta Instructionem.

QUÆSTIO DLIII.

In Causa Aquilana, die 10. *Maii* 1727.

Cum ad Beneficium, Abbatiam nuncupatam S. Nicolai Castrolenti Juris Patronatus Laicorum, duo fuerint præsentati, Hyacinthus videlicet de Scorpionibus, & Georgius Castriota, exorta est lis inter eosdem, eademque delata ad Rotæ Tribunal, illud fuit in sensu, Institutionem dandam esse Georgio, & quia Hyacinthus opponebat, eum fuisse illicite Tonsuratum ab Archiepiscopo Theatino, Rota respondit, quod ille erat in possessione Clericatus, & quod ad effectum incapacitatis ad beneficia non sufficiebat, quod fuisset illicite Tonsuratus, sed quod ulterius opus erat ostendere, quod per dolum, vel cum sui Ordinarii positivo contemptu Tonsuram recepisset, uti videri potest in *Pennen. Beneficii* 25. *Junii* 1725. *coram bonæ memoriæ Gentilotto*.

Impetravit Hyacinthus novam audientiam, a Rotæ Auditorio, sub eo potissimum motivo, quod in hac Sacra Congregatione pendebat examen Articuli super licita, vel illicita Tonsuratione, ex qua deinde argui poterat ad pœnam suspensionis, & incapacitatis ad Beneficia, & urgente Georgio, proponitur dubium ad calcem Restrictus referendum.

Juxta morem auditi fuerunt Ordinarii, Archiepiscopus autem Theatinus, qui Tonsuram contulit, retulit, se id feciss præviis litteris dimissorialibus Episcopi Aquilani. Episcopus Aquilanus retulit Georgium natum fuisse in Civitate Aquilæ non ex accidenti, cum Joannes ejus Pater Matrimonium contraxisset cum Candida de Nardis Aquilana, & decem circiter annos habitasset in Civitate Aquilæ, & quatuor ibi procreasset liberos, & ad Diœcesim Pennen. non fuerit reversus una cum Filiis, nisi post obitum uxoris, atque idem Episcopus Aquilanus ut ostendat, se rite, & recte processisse, dicit, se non concessisse Dimissoriales, nisi prius habitis attestationibus de Vita, & moribus Georgii a Vicario Generali Pennen. in cujus Diœcesi Georgius morabatur; Episcopus demum Pennen. retulit Joannem Leognanum Castriotam esse Baronem, & utilem Dominum Castri Civitatis Quanæ Diœcesis Pennen. & sexdecim circiter ab hinc annis domicilium transtulisse ad Civitatem Aquilæ, in qua duxit uxorem, & inter cæteros filios ex ea procreavit Georgium, eundemque post obitum uxoris ad suum Castrum rediisse, in quo decem ab hinc annis habitat una cum Georgio filio; Item Georgium a suo Antecessore petiisse primam Tonsuram, & obtinere non potuisse, ex quo erat unicus filius, & futurus Successor ad omnia Feuda nobilia, & rustica sui Patris, concluditque, se semper eum habuisse pro illicite Tonsurato, tum quia sine suis litteris dimissorialibus Tonsuram receperat, tum quia in sua Diœcesi non fuerant

factæ Denunciationes juxta *decretum Generale* editum tempore *Gregorii XV.*

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

An Georgius Loognani fuerit licite Tonsuratus in casu &c.

Sacra Congr. die 24. Maii 1727. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO DLIV.

In Causa Colonien. die 24. Maii 1727.

EXpositum fuit Sanctissimo Domino Nostro a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ ad Gradus Civitatis Coloniæ, quod in sua Collegiata Ecclesia aderat quædam Dignitas, nempe Præpositura, cujus possessores Choro, & Sac. Functionibus a multo tempore non intererant, & quod ejusdem Collegiatæ reditus erant variis de causis imminuti, ultra æs alienum contractum sub gravibus usuris, ita ut non adessent reditus sufficientes pro manutentione Fabricæ, & Ministrorum, & quotidianæ Distributiones ad eam tenuitatem devenissent, ut earum amissio facile negligeretur, exoratumque est, ut nunc pro tunc, quando scilicet vacatio contigisset, fieret suppressio Præposituræ, ejusque bona Capitulo applicarentur ad effectum, ut eadem erogarentur partim in extinctionem Debitorum Capitularium, partim in augmentum distributionum quotidianarum, & partim in manutentionem Ecclesiæ, atque Ministrorum.

Facta est harum precum remissio ad hanc Sacram Congregationem, quæ Litteras dedit Nuncio ad Rhenum pro informatione, iisdemque superventis, & veritatem expositorum confirmantibus, rescriptum fuit die 26. Januarii anni præteriti *ad D. Secretarium cum ministris Datariæ.*

In hujus rescripti sequelam omnia fuerunt a me Eminentiss. Prodatario communicata, cumque post maturum examen conclusum fuerit, quod petitæ suppressioni annui poterat, si Decanatus, qui est secunda Dignitas, subrogaretur loco Præposituræ, ita ut sicuti nunc Præpositura, uti prima Dignitas, est Sedi Apostolicæ reservata, ita facta Præposituræ suppressione, elevatoque Decanatu ad primum Dignitatem, Decanatus remaneret eidem Sedi Apostolicæ reservatus, operæ pretium existimatum fuit ante omnia instare, ut a Capitulo fieret renunciatio cujuscumque juris ad eum pertinentis super Electione ad Decanatum, emissaque renunciatione, & proposita in hac Sac. Congreg. instantia, die 18. Maii anni præteriti rescriptum fuit *pro gratia expedienda per Litteras Apostolicas in Dataria, in quibus exprimatur, Decanatum subingredi in locum Præposituræ, & sic evadere primam Dignitatem Reservationibus Apostolicis subjectam; & quod ad Decanum pro tempore pertinere debeat jus præsentandi ad Beneficia, ad quæ Præpositus præsentabat, quæ Beneficia in Bulla exprimantur una cum onere, quod a Præposito in Decanum transire debeat onus subministrandi, seu suppléndi Congruam binis Pastoralibus, & addatur Patronatum hunc Decani esse, & haberi debere pro Ecclesiastico, & proinde subjecto Reservationibus Apostolicis*; neque defuit consensus Electoris, & Archiepiscopi Coloniæ, qui bene perspecta necessitate supprimendæ Præposituræ suum dedit assensum, ut in ejus locum Decanatus subingrederetur, & tamquam prima Dignitas remaneret suppositus Apostolicis Reservationibus, emissa ampla renunciatione super Collatione, Confirmatione, & alia quavis dispositione sibi super dicto Decanatu competente.

Peractis his, comparuit Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ ad Gradus, & licet de ejus particulari interesse non ageretur, ex quo Præpositura non erat nisi post suum cessum, vel decessum supprimenda, quia tamen agebatur de ipsius Præposituræ interesse, petiit audiri, & obtinuit, concordatoque dubio infra exprimendo, tam jura ipsius, quam Jura Capituli circumferuntur.

In eo quod attinet ad Jura Præpositi, ea consistunt primo in dispositione Sacri Concilii Tridentini, quod *sess. 24. c. 15. de Ref.* præscribit, quod indigentiæ Canonicatuum succurratur per unionem Beneficiorum simplicium, vel alicujus Canonicatus suppressionem, sed numquam per suppressionem Capitis, seu primæ Dignitatis.

Secundo in defectu Causæ; cum etenim expositum fuerit, quod Præbendæ erant tenues, & quod Capitulum erat gravibus debitis oppressum, Præpositus ait, de debitis non esse habendam rationem, nisi ostendatur fuisse contracta non voluntate, sed necessitate, idemque Judicium putat esse ferendum de Præbendarum tenuitate, cum eædem ascendant ad annua scuta 136. pro qualibet, & necessitas ad rem, de qua agitur, aperiens viam suppressioni debeat esse talis, ut non reperiatur, qui cum tenui Præbenda velit Canonicatum acceptare, aut Choro interesse.

Tertio demum in præjudicio Datariæ Apostolicæ, quæ loco providendi Præposituram tamquam primam Dignitatem, quæ Præpositura abundat reditibus, providebit Decanatum minoris undequaque reditus, urgente præterea periculo, quod ea conferre non valeat Decanatum, ex quo subrogatio Decanatus loco Præposituræ adversatur Concordatis Germaniæ, pro quorum derogatione non sufficit Consensus Capituli, sed vel oportet, quod accedat Consensus omnium, cum quibus Concordata facta sunt, vel quod Summus Pontifex utendo plenitudine Potestatis, prædictis deroget Concordatis.

Jura vero Capituli consistunt primo in debitis contractis, & quidem ex urgentissimis, & necessariis causis, & adhibitis solemnitatibus a jure præscriptis, uti testatus est Vicarius Generalis.

Secundo in tenuitate distributionum, cum Teste Nuncio, Canonici etiam in Ecclesia frequentiores vix Imperiales triginta, & Vicarii, seu Beneficiati vix quindecim Imperiales annuos lucrentur.

Tertio in tenuitate Præbendarum, quæ non excedere dicuntur scuta centum, quæ summa est insufficiens in Civitate Coloniæ pro decenti Canonici alimonia.

Quarto in consimili suppressionis exemplo Præposituræ Collegiatæ Ecclesiæ S. Gregorii Civitatis Coloniæ per Clementem VIII. factæ; et eo fortius, cum vera illa, & positiva necessitas, quæ in his terminis requiritur ut Episcopus devenire possit ad unionem Beneficiorum favore Canonicatuum, non requiratur in unione per Papam facienda; si etenim Papa potest sine causa unire, a fortiori potest unire intercedente aliqua rationabili causa, quamvis in Jure non scripta, juxta Theoricam *Abbatis in cap. sicut unive num. 2. de Excessibus Prælatorum.*

Ultimo in defectu præjudicii Datariæ, tum quia si illud adfuisset, ejus Ministri suum non dedissent assensum, tum quia Præpositura supprimenda nullam exercet jurisdictionem, & e contra Decanus ultra cæteras prærogativas in quadraginta circiter Parochiis Jurisdictionem exercet. Et quia a Præposito sermo fit de Concordatis Germaniæ, respondet Capitulum collationem, & provisionem majorum Dignitatum in Cathedralibus post Pontificalem, & principalium in Ecclesiis Collegiatis in quocumque Mense vacantium esse Sedi Apostolicæ reservatam, ita ut si suppressa Præpositura, Decanatus ad primæ Dignitatis gradum assurget, de libera ejus collatione favore Sedis Apostolicæ non erit ullo modo dubitandum, uti ad rem adnotavit *Nicolart. ad Concordata Germaniæ pag. mihi 46. §. 10.* ibi: *majores porro Dignitates post Episcopalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis communi omnium passim locorum per Germaniam usu censentur Præposituræ, ubi tamen in Collegiatis nulla existeret Præpositura, Decanatus vicem principalioris Dignitatis obtineret.*

His itaque stantibus, quæritur,

An sit standum, vel recedendum a decisis die 18. Maii 1726.

Sacra Congr. respondit,

In Decisis, juxta modum.

QUÆSTIO DLV.

In Causa Nonantulana, seu Eugubina, die 24. Maii 1727.

IN Terra Pergulæ mortuus est quidam Puer, filius Marci Antonii Baldini de Parochia Ecclesiæ Conventus Patrum S. Augustini, & ejus Cadaver fuit traditum Sepulturæ in Ecclesia Conventus Patrum Minorum Conventualium, hisque contendentibus, se non esse adstrictos ad solutionem Quartæ Funeralis favore Ecclesiæ Parochialis, Controversia exorta est, quæ ad hanc Sacram Congregationem defertur.

Fundamentum Patrum Minorum Conventualium consistit in antiqua conventione inter utrumque Conventum, quod loco Quartæ Funeralis persolvantur Patribus S. Augustini pro Parochianis eorum Curæ subjectis sex annuæ libræ ceræ, & licet de hac conventione non constet per Instrumentum, constat tamen ex Testibus, atque Receptis.

Addunt, noviss[i]mam Constitutionem Sanctissimi Domini Nostri

Nostri sibi non obstare, tum quia eadem tollit Consuetudines, & Conventiones, quæ sunt damnosæ Ecclesiis Parochialibus, inter quas dicunt, non esse enumerandam illam, de qua nunc agitur, cum Parochia quolibet anno habeat censum annuum sex librarum, licet plures elabantur anni, in quibus nemo in sua, hoc est Fratrum Minorum Conventualium Ecclesia, eligit Sepulturam; tum quia Conventio facta est pro extinguenda lite, non super quarta, sed super alio puncto, ad quem videlicet ex duobus Conventibus spectaret Cura Terræ Pergulæ.

E contra Conventus Patrum Sancti Augustini suum constituit fundamentum in Constitutione edita a Sanctissimo Domino Nostro die 8. Junii 1725. & impressa post Concilium Romanum, in qua sublatis omnibus Privilegiis a solutione Quartæ eximentibus, voluit, eam integram persolvi a Regularibus, Ecclesiis Parochialibus, & in ea derogatur Apostolicis aliis Constitutionibus, Statutis, Privilegiis, & Consuetudinibus, etiam Immemorabilibus, & in eo, quod attinet ad Conventiones, & Concordias, non præservat nisi eas, quæ Parochis magis favent, & illis pinguiorem Quarta Emolumentorum Funeralium portionem assignant.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur

An Constitutio noviter emanata super Quarta Funeralium obstet, ita ut Ecclesia Patrum Minorum Conventualium Terræ Pergulæ teneatur solvere Ecclesiæ Parochiali PP. S. Augustini ejusdem Terræ integram Quartam Funeralem, in casu, in quo aliquis subjectus Parochiæ dictorum PP. S. Augustini sepelitur in Ecclesia PP. Minorum Conventualium in casu &c.

Sacr. Congr. respondit,

Affirmative.

QUÆSTIO DLVI.

In Causa Burgi S. Donnini, die 24. Maii 1727.

JOannes Philippus Carafini in ultimo, cum quo decessit, Testamento in Executores Testamentarios nominavit Franciscum Valerium, & post ejus obitum Hieronymum ejus filium, & Alexandrum Gardinum, & post ejus obitum Antonium Alexandrum ejus filium; hæredem vero usufructuariam sibi scripsit Luciam Scalvi suam Uxorem, qua defuncta ad hæreditatem vocavit Moniales Discalceatas Carmelitas Civitatis Cremonæ, nonnullis impositis perpetuis oneribus, & signanter Erectionis duorum Beneficiorum, Beneficiatos adstrinxit ad celebrationem Missæ quotidianæ, & loquendo de erectione Beneficiorum, hæc verba habuit, *lasciando però a' medemi*, hoc est Executoribus Testamentariis, *quanto alle suddette Reverende Madri Scalze, un' ampla facoltà di far erigere detti Beneficj alli suddetti due Altari, ed assegnare respettivamente a' medesimi due Altari tanta porzione de' beni posti in Zibello di ragione d' esso Testatore, o pure tanto Capitale respettivamente in contanti, che possa essere sufficiente per sostenere l' obbligo perpetuo della Celebrazione di dette due Messe continue da celebrarsi a' detti due Altari*, & tandem Familiæ Gardinæ reliquit in perpetuum Jus præsentandi ad prædicta duo Beneficia.

Lucia Uxor mortua est, & consolidato usufructu cum proprietate, Moniales comparuerunt in Curia Episcopali Burgi S. Donnini, cumque se promptas obtulissent ad subministrandam summam pecuniariam sufficientem pro erectione Beneficiorum, Episcopus pronunciavit, libras viginti quatuor mille Imperiales esse summam congruam ad effectum, de quo agitur, & mandavit, eam deponi ad effectum investiendi, & ulterius mandavit, solvendas esse alias libras Imperiales mille sex centum implicatas, sive implicandas in tot stabilibus, ut ex eorum fructibus solvi possent expensæ necessariæ pro manutentione paramentorum, & aliorum utensilium pro celebratione Missarum.

Displicuit hæc Sententia Alexandro Gardino Executori Testamentario, & Patrono Beneficiorum, habitoque per eum recursu ad hanc Sac. Congregationem, disputanda proponuntur dubia ad calcem Restrictus relata.

Scribens pro Monasterio, & Monialibus, dicit, primum, & secundum dubium parum conferre ad decisionem controversiæ, quia quidquid sit in abstracto loquendo, an pro dote Beneficiorum sint assignanda bona stabilia, seu Census perpetui, si Testator dedit optionem, seu liberam facultatem assignandi pro dote Beneficiorum *tanta porzione di beni posti in Zibello di ragione d' esso Testatore; o pure tanto Capitale respettivamente in contanti, che possa esser sufficiente per sostenere l' obbligo perpetuo delle Celebrazioni di dette due Messe continue*, ejus voluntati satisfactum dici debebit, statim ac fuerit a Monialibus tanta oblata pecunia, quanta sufficit pro duarum perpetuarum Missarum celebratione, sive investimentum fiat in Stabilibus, sive in Censibus.

Adeoque redacta Controversia ad sufficientiam pecuniæ oblatæ, Scribens pro Monialibus inquit, Beneficia erigenda non habere onus residentiæ, sed tantum celebrationis Missarum, & sic sufficientem esse summam oblatam; si etenim summa librarum 24000. Imperialium investiatur in Censibus ad rationem quinque pro quolibet centenario, & anno, Eleemosyna ascendit ad solidos triginta tres Imperiales, quando Eleemosyna manualis in loco Zibelli non est nisi triginta solidorum Imperialium. Addit, eo fortius id esse admittendum in casu præsenti, in quo statuta fuit quota sufficiens separata pro utensilibus; nulla habita consideratione majoris, seu duplicatæ Eleemosynæ statuendæ pro Missis perpetuis, quandoquidem id procedit in ordine ad Ecclesias, seu Monasteria, quibus imponitur onus Missæ perpetuæ, non autem ad Cappellanias mere Laicales, quæ passim eriguntur cum sola Eleemosyna Missæ manualis.

Adversus hæc excipit Alexander Gardinus, & contendit, primo non esse in facultate Monialium offerre bona Stabilia, vel pecuniam, sed oblationem fieri debere in Stabilibus, uti constare probatur ex verbis Testatoris supra relatis, *lasciando però a' medesimi*, scilicet Executoribus Testamentariis *quanto alle dette Reverende Madri Scalze &c.* si etenim Executores Testamentarii sunt primo loco nominati, & ulterius fiagitur de Causa pia, infert, non esse in casu satisfactum menti Testatoris per oblationem pecuniæ, cum ipse, qui est Executor Testamentarius, velit Stabilium oblationem.

Secundo, idem Alexander, quatenus sufficeret oblatio pecuniæ, ait, oblationem factam non esse ad rem, cum pecunia sit investienda in Stabilibus, & investimenta in Stabilibus non excedant quatuor pro quolibet centenario, & anno, ita ut ducto Calculo, nemo non videat, reditum exigendum non adæquare Eleemosynam duarum Missarum perpetuarum, quæ debet esse major in duplo. Eleemosyna Missæ manualis, & in eo, quod attinet ad utensilia taxata, dicit, Taxam non esse sufficientem, cum ex libris mille sex centum, si in Stabilibus investiantur, non possint haberi quolibet anno, nisi Julii triginta sex, quando pro manutentione altaris, & utensilium sex annua scuta requiruntur.

Disputatis quatuor prioribus ex mox transcribendis dubiis, dilata fuit eorumdem resolutio, & injunctum, quod *firmaretur status hæreditarius.*

Subdelegato ad normam istius rescripti Judice in Partibus, ad effectum firmandi hunc statum, ille nunc refert, assem hæreditarium deductis ære alieno, omnibusque aliis oneribus, etiam legato vitalitio Sororis Victoriæ Constantiæ Garafinæ (quod tamen ista defuncta hæreditati devolvebatur) *remanere in libris 41338. solidis 9. constituentibus scuta bis mille ducentum nonaginta sex, & Julios sex, annui vero reditus de præsenti librarum mille quinque centum viginti, & solidorum septem, constituen. scuta octuaginta quatuor, julios quatuor, & bonon. novem monetæ prædictæ, non consideravo novennio pro casibus fortuitis, quod secundum consuetudinem hujus Diœcesis considerari solet, necnon reparationibus Domorum, & constructionibus aggerum fluminis Padi*, ut sunt ejus verba.

Reproponuntur eadem quatuor dubia una cum alio inter partes concordato, sapienter de more decidenda.

I. An pro dote Beneficiorum, vel Cappellaniarum cum perpetuo onere Missarum erigendarum sint assignandi fructus Terrarum fructiferarum, vel potius annui census.

II. An dato præcepto Testatoris erigendi beneficia cum perpetuo onere Missarum erigendarum sint assignandi fructus Terrarum vel cum dote pecuniæ numeratæ detur pro assignanda dicta dote electio Terrarum, vel quatenus negative.

III. An tanta danda sit ab hærede summa pecuniarum, ut in Terrenis investita constituantur fructus congrui pro substentatione onerum Missæ quotidianæ in perpetuum.

IV. An, & in qua summa constituendi sint fructus pro substentatione oneris Missæ quotidianæ in perpetuum.

V. An, & cujus expensis hæredis scilicet, vel Legatarii facienda sit erectio Beneficiorum.

Sacra Congr. die 30. Aprilis 1729. respondit,

Assignanda esse tot Bona Stabilia hæreditaria, quæ æstimata juxta morem regionis quotannis redderent in fructu annua scut. 70. monetæ Romanæ, tam pro Eleemosyna Missarum, quam pro expensis necessariis pro illarum celebratione, & erectionem esse faciendam expensis hæredis.

QUÆSTIO DLVII.

In Causa Civitatis Ducalis, die 7. Junii 1727.

ANNO 1715. exarata fuerunt Capitula Matrimonialia inter Venantium Mazzillum, & Trojanum Fabri, cum reciproca sponsione quoad Venantium ducendi in Uxorem Anastasiam filiam prædicti Trojani, & quoad Trojanum dandi Venantio prædictam filiam in Uxorem.

Venantius ad Sponsam accessit, ut arrham ei traderet, sed cum ipsam actuali stultitia laborantem inveniret, & in eodem statu permanentem post curam adhibitam, & temporis intervallum deprehendisset, res eo redacta est, ut munera nuptialia, quæ ad Anastasiam fuerant a Venantio transmissa, fuerint ipsi restituta.

Hæc contigerunt anno 1715. Cumque anno 1719. Venantius cum alia Muliere vellet Matrimonium contrahere, lis exorta est, in qua Ordinarius sensit pro validitate Sponsalium, sed re delata ad hanc Sac. Congregationem, disputandum in præsenti proponitur dubium ad calcem Restrictus referendum.

Quæ sint Jura Anastasiæ, ignoro, cum ad me delata non fuerint.

Jura autem Venantii consistunt in hoc, quod pro validitate Sponsalium contractorum inter prædictum Venantium, atque Trojanum Patrem Anastasiæ, necessaria erat ejusdem Anastasiæ ratificatio, quæ in casu, propter superventam amentiam, non adfuit, & quatenus supervenisset, subdit, prodesse non posse, cum ipse deprehensa amentia, suum revocaverit consensum. Concludit demum, quod quatenus constaret de Sponsalibus, locus esse non posset coactioni, tum quia supervenerunt inimicitiæ, tum quia vel actualis amentia, vel periculum recidivæ causam constituunt sufficientem pro dissolutione Sponsalium.

In Congregatione igitur *diei 5. Julii 1727.* disputata fuerunt duo dubia. Primo, *An constet de Sponsalibus, & quatenus affirmative*, Secundo, *An sit locus coactioni.* Super quibus emanavit rescriptum: *Ad primum affirmative, ad secundum dilata, & scribatur juxta instructionem*, quæ fuit, ut Episcopus Reatinus Sacram Congregationem instructam redderet *super præsenti vero statu dictæ Anastasiæ, & quatenus sanitatem mentis recuperavit, an hæc mentis recuperatio futura sit firma, juxta probabilem hominum opinionem.*

Episcopus super injunctis ita refert: *Auditis duobus Testibus fide dignis super statu præsenti dictæ Anastasiæ, clare inveni, dictam Anastasiam sanitatem mentis adhuc non recuperasse, immo ab ejus primæva infirmitate fatuam remansisse, prout quotidie ex illius operationibus, quamvis non furibundis, dignosci facillime potest.* Et subjungit, quod examinato ad magis detegendam veritatem perito Chirurgo, iste prævio juramento deposuerit: *Præfatam Anastasiam adhuc mente laborare, & secundum ejus peritiam, & conscientiam totaliter sanam remanere non posse.*

Quæritur itaque super secundo tunc non resoluto dubio, videlicet:

An sit locus coactioni in casu &c.

Sacra Congr. die 14. Maii 1729. respondit,
Negative, & Venantium esse absolvendum a Censuris, & amplius.

QUÆSTIO DLVIII.

In Causa Colonien si, die 7. Junii 1727.

GUILLELMUS, olim Juliæ, ac Montium Dux, & Avus moderni Electoris Palatini anno 1638. solemniter consensit, ut Ecclesia Parochialis loci de Honeff Diœcesis Colonien sis, quæ erat de suo Jurepatronatus, administrauda traderetur una cum Ecclesia Filiali in Monte Sancti Ægidii, & aliis omnibus, & singulis Beneficiis, seu Vicariis annexis, Patribus Societatis Jesu commorantibus in Oppido Dusseldorpien ejusdem Diœcesis Colonien.

Consensus prædictus variis de causis suum non habuit effectum, cumque præsens Elector Palatinus novum consimilem præstiterit consensum, dummodo Archiepiscopus Colonien. sub cujus Ordinaria Jurisdictione Parochia, & Beneficia unienda constituta sunt, & Sedis Apostolicæ approbatio non deesset, post habitam dicti Archiepiscopi approbationem, exhibitus fuit huic Sacræ Congregationi supplex libellus, in quo exoratur pro Apostolica approbatione.

Juxta morem datæ fuerunt litteræ Nuntio Apostolico Colonien. pro informatione, & voto, qui retulit hanc unionem in Domino expedire, cum Parochia sit exposita incursibus Hæreticorum, & zelus PP. Societatis Jesu sit notorius.

Actum fuit de hac re inter summaria precum die 6. Julii 1726. & dictum fuit, quod ignorabatur primo, quanti sint reditus Parochiæ.

Ignorabatur secundo, quot sint, & cujus reditus alia Beneficia, quæ deberent uniri, & an sint simplicia, vel curata.

Ignorabatur tertio, an Parochia sit administranda ab uno, vel a pluribus Sacerdotibus, & an ii debeant esse Sæculares, vel ex dicta Societate.

Ignorabatur quarto, an quatenus debeant esse Sæculares, debeant esse perpetui, vel ad nutum amovibiles.

Ignorabatur quinto, quomodo Elector Palatinus, qui uti Dux Montium dicitur habere Jus patronatus, possit illud cedere Patribus Societatis Jesu in præjudicium Successorum in Ducatu.

Ignorabatur ultimo, quid sit Jus temporale, quod, teste Nuntio Apostolico, Elector Palatinus dicit sibi velle reservatum, non obstante cessione Jurispatronatus.

Cohærenter ad hæc dictum fuit, quod darentur novæ litteræ juxta instructionem, & instructio reducta fuit ad capita supra expressa; superventisque responsionibus, sive nova Nuntii Colonien. informatione, ex ea habetur.

Primo, quod reditus Parochiæ, facta computatione annorum fertilium cum sterilibus, ascendunt ad annua scuta Romana circiter centum triginta sex, & obulos sexaginta tres.

Secundo, quod Beneficia sunt simplicia, & quod hæc alias fuerunt unita Parochiæ, quod ex eorum reditibus consurgit annuus reditus Parochiæ in quantitate mox recensita, excepto tamen Beneficio S. Ægidii, quod est separatum a Parochia tam quoad Ecclesiam, quam quoad reditus, qui sunt in annuis scutis circiter sexaginta, & hic Beneficiatus exercet in prædicta Ecclesia Curam Animarum, & consuevit nominari a Parocho.

Tertio, quod Parochia de Honeff administranda est, juxta intentionem petentium, a duobus Presbyteris Societatis Jesu, & Cura Animarum in Ecclesia Sancti Ægidii est per Presbyterum Sæcularem administranda.

Quarto, quod hic Presbyter Sæcularis, juxta eorundem petentium intentionem, deberet esse perpetuus.

Quinto, quod præsens Elector Palatinus nihil aliud intendit, quam executioni mandare voluntatem sui Avi, & quod hoc non est primum exemplum cessionis beneficiorum de Jurepatronatus factæ a suis Antecessoribus favore Patrum Societatis Jesu, intercedente auctoritate Summi Pontificis, absque eo, quod Successores unquam reclamaverint.

Sexto demum, quod Jus Laicale nihil aliud est, quam prætensio, quod non obstante cessione, Jus patronatus habendum sit pro Laicali, ad effectum ne illi præjudicium inferatur per resignationes.

Hæc sunt, quæ continentur in nova Nuntii informatione.

In Constitutione 47. Sancti Pii V. *Bullar. tom. 2.* statuitur, quod in Parochialibus, quæ sunt unitæ Monasteriis Mendicantium, possint Superiores Monasteriorum suum Religiosum nominare ad nutum amovibilem, qui Curam Animarum exerceat, prævia tamen Episcopi approbatione, & quamvis hæc Constitutio a Gregorio XIII. in *sua Bulla 9. Bullar. tom. 2.* fuerit redacta ad terminos Juris communis, & Sacri Concilii Tridentini, idem tamen Gregorius declaravit, mentem suam non fuisse Pianam Constitutionem revocare, aut immutare, quando Cura a Religioso exerceretur, & cum hoc alter Socius Religiosus habitaret, uti habetur apud *Gallemart ad cap. 7. sess. 7. de Reform. in declarat. sub num. 8.* & quamvis idem *Concil. sess. 24. cap. 13. de Reform.* decreverit, Ecclesias Parochiales non esse uniendas Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu Dignitatibus, excipiuntur tamen uniones, quæ fiunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum Piorum Locorum ad Fidei defensionem, & propagationem, & bonarum Artium cultum, teste *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. glos. 6. num. 96.*

Proposita fuit hæc Causa in Congregatione habita hac die 7. Junii 1727., cumque tunc nulla prodierit resolutio, sed dictum fuerit, quod scriberetur Archiepiscopo juxta instructionem, & quod audiretur Pater Procurator Generalis; Pater Procurator Generalis respondit, nullam adesse ex parte sua Religionis difficultatem in acceptanda proposita unione, & se credere, quod eadem esset profutura tum Fidei Catholicæ, tum moribus Parochianorum, qui sunt in medio Hæreticorum.

Archi-

Archiepiscopus autem Coloniæ Elector interrogatus de distantia Parochiæ de Honeff ab Oppido Dusseldorpien si, de spe, an tractu temporis in loco Parochiæ aperiri posset Collegium Societatis Jesu, & de adjutorio pro Conservatione Fidei Catholicæ per collationem PP. Societatis Jesu in Parochia, respondit Parochiam ab Oppido distare per iter unius diei, & idcirco necesse futurum esse ut unus ex Patribus Societatis Jesu in ea resideat, nullam esse spem aperitionis Collegii in loco Parochiæ, & collationem PP. in Parochia non modicam allaturam, esse utilitatem, cum in ea Pastor sit necessarius, omnibus numeris absolutus, ut oves suas a vicinis Hœdis arceat, & errantes ad viam salutis reducat.

Quibus proinde stantibus, quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congreg. die 20. Septembris 1727. respondit,
Pro gratia, juxta modum.

QUÆSTIO DLIX.

In Causa Colonien si, die 7. Junii 1727.

EXTAT in Oppido Kerpensi Diœcesis Colonien. Collegiata Ecclesia Sancti Martini, in qua non solum adest Præpositura, sed etiam adest Decanus, qui est secunda Dignitas prædictæ Ecclesiæ.

Ab antiquo tempore tam Præpositura, quam Decanatus conferri cœperunt uni Clerico in illis partibus, ut plurimum potentiori, quinimmo Statutum adest antiquum conditum anno 1589. & Apostolica auctoritate roboratum, quo cavetur, quod absente Clerico obtinente tam Præposituram, quam Decanatum, unus a Capitulo eligatur, qui munera utrique incumbentia obeat cum assignatione congruæ mercedis e reditibus Decanatus defumendæ.

Jus præsentandi ad Præposituram pertinet ad Electorem Palatinum, & Marchionem Brandeburgicum, uti Duces Juliacenses, & in præsentationibus hucusque peractis fit mentio Præposituræ, & non Decanatus.

In sequelam prædicti Statuti pluries contigit, ut facta fuerit electio ejus, qui, absente Præposito, utrique muneri satisfacere debebat, atque hinc plurimæ lites, & contentiones ortæ sunt, & signanter, quia Præpositi semper prætenderunt sibi debitos esse omnes fructus, & distributiones, non obstante sua absentia, & non obstante Substituti electione.

Pluries etiam contigit, ut hic electus fuerit remotus, cumque Capitulum & Canonici, sequuta Præposituræ vacatione, Sanctissimo Domino Nostro per organum Datariæ supplicaverint pro separatione Præposituræ a Decanatu, & a Sanctitate Sua preces fuerint remissæ ad hanc Sacram Congregationem, litteræ datæ fuerunt ad Nuntium Colonien sem pro informatione, & voto.

Supervenit Epistola Nuntii, qui censuit, annuendum esse petitis, tum quia non amplius urgebant circumstantiæ, propter quas memoratum Statutum conditum fuit, tum quia magis expediebat in Domino, & congruebat servitio Ecclesiæ, quod Præpositura, & Decanatus non ab una persona, sed a duabus obtinerentur, & tandem, quia si non fiebat separatio, Marchio Brandeburgicus erat excitaturus prætensionem, se esse Patronum tam Præposituræ, quam Decanatus, uti colligebatur ex nuperis ejus Epistolis, non obstante, quod, uti supra dictum est, præsentationes hucusque expletæ non respicerent nisi Præposituram.

Addidit Nuntius, separationem fieri debere, imposita Decano obligatione residendi, & cum protestatione, quod per hanc separationem nullum intelligeretur illatum præjudicium juribus Patronorum, nec non Emolumentis, & Præeminentiis, quæ debentur Præpositis uti Præpositis.

In Congregatione habita die 22. Septembris 1725. actum fuit de hac re inter summaria precum, nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, quod scriberetur Archiepiscopo Colonien. & iterum Nuntio Apostolico pro nova informatione juxta instructionem, & instructio ad hæc capita fuit reducta, ut videlicet primo quæreretur, an Decanatus sit æque principaliter, vel subjective unitus Præposituræ; secundo, an bona Præposituræ sint commixta cum bonis Decanatus, vel potius separata; tertio, in qua Diœcesi, & Principatu bona existant; quarto, an præsentatio ad Præposituram sit simultanea, vel alternativa inter Electorem Palatinum, & Marchionem Brandeburgicum; & quinto demum, an periculum urgeat querimoniarum ab uno, vel altero dictorum Principum, si fiat separatio.

Superverunt responsiones tum Archiepiscopi, tum Nuntii, quæ una cum Scriptura Capituli circumferuntur; cæterisque omissis, quæ in prædictis Epistolis, & Scriptura legi possunt, in eo, quod attinet ad memoratorum Principum querimonias, Archiepiscopus, & Elector Colonien sis dicit, sibi non constare de voluntate Electoris Palatini, sed credi posse, & sperari, quod Dismembrationi a Sede Apostolica faciendæ assensum suum sit præstiturus, & de Marchione Brandeburgico timeri posse, ne vindictam sit attentaturus in Catholicos Ducatuum Cliviæ, & Comitatus Marchiæ, & Nuntius in sua nova Epistola inquit, timeri posse de Electore Palatino, quod etiam ipse sit conquesturus de separatione, quando nominatio ad eum pertinebit, & quod facta nuper a Marchione Brandeburgico nominatione Nicolai Carpars in Præpositum, cum hic, capta possessione Præposituræ, alteram Decanatus capere voluisset, Canonici e Choro exierunt, & protestationem emiserunt.

His stantibus, quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Non proposita.

QUÆSTIO DLX.

In Causa Florentina, die 7. Junii 1727.

PATER Abbas Procurator Generalis Monachorum Congregationis Cassinensis, Sacræ huic Congregationi exposuit, Archiepiscopum Florentinum prætensionem excitasse, quod in Visitatione, Procurationis titulo, contribuerent Cappellani Curati Ecclesiarum subjectarum Monasterio sui Ordinis in Civitate Florentina existentis, non obstantibus privilegiis suæ Religioni concessis, eam eximentibus, etiam quoad Ecclesias Monasterio annexas ab onere Procurationis, instando nedum pro declaratione dictæ Exemptionis, sed etiam pro restitutione Procurationum exactarum, & rescriptum fuit, quod audiretur Archiepiscopus Florentinus.

Archiepiscopus in sua informatione memorat Ecclesias, quæ Monasterio prætenduntur unitæ, ait, his præfici Clericos ut plurimum Sæculares, qui eliguntur ab Abbate, & Monachis Monasterii, & ab Ordinario approbantur, subdit, Ecclesias visitatas teneri ad contribuendum titulo Procurationis, etiam si sint Monasteriis unitæ, & sic practicatum fuisse tam suo tempore, quam tempore suorum Prædecessorum, & demum concludit, hic non agi de interesse Visitationis, sed eorum, qui visitantur, cum enim juxta Concilium Provinciale Florentinum, habitum anno 1517. & confirmatum duabus Bullis Leonis Papæ X. debeant omnes Ecclesiæ visitatæ, in quibus visitans non hospitatur, conferre pro modo suarum facultatum pro sublevando onere, quod Ecclesia, quæ Visitatorem hospitatur, passa est, si diminuitur numerus Ecclesiarum contribuere debentium, augebitur gravamen earum, quæ non possunt se dicere exemptas a contributione.

Adversus hæc excipitur, quod exemptio a Procuratione quoad Ecclesias annexas, & Monasteriis Cassinensibus unitas, descendit ex Summorum Pontificum Privilegiis titulo oneroso acquisitis, & relatis tam in Bullario Cassinensi, quam in Scriptura, quæ circumfertur. Binæ quoque afferuntur resolutiones, altera hujus Sacræ Congregationis edita in Causa *Brictinorien.* 27. *Augusti* 1712. in qua resolutum fuit, Monachos Camaldulenses non teneri ad solvendam Procurationem Episcopo visitanti Ecclesiam Parochialem, seu Vicariam S. Joannis Baptistæ eorum Monasterio unitam, altera est Sacræ Congregationis super statu Regularium edita die 24. Aprilis 1687. *in quadam Causa Fesulana*, in qua pariter responsum fuit pro exemptione.

Quibus proinde stantibus, quæritur,

I. An Archiepiscopus visitans Ecclesias, & Vicarias subjectas Monasterio Cassinensium, possit exigere Procurationem in casu &c. & quatenus negative.

II. An teneatur Archiepiscopus restituere Procurationes exactas in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Ad primum negative.
Ad secundum, esse restituendas pecunias depositatas.

QUÆSTIO DLXI.

In Causa Florentina, die 7. Junii 1727.

COSIMUS Torellus in ultimo, cum quo decessit, Testamento condito de anno 1646. Hæredes sibi scripsit universales æquis portionibus tres Filios, quos habebat, Joannem videlicet Laurentium, Guidonem, & Jacobum, & inter cætera sic disposuit favore animæ suæ, & suorum, *item jure legati, & pro remedio tum ejus animæ, tum animæ Jacobi sui fratris, recordavit, & recordat obligationem factam a dicto ejus fratre infrascriptis suis hæredibus, quæ obligatio est, prout viva voce dixit ejus frater, celebratio trium Officiorum pro quolibet anno, & ita dictus Testator legavit, ut dicti ejus hæredes adimpleant voluntatem Patrui, & Patris, quorum celebratio fieri possit in qualibet Ecclesia ad commodum infrascriptorum suorum hæredum*. Sciendum est etenim, quod Jacobus Frater Testatoris, dum anno 1634. laborabat in extremis, Notarium Publicum accersivit; cumque eum tempestive habere non potuisset, voluntatem suam explicavit de celebrandis prædictis Officiis, super qua re duo Testes fide digni testimonium perhibuerunt.

Delata Cosimi hæreditate ad prædictos ejus liberos, duo ex prædictis sine liberis decesserunt, eademque consolidata in persona solius Guidonis, qui erat Sacerdos, fuit ab hoc anno 1701. facta universalis donatio omnium suorum bonorum Elisabeth Boschi suæ ex sorore nepti, & ejus descendentibus in infinitum, & in eo, quod attinet ad celebrationem trium Officiorum, sic locutus est, *che detti chiamati a detta donazione, siano obbligati ogni anno in perpetuo, e fino che durerà il Mondo, far celebrare i tre Officj ordinati dal Padre di detto Signor Donante, nella Chiesa di San Jacopo alla Sambuca, e mentre potessero ottenere di permutare detta volontà in tante Messe annue, allora le medesime si devano celebrare nella Cappella di Sant' Anna posta fuj beni donati, da pagarsi a' Sacerdoti, che celebrano, per limosina lire una per Messa, e non potendosi conseguire di permutare detto carico di detti tre Officj annui in tante Messe, in tal caso i chiamati a detta donazione devano pagare scudi quindeci l'anno al Priore di detta Chiesa, perchè celebri, e facci celebrare nella medesima detti tre annui Officj, come sopra, secondo la mente del Testatore, ed a tale effetto obbligò, ed obbliga detti beni donati, e mancando detti chiamati a detta donazione di far celebrare detti Officj, e Messe, allora ricadino a detta Chiesa tanti effetti, che rendino scudi 30. l'anno, ed allora siano liberi da detto annuo aggravio*, & in alia donationis parte eosdem donatarios gravavit onere celebrationis Missæ qualibet die festiva de præcepto in memorata Cappella S. Annæ.

Elisabeth Donataria voluntatem Donantis usque ad præsens punctualiter adimplevit, tum quoad trium Officiorum celebrationem, tum quoad celebrationem Missæ quolibet die festo de præcepto, sed cum in ejus mentem venisset novum pietatis, & charitatis opus, & uti ipsa reputat, maximopere consentaneum menti sui Donatoris, assignandi videlicet Cappellæ S. Annæ fundum perpetuum annuorum scutorum viginti, quindecim videlicet ex bonis Donatoris, & quinque ex suis particularibus bonis desumendorum, pro Dote Ecclesiastici Beneficii, ad cujus titulum Clericus promoveri posset, & satisfacere in eadem Cappella nedum Missis celebrandis die festiva, sed etiam aliis Missis lectis substituendis loco trium Officiorum, suppliceque preces pro hac re impetranda Summo Pontifici exhibuisset, facta earum remissione ad hanc Sacram Congregationem, juxta morem datæ sunt litteræ ad Archiepiscopum Florentinum, qui credidit esse posse locum petitioni, non solum quia agitur de erectione Beneficii, ad cujus titulum Clericus poterit Sacris Ordinibus initiari, sed etiam quia gratia cederet in commodum majoris partis Populi Burgi della Sambuca, qui diebus Festivis de præcepto tenetur iter unius milliarii peragere, ut in sua Ecclesia Parochiali Missam audiat, & diebus ferialibus Missa caret; idemque Archiepiscopus in sua informatione addidit, quod stante penuria Sacerdotum in dicto Burgo, prædicta tria Officia non possunt adimpleri, uti adimpleri deberent, per celebrationem videlicet duodecim Missarum pro quolibet, & quod Cosimus Testator onus celebrationis prædictorum trium Officiorum restrinxit ad personas suorum Filiorum, quo stante, bene potuit Guidus in sua donatione voluntatem suam exprimere pro subrogatione Missarum lectarum celebrandarum in Oratorio S. Annæ loco trium Officiorum, & bene post Elisabeth instare pro dicta subrogatione.

Actum fuit de hac re in Congregatione habita *die 30. Septembris* 1724. inter summaria precum, nec ulla fuit capta resolutio, sed dictum, ut nova ab Archiepiscopo informatio exquireretur, audito Priore Sancti Jacobi alla Sambuca, & quod ulterius exprimeret, an juxta petentis intentionem beneficium fundandum deberet esse liberæ collationis, vel potius de Jurepatronatus; cumque novis superventis Archiepiscopi litteris, duo ex eis deprehensa fuissent, alterum videlicet, quod Beneficium fundandum deberet esse de Jurepatronatus Elisabeth, & ejus Filiorum, & Descendentium in infinitum; alterum, quod Prior Sancti Jacobi alla Sambuca suum consensum præstare recusat, tum propter suum præjudicium, tum propter præjudicium suorum Parochianorum, qui Missam in posterum audirent in Oratorio Sanctæ Annæ, & Parochiam derelinquerent, & sic carerent Verbo Dei, quod singulis diebus Dominicis, & Festis in ea explicatur, rescriptum fuit *die 8. Junii 1726.* quod instantia proponeretur, in cujus rescripti sequelam circumfertur Scriptura pro Elisabeth, & quæritur,

An, & quomodo petitis sit annuendum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Pro gratia, ita tamen, ut Beneficiatus teneatur loco Anniversariorum celebrare quolibet anno Missus lectas viginti quinque, ultra Missas celebrandas diebus festivis.

QUÆSTIO DLXII.

In Causa Catanien si, die 7. Junii 1727.

NICOLAUS Joseph Lucca anno 1712. in ultimo, cum quo decessit, Testamento demandavit, ut suæ ædes in Monasterium Monialium converterentur, addita Ecclesia sub titulo Sanctæ Mariæ Conceptionis, & quod in novum Monasterium Virgines reciperentur bonis moribus præditæ, Parentibus orbatæ, & pauperiores, & quod nec essent minores annis novem, nec majores annis duodecim, & quod hæ, post transactum educationis tempus, & adventum legitimæ ætatis, Professionem emitterent sub Regula Eremitarum Sancti Augustini.

Ædes non possunt in Monasterium converti, cum post obitum Testatoris a tertio fuerint evictæ, & cum causa litium adeo fuerint imminuti reditus hereditarii, ut sicut non est cogitandum de nova Monasterii ædificatione, ita locus factus esse videatur commutationi in opus magis proximum, *juxta cap. 8. sess. 25. de Reformat.* & sic applicationi redituum ad aliud Monasterium Monialium loci, vel Civitatis Ennæ, in qua juxta mentem Testatoris novum Monialium Monasterium erat ædificandum.

Ordinarius requisitus pro informatione, & voto, censet esse locum dictæ commutationi, & præter insufficientiam redituum pro novo Monasterio, ait, paucos Cives numerari in loco Ennæ, sed septem in eo reperiri Virginum Monasteria, quibus si octavum adderetur, Civitas Ennæ esset Civitas Monasteriorum Monialium; cumque Controversia unica consistat in statuendo, cui ex Monasteriis facienda sit applicatio, idem Ordinarius, cui adhærent Prior, & Dignitates Collegiatæ hæredes fiduciarii, seu Executores Testamentarii, est in sensu, quod facienda sit hæreditatis applicatio favore Monasterii Monialium Sanctæ Mariæ Gratiarum, cum onere decem Virgines alendi ex hæreditariis reditibus, tum quia hoc Monasterium plures suppeditavit pecunias, quarum ope inter magnas lites servata est portio, quæ remanet hæreditatis, sub spe faciendæ sui favore applicationis; tum quia consimiles sunt leges hujus Monasterii Legibus a Testatore præscriptis in Monasterio per eum demandato, & tandem quia Consanguinei Testatoris, quarum Filiæ ex Testamento prælationem habent, exoptant aggregationem favore Monasterii Gratiarum, ita ut nulla sit habenda consideratio Monasterii S. Michaelis, cui solus Doctor Aloysius Medina vellet, ut fieret applicatio.

Addit Ordinarius in sua informatione alia plura de necessitate statuenda in casu, quo fiat applicatio favore Monasterii Gratiarum, cum Testator tamquam Laicus plura in dispositione inseruerit impracticabilia, & Sacris Canonibus adversantia, cum dederit Executoribus suis facultatem eligendi Abbatissam, Confessarium, & Procuratorem novi sui Monasterii, uti latius in sua informatione legi potest.

Relata Causa in Congregatione rescriptum fuit *Dilata, & scribatur novo Episcopo juxta instructionem*: quæ fuit,

fuit, ut referret, *quanta sit summa mutuata hæreditati a dicto Monasterio S. Mariæ Gratiarum, quenam sint Jura Doctoris Medinæ, quantam bonorum partem ipse prætendere possit ex dicta hæreditate, & quæ sint conditiones, quas Monasterium S. Michaelis proponit in casu applicationis hæreditatis sibi faciendæ.*

Episcopus retulit, summam mutuatam a Monasterio Gratiarum ascendere ad uncias sexcentum, & ultra monetæ Siculæ constituentes scuta 1300. monetæ Romanæ, Doctorem Medinam verso pallio liti cessisse, omniaque Jura sua renunciasse favore dicti Monasterii S. Mariæ Gratiarum, quo vero ad Monasterium S. Michaelis nil aliud ab ipso deduci potest, nisi tenuitas ejus redituum, satis exiguus Monialium numerus, aliaque commiserationis motiva recognoscenda potius oculari inspectione in actu Visitationis.

Datæ subinde fuerunt aliæ litteræ Episcopo, ut in actu Visitationis omnia juxta prædictam instructionem diligenter exquireret; & Sacram Congregationem instructam redderet; sed quia res protrahebatur in longum, iterum eidem injunctum fuit, ut quamprimum referret, sive in Visitatione, sive extra eam. Hoc interim defuncto Episcopo, hoc idem scriptum fuit Vicario Capitulari, ut informaret juxta præfatam instructionem alias Episcopo transmissam.

Vicarius Capitularis omnia expressa in antecedentibus relationibus confirmat, addit tamen, quod utrumque Monasterium promittit, tot acceptare Virgines Professas, quot hæreditaria bona sustinere valent, quodque Monasterium S. Michaelis summa rerum omnium inopia laborat, ac tanta premitur egestate, ut necesse fuerit elapsis diebus extrahere ex arca trium clavium scuta 65. ad emendam aliquam frumenti portionem pro ejusdem substentatione, ita ut Monasterium istud vel abolendum, vel alteri aggregandum, aut aliunde consulendum sit. Plura alia recensentur in hac nova relatione, quæ datur impressa.

Circumferuntur Jura Partium, unde quæritur,

An, & quomodo sit locus commutationi in casu &c.

Sacra Congreg. die 17. Septembris 1729. respondit,

Eminentissimo Pico, qui dignetur rem perpendere, & votum suum S. Congregationi Concilii aperire, & interim scribatur Vicario Capitulari, qui mandet, reddi rationem de bonis hereditariis, ac deponi fructus, & certioret.

QUÆSTIO DLXIII.

In Causa Novarien si, die 5. Julii 1727.

EXORTIS nonnullis controversiis inter Moniales Capucinas Civitatis Novariæ, & Parochum Ecclesiæ S. Crucis ejusdem Civitatis, intra cujus Parochiæ fines Ecclesia prædicti Monasterii sita est, deventum fuit ad subscriptionem quatuor dubiorum, super quibus exquisita fuit informatio Eminentissimi Ordinarii; cumque Parochus det manus super prima parte tertii dubii, necnon super quarto, tota idcirco controversia ad primum duo, & ad ultimam tertii partem restringitur.

Quoad primum itaque dubium, Moniales prætendunt, quod delatis ad suam Ecclesiam Cadaveribus Parochianorum sive Sanctæ Crucis, sive alterius Parochiæ, jus funerum cum Cruce, & Stola non ad Parochum S. Crucis, sed ad suum tantummodo Confessarium debeat pertinere, tum propter observantiam signanter Civitatis Mediolanen. tum quia cum tam hæc S. Congregatio, quam alia Sacrorum Rituum sæpius resolverit, Officium super Cadaveribus in Ecclesiis Regularium spectare, & pertinere ad ipsos Regulares, & non ad Curatos Defunctorum, uti videre est *in Constitutione 93. Alexandri Papæ VII. Bull. tom. 6. & in Constitutione 57. Clementis X. eodem tom. 6. Bullarii*, censura hæc procedens in terminis Monachorum, & Regularium procedit etiam in terminis Monialium, quando ad earum Ecclesias exteriores Cadavera Defunctorum deferuntur, juxta individuam resolutionem hujus Sac. Congregationis *die 19. Martii 1639. lib. 16. decret. fol. 163.* quam laudat, & per extensum refert *D. Ursaya discept. 8. par. 1. tom. 1. num. 27. & seq.* & quia in primo dubio fermo etiam fit de quarta funebri, quæ Parocho debetur, subdunt Moniales, quod quatenus Parochus insistere velit ultimæ Constitutioni Sanctissimi Domini Nostri abrogativæ Privilegiorum super non solutione quartæ, supponere de necessitate debet ipsarum exemptionem, cum Constitutio procedat, suppositæ exemptione.

Parochus e contra suæ petitionis fundamentum super delatione Crucis, & Stolæ, & jure funerum, explendo in Ecclesia Monialium, quando ad eam deferuntur Cadavera Defunctorum suæ Parochiæ, sive alterius, constituit in specifica observantia Civitatis Novarien. & Monasterii, quam contendit pro se militare, necnon in dispositione juris; quidquid enim sit in generali quæstione, an privilegia concessa Religiosis, concessa etiam dicantur Monialibus ejusdem Ordinis, affirmativa nihilominus opinio non potest procedere, nisi in materia adaptabili, qualis profecto non est ea, de qua nunc agitur, cum tot obstent Sacrarum Congregationum Decreta, quibus prohibitum est dare sepulturam in Ecclesiis etiam exterioribus Monialium, quatenus aliquis in ea sepeliri voluerit, juxta late deducta per *Pignatell. consult. 177. tom. 4.* & magistraliter per *Eminentissimum Petram in tom. 2. Comment. ad Constit. Apostol. pag. 198. num. 27. & seq.* & in eo, quod attinet ad allegatam resolutionem hujus Sacræ Congregationis, subdit Parochus, eam ad summum sibi posse vindicare locum in hypothesi, in qua Moniales sint subjectæ Regularibus, secus autem in casu, in quo versamur, in quo Capuccinæ non sunt Regularibus subjectæ, sed Ordinario, & Presbyterum secularem habent in Confessarium, ita ut quemadmodum pertinet ad Parochum facere Officium super Cadaveribus Defunctorum, qui elegerunt sepulturam in Ecclesiis Regularium subjectorum jurisdictioni Ordinariorum, uti habetur apud *Monacell. in formulario tom. 2. pag. mihi 17. num. 70.* & ad eundem Parochum spectat facere Officium funebre super Cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum, si tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium, juxta Decreta Urbis & Orbis anni 1703. impressa in *Bullar. fan. mem. Clementis XI. pag. 563.* sic ad eumdem Parochum prædicta omnia pertinere dicenda sunt in hypothesi saltem, in qua Cadavera deferantur ad Ecclesiam Monialium non exemptarum, sed Ordinario subjectarum, & sermonem habendo de quarta funerali, Parochus ait, se non recedere a consuetudine Civitatis Novariensis, juxta quam si tumulandus in Ecclesia Monialium sit de suæ Parochiæ districtu, sibi dantur tres ex quatuor partibus ceræ, retenta per Moniales altera quarta parte, sed si tumulandus sit de aliena Parochia, tunc Parochus Cadaveris recipit ceræ medietatem, & altera medietas dividitur inter Moniales, & Parochum ipsum, intra cujus Parochiæ fines sita est Ecclesia Monialium.

Quoad exempla Anniversaria in Suffragium Defunctorum tumulatorum in Ecclesia Monialium, juxta ea, quæ proponuntur in secundo dubio, Parochus insistit Consuetudini: redactaque demum controversia ad ultimam tertii dubii partem, hoc est ad jus administrandi Sacramenta tam in vita, quam in morte, & ad jus tribuendi sepulturam, nonnullis Tertiariis, qui Monialibus inserviunt, regula juris est, quod famuli inservientes Monialibus tenentur satisfacere Præcepto Paschali in Ecclesia Parochiali, & quod ad Parochum pertinet iisdem Infirmis Sacramenta administrare, & quod eorum Cadavera sunt in Parochia sepelienda, nisi ab eis fuerit alibi electa sepultura, uti resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *in Barchinonen. 21. Januarii 1723. in Lauden. Jurium Parochialium 14. Aprilis 1685. in Spoletana Jurium Parochialium 19. Aprilis 1692. & in Ulixbonen. Occident. 19. Septembris 1722.* nulla habita consideratione, quod famuli prædicti sint Tertiarii, cum etenim in Claustro non vivant, idcirco remanent subjecti Parocho tam quoad Sacramenta, quam quoad funera, uti bene perpendit *Eminentiss. Petra ad Constitutiones Apostolicas, tom. 4. pag. 473. num. 7.* & in terminis horum Tertiariorum, qui inserviunt hisce Monialibus Capuccinis Civitatis Novariæ respondit hæc Sac. Congregatio anno 1640.

At punctus est, quod, teste Eminentiss. Ordinario, Tertiarii isti habitum recipiunt a Patribus Reformatis, & incedunt sub illorum Cruce in Processionibus, quo stante, operæ pretium est ponderare, an supra relatæ regulæ juris obstet Constitutio Sanctiss. Domini Nostri edita anno 1725. in qua universa privilegia toti Tertiariorum cœtui in tres status distincto, sæcularium scilicet, Collegialiter viventium, & Regularium, a Summis Pontificibus concessa confirmantur, ipsique Tertiarii omnimodæ jurisdictioni, & regimini Ministri Generalis totius Ordinis Minorum pro tempore extituri, denuo subjiciuntur, & commendantur.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. An occasione delationis Cadaverum sive Parochiæ S. Crucis, sive alienæ ad Ecclesiam exteriorem Monialium Capuc-

Cappuccinarum Parocho S. Crucis pertineat jus funerum cum Cruce, & Stola privative ad Confessarium dictarum Monialium, seu potius ipsi Confessario, & an in suppositio debeatur ipsi Parocho Quarta funeris Cerae etiam positae super Altare, esto, quod Casaruer sit alienae Parochiae.

II. An possit Parochus in eadem Ecclesia, & in Suffragium Defunctorum inibi tumulatorum explere Anniversaria cum Officio, & Missa in cantu, sive ex devotione haeredum, sive ex dispositione Testatorum.

III. An liceat ipsi Parocho in Sabbato Sancto benedicere Collocutoriis, aut Januae Monasterii, vel Hospitio Terciariorum connexo, tum etiam Tertiariis ipsis administrare Sacramenta, sive in vita, sive in morte, vel eorum exequias peragere pro tumulo intra ipsam Ecclesiam.

IV. An valeat Parochus in dicta Ecclesia assistere Matrimoniis, vel earum denunciationes facere, aut benedictiones Mulierum post partum, vel similes impartiri in casu &c.

Sacra Congr. die 23. Augusti 1727. respondit,

Ad Primum ad primam dubii partem affirmative, ad secundam negative, ad tertiam servetur solitum.

Ad Secundum affirmative quoad Anniversarium relictum a Pedrettio, & quoad alia coadjuventur probationes.

Ad Tertium negative quoad primam partem, & ad secundam ad mentem.

Ad Quartum negative, & amplius in omnibus.

QUÆSTIO DLXIV.

In Causa Mazarien., die 5. Julii 1727.

PROPOSITA fuit instantia Episcopi Mazarien. in Congregatione habita die 10. Maii 1727. pro resolutione quatuor dubiorum, tria fuerunt resoluta, hoc est primum, secundum, & quartum, & in ordine ad tertium dictum fuit, quod *innerentur Decreta*. Ad calcem Secretarius nonnulla adnotavit: Quocirca dubium tertio loco propositum, & non resolutum est hoc, quod sequitur,

An Episcopus, & Confessarii, sive Ordinarius, sive Extraordinarius ingredi possint Monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua Moniali infirma, quae pro sua devotione vult Confessionem explere.

Sacra Congr. respondit,

Affirmative, servatis servandis.

ADNOTATIONES SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

In Causa Mazarien.

IN Canone 21. Concilii IV. Lateranen. relato in Cap. *omnis de poeniten. & remiss.* omnes, & singuli Fideles adstringuntur ad explendam Confessionem semel in anno, & licet nullum certum tempus annuae Confessionis, praecepto aliquo Ecclesiae praefixum sit, Confessio tamen Sacramentalis ratione Communionis Paschalis in Pascha te implenda est juxta doctrinam Divi Thomae *quodlibet. primo, quaest. 6. artic. 2.* ibi: *& quia ex praecepto Ecclesiae omnes fideles tenentur saltem in anno praecipue in festo Paschae Sacramentalem Communionem accipere, ideo Ecclesia ordinavit, ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi Eucharistiam, omnes Fideles confiteantur.*

Item, praecepto Sacramentalis Confessionis tenetur quicumque conscius peccati mortalis vult accedere ad Sacramentum Eucharistiae, juxta Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 13. cap. 7.* ibi: *nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur absque praemissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Eodem tenetur praecepto ille, cui periculum mortis imminet, juxta pariter doctrinam Divi Thomae in 4. *sentent. dist. 17. quaest. 3. artic. 1. quaestiuncula prima*, ibi: *ideo si periculum mortis immineat, etiam per se loquendo obligatur aliquis ad Confessionem faciendam tunc.* Et quamvis Confessionis praeceptum non obliget statim ac aliquis in mortale peccatum lapsus est, expedit nihilominus, ut ille quam citius potest, confiteatur juxta doctrinam S. Bonaventurae *in 4. sentent. dist. 17. quaest. 2. part. 2.* ibi: *consilium tamen sanum est, ut omnes, qui in mortale peccatum lapsi sunt, quam citius possunt, confiteantur, non enim videtur vere contritus, qui tam longo tempore vulnus peccati portat occultum*; & in eo quod attinet ad Moniales, Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 25. cap. 10. de Regul.* haec habet: *attendant diligenter Episcopi, & caeteri Superiores Monasteriorum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum faciant, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant*, quae verba juxta communem Doctorum opinionem in Consilium resolvuntur, uti caeteris allegatis, docent *Reginald. in praxi fori poenitent. lib. 29. num. 73. in fine, Donat. in praxi rerum regul. tom. 4. tract. 13. quaest. 1.*

Atque hinc transeundo ad ingressum in Monasterium pro administrando Sacramento Confessionis illis Monialibus, quae ita sunt infirmae, ut neque per se, neque cum aliarum auxilio possint ad Confessionarium, & fenestellam accedere, de quibus solis loquitur dubium propositum, Doctores de materia scribentes, dicunt, Confessarium posse ingredi Monasterium ad ministranda Sacramenta Confessionis, & Eucharistiae, non solum quando urget morbi periculum, sed etiam in ipso initio morbi, & quoties ex regulae suae praescripto Monialis vult confiteri, & ulterius quoties infirma dixerit, se Sacramento poenitentiae indigere, aut Sacramenta recipere consueverat, dum erat sana. Ita Sanchez in praecepta Decalogi *lib. 6. artic. 16. num. 45.* ibi: *quod si petas quoties Confessarius, aut ministraturus Eucharistiam ingredi possit, respondeo, non solum id fas esse, quando morbi periculum ad Confessionem obligat, sed etiam ipso morbi initio, ut constat ex cap. cum infirmitas de poenitentiis, & remissionibus, & ex motu proprio Pii V. ubi jubentur Medici statim in ipso morbi initio suadere infirmis, ut Sacramenta Confessionis, & Eucharistiae recipiant tanquam valde conferentia corporeae saluti recuperandae, eo quod saepe morbus in poenam peccatorum contingat, & tanquam valde necessaria saluti Animae, cum saepe inopinato contingat infirmum phreneti arripi, incapacemque horum Sacramentorum reddi. Immo id licitum quoque credo, quoties ex regulae suae praescripto Moniales solent confiteri, quod bene docet Miranda loquens de strictiori Monialium S. Claraе Clausura, additque idem dicendum, quoties infirma dixerit se Sacramento poenitentiae indigere, & placet, nec stricte hanc indigentiam sumendam existimo, sed quando ad veram, & propriam consolationem confiteri desiderat, quia justum est tristitiam infirmae tam salutari medicina levari. Idem etiam credo, quoties juxta laudabilem Monasterii usum solent Moniales confiteri, Eucharistiamque recipere, vel infirma solita est his Sacramentis uti, quia rationi consonum est, infirmas hoc solatio non destitui.*

Quod ipsum a caeteris aliis fuse confirmatur, *Rodrig. quaest. regul. tom. 1. quaest. 47. artic. 4. Miranda in tract. de Sacris Monial. quaest. 2. pag. mihi 42. Tamburin. de Jure Abbatissarum disputat. 24. quaest. 2. num. 1. Diana in edit. coordinata tom. 5. tract. 1. resolut. 9. num. 4. Portell. in dubiis regul. in verbo Clausura Monialium n. 9. Pellizar. de Monialibus cap. 10. sect. 3. subsec. 1. quaest. 40. num. 220. Gibalin. de Clausura disquisit. prima cap. 7. §. 2. sect. 2. §. Secundo licebit, Bonacin. operum moral. tom. primo, quaest. 4. de Clausura puncto 4. propos. unica num. 4.*

Sermonem habendo de Decretis Sacrarum Congregationum, nonnulla Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium referuntur apud *Nicol. in Flosculis in verbo Clausura num. 32. & sequent.* in quibus sermo fit de ingressu ad ministranda Confessionis, & Communionis Sacramenta *in principalibus anni solemnitatibus*, & ab hac Sacra Concilii Congregatione 15. Decembris 1605. resolutum fuit posse Confessarios ingredi Clausuram Monialium ad ministranda infirmis Sacramenta poenitentiae, & Eucharistiae, omnibus illis diebus, quibus ex instituto, vel consuetudine Monasterii Moniales Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum suspiciunt, uti habetur *in tom. 129. posit. pag. 137. ad cap. 5. sess. 25.* Sed non videtur, quod haec Decreta taxative loquantur.

QUÆ-

QUÆSTIO DLXV.

In Causa Anconitana, die 5. Julii 1727.

NICOLAUS Ferretti, qui Professionem Regularem inter Canonicos Lateranenses anno 1674. emiserat, intercedentibus debitis requisitis, hoc est licentia Patris Abbatis Generalis, & Sedis Apostolicae Indulto, anno 1720. Parochialem Ecclesiam saecularem obtinuit in Dioecesi Theatina, qua dimissa, aliam Ecclesiam Parochialem S. Nicolai obtinuit in Civitate Anconae.

Idem Nicolaus in jus vocavit Comitissam Franciscam Ferretti, & Bajulivum Petrum Paulum Marcolinum Conjuges, petiitque immissionem ad possessionem bonorum, quae occasione Professionis renuntiaverat, & admissus fuit ad usumfructum tertiae partis, & subinde ad usumfructum Corporum aliorum bonorum in Terra Montis Marciani, uti colligitur ex *decis. Anconitana Successionis 23. Februarii 1722. coram R. P. D. Calcagnino, & ex decis. Anconitana, seu Senogallien. Successionis quoad bona Montis Marciani 22. Martii 1726. coram R. P. D. Nunnez.*

Tempore quo Ecclesia Anconitana administrabatur a clar. mem. Cardinali Buffio, exhibitus fuit huic Sacrae Congregationi supplex Libellus, in quo pro Religionis, & Familiae decore expositum fuit, praedictum Nicolaum non gestare habitum suae Religionis, neque Socium Regularem retinere, quamvis id commode facere posset, ex quo habita ratione nedum redituum Parochiae, sed etiam bonorum Patrimonialium recuperatorum, & commodae habitationis in Palatio Ferretti, dici potest, quod habeat in annuo reditu scuta mille circiter, instando, ut ab hac Sacra Congregatione eidem demandaretur, ut habitum suae Religionis reassumeret, & Socium sui Ordinis retineret, & juxta morem datae fuerunt litterae pro informatione ad praedictum Eminentissimum Buffium.

Supervento obitu praedicti Eminentissimi, collataque mihi a Sanctissimo Domino Nostro Ecclesia Anconitana, renovata fuit instantia, datisque novis litteris pro informatione ad meum Pro-Vicarium Generalem, respondit ille, Nicolaum incedere in Veste Presbyteri Saecularis, dimisso proprio Regulari habitu, ab eo famulum retineri more nobilium, Parochiales reditus ascendere, computatis certis, & incertis ad scuta circiter octuaginta, qui integre ab eo non percipiuntur, cum solvat scuta annua sexaginta Cappellano, seu Vice-Parocho, & de omnibus Ecclesiam provideat.

Addit, scuta octingenta circiter annua ad eum, uti creditur, devenire ex bonis Paternis, & in eo, quod attinet ad Consuetudinem, Canonicos Regulares extra Religionem degentes, & admissos ad Curam Animarum, vel ad Canonicatus in Cathedrali Anconitana, semper gestasse habitum Presbyteri Secularis.

Perpensis itaque hucusque expositis, necnon aliis ad calcem referendis, quaeritur

An Nicolaus Ferretti teneatur deferre habitum Regularem Congregationis Lateranensis tam in functionibus Ecclesiasticis, quam extra Ecclesiam, & respective habere Socium Regularem dictae Congregationis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Dilata, & interim Nicolaus accedat ad habitandum in Domo Parochiali, & proponatur Dubium super licito transitu ad secundam Parochiam.

ADNOTATIONES SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

In Causa Anconitana.

JUXTA Sacrorum Canonum dispositionem, Canonici Regulares, utpote inservientes regulae laxiori sunt capaces Ecclesiarum Parochialium etiam Saecularium, juxta Textum *in cap. Quod Dei timorem de statu Monachorum*; & quamvis haec juris communis dispositio fuerit a Gregorio XIII. correcta, re tamen mature discussa in Sacra Congregatione Episcoporum, & Regularium, & annuente Summo Pontifice Clemente X. statutum fuit, ut Canonici Regulares Congregationis Lateranensis assumi possent ad Curam Animarum etiam in Ecclesiis saecularibus exercendam, dummodo ultra licentiam Abbatis Generalis accederet expressum Sedis Apostolicae Indultum, uti colligitur ex Decreto edito apud *Monacell. in formul. tom. 1. in appendice pag. 314.* & accedente etiam Summi Pontificis Indulto, aliqui ex dictis Canonicis assumpti fuerunt ad Canonicatus saeculares in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, juxta casum disputatum, & resolutum in hac Sacra Congregatione *in Bononien. Indulti 18. Septembris 1723.* quam resolutionem san. mem. Innocentius XIII. in suis Apostolicis Litteris confirmavit.

Supposita dictorum Canonicorum Regularium capacitate, cum conditionibus tamen supra expressis, in eo quod attinet ad habitum ab iisdem gerendum, cum ad Beneficia saecularia assumuntur, praetenditur, quod adsit consuetudo, ut praedicti deferant habitum Clericorum Saecularium, teste *Crescent. in Praesid. Roman. lib. 2. par. 3. in observ. num. 22.* ibi: *però io ho veduto più d'uno di questi Canonici della Congregazione Lateranense, i quali, avendo Beneficio secolare, vestivano da Preti secolari, e so che ce ne sono di presente, ed alcuni di quelli m'hanno detto, che tale è l'uso loro, il quale, non discordando dal diritto naturale, gli può scusare tanto più, che vediamo i Premonstratensi, quei di S. Giorgio in Alga, e quei di San Giovanni Evangelista, ed altri di quà, e di là da i Monti, che sono Canonici Regolari, e per tali in cento Bolle nominati, e stimati, i quali non hanno quel Rocchetto, nè lo stimano abito necessario di Canonici Regolari*; de qua etiam praxi testantur *Franciscus Sadavin. responsi. 43. num. 36. Card. de Luca de Regul. disc. 36. sub num. 11.*

Et quidem quoad Canonicos Regulares assumptos ad Canonicatus Saeculares in Metropolitanis, Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis urget pro assumptione habitus Clerici Saecularis *Text. in cap. Deus, qui, de vita, & honestate Clericorum*, ubi Innocentius III. mandavit Monachos, & Canonicos Saeculares omnes in unum habitum conformari, ea ratione ne scandalum ex vestium diversitate excitetur, ibi: *ne igitur, si disparia in vobis observantia fuerit, & dissimilis habitus apud vos, quibus unum Evangelium praedicatis, scandalum suscitetur, mandamus, quatenus eo non obstante, quod inter vos Monachi sunt, & Canonici Regulares, vel alii etiam Regularem vitam, sub alia distinctione professi, omnes pariter in unum regulare propositum, & honestum habitum, quantum ad hoc spectat officium, conformetis.*

Ab hoc quippe Textu inferunt Doctores, habitus uniformitatem esse necessariam inter plures insimul congregatos, ne scandala oriantur, ut ibi adnotavit Glossa in verbo *Professi*, & eadem Glossa reassumit *in Canone in nona actione in verbo nec habitum 16. quaest. 7.*

Et facit exemplum Summi Pontificis Clementis VIII. qui saecularizando Metropolitanam Ecclesiam Caesaraugustanam, in qua duo actu reperiebantur Canonici adhuc Regulares, decrevit modo qui sequitur: *& ne in ipsa Ecclesia Personae diversi habitus existant, & ipse Hieronymus*, praedicti, qui erant Regulares, *tam in Choro, & Capitulo dictae Ecclesiae, quam alibi, aliis futuris illius Canonicis Saecularibus in habitu superiore, ac ritu, incessu, & caeremoniis, absque alicujus apostasiae, irregularitatis, seu inhabilitatis nota, vel macula, aut alterius censurae, seu poenae Ecclesiasticae incursu, retento tamen subtus Regulari eorum habitu, & firmis remanentibus tribus substantialibus votis per eos emissis, se conformare libere, & licite valeant*, uti legitur in dicta Bulla apud Ludovicum a Saravia *in suo tractatu de adjunctis quaest. 1. num. 39. impresso post Francesi. de Ecclesiis Cathedralibus.*

Quoad Canonicos vero Regulares assumptos ad regimen alicujus Ecclesiae Parochialis, licet quoad hos non militet ratio mox perpensa necessariae uniformitatis in habitu cum aliis ejusdem Collegii, & licet retentio socii ex suo Ordine, de qua infra, delationem importare videatur habitus Canonici Regularis, ne Socius cum habitu, & Canonicus sine habitu Regulari ab hominibus videatur; aliqua tamen sunt, quae assumptioni habitus Clericorum Saecularium favere posse videntur. Si etenim Canonici Regulares assumuntur ad Beneficia Curata Saecularia, Beneficium Curatum Saeculare exposcit habitum Presbyteri Saecularis, uti advertit *Zachar. Ferrer. in tract. de habitu Canonic. Regul. conclus. 1. probat. 4. §. Constitutio in Bullario Congregat. Lateranen. pag. 459.* & sequitur *Fastolus causa 36. dub. 65. num. 1.* Additur, quod Leo Papa X. *in Bulla 34. Bullarii*

luvii tom. 1. decrevit, quod Canonici Lateranenſes ad Epiſcopatus aſſumpti habitum deferant ejuſdem coloris, & formæ, quibus utuntur Epiſcopi Sæculares, tam in Sacello Pontificio, quam extra. Et in eo quod attinet ad conſuetudinem, Pater Abbas Procurator Generalis Canonicorum Regularium Lateranenſium alias ab hac Sacra Congregatione in Cauſa Firmana requiſitus pro informatione, ſic de habitu horum Canonicorum retulit, occaſione, qua Fratres de Adamis prætenſionem excitaverant, ut Thomas eorum Frater e Congregatione Canonicorum Lateranenſium, aſſumptus ad Eccleſiam Parochialem Sancti Sabini in Villa Parani Trebii, Dioeceſis Spoletanæ habitum deferret Congregationis Lateranenſis: *in ea poſtea Cura rurali, utitur habitu externo, quo utuntur omnes alii Canonici noſtri Ordinis applicati ad Curas Sæculares Forenſes, qui non multum differt ab habitu Presbyterorum, cum ſit veſtis nigra Talaris, qui eſt habitus proprius geſtari ſolitus ab immemorabili juxta noſtras leges ab his Canonicis promotis ad Curas Sæculares. In publicis autem functionibus Eccleſiaſticis utuntur etiam Rocchetto, qui eſt habitus proprius Religionis, & Canonicalis*, adeoque diſputato in eadem Cauſa dubio ſequentibus verbis concepto, *an Thomas de Adamis teneatur deferre habitum Regularem Congregationis Lateranenſis, tam in functionibus Eccleſiaſticis, quam extra Eccleſiam*, reſponſum fuit ab hac Sacra Congregatione die 23. Maii 1722. *ad mentem*, quæ fuit, ut deferret habitum juxta ſolitum.

Hæc quoad habitum; quo vero ad retentionem Socii Regularis, Textus *in cap. Quod Dei timorem de ſtatu Monachorum*, eam præſcribit quatenus commode fieri poſſit, ibi: *ſic annuendum duximus poſtulatis, ut exercens Plebani officium, ſi commode fieri poterit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam, cujus in his, quæ Dei ſunt, & Regularis obſervantiæ, tam conſortio, quam ſolatio perfruaris*, quæ eadem verba reaſſumuntur in Decreto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium ſupra citato, & impreſſo poſt *Monacell. in Appendice pag.* 314. Retentio itaque Socii pendet a commoditate, idque facit, ut Canonicus Regularis, ceſſante commoditate, præfici poſſit ſine Socio Eccleſiæ Sæculari, uti docent *Gonzal. ad Regulam* 8. *Cancellariæ gloſſ.* 7. *num.* 19. *Pax Jordan. tom.* 2. *lucubr. lib.* 10. *tit.* 27. *num.* 42. & cum in citata Cauſa Firmana Thomas de Adamis ſe oſtendiſſet impotentem ad Socii retentionem, & in ea, ultra delationem habitus diſputatum fuiſſet, an teneretur habere Socium Regularem, ibi, *an Thomas de Adamis teneatur deferre habitum Regularem Congregationis Lateranenſis tam in functionibus Eccleſiaſticis, quam extra Eccleſiam, & reſpective habere Socium Regularem dictæ Congregationis*, uti dictum eſt, reſponſum fuit *ad mentem*, ut deferret ſcilicet habitum juxta ſolitum, & eſſet exemptus ab obligatione retinendi Socium.

QUÆSTIO DLXVI.

In Cauſa Veliterana, die 5. *Julii* 1727.

CUM Cathedralis Eccleſia Veliteranenſis reparatione indigeret, & clar. mem. Cardinalis Tanarius multa in dictam cauſam de proprio contuliſſet, per organum hujus Sac. Congregationis impetravit a ſan. mem. Innocentio XIII. ſuſpenſionem collationis primi Canonicatus vacaturi, ut cum illius reditibus ſolvi poſſent fructus, & extingui Capitale unius Cenſus ſcutorum mille, imponendi pro conſtructione fornicis Eccleſiæ: Et fundamentum hujus gratiæ repoſitum fuit in hoc, quod ultra Beneficiatos, aderant treſdecim Canonici, nec ullum erat excogitabile præjudicium Datariæ, cum ſemper unus ex Cardinalibus ſit Epiſcopus Veliternenſis.

Secuta vacatione primi Canonicatus, ſuſpenſa fuit ejus Collatio, & gratia ſuum habuit effectum, ſed poſt aliquam annorum intercapedinem, delato Epiſcopatu ad Eminentiſs. Barberinum, cum Canonici recurſum habuiſſent ad hanc Sac. Congregationem pro facultate inveniendi Sacerdotem, qui tamquam Canonicus gratis Eccleſiæ inſerviret, cum conditione tamen, ut primum Canonicatum vacantem obtinere deberet, & tunc fructus, & diſtributiones ejuſdem Canonicatus percipere; de more exquiſita fuit informatio Eminentiſs. Epiſcopi, qui retulit, ſe habere in promptu plures Sacerdotes hanc conditionem acceptaturos, & cenſuit, annuendum eſſe petitis propter imminens præjudicium Cultus Divini, cum tres ex Canonicis habeant indultum jubilationis, & alter fuerit aſſumptus ad Epiſcopatum in Partibus Infidelium.

Actum fuit de hac re inter ſummaria precum die 25. Januarii currentis anni, & tres excitatæ fuerunt difficultates.

Prima fuit, quod non immineret præjudicium Cultus Divini, cum Canonicus aſſumptus ad Epiſcopatum in Partibus Infidelium debeat intereſſe Choro, & jubilati, imminente dicto periculo, poſſint ad ſervitium revocari.

Secunda fuit repoſita in poſſibili damno ſucceſſoris in Epiſcopatu. Si etenim præſens Eminentiſſimus Epiſcopus, quod Deus avertat, moreretur antequam factus eſſet caſus vacationis alicujus ex Canonicatibus, ſucceſſor in Epiſcopatu careret libera facultate eum conferendi Perſonæ ſibi beneviſæ.

Tertia fuit, quod Sacrum Concilium Tridentinum abrogavit expectativas, uti habetur *Seſſ.* 24. *cap.* 19. *de Reformat.* ex quo decreto Sacra hæc Congregatio alias reſolvit, non poſſe admitti Canonicum, qui inſerviat cum expectatione ad futuram præbendam, uti habetur *in notis Gallemart ad dictum Caput Concilii*, & ſequitur *Gonzal. Super regulam octavam Cancellariæ* §. *primo proœmiali num.* 64.

Adeoque *dicta die* 25. *Januarii* reſcriptum fuit, quod *exquirerentur Exempla*.

Cohærenter ad hæc exquiſita fuerunt, ſed non inventa exempla, quocirca Capitulum novum habuit recurſum, & mutata inſtantia ſupplicavit pro facultate Eminentiſſimo Epiſcopo concedenda, conferendi Canonicatum ſuppreſſum cum conditione tamen, ut Canonicus, nec fructus, nec diſtributiones percipere poſſet, & etiam ſpe careret ſuccedendi in primo Canonicatu vacaturo.

Actum fuit de hac re inter ſummaria precum in Congregatione habita *die* 8. *Februarii currentis anni*, ſed aliæ fuerunt excitatæ difficultates. Si etenim collatio Canonicatus fuit ſuſpenſa a ſan. mem. Innocentio XIII. dictum fuit, quod durante ſuſpenſione non poterat fieri ejus collatio; item ponderatum fuit, quod collationi Canonicatus habentis Præbendam, & diſtributiones appoſita conditione, ut Canonicus fructus, & diſtributiones non percipiat, obſtat totus titulus decretalium, qui eſt duodecimus libri 3. *ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine diminutione conferantur*, & licet ipſe in meo ſuffragio Conſultivo reverenter inſinuaſſem, quod poterat fieri Canonicus aliquis ſupra numerum, & honorarius, cum alii ſimiles Canonici in diverſis Eccleſiis reperiantur, reſponſum nihilominus fuit *relata*, cum ſimiles Canonici non poſſint adigi ad reſidentiam, juxta firmata per *Seraphin. deciſ.* 1452. *num.* 2. *& ſeqq.*

Hiſce minime obſtantibus, Capitulum Eccleſiæ Veliternenſis inſtetit pro Cauſæ deſcriptione in folio, eamque obtinuit, & ex juribus circumferendis quæritur,

An ſit Eminentiſſimo Ordinario concedenda facultas conferendi Canonicatum ſine participatione fructuum, & diſtributionum a Summo Pontifice Innocentio XIII. ad tempus applicatorum pro debito extinguendo, cum conditione, quod taliter proviſus obtinere debeat primum Canonicatum vacaturum, & quatenus negative, an ſit eidem Eminentiſſimo Ordinario concedenda facultas conferendi prædictum Canonicatum ſine prædicta conditione.

Sacra Congr. die 23. Auguſti 1727. reſpondit,

Ad primam dubii partem negative, ad ſecundam affirmative, emiſſa tamen valida obligatione de reſidendo, & inſerviendo Eccleſiæ ad formam ſuæ obligationis.

QUÆSTIO DLXVII.

In Cauſa Monopolitana, die 2. *Auguſti* 1727.

SACRA hæc Congregatio deputavit Epiſcopum Polinianenſem in Viſitatorem Apoſtolicum Terræ Faſani, quæ dicitur *Nullius*, cumque prædictus Epiſcopus ſacram peregiſſet Viſitationem Eccleſiarum in dicta Terra ſitarum, ſubdelegavit Sacerdotem Marcum Antonium Mutinatum, & Vicarium Generalem Faſani, ut viſitarent Cappellas ruraleſ.

In executionem hujus delegationis, Viſitatores, poſt viſitatas Eccleſias Ditioni Faſanenſi ſubjectas, acceſſerunt ad viſitandam Eccleſiam *Beatæ Mariæ de Roſario*, quæ ſubjecta prætenditur Epiſcopo Monopolitano.

Expleta hujus Eccleſiæ viſitatione, Vicarius Faſanenſis proceſſit ad viſitandam Eccleſiam Sanctæ Mariæ *de Madia* erectam in Tenuta nuncupata *Torre ſpaccata*; cumque ibi exiſteret Doctores Paſchalis Coſta, dicti Teninenti Dominus, una cum nonnullis Sacerdotibus Ciſternini, prædictuſque Vicarius ab aliis aſſociatus intenderet velle facere prædictæ Eccleſiæ viſitationem, excipientibus aliis, id ab eo præſtari non poſſe, ex quo illa erat immediate ſubjecta Ordinario Monopolitano, ad arma deventum eſt, ita ut viſitatio fieri non potuerit, & in conflictu Doctor Paſchalis Coſta ſclopo percuſſit pectus Sacerdotis Faſanenſis, & ad horum vindictam Vicarius Generalis Faſani devenit ad excommunicationem adverſus eos, qui vi, & armis ſe fuæ viſitationi oppoſuerunt, declaravitque, Paſchalem Coſtam incidiſſe in excommunicationem Summo Pontifici reſervatam, quia ſuadente Diabolo ea occaſione manus violentas injecerat in Sacerdotem Joannem Vincium Terræ Faſani.

Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Monopolitanæ contendit, utramque Eccleſiam Beatæ Mariæ *de Roſario*, & Beatæ Mariæ *de Madia* eſſe ſubjectam Ordinario Monopolitano, utpote in ejus Dioeceſi exiſtentem, & alias ab eodem viſitatam una cum pluribus actibus juriſdictionis de tempore in tempore exercitis.

Addit, Cenſuras fuiſſe injuſtas, cum non poſſet Vicarius Faſani alienam invadere juriſdictionem, & cum ulterius non poſſet ad Cenſuras procedere, cum jus viſitandi delatum fuiſſet ad Epiſcopum Polinianenſem, qui eum ſubdelegavit ad nudum miniſterium viſitationis, quique ulterius ſe ſe abſtinuerat a fulminatione Cenſurarum, & in eo, quod attinet ad nullitatem, ponderat, quod Ciſterninenſes moniti ad comparendum intra terminum novem dierum, comparuerunt, & cauſas allegarunt ſuæ reſiſtentiæ, & quatenus non obſtantibus juribus deductis, Vicarius Generalis ad aliquem ulteriorem actum progredi attentaſſet, ex tunc ad Sanctam Sedem appellarunt, hinc inferendo, quod prædictus Vicarius ſine nullitate non poterat elapſo termino ad ſententiam excommunicationis devenire.

Quæ ſint jura Vicarii Generalis Faſani ignoro, cum ad me deleta non fuerint. Quocirca ex juribus circumferendis quæritur,

I. An Eccleſia ſub titulo B. Mariæ de Madia, erecta in Tenuta vulgo nuncupata Torre ſpaccata, *ac altera ſub invocatione Beatæ Mariæ de Roſario erecta in Tenuta enunciata* Torre longa *ſint in Diœceſi Monopolitana, ita ut jus illas viſitandi ſpectet privative ad Ordinarium Monopolitanum in caſu &c.*

II. An ſuſtineantur Cenſuræ promulgatæ a Vicario Generali in caſu &c.

Sacra Congr. die 20. Septembris 1727. reſpondit,

Ad primum dilata, & coadjuvetur probationes, & interim Epiſcopus manuteneatur in exercitio Juriſdictionis Ordinariæ. Ad ſecundum negative, & Epiſcopus Monopolitanus procedat, prout de jure, contra percuſſorem.

QUÆSTIO DLXVIII.

In Cauſa Arianenſi, die 2. *Auguſti* 1727.

VINCENTIUS Intonti Archidiaconus Eccleſiæ Arianenſis, & Rector Cappellæ Sanctiſſimæ Annunciationis Terræ Zuncoli Sanctiſſimo Domino Noſtro expoſuit, primo, quod Camillus Ciampolilli in ultimo, cum quo deceſſit, teſtamento, hæredem ex aſſe inſtituit prædictam Cappellam, quæ erat de jure Patronatus prædictæ Familiæ Ciampolilli.

Secundo, quod hæreditatis adminiſtrationem detulit Presbytero Angelo Amuruſo, & Camillo Mariæ Ciampolilli Nepoti, & hoc ſine liberis decedente, eandem adminiſtrationem commiſit Gubernatoribus Montis Pietatis Civitatis Neapolis, ea ſtatuta lege, ut per eos facto Cappellano, cui unus impoſuit celebrationis quotidianæ Miſſæ, aſſignatione triginta ducatorum monetæ Neapolitanæ, habitationis in quodam Palatio, uſus mobilium, & fruitionis cujuſdam Viridarii, deductiſque oneribus manutentionis Palatii, Fabricæ, & ornatus Cappellæ, & conſervationis, & inſtaurationis nonnullarum domorum ſitarum in Civitate Neapolitana, id, quod ſupereſſet, converti deberet in augmentum annuorum reddituum, nullo tamen expreſſo uſu, pro quo augmentum eſſet applicandum.

Tertio, quod anno 1718. memoratus Camillus Nepos in ſuo poſtremo Teſtamento eandem Cappellam hæredem reliquit, nulla alia, quam aliquot Miſſarum Sacrificia celebrandi, adjecta conditione.

Quarto, quod ſuper utraque hæreditate magnæ exortæ fuerant lites in Civitate Neapolitana, quarum vigore prætendebatur, non obſtante clara Teſtatorum diſpoſitione, quod nihil ad Cappellam devenire deberet.

Quinto, quod nulla facta uſus expreſſione, in quod augmentum cadere deberet, illud de jure pertinere videbatur ad Cappellam hæredem inſtitutam, concludendo, & ſupplicando, ut ad tollendas quæſcumque quæſtiones, & controverſias Sanctitas Sua mentes diſponentium declarare dignaretur, & opportune providere; & Sanctiſſimus Dominus Noſter, poſt maturum negotii examen, quod mihi demandare dignatus eſt, per ſuas Litteras Apoſtolicas in forma Brevis declaravit, utramque hæreditatem ad Cappellam Sanctiſſimæ Annunciationis ſpectare, & id, quod ſupereſſet ex fructibus hæreditariis, poſt adimpleta omnia, & ſingula onera in Teſtamentis præſcripta, eſſe applicandum, & aſſignandum Rectori pro tempore Cappellæ, ita tamen, ut applicatio, & aſſignatio hujuſmodi executioni mandari non poſſet, niſi docto prius coram Ordinario de adimplemento omnium, & ſingulorum onerum a Teſtatoribus demandatorum, uti plenius habetur in litteris prædictis.

Executio harum litterarum de more commiſſa fuit Epiſcopo Arianenſi, at coram eo excitatis nonnullis controverſiis per Archipresbyterum, Clerum, & Univerſitatem Oppidi Zuncoli, & earum facta per ipſum remiſſione ad hanc Sacram Congregationem, neceſſarium exiſtimatum fuit ad ipſum Summum Pontificem habere recurſum.

In ſupplici ergo libello eidem ab Archipresbytero, Clero, & Univerſitate prædictis exhibito expoſitum fuit primo, quod repudiata a Gubernatoribus Montis Pietatis Civitatis Neapolitanæ adminiſtratione, fuerat eadem a Camillo Nepote in ſuo Teſtamento delegata Archipresbytero Matricis Eccleſiæ, & Cappellano Terræ, facta aſſignatione ducatorum 80. ſecundo, quod Epiſcopus in ſuo Decreto edito anno 1724. in Sacra Viſitatione ſtatuerat, reditus hæreditarios, de quibus agitur, aſcendentes ad annuos ducatos 550. poſt onera ſatisfacta eſſe erogandos pro manutentione Cappellæ, & Eccleſiæ Matricis, ducatos centum eſſe diſtribuendos titulo dotium favore quatuor puellarum Terræ Zuncoli, & reliquum, quod ſupereſſet, eſſe uniendum cum reditibus Eccleſiæ Matricis, ut ea erigi poſſet in Collegiatam, ita tamen ut ſi erectio fieri non poſſet, illud reliquum eſſet implicandum pro diſſolutione debitorum hæreditariorum, tertio ſupplicationem fuiſſe porrectam pro erectione in Collegiatam, eamdemque fuiſſe remiſſam ad hanc Sac. Congregat. quæ poſt habitam informationem Ordinarii, reſcripſit, ut Eminentiſſimus Petra rem perpenderet, & votum ſuum aperire dignaretur, ex his inferendo litteras Apoſtolicas per Archidiaconum Intonti obtentas obreptionis vitio laborare, ex quo videlicet ab eo non fuerat expoſitum quidquid a Camillo Juniore fuerat uti ſupra in ſuo Teſtamento demandatum, & quidquid ab Epiſcopo fuerat in Sacra Viſitatione ſtatutum; cumque Sanctitas Sua examen hujus inſtantiæ remiſerit ad hanc Sacram Congregationem pro voto, ex juribus circumferendis quæritur,

I. An Breve Apoſtolicum ſuper applicatione hæreditatis Ciampolilli ſit exequendum, ſeu potius ſit exequendum Decretum Epiſcopi in caſu &c.

II. An, & ad quem ſpectet adminiſtratio bonorum ejuſdem hæreditatis in caſu &c.

Non proposita.

QUÆSTIO DLXIX.

In Cauſa Pratenſi, die 2. *Auguſti* 1727.

IN Parochiali Eccleſia S. Petri Florelli Civitatis Praten. erectum reperitur ſimplex Beneficium ſub invocatione S. Mariæ Magdalenæ ex fundatione Philippi Cambioni Canonici Praten. & in ordine ad hoc Beneficium exorta eſt controverſia de numero Miſſarum per ejus Rectorem celebrando.

In Teſtamento per Fundatorem condito anno 1414. Beneficiatus obligatur ad celebrationem Miſſæ quotidianæ, ſed in poſteriori Teſtamento condito anno 1418. obligatur ad celebrationem quatuor Miſſarum in hebdomada. Joſeph Ambroſii præſens poſſeſſor Beneficii contendit, primum Teſtamentum fuiſſe a ſecundo revocatum, & in ſecundo pedes figi non poſſe, exiſtente obſervantia pluſquam centenaria, juxta quam una Miſſa ſingulo menſe celebrata fuit. Ordinarius in ſua informatione refert, quod Rectores Beneficii ab anno 1562. ad annum 1680. unam Miſſam celebraverunt quolibet menſe, ſed quod,

exorta controverſia, ab inde citra duas quolibet menſe Miſſas celebraverunt. Reditus Beneficii excedunt ſcuta quadraginta, teſte Ordinario, & Beneficiatus in ſuo Summario contendit, quod calculatis quatuor Miſſis in hebdomada ad rationem ſcutorum 23. & obulorum 40. juxta morem Regionis, tot alia ſuperſint onera Beneficii, ut Miſſis & prædictis oneribus computatis ſumma aſcendat ad ſcuta 42. & obulos 62. Inſtantia Rectoris pro celebratione unius Miſſæ quolibet menſe, fuit alias rejecta, cum fuerit exiſtimatum, eum eſſe obligatum ad celebrationem quatuor Miſſarum in hebdomada. Obtenta autem per eum inſtantiæ deſcriptione in Folio diſputandum in præſenti proponitur dubium.

An, & quam quantitatem Miſſarum celebrare teneatur Rector Beneficii in caſu &c.

Sacra Congr. die 23. Auguſti 1727. reſpondit,
Pro nova Informatione juxta Inſtructionem.

QUÆSTIO DLXX.

In Cauſa Florentina, die 2. Auguſti 1727.

SACERDOS Joannes Niccoli Parochus S. Romuli in Villamagna Diœceſis Florentinæ, cum viſus debilitatem pateretur, anno 1720. conſuetam ab hac Sac. Congregatione obtinuit licentiam celebrandi diebus feſtis, & duplicibus Miſſam votivam Beatæ Mariæ Virginis, & diebus ferialibus Miſſam Defunctorum cum ſolitis clauſulis, quod videlicet non eſſet omnino cæcus, memoriter non recitaret, data inſuper Ordinario commiſſione denegandi licentiam celebrandi, quatenus ipſe omnino cæcus evaſiſſet. Licet enim Vaſquez, & Suarez, aliique magni nominis Theologi in ea ſint opinione, ut illi, qui propter debilitatem viſus non poſſunt legere, ſi poſſunt ſufficienter Hoſtiam, & Calicem videre, non ſint arcendi a celebrando, ſi Miſſam ſufficienter memoriter recitent, uti videri poteſt apud *Dianam in edit. coordinata tom. 2. tract. 1. reſolut. 137.* Sacra nihilominus hæc Congregatio in Formula conſueta pro Cæcutientibus apponit clauſulam: *Dummodo memoriter non recitent.*

Creſcente ætate, & poſtquam Sacerdos Joannes devenit ad annum ſeptuageſimum, cæcus omnino factus eſt, habitoque per eum recurſu ad Summum Pontificem pro facultate continuandi in celebratione Miſſæ Votivæ Beatæ Mariæ Virginis diebus feſtis, & duplicibus, & Miſſam Defunctorum diebus Ferialibus, inſtantiæ remiſſio facta eſt ad hanc Sacram Congregationem, quæ juxta morem ſcripſit Archiepiſcopo Florentino, ut informaret, facto prius experimento coram Magiſtro Cæremoniarum.

Factum fuit experimentum coram prædicto Magiſtro, qui in ſcriptis retulit, Oratorem eſſe gratia dignum, cum tali peritia polleat, non obſtante cæcitate, ut nullum ſit irreverentiæ periculum, ſi Miſſam celebret. Archiepiſcopus hoc ipſum confirmavit in ſuis litteris, in quibus pro motivo gratiæ addidit, Oratorem nedum eſſe Sacerdotem optimæ famæ, & Parochum, qui ſemper ſuum munus diligenter adimplevit, ſed etiam paupertate laborare, cum ex reditibus Parochiæ non habeat niſi annua ſcuta quinquaginta monetæ Florentinæ, quorum partem erogare tenetur pro alimonia Cappellani, idemque Archiepiſcopus concludit, annui poſſe petitis, dummodo celebret cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, & eo fortius quia ſi Orator Miſſam non poterit celebrare, periculum imminet, quod Parochiani ſine Miſſa diebus feſtis remaneant propter defectum aliarum Eccleſiarum in Parochia, & diſtantiam ſeptem milliarium a Civitate, & unius milliaris ab alia Parochia.

De promoto ad Sacerdotium, certum eſt, quod ſi ille cæcus evadat, non habet executionem Ordinis quantum ad ea, quæ viſum requirunt, uti eſt Miſſæ celebratio, teſte *Divo Thoma tert. par. quæſt. 82. art. 10. ad 3.* ibi: *Debilitas, vel ægritudo ſuperveniens Ordini Sacerdotali Ordinem non tollit, executionem tamen Ordinis tollit, quantum ad conſecrationem Euchariſtiæ, quandoquidem propter impoſſibilitatem executionis, ſicut ſi privetur oculis*, ſecus quoad alia, quæ viſum non requirunt, uti Confeſſiones audire, & concionari, uti adnotarunt *Majol. de Irregul. lib. 1. cap. 20. §. Cæcum. Gibalin. eodem tract. de irregularit. cap. 3. conſect. 1. §. Primo itaque*, & probat *Textus in cap. Presbyterum de Clerico ægrotante*, ibi: *Ipſum autem Officiis Sacerdotalibus fungi minime prohibemus.*

Punctus itaque eſt, an ex gratia a Summo Pontifice concedi poſſit, & aliquando conceſſum ſit Sacerdoti cæco, ut Miſſam celebraret, & ſignanter cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis.

Notæ ſunt ſimultates inter Hincmarum Remenſem Metropolitanum, & Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum ejus Nepotem, qui per duos annos in carcere detentus eſt, & oculis orbatus.

In Synodo Tricaſſina ſecunda habita anno Chriſti 878. coram Joanne VIII. Romano Pontifice Hincmarus Laudunenſis ad Pontificem adductus, oblato reclamationis libello calamitatum ſuarum hiſtoriam expoſuit, & Epiſcopis orantibus, ipſum ab excommunicatione, irregularitate, & cæteris pœnis Pontifex abſolvit, & facultatem conceſſit Miſſæ celebrandæ, attributo ad vitæ ſuſtentationem Congiario ex reditibus Eccleſiæ, quo audito, Epiſcopi Hincmarum veſtimentis ſacerdotalibus indutum ad Eccleſiam detulerunt, & ſignum benedictionis ſuper Populum dari fecerunt, & ſic Synodus ſoluta eſt, uti refert *Aimoinus in Actis dictæ Synodi*, & late proſequuntur *Card. Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 878. num. 24. & ſequen. Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica Diſſert. 8. Sæculi IX. n. 18. & ſeqq.*

De Epiſcopo, qui in Synodo Tridentina Miſſam cæcus celebrabat ex Pontificia diſpenſatione, mentio habetur apud *Sotum in 4. diſt. quæſt. 1. art. 2.* & Auctores paſſim teſtantur fuiſſe a Summo Pontifice diſpenſatum cum Sacerdotibus cæcis, ut Miſſam celebrarent cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis, *Henriquez lib. 14. cap. 8. num. 2. lit. N. Diana in Edit. coordinata tom. 2. tractat. 1. reſolut. 138. Fermoſin. ad cap. 2. de Corpore vitiatis quæſt. 1. num. 39.* ibi: *At ex diſpenſatione Papæ, cæcus poteſt celebrare Miſſam, ſi alius Sacerdos, aut vir expertus illi adſit cæco celebranti: Michalor. de Cæco, Surdo, & Muto cap. 22. n. 7. Gibalin. de Irregul. cap. 3. conſect. 1. §. Primo itaque, Leander Operum Moral. par. 5. tract. 2. diſp. 2. quæſt. 6.* ibi: *An ſaltem ex diſpenſatione Papæ poſſit Sacerdos cæcus celebrare Miſſam, reſpondeo poſſe, caſu ſolum, quo alius Sacerdos, aut alius Vir expertus adſit ipſi cæco celebranti; Raynald. in Obſerv. Criminal. tom. 1. Venetæ Edit. ad cap. 8. ſupplet. 1. n. 55. & 56. Epiſcopus Sarnellus tom. 9. Epiſtolarum Eccleſiaſticarum epiſtola 62.* ubi propoſita hæc quæſtione: *Se un Sacerdote divenuto cieco poſſa ottenere la diſpenſa di celebrare quella Meſſa che ſa a memoria*: poſt plura allegata, concludit: *num. 15. Sicchè col Sacerdote divenuto cieco ſi diſpenſa, che poſſa celebrare quella Meſſa, che ſa a memoria, come della Beata Vergine, o di Requiem, purchè abbia aſſiſtente al lato un altro Sacerdote, come ho inteſo eſſere ſtato conceduto ad alcuni.*

Et ipſe teſtari poſſum, a Sanctiſſimo Domino Noſtro conceſſam fuiſſe Sacerdoti Profeſſo Ordinis S. Dominici, qui cæcus factus eſt, facultatem Miſſam celebrandi cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis.

Quibus ſtantibus, quæritur,

An, & quomodo petitis ſit annuendum in caſu &c.

Sacra Congr. die 23. Auguſti 1727. reſpondit,
Pro gratia cum aſſiſtentia alterius Sacerdotis.

QUÆSTIO DLXXI.

In Cauſa Romana, die 23. Auguſti 1727.

IN ultimo, cum quo deceſſit Teſtamento, condito *die 6. Decembris* 1724. bon. mem. Advocatus Maſettus voluit, quod fructus fiæ hæreditatis implicarentur pro manutentione Puellarum in uno, vel altero Monaſterio a ſe deſtinatis, & circa harum electionem, hanc Operariis Divinæ Pietatis regulam præfixit, ut primo loco admitterentur Conſanguineæ, & Affines ipſius Teſtatoris, quibus deficientibus, vel nolentibus uti hoc Legato, poſt intimationem quindecim dierum per Edictum explendam, ſecundo loco admittantur, *le Figliuole Romane d' Avvocati Romani poveri, o per mancanza d' averi, o per numero di Figliuoli, purchè ſiano Romani di Patria, e non per privilegio, e purchè ſiano nate di legittimo Matrimonio, e non altrimenti, eſcluſe anche le legittimate per ſubſequens Matrimonium &c. e non eccedino l' età di 20. anni compiti*, & deficientibus Filiabus Advocatorum Romanorum, admitti præcepit Filias Romanorum in ordine Civili conſtitutorum, excluſis illis ordinis Equeſtris, & Artificum.

Congregatio Operariorum Divinæ Pietatis ut executioni mandaret piam voluntatem Teſtatoris *die 18. Novembris 1726.* notificationem publicavit conceptam ſequentibus verbis, *ſi fa intendere &c. a tutte le Zitelle Paren-*

Parenti del medeſimo Avvocato Raimondo Maſetti, ed in loro mancanza a tutte le Zitelle Romane Figlie d' Avvocati Romani poveri, e quando anche queſti mancaſſero, a tutte le Zitelle Romane Figlie di Padre, e Madre Romane di condizione Civile, che vogliano concorrere a detta nomina, e godere detto Beneficio in conformità di detto Teſtamento, debbano dentro il termine di giorni 15. dalla data della preſente far la loro iſtanza con dare il Memoriale nella ſuddetta Congregazione, & ſub obtentu deficientiæ tam Puellarum Conjunctarum Teſtatoris, quam Filiarum Advocatorum *die* &c. *Menſis Januarii currentis Anni* admiſſæ ſunt ad prædictum Legatum binæ Puellæ tertiæ Claſſis, Franciſca videlicet Maſetti, & Victoria Evangeliſti.

Poſt factum hiſce Puellis aſſignamentum, inſurrexerunt Lucretia, Lucia, & Catharina Urſaya Filiæ Advocati Dominici Urſayæ in noſtra Curia, & ſignanter in Sacris Congregationibus celeberrimi, exhibitoque huic Sacræ Congregationi ſupplici libello, expoſuerunt, Legatum Advocati Maſetti ſibi eſſe debitum, & ſe, uti conſtitutas in ſecunda ſpecie, injuſte fuiſſe poſtpoſitas Franciſcæ, & Victoriæ ſupra memoratis in tertia ſpecie, ſeu Claſſe conſtitutis, & juxta morem facta fuit harum precum remiſſio ad Eminentiſſimum Cardinalem Protectorem, qui rem perpendere dignaretur, & votum ſuum aperire, & Eminentiſſimus Corſinus Protector fuit, in ſenſu, quod Advocatus Dominicus Urſaya eſſet Advocatus Romanus, licet in Tomis ſuarum Diſceptationum typis editarum, ſe dixerit Terræ Boſchi Nullius Salernitanæ Diœceſis, cum a quinquaginta annis habitet in Urbe, in qua uxorem duxit, Filios procreavit, Lares fixit, & animum ibidem permanendi propalavit, comparando ſibi, & ſuis Sepulchrum particulare in Eccleſia S. Mariæ in Vallicella.

Addidit idem Eminentiſſimus, quod quilibet acquirere poteſt, & retinere duplicem Civilitatem, unam Originis, & alteram Domicilii, & unumquemque habere poſſe duplicem Patriam, hoc eſt unam originis, & alteram domicilii, & quod quidquid ſit quoad alios effectus, odioſos ſcilicet, & onerоſos, in quibus nomine Civium veniunt tantum Originarii, ad effectum tamen admiſſionis ad Legata nomine civium nedum Originarii, ſed etiam Domiciliarii comprehenduntur, concludendo tamen, hiſce minime obſtantibus, quod ſorores de Urſaya malum Jus ſovebant, ex quo deficiebat requiſitum paupertatis a Teſtatore volitum, cum Advocatus earum Pater more nobilium vivat, pinguem Dotem Filiæ viro nobili nuptæ conſtituerit, & alia fecerit, & faciat conſpicua ſuarum pecuniarum inveſtimenta, nulla habita conſideratione numeri Filiorum, cum numerus ſimpliciter ſumptus non efficiat aliquem pauperem, ſi bona habeat, quibus Filios omnes alere valeat, uti plenius legitur in citata informatione.

Informatio Eminentiſſimi Protectoris communicata fuit Defenſoribus Oratricum, qui luculentiſſimam, quæ circumfertur, ſcripturam exararunt, & in qua plura aſſumunt comprobanda. Primum eſt, Advocatum Dominicum Patrem eſſe revera Advocatum Romanum, cum ultra deducta in informatione Eminentiſſimi Protectoris ab annis quadraginta completis idem advocationis munus in Urbe exerceat, ab annis triginta ſit publicus Lector in Archigymnaſio Romano, & fuerit Dapifer cl. mem. Card. Nigroni in Conclavi, in quo ſan. mem. Innocentius XII. ad Summum Pontificatum evectus eſt, & in ſequelam privilegii Conclaviſtis conceſſi, Civilitatem, & nobilitatem Romanam elegerit, ita ut nedum verus ſit Civis Romanus, ſed etiam nulla inter eum, & originarios, & antiquiſſimos Cives Romanos conſtituenda ſit differentia, uti legitur *in prima Conſtit. dicti Pontificis numer. 2.*

Secundum eſt, non ſubſiſtere in facto, quod Teſtator voluerit Advocatos eſſe Patria Romanos, verba etenim illa, *purchè ſiano Romani di Patria*, utpote famulatoria ad alia antecedentia verba, *ſiano ad eſſo ammeſſe le Figlie Romane d' Avvocati Romani*, ſunt corrigenda, & loco litteræ I. ſubſtituenda eſt littera E. *purchè ſiano Romane di Patria*, tum quia id evincitur a continuatione, & proprietate ſermonis, tum quia in eodem Teſtamento Teſtator loco litteræ O. poſuit litteram A. in illis verbis *godere di queſto beneficio*.

Tertium eſt, quod quatenus Patriæ denominatio non ad Filios, ſed ad Patres eſſet referenda, verificatur in Advocato Patre, quod ſit Patria Romanus, non ſolum ex deductis in informatione Eminentiſſimi Protectoris, ſed etiam quia verba Teſtatoris ſtant excluſive ad Civilitatem, & Patriam ex privilegio acquiſitam, *purchè ſiano Romani di Patria, e non per privilegio*, & non ad Civilitatem & Patriam acquiſitam ex Domicilio, & aliis modis ſupra expoſitis.

Ultimum tandem eſt, Advocatum eſſe pauperem, eo paupertatis genere, ſeu qualitate a Teſtatore exoptata, *ſiano ad eſſo ammeſſe le Figlie Romane d' Avvocati Romani Poveri o per mancanza d' averi, o per numero di Figliuoli*, quidquid ſit de primo genere paupertatis *per mancanza d' averi*, ſemper verificatum dici debet aliud paupertatis genus, *o per numero di Figliuoli*, cum ſit gravatus onere octo Filiorum viventium, ultra totidem alios, qui ex hac vita migrarunt.

Plura alia in ſcriptura leguntur, ex quibus bene perpenſis, quæritur,

I. An electio, & admiſſio DD. Franciſcæ Joannæ Maſettæ, & Victoriæ Evangeliſtæ ad ſubſidium relictum ab Advocato Maſetto pro Virginibus educandis, factæ a Congregatione Operariorum Divinæ Pietatis ſuſtineantur, & quatenus negative.

II. An conſtet de vocatione Filiarum d. Advocati, & quatenus affirmative.

III. A quo tempore eis debeatur dictum ſubſidium.

Sacra Congr. die 20. Septembris 1727. reſpondit,
Ad primum affirmative, & Legatum ſecundæ claſſis eſſe relictum favore tantum Filiarum natarum in Urbe ex pauperibus Advocatis, pariter natis in Urbe; & quoad ſecundum, & tertium, ſatis proviſum in primo, & amplius in omnibus.

QUÆSTIO DLXXII.

In Cauſa Mantuana, die 23. Auguſti 1727.

AD Calcem Diſcurſus a me exaratus exhibetur, innixus Privilegiis alias in forma authentica exhibitis, & reſolutionibus hujus Sacræ Congregationis, quæ ſunt in Regeſtis. Scripturæ nullæ circumferuntur, non obſtante, quod facta fuerit præfixio termini intereſſe habentibus ad ſua jura deducenda in hac Sacra Congregatione. Perpenſo itaque citato Diſcurſu, quæritur, quid ſtatuendum ſit in ſequentibus dubiis.

I. An Dignitates, Canonici, Beneficiati, & Clerici, quamvis ſupranumerarii adſtricti ſervitio Eccleſiæ Collegiatæ S. Barbaræ, licet habitantes extra Canonicam, & in diverſis Parochiis Civitatis Mantuanæ, teneantur in Caſu infirmitatis Sanctiſſimum Viaticum recipere a Parocho, in cujus Parochia habitant, vel potius permiſſum eſſe debeat ad eos deferri dictum Sacramentum a dicta Eccleſia Collegiata, vel a viciniori Eccleſia Regularium.

II. An iidem Canonici, Beneficiati, & Clerici morientes ſine electione Sepulturæ, vel non habentes Sepulcrum particulare ſuorum Majorum debeant ſepeliri in Eccleſia Collegiata, vel in Parochia, & quatenus tumulentur in Eccleſia Collegiata, vel in alia Eccleſia, ſolvenda ſit Parocho Domicilii Quarta funeralis.

III. An Abbas S. Barbaræ concedere poſſit Litteras Dimiſſoriales ad viciniores Epiſcopos, ut a ſe ordinati ad primam Tonſuram & Minores Ordines, Majores ab illis, & etiam Presbyteratum recipere poſſint.

IV. An Abbas S. Barbaræ poſſit Sacramentum Confirmationis conferre, & quatenus affirmative, an conferre poſſit tam addictis ſervitio ſuæ Eccleſiæ, quam aliis ſubditis Epiſcopi Mantuani.

V. An idem Abbas poſſit approbare Presbyteros ſuæ Eccleſiæ ſervitio addictos pro excipiendis Confeſſionibus Sacramentalibus, tum Presbyterorum, & Clericorum ejuſdem Eccleſiæ, tum aliorum quorumcumque ſubditorum Epiſcopi Mantuani.

Sacra Congr. reſpondit,
Proponatur ante Feſta Natalitia.

DISCURSUS SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

In Causa Mantuana.

1. CELEBRIS est Abbatia Tituli S. Barbaræ in Civitate Mantuana. Ejus etenim Ecclesia erecta fuit in Collegiatam a Pio PP. IV. Ejus Abbas est Sæcularis, & primus, qui dictam Abbatiam obtinuit, fuit Bartholomæus Cavozzi, uti refert Donesmundus in sua Mantuæ Historia *pag.* 2. *lib.* 8. Aliquando etiam Abbates fuerunt decorati Charactere Episcopali in Partibus Infidelium, uti colligitur ex Brevi Sancti Pii V. expedito die ultima Januarii 1570. & anno 1607. Abbas Barzellinus assumptus fuit ad regimen Ecclesiæ Campanensis, teste Ughello *tom.* 7. *pag.* 656. Præter Abbatem adsunt in dicta Ecclesia Archipresbyter, Archidiaconus, Præpositus, Decanus, Canonici, & Cappellani, & jus præsentandi tam ad Dignitates, quam ad Canonicatus, & Cappellanias reservatum fuit Guillelmo Duci Mantuæ tunc viventi, & deinde ejus hæredibus, & in Ducatu Mantuæ Successoribus, cum expressione, quod id ei non competebat *ex Privilegio Apostolico, sed ex vera fundatione, & vera dotatione*, uti habetur in Bulla Summi Pontificis Pii PP. IV. expedita pridie idus Octobris anno 1564.

2. In eadem Bulla memoratus Pontifex contulit Abbati ordinariam Jurisdictionem in Ecclesia, ibi: *prædictam Ecclesiam S. Barbaræ in Collegiatam, ac in ea unam Abbatiam, quæ dignitas ibi Principalis pro uno Abbate, qui ipsius Ecclesiæ Caput existat, & ordinariam in ea jurisdictionem habeat, & exerceat &c. creamus, & constituimus, & ordinamus.* Absente Abbate, jurisdictio ab eodem Summo Pontifice ad Archipresbyterum, & in defectu Abbatis, & Archipresbyteri ad Archidiaconum, & sic usque ad ultimam Dignitatem translata fuit, & tam Abbas, & Dignitates, Canonici, & Cappellani, quam eorum bona exempta fuerunt a jurisdictione Episcopi Mantuani: *Ecclesiam sic erectam, ejusque pro tempore existentem Abbatem, Archipresbyterum, Archidiaconum, Præpositum, Decanum &c. Canonicos, Cappellanos, necnon Dignitates, Canonicatus, & Præbendas, Cappellanias, eorumque res, & bona quæcumque præsentia, & futura ab omni superioritate, correctione, visitatione, jurisdictione, dominio, & potestate dilecti Filii Nostri Federici tituli ejusdem S. Mariæ Novæ Presbyteri Cardinalis Mantuani nuncupati, qui etiam eidem majori Ecclesiæ ex dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, & pro tempore existentis Episcopi Mantuani, dummodo ipsius Federici Cardinalis ad hoc accedat assensus, eximimus, & omnino liberamus*, receptis Abbate, Dignitatibus, Canonicis, Cappellanis, & eorum bonis sub sua, & Romani Pontificis pro tempore protectione, illisque sibi, & Romano Pontifici pro tempore existenti, Sedique Apostolicæ immediate subjectis.

3. Hujusce Apostolici privilegii amplitudo, Abbatem, cæteras Dignitates, & Canonicos, & Cappellanos non in totum, nec in quolibet casu a jurisdictione eximit Episcopi Mantuani, si etenim Abbas, Archipresbyter, & aliæ successive Dignitates negligentes fuissent in visitando, & corrigendo, memoratus Pius PP. IV. iisdem litteris Apostolicis præservavit Episcopo jus corrigendi, & visitandi: *quod si Abbas, vel Archipresbyter, aut alii habentes Dignitates inferiores, gradatim in visitando, & corrigendo, ut supra, negligentes fuerint, Episcopus Mantuanus, Abbate, vel Archipresbytero, & aliis Dignitates inferiores habentibus gradatim prius admonitis, ac termino duorum Mensium ad neglecta faciendum, & reparandum illis assignato, postmodum illis in negligentia perseverantibus, etiam ipsos Abbatem, Archipresbyterum, & alios habentes Dignitates inferiores, si deliquerint, visitare, & corrigere, eadem auctoritate libere, & licite possit.* Ordinarii quoque Auctoritas fuit præservata in puncto condendi Statuta. Concessa siquidem facultate Collegiatæ S. Barbaræ faciendi Statuta rationabilia, & honesta, & eadem immutandi, quoties expedire visum fuisset, Pontifex his verbis usus est: *quæ omnia postquam edita, statuta, decreta, & ordinata, ac per Ordinarium approbata fuerint, ex nunc prout ex tunc, & e contra eadem Apostolica Auctoritate confirmata sint.* Cumque tractu temporis casus dari potuisset, quod aliqui ex Beneficiatis hujus Ecclesiæ assumpti fuissent ad obsequia Ducis Mantuæ, in eadem Bulla declaratum fuit, quod durante servitio, isti deberent esse exempti, nedum a Superioritate Episcopi Mantuani, sed etiam Abbatis: *quoque omnes, & singuli Beneficiati dictæ Ecclesiæ etiam Presbyteri, qui Domesticis ipsius Ducis obsequiis pro tempore insistent, non solum ab Ordinarii Mantuani, sed etiam ab Abbatis, Archipresbyteri, Archidiaconi, Præpositi, & Decani, & Capituli Ecclesiæ prædictorum superioritate, correctione, visitatione, & jurisdictione, eo tempore durante, exempti sint.*

4. Alia plura Privilegia Abbati, & Ecclesiæ ab eodem Pontifice liberaliter concessa sunt, omissisque aliis, quæ ad rem non faciunt, memoratu digna sunt ea, quæ sequuntur, *ipsique Abbas, & alii Dignitates obtinentes, gradatim, ut præfertur, ejusdem Ecclesiæ S. Barbaræ personis ad id idoneis de Federici Cardinalis prædicti consensu, primam Tonsuram, seu Clericalem Characterem, ac quatuor Minores Ordines conferre, ac quoscumque dictæ suæ Ecclesiæ Clericos, & Beneficiatos etiam in Sacris, etiam Presbyteratus Ordinibus constitutos, suis existentibus demeritis, quoties opus fuerit, debitis pœnis juxta sanctiones Canonicas punire &c. necnon Sacrum Chrisma ab Ordinario loci pro tempore existente, vel alio quocumque Catholico Antistite receptum, iidem Abbas, Archipresbyter, ac subsequenter alias Dignitates obtinentes, respective, ut præfertur, in eadem Ecclesia S. Barbaræ, & alibi de ejusdem Federici Cardinalis consensu habere, tenere, & Christifidelibus distribuere, & conferre.*

5. Ex hucusque deductis habetur, Pium Pontificem Papam IV. pro horum Privilegiorum subsistentia consensum voluisse Federici Cardinalis tunc Episcopi Mantuani, sed cum idem Pontifex in eadem Bulla decrevisset, ut præstito ab eodem Cardinali consensu, alius consensus Successorum in Episcopatu non esset necessarius, *necnon si, & postquam idem modernus Episcopus Mantuanus præmissis consenserit, quod deinceps nullus in his consensus, nullaque licentia suorum in ipsa Ecclesia Mantuana Successorum requiratur, etiam perpetuo statuimus, & decernimus*, hinc factum est, ut præstito per Cardinalem Federicum amplissimo consensu, nedum quoad usum Privilegiorum concessorum, sed etiam quoad usum Privilegiorum concedendorum, uti colligitur ex actu authentico facto anno 1655. Abbas constitutus sit in pacifica possessione privilegiorum ipsi a Sede Apostolica concessorum.

6. Eximiæ Summi Pontificis Pii IV. liberalitati successit liberalitas S. Pii Quinti, & aliorum subinde Romanorum Pontificum, hic etenim ultima Januarii 1570. nedum concessit Abbati S. Barbaræ, ut suos subditos promovere posset ad Primam tonsuram, & Minores Ordines, sed etiam indulsit, ut alios quoscumque, qui a suis Ordinariis Dimissorias obtinuissent, & examinati fuissent ab Episcopo Mantuano, aut ejus deputatis, & idonei reperti fuissent, promovere posset ad primam Tonsuram, Minores, & Sacros etiam Presbyteratus Ordines, uti colligitur ex tenore Brevis impresso ad Calcem Folii a me exhibiti pro Congregatione habita die 17. Novembris 1725. Tunc temporis Abbatia S. Barbaræ possidebatur ab Ascanio Episcopo Majorensi, quemadmodum supra adnotatum fuit, in quo proinde rerum themate fateri necesse est, privilegium Pianum, in eo, quod attinet ad Ordinum collationem, fuisse personale, & restrictum ad solam Personam Ascanii Majorensis Episcopi, cum simplici Presbytero concedi non possit, ut conferat Sacros, & etiam Presbyteratus Ordines, sicuti colligitur ex Sacro Concilio Tridentino *Sess.* 22. *can.* 2. *& Sess.* 23. *can.* 7. & aliis a me cumulatis in Discursu edito ad Calcem dicti Folii, & in alio Discursu edito ad calcem alterius Folii Congregationis habitæ die 16. Martii 1726. quæ EE. PP. benigne approbare dignati sunt. Personale tamen non fuit aliud ejusdem S. Pii V. privilegium, quo Abbati, & eo absente successive aliis Dignitatibus concessit: *omnes, & singulos Presbyteros sibi ratione dictæ Ecclesiæ subjectos, & in articulo mortis constitutos ab omnibus eorum peccatis, injuncta eis salutari Pœnitentia absolvere*, & Presbyteris dictæ Ecclesiæ in dicto articulo constitutis, qui ter in qualibet hebdomada nonnullas preces recitassent, plenissimam Indulgentiam, & omnium peccatorum suorum remissionem concedere posse, Gregorius etenim XIII. in suis litteris Apostolicis expeditis die 18. Novembris 1577. privilegium S. Pii V. restrictum ad Presbyteros extendit ad Diaconos, Subdiaconos, & alios in Minoribus constitutos Ecclesiæ S. Barbaræ infervientes, necnon Ducis

Ducis Mantuæ obsequiis obstrictos, dummodo Abbatis jurisdictioni essent subjecti, formamque statuit, qua Abbas hanc absolutionem pro se obtinere posset, dum videlicet Sacerdoti sibi subjecto facultatem sibi prædictam absolutionem concedendi, uti plenius habetur in ejusdem Gregorii Litteris Apostolicis.

7. Tractu temporis variæ exortæ sunt controversiæ inter Episcopum Mantuanum, & memoratum Abbatem S. Barbaræ, & signanter anno 1680. quo tempore Abbatia possidebatur ab Abbate, qui erat Episcopus in Partibus, cum esset Episcopus Anconiæ. Tunc novem dubia fuerunt disputata, & omissis illis, quæ ad rem præsentem non faciunt, quartum erat conceptum sequentibus verbis. *Cum major pars Beneficiatorum ejusdem Ecclesiæ extra propriam Canonicam sparsim vivat in Territorio aliorum Parochorum, prætendit, fermo est de Abbate, irrequisito Parocho, occurrente eorumdem Beneficiatorum infirmitate, vel morte, eisdem ministrare omnia Sacramenta, ac respective eorum Cadavera ad propriam Ecclesiam deferre absque ulla solutione Quartæ Funeralis*, & huic dubio responsum fuit *negative*. Septimum dubium erat his aliis verbis conceptum: *occurrentibus consuetis Processionibus totius Cleri, quinimmo etiam illa Augustissimi Corporis Christi, renuit ad easdem accedere Processiones*, & huic dubio responsum fuit *teneri*. Octavum dubium sic erat conceptum: *pariter præsumit, non teneri ad generalem Synodum intervenire, neque ipsius Clerum subjacere ejusdem Synodi determinationibus, quæ cum ut plurimum edantur ad componendum habitum, & honestatem Clericorum, maxima exinde exoritur difformitas, & abusus ejusdem Cleri dictæ Collegiatæ, respectu cæterorum, qui ad normam Decretorum Synodalium honeste, & laudabiliter vivunt*, & huic dubio responsum fuit *teneri*; cumque nonum, & ultimum dubium sequenti modo esset conceptum, *denique attribuit sibi facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis, seu Chrismæ*, & huic responsum fuit, *non licere*.

8. Rursus cum quidam Bartholomæus Turrianus a suo Episcopo Lucano Dimissorias obtinuisset, ut a quocumque Catholico Antistite ad primam Tonsuram, & quatuor Ordines Minores promoveri posset, & ille, uti addictus servitio Ecclesiæ Sanctæ Barbaræ, Minores Ordines ab ejus Abbate recepisset, magna exorta est controversia, an valide, vel illicite Minores Ordines recepisset utpote adscriptus servitio Ecclesiæ ultra numerum. Fuit hæc Controversia per multos annos funditus pertractata in hac Sacra Congregatione. Dicebatur etenim, Bullam Pii IV. in qua facultatem concessit Abbati S. Barbaræ conferendi primam Tonsuram, & Minores Ordines, fuisse posteriorem Concilio Tridentino, & sic non fuisse ab eo revocatam, cum idem antecedentia, & non subsequentia privilegia hac in re sustulerit, juxta sensum hujus Sacræ Congregationis apud *Fagnan. in cap. Statuimus, num.* 14. *& sub num.* 35. *in fine de supplenda negligentia Prælatorum*; sed excitata subtiliore indagine in hoc consistente, quod licet dicta Bulla esset Concilio Tridentino posterior, erat tamen anterior alia Bulla ejusdem Pii IV. in qua revocavit omnia, & quæcumque privilegia Concilio Tridentino adversantia, etiamsi a se concessa fuissent, uti videre est *in Constitut.* 94. *ejusdem Pii IV. Bullarii tom.* 2. ponderato nihilominus quod erat nimium inverisimile, quod Pius in Bulla posteriori voluisset derogare particulari privilegio paulo ante a se in fundatione Collegiatæ de Jurepatronatus Ducis Mantuæ concesso, & signanter cum primam Bullam effrænata quadam clausula corroborasset, eligendi videlicet, & apponendi, quandocumque Duci, & Abbati, seu Capitulo libuisset, datam semper posteriorem quibuscumque futuris derogationibus, post multas Causæ propositiones *die tandem* 16. *Martii* 1716. resolutum fuit pro relaxatione suspensionis incursæ a Bartholomæo Turriano arbitrio Episcopi Lucani, admissa hoc modo in Abbate facultate conferendi primam Tonsuram, & Minores Ordines; si etenim Abbas facultatem non habuisset, Ordinatio Turriani fuisset invalida, & non illicita, uti Sacra Congregatio in allegato rescripto supposuit; quando etenim Abbas habet privilegium concessum post Concilium Tridentinum, valide confert, & licite primam Tonsuram, & Minores Ordines Personis Sæcularibus in privilegio designatis, & quatenus, prout in casu contigerat, conferat Personis Sæcularibus in privilegio non designatis, Ordinatio est valida, sed illicita, & Ordinati remanent suspensi, uti late ostendit *Fagnan. in cap. Statuimus, n.* 11. *& seqq. usque ad finem de supplenda negligentia Prælatorum.*

9. Terminata hac controversia, aliis aperta est via; exhibiti quippe fuerunt huic Sacræ Congregationi iterati supplices libelli, in quibus primo expositum fuit, quod ad Dignitates, Canonicos, Beneficiatos, & Clericos etiam supranumerarios extra Canonicam S. Barbaræ habitantes, & sic in diversis Parochiis Civitatis Mantuanæ in casu infirmitatis processionaliter defertur ab Ecclesia Collegiata Sacramentum Eucharistiæ, quod etiam aliquando a viciniori Regularium Ecclesia accipitur; secundo, quod Cadavera Dignitatum, Canonicorum, Cappellanorum, & aliorum supra memoratorum invito domicilii Parocho deferuntur ad Ecclesiam Collegiatam, nulla prædicto Parocho soluta Quarta; tertio, quod facta ab Abbate collatione primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum Clericis suæ Ecclesiæ servitio adscriptis, etiam cum excessu numeri, diriguntur ab ipso Litteræ Dimissoriales ad Episcopos vicinarum Diœcesum, ut ab eis recipiant Sacros Ordines; quarto, quod licet Abbas non sit Episcopali Charactere de præsenti insignitus, passim Sacramentum Confirmationis confert, etiam Laicis subjectis Episcopo Mantuano; quinto demum, quod approbat suos Beneficiatos pro excipiendis Sacramentalibus Confessionibus, non tantum Presbyterorum, & Clericorum suæ Ecclesiæ, verum etiam aliorum quorumcumque subditorum Ordinarii Mantuani, & quod aliqui sic approbati audent extra Ecclesiam S. Barbaræ, & in privatis domibus Confessiones excipere, & etiam absolvere a Casibus reservatis; cumque transmissis juxta morem supplicibus libellis ad Episcopum pro informatione, ipse responderit, exposita in facto subsistere, novæ ad eum datæ sunt litteræ, ut Abbati terminum præfigeret ad sua Jura deducenda in hac Sacra Congregatione, sed termino ab Abbate non acceptato, qui præmissa protestatione venerationis debitæ huic Sac. Congregationi, respondit, se non esse nisi custodem Jurium suæ Ecclesiæ, & eorum defensionem pertinere ad Augustissimum ejus Patronum, ad effugiendas exprobrationes nimiæ conniventiæ in re gravissima, & sacramentali, necessarium existimavi omnia ponere sub oculis EE. VV. ut ipsæ in Domino decernant, quid in tam arduo negotio faciendum sit, atque resolvendum.

10. Porro in eo, quod attinet ad propositorum dubiorum resolutionem, omnia fere desumi possunt vel a præteritis resolutionibus, vel a juris dispositione. Quoad Sacramenti etenim Eucharistiæ delationem ad Canonicos, Beneficiatos, & Clericos, licet degentes in alienis Parochiis, & quoad transportationem Cadaverum eorundem ad Ecclesiam Sanctæ Barbaræ, nulla soluta Parochis Quarta, facit responsum hujus Sacræ Congregationis *anni* 1680. *ad quartum dubium*, uti supra *num.* 7. dictum est, & addi potest, quod prætendente Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Mantuanæ jus administrandi Sacramenta Canonicis, & aliis ejusdem Cathedralis Presbyteris non commorantibus in Canonica, sed ad libitum per Civitatem habitantibus, nec non jus percipiendi emolumenta, & eorum Cadavera tumulandi, cum huic prætensioni se Parochi Civitatis opposuissent, controversia delata ad Sacrum Rotæ Auditorium, idem sensit favore Parochorum, uti habetur *in Mantuana Funerum* 5. *Julii* 1694. *coram claræ mem. Cardinali Priolo*, quæ decisio, teste Episcopo, suam habuit, & habet executionem in Civitate Mantuana.

11. Quoad Litteras Dimissorias, quæ ad Episcopos viciniores diriguntur, ut Ordinati ab Abbate ad primam Tonsuram, & Minores Ordines, ab eis subinde Majores recipiant, nullum hujusce facultatis vestigium habetur in Bulla Piana, tantoque cum rigore in hac materia proceditur, ut etiamsi constaret de Territorio separato Abbatis, de qua mox habebitur sermo, non posset Abbas Dimissorias pro Majoribus Ordinibus suis Canonicis, Beneficiatis, & Clericis concedere, nisi speciale haberet, atque distinctum pro concessione privilegium, uti omissis cæteris antiquioribus resolutionibus, resolutum fuit ab hac Sacra Congregatione *die* 21. *Januarii* 1719. *in Causa Nullius, seu Brittinorien. & Policastren. & in Nullius, seu Vesprimien. Jurisdictionis* 12. *Martii*, & 17. *Decembris* 1718. & concordat *Rota decis.* 7. *num.* 10. *& seq. tit.* 23. *de officio Ordinarii, & de Territorio separato coram Eminentissimo Domino meo Cardinali Falconerio tom.* 2. *pag.* 381. quod ipsum quotidiana, ut ita dicam, corroboratur observantia. Cum etenim Ecclesia Parmensis Beatæ Mariæ della Steccata in Ecclesiam, & Sedem Conventualem Sacræ Equestris Religionis Constantinianæ erecta fuisset una cum plenaria exemptione ab Ordinario, & Territorio perfecte separato per san. mem. Clementem XI. uti habetur *in ejus Bulla* 96. non potuit Magnus Prior sibi usurpare jus concedendi Dimissorias Clericis

ricis eidem Ecclesiæ inservientibus, nisi per speciale Breve Sanctissimi Domini Nostri, quod ipsum contigit in Causa supra citata Nullius, seu Brictinorien. & Policastren. Capitulum quippe Basilicæ Vaticanæ, quod erat in antiquissima possessione concedendi Litteras Dimissorias Clericis sibi subditis in Abbatiis sitis in Diœcesibus Brictinorien. & Policastren. non potuit in eodem jure perseverare, nisi accedente novo expresso Summi Pontificis feliciter Regnantis privilegio, quod non fuit concessum, nisi post superatam in Tribunali Rotæ controversiam de Territorio perfecte separato in memoratis Abbatiis, & cessionem liti factam ab Episcopis Brictinorien. & Policastren, super eodem Territorio separato.

12. Quoad administrationem Sacramenti Confirmationis, etiam Laicis subditis Episcopo Mantuano, duo videntur esse investiganda, alterum, an Abbas dicta potiatur facultate, alterum, an ea uti valeat conferendo dictum Sacramentum etiam Laicis subditis Episcopo Mantuano. Quoad primum, pro facultate Abbatis pugnant verba privilegii Piani relata in superiore §. 4. pugnat observantia, & eo fortius, cum non desint exempla Summorum Pontificum, qui simplices Presbyteros constituerunt administratores extraordinarios Sacramenti Confirmationis, recepto Chrismate ab Episcopo; & contra facultatem Abbatis facit responsum Sacræ Congregationis anno 1680. de quo in superiori §. 7. ubi non obstante quod Abbas tunc esset charactere episcopali insignitus, responsum fuit *eidem non licere* Sacramentum Confirmationis administrare, nec enim responderi poterat *non posse*, cum Episcopus sit Minister ordinarius prædicti Sacramenti; quo vero ad secundum, hoc est, an supposita in Abbate facultate, valeat ipse Sacramentum Confirmationis administrare etiam Laicis subjectis Episcopo Mantuano, celebre est exemplum Cardinalis Archipresbyteri Basilicæ Vaticanæ, hic enim ex Brevi Urbani VIII. poterat Sacramentum Confirmationis administrare in Basilica Vaticana, & in Civitate Leonina, exortaque controversia circa usum dicti Brevis, ipsaque remissa ad hanc Sacram Congregationem, responsum fuit, posse prædictum Cardinalem uti dicto Brevi, sed quoad personas tantum Canonicorum, Beneficiatorum, Clericorum, & Ministrorum inservientium Ecclesiæ S. Petri, & non quoad alias personas quascumque, & responsum fuit a Summo Pontifice Clemente X. confirmatum, uti habetur *tom.* 18. *Decret. pag.* 145. *&* *pag.* 491. meminitque Eminentissimus Dominus meus Cardin. Petra *ad tom.* 4. *Constit. Apost. pag.* 280. *num.* 16.

13. Denique quoad approbationem Confessariorum, qui Confessiones excipiunt, nedum Presbyterorum, & Clericorum Ecclesiæ inservientium, sed etiam aliorum quorumcumque subditorum Episcopi Mantuani, notissima est Prælatorum inferiorum distinctio, alii siquidem Prælati inferiores præsunt certo generi personarum cujusdam ambitus Ecclesiæ, vel Monasterii, uti sunt Superiores Regulares, & hi sunt exempti a Jurisdictione Episcopi, & habent exemptionem passivam ab eo cum corpore Monasterii, sive Ecclesiæ; alii habent etiam Jurisdictionem activam in Populum, & Clerum certi loci, sed sunt in Diœcesi, & Territorio Episcopi, a cujus Diœcesi locus ille non fuit avulsus, aut separatus; alii demum habent Jurisdictionem plenam in certo loco super omnes de Clero, & Populo in eo commorantes cum ejusdem loci dismembratione a Diœcesi, in qua erat antecedenter constitutus, & isti Prælati Semi-Episcopi dicuntur, cum exerceant omnia fere, quæ pertinent ad potestatem Jurisdictionis, exclusis cæteris, quæ pertinent ad potestatem Ordinis, quo ipsi carent, uti late explicando prædictas tres species Prælatorum prosequuntur *Lotter. de re beneficiaria lib.* 1. *quæst.* 24. *num.* 112. *& seqq. Card. de Luca de Jurisdict. disc.* 1. *num.* 7.

14. Porro quidquid sit de prima, & secunda specie Prælatorum Inferiorum, difficile admodum videtur, quod Abbas S. Barbaræ in tertia specie constitui possit; si etenim juxta Privilegium Pianum ejus Jurisdictio est restricta ad Ecclesiam, *in ea Jurisdictionem habeat*, si exemptio passiva ab Episcopo respicit ipsius Personam, & aliorum Ecclesiæ inservientium, & ipsorum bona, si Abbatis Jurisdictio coercitiva Clericos, & Beneficiatos prædictæ Ecclesiæ tantum comprehendit, si in casu negligentiæ Abbatis, & aliorum potest Episcopus visitare, & corrigere, & animadvertere tam in ipsum Abbatem, quam in alios, si Abbas tenetur ad Synodum Episcopalem accedere, & tam ipse, quam alii legibus Synodalibus sunt adstricti, uti supra visum est §. 2. 3. & 7. si denique nulla dismembratio Loci, nulla Populi, nulla Cleri extra Ecclesiam Sanctæ Barbaræ existentis facta legitur in Privilegio Papali a Diœcesi Episcopi Mantuani, suadent hæc omnia, Abbatem S. Barbaræ non esse Prælatum Inferiorem tertiæ speciei.

15. Et quando ipse non est Prælatus Inferior tertiæ speciei, nunquam approbare potest Confessarios pro excipiendis Confessionibus, sive Presbyterorum, & Clericorum suæ Ecclesiæ inservientium, sive aliorum, juxta *cap.* 15. *sess.* 25. *de Reform.* in quo id reservatur Episcopo, non obstantibus Privilegiis Apostolicis, & non obstante quacumque consuetudine immemorabili, juxta sensum hujus Sacræ Congregationis, ad late deducta *in citata decis.* 7. *num.* 6. *& seq. coram Eminentissimo Domino meo Card. Falconerio, & decis.* 8. *num.* 12. *eodem tit. de officio Ordinar. & de Territor. separ. tom.* 2. cum soli sint Prælati Regulares, qui licet non sint tertiæ speciei, audire possunt Confessiones suorum subditorum Regularium, & alios suos Regulares approbare pro excipiendis Confessionibus suorum Regularium, ex quo videlicet Concilium loco citato loquitur de Sacramento Pœnitentiæ administrando Sæcularibus, nec ullum facit verbum de Regularibus, quemadmodum magistraliter de more examinata materia, & allegatis concordantibus, & hujus Sacræ Congregationis resolutionibus, prosequitur *Eminentiss. Dominus meus Card. Petra ad Constitut. Apostol. tom.* 5. *pag. mihi* 111. *num.* 51. *& plurib. seqq.*

16. Et quamvis Sanctus Pius V. Abbati, & successive aliis Dignitatibus concesserit absolvere posse omnes, & singulos Presbyteros Ecclesiæ S. Barbaræ in articulo mortis constitutos ab omnibus peccatis, & hoc a Gregorio XIII. fuerit extensum ad Diaconos, Subdiaconos, & alios in Minoribus constitutos eidem Ecclesiæ inservientes, uti supra visum est §. 7. id tamen vel non refertur ad absolutionem Sacramentalem, uti desumitur ex verbis Indulti Gregoriani, in quo dicitur, formam absolutionis fuisse a Sancto Pio V. præscriptam, ibi: *Et insuper cum in dicti Pii Quinti Prædecessoris Litteris forma absolutionis sit præscripta, ut in mortis articulo constitutis a Superiore inferiori illa concedatur, ejusdem Ecclesiæ Abbati, qui nullum habet Superiorem, quod cuicumque Sacerdoti sibi subjecto facultatem concedere valeat, ut sibi ipsi Abbati absolutionis beneficium impendere possit &c. potestatem impartimur*: vel quatenus id sit intelligendum de absolutione Sacramentali, concludere opus est, nullum in Litteris prædictorum Pontificum contineri Privilegium, cum quilibet Sacerdos etiam non approbatus possit absolvere a quolibet peccato, & censuris in articulo mortis, juxta *cap.* 7. *sess.* 14. & sola disputatio sit inter Doctores, an id competat Sacerdoti jure divino, vel jure humano, & an non approbatus possit uti dicta facultate, absente, vel etiam præsente alio Sacerdote approbato, uti habetur apud *Giribald. de Sacrament. tract.* 7. *cap.* 3. *dub.* 3.

17. Tangit Episcopus Mantuanus in sua Informatione præjudicium Animarum eorum Pœnitentium, qui Confessiones expleverunt Sacerdotibus ab Abbate approbatis, quando revera Abbas careret facultate eosdem approbandi. In hac autem gravissima quæstione, nonnulli docent, communem errorem absque titulo satis non esse pro validitate absolutionis, uti habetur apud *Passerin. de statu hominum citato tomo* 2. *quæst.* 187. *num.* 347. Alii inhærentes Decreto, quod ab hac Sacra Congregatione referunt antiquitus editum fuisse, docent confessiones, & absolutiones hujusmodi esse invalidas, & licet confessi possint dici absoluti coram Deo, quia Mater Ecclesia supplet, eos tamen, errore detecto, teneri confessiones reiterare, *Diana in edit. coordin. Operum moral. tom.* 1. *tract.* 3. *resolut.* 26. *num.* 7. *Molphes tract.* 7. *cap.* 13. *num.* 20. *Barbos. ad Concil. sess.* 23. *cap.* 17. *num.* 5. *Vulp. resolut. moral.* 163. *num.* 21. *in fine*, & alii relati per *Passerin. ubi supra*. Alii denique hanc distinctionem impugnant, ea ratione, quia non potest quis Sacramentaliter confessus dici absolutus coram Deo, nisi quatenus fuerit valide absolutus, hinc inferendo, quod posita absolutionis validitate Confessio non sit iteranda, & propterea indistincte volunt, absolutionem esse validam ex solo communi errore, etiam absque titulo, & eo fortius concurrente aliquo titulo putativo, *Passerin. ubi supra, num.* 355. *& seqq. Vulp. cit. resolut.* 163. *num.* 16. *& seqq. Salmanticenses in cursu morali tom.* 1. *tract.* 6. *de Sacram. Pœnitent. cap.* 9. *punct.* 4. *num.* 19. *Clericat. de Pœnitentia decis.* 31. *num.* 14. *& seqq. Gobat. quæstion. Theolog. Sacrament. tract.* 7. *casu* 3. *num.* 107. *& seqq. & signanter n.* 109. ubi figurat casum de Cappellano nullo modo approbato per Episcopum, & ita articulo mature discusso, ac Theologis hinc inde scribentibus, censuit in simili casu bonæ memoriæ Fagnanus Secretarius hujus

hujus Sacræ Congregationis, & Sacra Congregatio decrevit *in Aretina* 22. *Martii* 1614. *tom.* 64. *Positionum fol.* 385. *& sequent.*

18. Actum fuit de hoc eodem puncto in hac Sacra Congregatione in Causa *Patavina* 11. Decembris 1683. en verba Folii: *Occasione universalis Jubilæi nuper indicti pro imploranda Divina ope adversus Turcas, tres Sacerdotes Cappuccini in Patavina Diœcesi absque approbatione, & licentia Eminentissimi Episcopi Confessiones Sacramentales plurium sæcularium Personarum publice exceperunt: Et quamvis fuissent moniti a Parocho de eorum inhabilitate, attamen ab incœptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet Eminentissimo Episcopo ad docendum de eorum prætensa facultate absolvendi, responderunt, quod in opinione probabili aliquorum Auctorum Regularium, primus eorum uti Guardianus, & Prælatus Regularis, secundus uti approbatus in aliena Diœcesi, & tertius uti approbatus ab ipso Eminentissimo Episcopo Patavino in alio loco Diœcesis ad annum, licet jam elapsum, potuerunt licite, & valide tempore Jubilæi excipere dictas Confessiones absque nova Ordinarii approbatione. Eminentissimus autem Episcopus animadvertit, huic prætensioni resistere tum Constitutiones san. mem. Urbani VIII. & Innocentii X. tum Constitutiones Alexandri VII. & Clementis X. quæ omnes expresse prohibent, ne Regulares absque approbatione Ordinarii Confessiones audiant, quamvis in alio loco approbati, tum etiam responsa hujus Sacræ Congregationis super dubiis ad Bullam san. mem. Gregorii XV. tum denique expressam mentem Sanctissimi Domini Nostri, qui in Bulla præfati Jubilæi requisivit Confessarios ab Ordinariis Locorum esse approbatos, unde plurimum dubitans de viribus hujusmodi Confessionum, ab oraculo hujus Sacræ Congregationis quantocitius responderi petit.*

Primo: An licite.

Secundo: An valide dicti Cappuccini Sæcularium Confessiones exceperint.

Sacra &c. respondit: Ad primum illicite. Ad secundum invalide, sed non esse inquietandos illos, qui bona fide confessi sunt, attamen si ipsi confessi hoc nesciverint, vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare Confessionem.

Quo vero ad Cappuccinos, Eminentissimus Ordinarius conficiat Processum circa administrationem Sacramenti Pœnitentiæ ab iisdem exercitam, non obstante contraria dispositione Sacri Concilii Tridentini, & Constitutionum Apostolicarum, & transmittat.

Atque hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

QUÆSTIO DLXXIII.

In Causa Romana, die 20. *Septembris* 1727.

Bon. mem. Gaspar Turcus, qui post laudabiliter exercitum spatio plurium annorum Causidici munus, ad Cameræ Apostolicæ Commissariatum, & Prælaturam Domesticam Summi Pontificis evectus est, in ultimo, sub quo decessit, Testamento, sic disposuit, *item voglio, che subito seguita la mia morte, li miei Eredi debbano assegnare luoghi* 20. *de' miei Monti S. Pietro* 6. *Erezione per dote, e fondo dotale d' una Cappellania perpetua, da chiamarsi la Cappellania Turchi, quale debba reputarsi, & esser mero, e puro Legato Pio Laicale, e non Beneficio Ecclesiastico, e però non soggetto all' Ordinario, nè alla Dataria, e nominando Io in Vita qualche Sacerdote, o Chierico per primo Cappellano, voglio non possa rimoversi, ma durante la sua vita debba godere gl' intieri frutti di detti Luoghi de' Monti col peso di celebrare, o far celebrare messe* 300. *l' anno di Requie in Suffragio dell' Anima mia, e de' miei &c. gli altri Cappellani poi, che eleggeranno gl' infrascritti miei Eredi, doveranno esser amovibili ad nutum, e riscuotere il frutto di detti Monti, con ordine fermo di detti Eredi, con 'adempire puntualmente di Messe in Messe la celebrazione di dette Messe* 300. *l' anno. Et essendovi tra dd. Eredi, e tra nostri Parenti, e Congiunti Persona abile a detta Cappellania, quella sia preferita ad ogn' altro Estraneo, e così s' osservi in futuro.*

Atque a jure passivo Testator transitum faciendo ad jus activum sic locutus est: *In mancanza di detti miei Eredi, e loro Discendenti, & altri sopra chiamati a detto Fideicommisso voglio, che detto jus si devolva alla Chiesa, e Padri Carmelitani della Santissima Madonna di Monte Santo di Roma, quali siano tenuti nominare quelli, che si troveranno Parenti, e Congiunti a detti miei Eredi, & altri chiamati, che siano abili a detta Cappellania, e non essendovi, potranno dd. PP. per se stessi godere li frutti di dd. Luoghi di Monti dotali d' essa Cappellania, con il peso perpetuo di celebrare le* 300. *Messe annue per l' Anima mia, e de' miei Congiunti*; & demum in Codicillis devenit sequentibus verbis ad nominationem Cappellani, *ora volendo nominare il primo Cappellano con il privilegio di godere detta Cappellania in perpetuo sua vita durante, nomino il primo Cappellano il Signor Felice Gallucci mio Nipote di presente Abbreviatore nella Nunziatura di Lisbona, e non volendo, o non potendo, ovvero mancando quandocunque detto Signor Felice, li sostituisco il Signor Giuseppe Pediconi Figlio del Signor Antonio Pediconi mio Medico con lo stesso Jus di Cappellania perpetua.*

Tam Felix Nepos primo loco vocatus, quam Joseph post eum substitutus Clericali charactere erant insigniti, sed dum Felix se promoveri curabat ad Sacerdotium, vitam cum morte commutavit, delataque Cappellania ad Joseph, cum hic Matrimonium contraxerit, exorta est dubitatio, an ipse retinere possit Cappellaniam, de qua nunc agitur, in Statu Conjugali. Pendet resolutio ab examine mentis Testatoris, an videlicet ita Clericalem qualitatem voluerit in vocatis ad suam Cappellaniam, ut eos voluerit actu, vel in potentia Sacerdotes, & quatenus hæc fuerit ejusdem voluntas, an ea fuerit restricta ad ingressum in Cappellaniam, vel etiam se extenderit ad progressum.

Jura circumferuntur, unde quæritur,

An Cappellania, de qua agitur, retineri posset in statu conjugali per Cappellanum a Testatore nominatum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative, & amplius.

QUÆSTIO DLXXIV.

In Causa Osnabrugensi, die 20. *Septembris* 1727.

Joannes Balduinus Chorus huic Sac. Congregationi exposuit, quod a viginti circiter annis provisus fuit de Vicaria Beneficio simplici residentiali Ecclesiæ Cathedralis Osnabrugensis, ad cujus titulum Ordines recepit, & cujus oneribus quousque potuit, Chorum diligentissime frequentando satisfacere non prætermisit. Exposuit quoque, quod infirmitate correptus, cum consilio Medicorum, & prævia licentia Capituli, & Decani Cathedralis Ecclesiæ se contulit ad Patriam, ut frueretur aere nativo, & usu etiam aquarum mineralium, & quod licet aliqualiter recreatus redierit ad suam Residentiam Osnabrugensem, ob hujus nihilominus aeris inclementiam, in morbum, & quidem gravem relapsus recedere coactus fuerit, habita semper Superiorum licentia, & semper relicto altero ex Vicariis Ecclesiæ, qui vices suas, conventa mercede, sustineret. Exposuit denique, cæteros Cathedralis Vicarios, prætensionem excitasse de eo non admittendo ad fructus, & ad distributiones, concluditque exorando, ut prædictis Vicariis demandaretur, quod sibi libere consignarent tam prædictos fructus, quam distributiones, & Sacra hæc Congregatio, antequam quidquam decerneret, informationem exquisivit a Reverendissimo Nuntio Colonensi.

Prædictus Nuntius retulit primo, Oratorem, dum erat incolumis, Chorum laudabiliter frequentasse; secundo, tempore absentiæ muneribus Suæ Vicariæ per alium satisfecisse; Tertio necessitatem medelæ per accessum ad Patriam, & aquarum mineralium usum pluribus Medicorum testimoniis comprobasse; Quarto nullam esse posse difficultatem in ordine ad fructus, quos vocant Massæ Grossæ, sed totam difficultatem reduci posse ad Anniversaria, & memorias Defunctorum, quæ calculantur in annuis scutis 40. & ad alias distributiones quotidianas ascendentes ad summam viginti scutorum. De his quippe videndum erat, an Orator ad participationem tanquam infirmus esset admittendus, & quinto demum, & ultimo, necessitatem adesse capiendi aliquod temperamentum, cum infirmitas non esset accidentalis, sed proveniret a Causa permanente, hoc est a qualitate aeris Osnabrugensis, & cum æquum, & justum non videatur, ut idem semper abesse debeat, & semper debeat fructus, & distributiones lucrari; habitaque hac Nuntii informatione, Sacra hæc Congregatio die 22. Septembris 1725. respondit, prædictum Oratorem fructus, & distributiones percipere potuisse ex causa infirmitatis, & etiam bene posse in eadem perceptione continuare, sed ad annum, & si tamdiu infirmitas duraret, ita tamen ut per alium Vicarium Cathedralis oneribus sibi incumbentibus satisfaceret.

Capitulum, & Vicarii Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugen-

genſis adverſus hoc reſcriptum reclamarunt, ſub obtentu potiſſimum, quod expoſita in ſupplici libello non ſubſiſterent in facto, cauſaque per Auditorem Sanctiſſimi delata ad hanc Sacram Congregationem, jura circumferuntur, & quæritur,

I. An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

II. An, & quomodo ſit providendum in futurum.

Sacra Congr. reſpondit,
Ad primum in deciſis.
Ad ſecundum pro prorogatione ad annum, & conficiatur interim Proceſſus coram Ordinario ſuper qualitate infirmitatis, qui eam tranſmittat cum ſuo voto.

QUÆSTIO DLXXV.

In Cauſa Viterbienſi, die 20. Septembris 1727.

FRANCISCUS Antonius Galeotti, & Thomas Fani huic Sacræ Congregationi expoſuerunt, fuiſſe anno 1610. dotatam ab Alexandro Fani Cappellaniam de jure patronatus ſub invocatione Præſentationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ, eumdemque Fundatorem in prima Collatione, quam pro ſe ipſo ſupplicabundus obtinuit, expreſſiſſe, relative tamen ad inſtrumentum Fundationis, quod non reperitur, ſe eam dotaſſe in annuis ſcutis 40. ſed in Teſtamento condito de anno 1624. legaſſe pro Dote dictæ Cappellæ ſcuta 500. quod eſt compatibile cum alia ſupradicta expreſſione, ex quo tunc temporis ſc. 500. inveſtita in Cenſibus ad rationem octo pro centenario reddebant annua ſcuta 40. Expoſuerunt quoque, tam ſuos Anteceſſores, quam ſe ipſos numquam feciſſe inveſtimentum ſcutorum 500. ſed ſemper ſolviſſe ſcuta annua quadraginta, & idcirco exorarunt pro facultate faciendi in Monte Pietatis Depoſitum ſummæ ſcutorum 500. ad effectum inveſtiendi in Cenſibus vel cum Communitate, vel cum Locis Piis tutis, & ſecuris, ut deinde ex fructu inveſtimenti Miſſæ celebrarentur, quæ tunc non celebrabantur, niſi ad rationem unius pro qualibet hebdomada.

Exquiſita fuit juxta morem Epiſcopi informatio, qui retulit, expoſita in facto ſubſiſtere, ſibique ſuppoſitum fuiſſe, quod negligentibus Cappellanis Miſſarum celebrationem, Sacra hæc Congregatio demandavit celebrationem Miſſæ quotidianæ, & deinde earundem numerum Miſſarum remiſiſſe arbitrio Claræ mem. Cardinalis Sacchetti tunc Epiſcopi Viterbienſis, qui taxavit unam Miſſam pro qualibet hebdomada: Quocirca *die 3. Martii* 1725. reſponſum fuit, quod exquirerentur allegata Decreta, & *die 24. Martii ejuſdem anni*, quod exhiberetur in forma authentica decretum prædicti Cardinalis Sacchetti.

In ſequelam hujus reſcripti, facta fuit exhibitio Decretorum tam hujus Sacræ Congregationis, quam Claræ mem. Card. Sacchetti, & ex eis deſumptum fuit, reſolutum fuiſſe pro manutentione Cappellani in poſſeſſione exigendi annua ſcuta 40. & firma remanente hac manutentione, celebrandam eſſe unam Miſſam qualibet hebdomada, renovataque memorata inſtantia ab Oratoribus, hoc eſt ab Antonio Galeotto, & Thoma Fani, facultatis videlicet deponendi, & inveſtiendi Summam ſcutorum 500. die 9. Junii 1725. reſcriptum fuit, quod fieret inveſtimentum ſcutorum 500. in Stabilibus, vel in Cenſibus cum Locis Piis tutis, & ſecuris, & quod deinde promoveretur inſtantia pro numero Miſſarum, celebrata tamen hoc interim una Miſſa qualibet hebdomada.

Edito hoc Decreto, exhibitus fuit ab Alexandro Salendi Cappellaniæ, ſeu Beneficii Rectore ſupplex libellus, in quo ait, non fuiſſe huic S. Congregationi expoſita omnia, quæ erant exponenda, & ſignanter, quod in tantum non reperiebatur inſtrumentum fundationis, in quantum ex Protocollo folium fuerat laceratum, & quod non ſolum recitata emanaverant decreta, ſed etiam fuerant per tranſactionem roborata, hinc inferendo ad obreptionem, & ſubreptionem reſcripti; adeoque datis novis litteris ad Epiſcopum Viterbienſem, ut non ſolum ſuper noviter expoſitis informaret, ſed ut quoque ſuperſederet in executione reſcripti, cum ab eo reſponſum fuerit, reſcriptum jam fuiſſe executioni mandatum, & in facto non ſubſiſtere folii lacerationem, ſed apparere tantum folium in albo, in quo forte Notarius inſtrumentum ſcribere meditabatur, quamvis ſubinde ſcribere neglexerit, & tranſactionem revera factam fuiſſe, ſed ſe ignorare, an ea tanti debeat eſſe roboris, & momenti, ut reſcriptum obtentum, & executum inficere valeat, opus fuit devenire ad ſubſcriptionem dubiorum ab calcem Reſtrictus relatorum.

Porro ex pluribus contenditur, reſcripti executionem, quod eſt idem ac dicere, fundi aſſignationem non ſuſtineri, cum fructus aſſignamenti ſint quid minus annuis ſcutis quadraginta, quando dotatio in ſcutis quadraginta annuis clare deſumitur, ſi non ex inſtrumento fundationis, quod non reperitur, ſaltem ex inſtrumento primæ Collationis Cappellaniæ, in quo, cum Fundator exoraſſet pro collatione ſui favore facienda, habentur hæc verba, *Alexander Fani expoſuit dotaſſe in ſcutis quadraginta in quolibet anno cum onere celebrandi Miſſas, & aliis requiſitis, prout latius in inſtrumento a me Notario rogato.*

Additur obſervantia, juxta quam ſemper ſoluta fuerunt annua ſcuta 40. in cujus etiam obſervantiæ ſequelam conceſſa olim fuit ab hac Sacra Congregatione manutentio, quam Concordia ſubſecuta eſt, in qua Vincentius Fani, qui majorem quantitatem ſummæ ſcutorum 40. perſolvebat, cum ſolveret annua ſcuta 22. ſe obligavit ad continuandum in hac ſolutione. Et quia in dubiis infra referendis, ultra ſubſiſtentiam aſſignationis factæ, quæritur, an, & pro qua ſumma ſit faciendum inveſtimentum, ex rationibus mox perpenſis concluditur, eſſe faciendum in totidem ſtabilibus, vel Cenſibus, tutis, & ſecuris, correſpondentibus annuum reditum ſcutorum 40.

Adverſus hæc excipitur ab his, qui reſcriptum obtinuerunt, nullam habendam eſſe rationem, vel præteritæ obſervantiæ, vel conceſſæ manutentionis, vel initæ tranſactionis, cum in re clara obſervantia nihil faciat, nec eadem in facultativis quidquam operetur, & tranſactio, uti facta a Vincentio Fano, qui eſt alter ex hæredibus Fundatoris, fuerit temporanea, & alios intereſſe habentes afficere non valeat, remque totam, deficiente fundationis inſtrumento, eſſe definiendam verbis Teſtamenti, quæ ſic ſe habent, *item legavit Venerabili Cappellæ Præſentationis B. M. Virginis in Venerabili Eccleſia Divæ Mariæ Quietis Civitatis Tuſcanellæ exiſtenti ſcuta quinginta monetæ pro dote ejuſdem Cappellæ a Domino Teſtatore prædicto, ut dixit, promiſſa, & alia ſcuta triginta illi reliquit in tot Palliis Altaris diverſorum Colorum pro temporis opportunitate*, hinc inferendo, ſe ad nihil aliud teneri, quam ad ſolutionem ſcutorum quingentorum, cui per aſſignationem fundorum ſatisfecerunt, & in eo, quod attinet ad expreſſionem factam ab ipſo Fundatore in prima Collatione Cappellaniæ, uti ſupradictum eſt, ſubdit, de ea non eſſe habendam rationem, cum prodierit in actu minus proportionato, cum ſit relativa ad inſtrumentum, quod non reperitur, & cum verificari poſſit, ex quo ſcuta 500. tunc temporis inveſtita, ad rationem octo pro centenario redderent annuam quantitatem ſcutorum 40.

Jura circumferuntur, quocirca quæritur,

I. *An aſſignatio fundi favore Cappellaniæ Beatæ Mariæ Virginis facta per Hæredes Alexandri Fani Fundatoris ſuſtineatur in caſu &c. & quatenus negative.*

II. *An, & pro qua ſumma ſit faciendum inveſtimentum, ſeu aſſignamentum pro fundo, & Dote prædictæ Cappellaniæ.*

III. *Quot miſſæ ſint celebrandæ quolibet anno.*

Sacra Congr. reſpondit,
Ad Primum Negative.
Ad Secundum, teneri ſubminiſtrare annua ſcuta quadraginta.
Ad Tertium ſervetur Decretum Eminentiſſimi Sacchetti.

QUÆSTIO DLXXVI.

In Cauſa Novarienſi, die 22. Novembris 1727.

JOSEPH Albertonius in ſuo Teſtamento ſic diſpoſuit. *Voglio, che ſi celebrino Meſſe 50. in ſuffragio dell'Anima mia.*

In eodem Teſtamento onus Hæredibus, & ſucceſſoribus impoſuit celebrationis Miſſæ quotidianæ in Oratorio Sancti Antonii Abbatis loci Artò, ſtatim ac factus eſſet cumulus pecuniæ pro fundo librarum 8800. & Communitatis Rectores exoravit *ad invigilare, & procurare, che detta Meſſa nel modo come ſopra del tutto ſi celebri per maggior beneficio, e comodità di detta Comunità*, & in Codicillis, paulo poſt exaratis, ſic diſpoſuit: *Intendo perciò alla detta mia diſpoſizione per vigore de' preſenti Codicilli voglio, che il futuro Cappellano &c. per ſempre ſii tenuto, & debba celebrare la detta Meſſa nell' Aurora in ciaſcun giorno di Feſta.*

Mar-

Margarita uxor Teſtatoris in ſua jurata atteſtatione aſſeruit, factam fuiſſe a ſuo Viro prædictam diſpoſitionem, ut conſuleret commoditati hominum Communitatis, cum ipſe, dies degens in loco Artò, diebus feſtis quandoque Miſſa caruiſſet, ut latius in dicta atteſtatione legi poteſt. Cappellani, ad Officiaturam nominati, Miſſas hucuſque celebrarunt, ſed non applicarunt. Reditus, detractis detrahendis, aſcendunt ad ſcuta 40. & ſic ſunt infra manualem juxta morem Regionis, teſte Eminentiſſimo Epiſcopo in ſua informatione. Circumfertur Scriptura pro Sacerdote Antonio de Georgis Cavagliotti moderno Cappellano, & quæritur,

I. An Cappellanus teneatur applicare pro ſuffragio animæ Fundatoris Miſſam, celebrandam in Oratorio S. Antonii Abbatis loci Artò in caſu &c. & quatenus negative.

II. An recipere poſſit Eleemoſynam ab eo, pro quo Miſſam applicat.

Sacra Congr. reſpondit,
Ad primum negative, & orent Cappellani pro fundatore.
Ad ſecundum proviſum in primo.

QUÆSTIO DLXXVII.

In Cauſa Firmana, die 22. Novembris 1727.

POST contractum *anno* 1725. Matrimonium inter Joannem Franciſcum Salvadori, & Mariam Hieronymam Angelitam, & pacificam cohabitationem uxoris in domo Viri per ſex menſes, Hieronyma prædicta ab Oppido Portus Civitatis Firmi, ubi Vir habitabat, ſe tranſtulit ad Civitatem Recineti Patriam ſuam, in qua Capitaneus Angelita Pater degebat.

Joannes Franciſcus recurſum habuit ad Archiepiſcopum Firmanum, qui ſtatim curavit, ut Hieronyma collocaretur in Monaſterio Sanctiſſimæ Aſſumptionis, quod licet ſit in Civitate Recineti, ſubjectum tamen dicitur juriſdictioni ejuſdem Archiepiſcopi, ſed Mulier e Monaſterio exivit, & ſe in Domum Paternam recepit.

Novus a Joanne Franciſco recurſus habitus eſt ad hanc Sacram Congregationem, quæ negotium remiſit ad Archiepiſcopum Firmanum, ad effectum, ut procederet prout de jure, & hic ſententiam tulit, in qua decrevit, Hieronymam eſſe collocandam in Monaſterio Convictricum Civitatis Firmi, vel in alio Monaſterio Diœceſis, & alimenta ei eſſe ſuppeditanda a Patre ex fructibus Dotis, ab ipſo non ſolutæ.

Tam Hieronyma, quam ejus Pater ab hac ſententia reclamarunt, delataque controverſia ad hanc Sacram Congregationem, tria dubia fuerunt diſputata.

Primo, *An Maria Hieronyma cogenda ſit habitare in Patria Viri, vel potius Joannes Franciſcus Vir ſit cogendus habitare in Patria Uxoris.*

Secundo, *An, & in quo Monaſterio Hieronyma collocanda ſit, vel eidem potius permittendum ſit, ut maneat penes Patrem.*

Tertio, *Cujus ſumptibus Hieronyma alenda ſit in caſu &c.*

Et hiſce dubiis reſponſum fuit *teneri habitare in Patria Viri, & pro nunc collocandam eſſe in Monaſterio dictæ Patriæ ab Archiepiſcopo eligendo, & in eo alendam expenſis Patris ex fructibus Dotis.*

Impetrata autem a ſuccumbente nova audientia, diſputandum proponitur,

An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.

Sacra Congr. die 17. Aprilis 1728. reſpondit,
In Deciſis, & amplius.

QUÆSTIO DLXXVIII.

In Cauſa Ulyſſiponenſi Orientalis, die 22. Novembris 1727.

ISABELLA Ventura Fernandes *anno* 1708. Matrimonium per verba de præſenti contraxit coram Paroco, & Teſtibus cum Joanne de Albillos, & ex hoc matrimonio nati ſunt filii.

Ab Hiſpaniis, ubi contractum fuit Matrimonium, Conjuges ſe tranſtulerunt ad Regnum Portugalliæ, & poſtquam per aliquod tempus habitarunt in Civitate Ulyſſiponenſi, Marchio de Govvea captus amore Iſabellæ cum ea per plures annos habuit carnale commercium.

Poſt hoc tempus ſe voluit Marchio liberare ab illicito contubernio, utque id exequi poſſet, Iſabellam induxit ad ſuſcipiendum habitum monaſticum in Monaſterio Sanctæ Monicæ Ordinis S. Auguſtini, & ad emittendam in eo profeſſionem ante expletum annum Novitiatus, obtento, uti ſupponitur, Brevi, nec in hac re deſuit conſenſus Joannis Viri, qui tamen, licet eſſet ætatis annorum 33. nec Profeſſionem Regularem in aliquo Virorum Monaſterio emiſit, nec caſtitatem in ſeculo promiſit.

Profeſſio emiſſa fuit *anno* 1718. & Marchio mortuus eſt *anno* 1723. & ſub fundamento, quod profeſſio ab Iſabella emiſſa fuiſſet per vim, & metum ipſi a Marchione incuſſum, & quod conſimili modo exortus fuiſſet Joannis conſenſus, ſupplicatum fuit pro reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii, datiſque litteris ad Vicarium Capitularem Ulyſſiponen. confectus fuit ab eodem Proceſſus ſuper prætenſa nullitate Profeſſionis, & & in præſenti tria dubia diſputanda proponuntur, & inſtantiæ uxoris adhæret Joannes Vir, qui, audito obitu Marchionis, ad Civitatem rediit Ulyſſiponenſem, a qua ejus timore diſcedere coactus fuerat.

Quoad vim, & metum, idem Teſtibus innititur, atque conjecturis, in ſcriptura, & Summario legendis, & quoad cæteras facti circumſtantias faciunt ſequentes Juris Propoſitiones.

Prima eſt, quod poſt conſummatum Matrimonium non poteſt uxor ingredi Monaſterium, & in eo Religioſam Profeſſionem emittere, niſi accedat Conſenſus Viri, *Textus in Can. Notificaſti, in Can. Si dicat, & in Can. Mulier 33. quæſt. 5. & facit Textus in cap. Cum cauſam de Raptoribus*, ibi: *Præterea cum poſt Matrimonium, carnis commixtione perfectum, teſte Apoſtolo, uxor ſui corporis poteſtatem non habeat, ſed Maritus, & e converſo ſi præceſſiſſe Matrimonium vel ex probationibus Viri, vel ex Mulieris confeſſione, claruerit, poſtmodum ſine aſſenſu Viri, non potuit ipſa Monaſterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri.*

Secunda eſt, Viri conſenſum liberum eſſe debere, uti probat *Textus in Cap. Accedens de Converſione Conjugatorum* ibi: *Quæ propter multa verbera, & alia gravamina, quæ dictus Vir inferebat eidem, ſe ipſam aſſerens dimiſſurum annuit votis ejus*, & concordat *Text. in Can. Notificaſti 33. quæſt. 5.* ibi: *Non enim violentia, ſed ex pari voluntate, & conſenſu, ſicuti Sancti Patres dicunt, hoc fieri debet.*

Tertia eſt, tranſeunte conjuge ad Religionem, & in eadem profitente, oportere, ut alter Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, ſi ſit Juvenis, & ſi fuerit Senex, tolerari poſſe, ut in ſæculo remaneat cum voto ſimplici caſtitatis, *Text. in cap. Cum ſis de Converſ. Conjugatorum*, ibi: *Inde eſt, quod auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne in Epiſcopatu tuo Virum, vel uxorem, niſi uterque ad Religionem migraverit, tranſive permittas. Verum ſi ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris ut ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad Religionem tranſeat vir ejuſdem*, & concordat alius *Text. in cap. Uxoratus eodem tit.* excepto caſu, in quo matrimonii jura læſa eſſent per adulterium; tunc enim, accedente ſola licentia conjugis vere innocentis, qui nec directe, nec indirecte adulterio alterius cooperatus eſt, poteſt conjux adulter religionem profiteri, licet innocens in ſæculo remaneat, nec emittat ſolemnem profeſſionem ſi ſit juvenis, nec faciat ſimplex votum caſtitatis, ſi ſit ſenex: *Sanchez de Matrim. lib. 10. diſputat. 10. num. 15.* & facit reſolutio hujus Sac. Congregationis *in Januen. 2. Maii* 1722. in qua cum reſponſum fuiſſet pro facultate uxoris adulteræ emittendi profeſſionem, Marito in ſæculo remanente cum ſimplici Voto Continentiæ, in ſubſequenti Congregatione, habita *die 23. Maii ejuſdem* anni reſponſum fuit pro abſolutione Conjugis innocentis a voto ſimplici Continentiæ, & pro libertate abſolute, & ſimpliciter in ſæculo remanendi.

Quarta eſt, validam eſſe Profeſſionem emiſſam de Conjugis conſenſu, licet hic remaneat in ſæculo, & ſic, nec Profeſſionem Regularem emittat, ſi ſit Juvenis, nec emittat votum ſimplex Caſtitatis, ſi ſit ſenex, *Textus in Can. Agathoſa 27. quæſt. 2.* ubi Pontifex validam cenſet Profeſſionem diſiunctive, hoc eſt, vel ſi Conjugatus conſenſum præſtitit, vel ſi converſus eſt, ibi: *Agathoſa latrix præſentium queſta eſt, Maritum ſuum contra voluntatem ſuam in Monaſterio Urbici Abbatis eſſe converſum, quod quia ad ejuſdem Abbatis culpam, & invidiam non eſt dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquiſitione diſcutiat, ne forte cum ejus voluntate converſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit, & ſi hoc repererit, & illum in Monaſterio remanere provideat, hanc, ſicut promiſit, mutare compellat*, & concor-

dat *Textus in Cap. ex Cap. primo de Converſ. Conjugatorum*, ubi deciditur, nullum eſſe Matrimonium contractum ab eo, qui profeſſionem Regularem emiſerat de conſenſu Uxoris, & ea mortua, aliud contraxerat Matrimonium: Infertur enim, validam fuiſſe Profeſſionem cum ſola licentia Uxoris, alias pronunciari non potuiſſet pro nullitate ſecundi Matrimonii.

Quinta eſt, magnum dubium eſſe, an qui conſenſum præſtitit, & nec Regularem Profeſſionem, ſi Juvenis, nec Votum ſimplex Caſtitatis, ſi ſenex, emiſit, habeat Jus revocandi profeſſum cum ejus ſimplici licentia. Affirmativa quippe reſponſio probatur per *Textum in cap. Præterea de Converſione Conjugatorum*, ibi, *utrum Laicus uxoratus, qui præſentibus Sacerdotibus, & Monachis, ignorante Epiſcopo, de licentia, & permiſſione Uxoris Monaſterium ingreſſus profeſſionem fecit, Uxore in ſæculari habitu remanente nec tranſeunte ad Religionem, aut perpetuam Continentiam vovente, ab Epiſcopo ſuo poſſit ad eorum revocari Uxoris, an illa compellenda ſit continentiam obſervare*.

Ecce caſus ejus, qui Profeſſionem emiſit cum ſola licentia Conjugis, abſque eo quod hic in ſæculo remanens, vel Profeſſionem emittat, vel faciat ſimplex votum caſtitatis, & in hoc caſu ſic a Pontifice reſpondetur: *dicimus, quod niſi Uxor in Religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſervare promiſerit, Vir poteſt, & debet de Monaſterio revocari*. At nonnulli diſtinguunt inter manentem in ſæculo, & conſcium Juris diſponentis, Conjugem non poſſe profiteri, niſi licentiam concedens voveat caſtitatem, ſi ſenex ſit, & ſi Juvenis ingrediatur Religionem, & ignarum hujus diſpoſitionis Juris, ita ut in primo caſu non ſit permiſſa revocatio, ſecus in ſecundo, dummodo tamen ignorans diſpoſitionem Juris fuerit Uxor, & non Vir, utpote qui per ignorantiam Juris excuſari non poteſt, uti late probat *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſput. 33. num. 14.* Alii autem hanc diſtinctionem impugnant & contendunt, locum eſſe revocationi ſive adfuerit, ſive non cognitio diſpoſitionis Juris, *Pont. de Matrim. lib. 9. cap. 12. num. 4. & 5.* & Conjux, qui non obſtante valida profeſſione ad ſæculum revocatur, non poteſt petere, ſed tantum reddere debitum, & mortuo revocante, tenetur ad Religionem redire, juxta citatum *Textum in cap. ex parte de converſ. Conjugatorum*, ibi, *ea tamen ſublata de medio, Votum ſine ſalutis ſuæ periculo non potuit violare*.

Hæc quoad punctum Profeſſionis; quo vero ad alium, qui promovetur, reſtitutionis Dotis, Monaſterio perſolutæ, ultra ab Informantibus allegata, extat Votum typis impreſſum Eminentiſſimi Domini mei Cardinalis Peyrę, qui in alio negotio requiſitus, an, nulla declarata profeſſione alicujus Monialis ex cauſa metus, vel ex alio titulo per legitimum Judicem, & Superiorem, Dos ei a Monaſterio reſtituenda ſit, de more doctiſſime, & petitis a Jure Civili, & Canonico validiſſimis argumentis, affirmative reſpondit.

Juxta igitur expoſita, Iſabella Ventura Fernandes Uxor legitima Joannis de Albillos, poſt illicitum commercium habitum cum Marchione de Govvea, Profeſſionem Regularem emiſit in Monaſterio Sanctæ Monicæ Ordinis S. Auguſtini, de conſenſu Viri ſui, qui in Sæculo permanſit, & nec Regularem Profeſſionem, nec Votum ſimplex Caſtitatis emiſit; eademque Iſabella, mortuo Marchione, inſtat pro declaratione nullitatis ſuæ Profeſſionis, & Uxoris inſtantiæ adhæret Vir, qui Conjugem ſuam, licet Profeſſam repetit. Et potiſſimum fundamentum conſtituitur in vi, & metu incuſſis a Marchione tum Joanni, ut daret aſſenſum, tum Iſabellæ, ut Profeſſionem emitteret. Super quo puncto dignabuntur EE. VV. ſolita maturitate perpendere, an ex deductis in Summario conſurgat legitima probatio vis, & metus, vel potius opus ſit demandare coadjuvationem probationum.

At quia, ſuppoſita validitate Profeſſionis quoad Mulierem, ſuppoſitoque libenti conſenſu præſtito per Virum, adhuc dubitari poteſt, an ipſe, qui permanſit in ſæculo, & nec Profeſſionem Regularem, nec Votum ſimplex Continentiæ emiſit, Uxorem ſuam repetere valeat reverſuram ad Monaſterium, quatenus ei ſupervivat, juxta *Textum in cap. ex parte de Converſ. Conjugatorum*, operæ pretium eſſe cenſui ſequentia adnotare.

Ut Uxor tranſeat ad Religionem, & in ea profiteatur, oportet, ut Vir Religionem ingrediatur, & in ea profiteatur, ſi fuerit Juvenis, & ſi fuerit Senex, oportet, ut in ſæculo emittat Votum ſimplex Caſtitatis, juxta *Textum in cap. cum ſis, & in cap. Uxoratus de Converſ. Conjugatorum*, & ſi Maritus dederit aſſenſum ſuum, ſed nec Regularem profeſſionem, nec Votum ſimplex Caſtitatis emiſerit, poteſt Uxorem ſuam repetere, & eadem ipſi reſtituenda eſt ſaltem Officio Judicis, juxta litteralem *Textum in cap. præterea de Converſ. Conjugatorum* ſupra relatum.

Torquet hic Textus ingenia Doctorum, quocirca nonnulli ſcribunt, eum procedere in caſu, in quo Vir dederat conſenſum per vim, & metum, & alii communiori calculo dicunt, illum ſibi vindicare locum, quando Maritus, qui dedit conſenſum, ignoravit diſpoſitionem juris, quæ vult, ut ipſe in tali caſu, vel voveat Caſtitatem in Sæculo, vel Religionem ingrediatur, ſecus vero ſi prædictam Juris diſpoſitionem ſcivit, & ad ulteriora procedendo, dicunt Juris ignorantiam præſumi & ſuffragari Uxori, ſed nec præſumi in Viro, nec ſuffragari Viro, qua diſtinctione attenta, non poſſet Joannes repetere Iſabellam, licet ipſe nec Regularem Profeſſionem, nec Votum ſimplex Caſtitatis emiſerit.

Theorica hæc Auctorem habet *Abbatem*, qui in citato *cap. Præterea ſub n. 4.* hæc habet: *Procedit ergo iſte Textus, ubi uxor erat iſtius juris inſcia, & poteſt argui per iſtum Textum, quod in hoc caſu excuſat Mulierem ignorantia Juris, & ſub num. 8. etiam crederem, quod ſi dans licentiam ſit conſcius juris, quod tunc non fiet illa reductio, quia, ut ſupra dixi, dando licentiam tacite videtur vovere.* Abbatem alii ſequuntur, quibus latiſſime adhærent *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſput. 33. n. 14. Piringh ad lib. 3. Decret. tit. 32. §. 2. num. 14. Pater Schmalzgrueber ad eundem tit. n. 36.*

At alii prædictas qualificant explicationes tanquam divinatorias, cum ex allegato textu nullum pro illis deduci poſſit fundamentum, quocirca abſolute, & indiſtincte docent, poſſe Uxorem profeſſam revocari a Viro, qui ſuum liberum dedit aſſenſum, ſed nec Votum ſimplex Caſtitatis, nec Profeſſionem Regularem emiſit, cum prædictus aſſenſus licet libere præſtitus, ab Eccleſia non acceptetur, niſi fuerit vallatus, vel Profeſſione Regulari, vel Voto ſimplici Continentiæ in Sæculo, quemadmodum latiſſime oſtendunt *Suarez de Religione tom. 3. lib. 6. c. 7. n. 12. & ſeq. Perez de Matrim. diſput. 58. ſect. 4. n. 10. Pont. de Matrim. lib. 9. c. 12. n. 4. & 5.*

Ad partes ergo poſita prædicta diſtinctione, alia ſubingreditur inſpectio conſiſtens in adulterio commiſſo ab Uxore, remanetque videndum, an in caſu Profeſſionis, quæ ab Uxore adultera fit de conſenſu Viri, neceſſe ſit, ut ipſe vel Religionem ingrediatur, vel Votum ſimplex Continentiæ in Sæculo emittat, ita ut his non peractis, valeat ipſe Uxorem ſuam repetere licet de ſuo conſenſu profeſſam.

Sermonem habendo de hoc articulo, de jure eſſe videtur, quod ſi vir Uxori dedit proximam cauſam adulterandi, ut quando expreſſe, vel tacite conceſſit eidem facultatem adulterandi, aut quando conſcius adulterii non prohibuit, cum poſſet ſine ſuo gravi detrimento, aut quando ſciens adulterium, ſponte reddidit debitum, vel petiit, tunc omnino neceſſe ſit, quod ultra licentiam profitendi, ipſe, ſi ſit Juvenis, emittat Profeſſionem Regularem, vel ſi Senex, Votum Continentiæ in ſæculo, uti bene perpendit Lezana *Conſil. 30. n. 18. & 19.* cui deferendum eſſe videtur, cum interfuerit Congregationi ſuper hoc articulo habitæ coram Sanctæ Mem. Innocentio X, & in noſtra facti ſpecie circumſtantiæ expoſitæ non videntur contemnendæ, cum Iſabella, & Joannes Scenicam exercerent, uti habetur ex informatione Ordinarii.

At ſi prædictæ deſint circumſtantiæ; & Vir revera innocens ſit, tunc communis eſſe videtur Doctorum aſſertio, ſufficere licentiam innocentis, nec opus eſſe, ut ipſe, vel Religionem ingrediatur, vel emittat in ſæculo Votum Continentiæ, ex quo Jura Canonica, quæ ingreſſum in Religionem, ſeu Regularem Profeſſionem, vel Votum ſimplex Caſtitatis in ſæculo expoſcunt, procedunt in terminis, in quibus jura matrimonii ſunt integra, & illæſa, ſecus autem quando ſunt læſa, & diminuta, *Sanchez de Matrim. lib. 10. diſput. 10. num. 15. Lezana cit. Conſult. 30. num. 15. & 16. Diana in edit. coordinata tom. 2. tract. 6. reſolut. 226. num. 2. Layman in Summa tom. 2. lib. 5. tract. 10. part. 3. cap. 7. n. 12. in fine, Caſtropalao operum Moral. tom. 5. diſp. 3. de Sponſalibus punct. 6. §. 7. num. 4. Piringh ad lib. 3. Decret. tit. 32. de Converſ. Conjugatorum §. 7. ſub num. 35. §. Notandum 3. Anaclet. ad eundem tit. Decret. ſub num. 28. §. Reſpondetur 3. Reginald. in praxi fori pœnit. tom. 2. lib. 31. tract. 5. cap. 42. num. 327. Donat. in praxi rerum regul. tom. 2. part. 2. tract. 3. quæſt. 17. numer. 7.*

Hæc

Hæc quoad ſcripta Doctorum. Quoad praxim vero Sacrarum Congregationum, in particulari Congregatione habita coram fan. mem. Innocentio X. de qua ſupra, cum diſputatum fuiſſet, an Mulier adultera de conſenſu viri ſui poſſet Profeſſionem Regularem emittere, Marito in juvenili ætate conſtituto, & non valente propter infirmitates Ordines Sacros recipere, nec emittere Profeſſionem Regularem, Pontifex auditis votis Theologorum, reſpondit, quod conſtito de adulterio, Uxor Profeſſionem emitteret, *Marito in Sæculo manente ſolo voto continentiæ emiſſo*, uti habetur apud Lezanam *citata Conſult. 30. n. 1. & n. 27.*

In hac Sacra Congregatione, cum in quadam Cauſa *Lucana* Uxor adultera peteret facultatem emittendi Profeſſionem Regularem, Marito in ſæculo remanente, die 20. Junii 1682. reſponſum fuit *negative*, cum diceretur, eam fuiſſe a viro proſtitutam, ſed ſuperventa informatione Ordinarii, in qua dixit, ſuppoſitum prædictum non ſubſiſtere, deſcriptaque Cauſa in folio, die 14. Novembris 1682. receſſum fuit a deciſis. Et data fuit facultas Uxori emittendi Profeſſionem in Monaſterio Convertitarum, *ſed emiſſo per virum Caſtitatis voto*, uti habetur *lib. 32. Decret. fol. 479.*

Anno 1693. cum mulier Ferrarienſis deprehenſa fuiſſet in adulterio, & vir judicialiter inſtetiſſet pro divortio, & uxor habito conſenſu viri, petiiſſet facultatem profitendi in Monaſterio Convertitarum, re delata ad hanc Sacram Congregationem, hæc *die 2. Maii 1693.* facultatem conceſſit, *accedente conſenſu viri denuo in forma Juris valida præſtando*, uti habetur *lib. 43. Decret. fol. 225.*

Anno 1722. cum quædam Mulier Januenſis Conjugata ſe aliis proſtituiſſet, & vir eam amplius recipere nollet, propoſitum fuit in hac Sacra Congregatione, an ſtante conſenſu viri poſſet ea Profeſſionem Regularem emittere, licet vir conſtitutus in ætate annorum 34. remaneret in ſæculo, & proteſtaretur, quod etiam ipſe Profeſſionem Regularem emitteret, ſi propter ingraveſcentem ætatem Genitorum, & eorum indigentiam id facere poſſet, & Sacra hæc Congregatio *die 2. Maii prædicti anni* affirmative reſpondit *accedente conſenſu viri canonice præſtando, & accedente voto Continentiæ ab eo emittendo donec uxor viviſſet*, uti habetur *lib. 72. Decr. fol. 195. a tergo*, ſed habito ſubinde recurſu a Procuratore viri, & ponderato inter ſummaria precum lectarum in ſubſequenti Congregatione, quod agebatur de viro ignaro, utpote fabro lignario, & quod Teſte Ordinario quicumque aberat metus repetitionis uxoris, quodque votum ſimplex Continentiæ emittendum, injiciebat laqueum Conſcientiæ prædicti miſerabilis, in ſubſequenti Congregatione reſponſum fuit pro abolitione oneris emittendi Votum ſimplex continentiæ in ſæculo.

Ex his ergo, cæteriſque perpendendis, quæritur,

I. An conſtet de Cauſis Reſtitutionis in integrum, ita ut ſit declaranda nulla Profeſſio, & quatenus affirmative.

II. An ſit locus reſtitutioni dotis per Iſabellam Monaſterio perſolutæ.

III. An liceat Iſabellæ vendere Monialibus Cellulas propriis ſumptibus conſtructas intra Septa Monaſterii, ſeu potius illa ſpectent ad Monaſterium, & Moniales in caſu &c.

Sacra Congr. die 6. Decembris 1727. reſpondit,
Dilata, & ſcribatur juxta Inſtructionem.

QUÆSTIO DLXXIX.

In Cauſa Ariminenſi, die 6. Decembris 1727.

Anno 1696. Canonicus Gregorius Boezii fabricavit in Terra Montiani Oratorium ſub invocatione nominis Beatiſſimæ Mariæ Virginis, ut in eo Miſſa celebraretur, & anno 1706. eidem Oratorio donavit Prædium, binas Domos, & nonnulla Mobilia, Cappellaniam laicalem inſtituendo, & Cappellaniam amovibilem conſtituendo ad ſuum, & Patronorum in Teſtamento nominandorum beneplacitum, & ſe declaravit adminiſtratorem Cappellæ, quoad uſque vixiſſet.

Poſt lapſum aliorum decem annorum, & ſic anno 1716. idem Canonicus Cappellaniam aſſignavit Clerico Dominico Negri, ut ad ejus titulum tamquam ad titulum Patrimonii Sacros Ordines recipere poſſet, cum conditione tamen, ut eo deficiente, vel obtenta per ipſum aliqua alia proviſione, Cappellania redire deberet ad ſuam naturam, hoc eſt ad ſtatum manualitatis, & Dominicus Negri ad titulum dictæ Cappellaniæ Sacros Ordines recepit, & adhuc vivit, nec ullam aliam proviſionem conſecutus eſt. Cumque hoc minime obſtante anno 1725. idem Canonicus Eccleſiam, Cappellaniam, & omnia alia bona tranſtulerit in Ordinem Minimorum, & binos Cappellanos nominaverit ex eadem familia, nempe Patrem Dominicum Marques, & Patrem Franciſcum Angelum Sebaſtianelli, dummodo tamen ex beneplacito Sedis Apoſtolicæ erigi poſſet, & fundari Hoſpitium Religioſorum ejuſdem Inſtituti in Oppido Montiani, & prope Eccleſiam a ſe fabricatam, & a Sanctiſſimo Domino Noſtro editum fuerit Breve confirmatorium hujuſce poſtremæ diſpoſitionis favore Religioſorum, habitus fuit a Promotore Fiſcali Menſæ Ariminen. recurſus ad Eminentiſſimum Dominum meum Cardinalem Marefuſcum, tunc Sanctitatis Suæ Pro-Auditorem, reportataque oris aperitione, & Cauſæ remiſſione ad hanc Sacram Congregationem, diſputandum in præſenti proponitur dubium ad calcem reſtrictus referendum, & inſtantiæ Promotoris Fiſcalis adhæret etiam ipſe Canonicus Boezii.

Horum jura conſiſtunt potiſſimum in defectu poteſtatis ſæpe memorati Canonici, qui poſt expletam donationem irrevocabilem inter vivos favore Cappellaniæ Laicalis a ſe erectæ, poſt aſſignationem Cappellaniæ factam Dominico Negri, ut ad Sacros Ordines promoveretur, non poterat ex poſt facere Eccleſiæ, Cappellaniæ, & bonorum aſſignationem favore Ordinis Minimorum, neque duos Religioſos ex dicta familia deputare in Cappellanos.

Et in eo, quod attinet ad Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri, ſubdunt, illud ſubreptionis, & obreptionis vitio laborare, tum quia expoſitum fuit Summo Pontifici, quod in Oppido Montiani aderat penuria Presbyterorum, qui onera Miſſarum adimplere poſſent, quod ſuppoſitum dicitur in facto non ſubſiſtere, tum quia non fuit Summo Pontifici expoſita præcedens erectio Cappellaniæ pro Clericis Sæcularibus, ejuſque dotatio per donationem irrevocabilem, neque pariter eidem fuit expoſitum, quod facta fuerat Dominico Negri aſſignatio Cappellaniæ, ut ad ejus titulum ordinari poſſet.

Additur, quod erectioni Hoſpitii demandatæ in ultima donatione Canonici adverſantur Patres Minores Sancti Franciſci de Obſervantia ejuſdem Loci Montiani, & Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis Davia tunc Epiſcopus Ariminen. in ſua informatione, quæ exhibetur, eidem quoque Erectioni adverſabatur. Quæ ſint Jura PP. Minorum ignoro, cum ad me delata non fuerint. Cum nunc petita fuerit dilatio uſque ad ſequentem Congregationem, repropoſita cauſa die 20. Decembris ejuſdem anni, prodiit reſcriptum: *Dilata, & præfigatur terminus trium menſium pro habendo beneplacito Apoſtolico ſuper aperitione Hoſpitii.*

Elapſo jam termino trium menſium abſque eo quod beneplacitum impetratum fuiſſe doceatur, ne cauſæ reſolutio in longius protrahatur, quæritur,

An aſſignatio, & translatio bonorum, & effectuum Eccleſiæ, & Cappellaniæ Sanctiſſimi Nominis Mariæ, & B. Joſephi, & Philippi Nerii facta a Canonico Boetio anno 1725. favore Religionis Minimorum Sancti Franciſci de Paula una cum deputatione PP. Dominici Marques, & Franciſci Angeli Sebaſtianelli ejuſdem Ordinis in Cappellanos, ſuſtineatur, ita ut Breve Apoſtolicum ſit exequendum in caſu &c.

Sacra Congr. die 31. Julii 1728. reſpondit,
Iterum proponatur.
Nec amplius invenitur propoſita.

QUÆSTIO DLXXX.

In Cauſa Fanenſi, die 6. Decembris 1727.

Joannes Paulus de Palazzis donatione irrevocabili inter vivos donavit Thaddæo de Palazzis ſuo ex Fratre Nepoti plurima bona, & ſignanter Prædium *Valle di Veltrica*, impoſito onere ſequenti per Thaddæum Donatarium adimplendo: *Teneatur, & debeat infra terminum ſex annorum ab hodie incipien. erigere in ſupradicto Prædio nuncupato* la Valle di Veltrica, *Cappellam ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis, ac Sancti Cajetani, ac Beati Gherardi, & a dicto tempore erectionis celebrari faciat duas Miſſas qualibet hebdomada in perpetuum, ſcilicet unam die Dominico, & alteram in die feſto, ſi advenerit in hebdomada, ſi minus in Sabbato cujuslibet hbdomadæ pro anima ipſius Donantis, & pro eleemoſyna dictorum Sacrificio-*

ficiorum assignavit Cappellano pro tempore existenti, & respective eligendo a dicto Donatario fructus scutorum ducentorum monetæ Urbini, quæ vult a dicto Donatario accensari ad hunc effectum retraben. ex bonis, ut supra donatis.

Donatio hæc facta fuit *anno 1690.* & Thaddæus Donatarius nulla facta erectione Cappellaniæ, celebrare fecit in Ecclesia designata per Sacerdotem sibi beneviſum Missas a Donatore demandatas; cumque post lapsum aliquorum annorum, & signanter anno 1722. Diophæbus de Palazzis Donatarii Successor Prædium *di Valle di Velrica* pretio scutorum monetæ Romanæ 1875. vendidisset Antonio Gineuri, & pactum in instrumento venditionis apposuisset, ut translato in emptorem onere manutentionis Ecclesiæ, & utensilium pro celebratione Missarum, onus celebrationis earumdem penes se remanere deberet, juxta tenorem instrumenti donationis factæ, uti supra, a Joanne Paulo de Palazzis, & subinde recursum habuisset ad hanc Sacram Congregationem, instando, vel pro reductione Missarum, vel pro licentia solvendi Capitale scutorum ducentorum investiendum pro tot Missarum celebratione, juxta morem datæ fuerunt Litteræ pro informatione ad Episcopum Fanen. superventisque responsionibus, in Congregatione habita *die 17. Augusti proximæ præteriti*, rescriptum fuit: *Lectum, & Episcopus mandet, exigi Cappellaniam.*

Fundamentum hujus Decreti constitutum fuit in opulentia donationis, desumpta ex instrumento, & etiam ex venditione Prædii supra memorati, pretio, uti dictum est, scutorum 1875. nec existimatum fuit, ullum esse posse locum reductioni Missarum, etiamsi fructus scutorum ducentorum monetæ Urbini pro earum celebratione non sufficerent, ex quo summa prædicta non fuit appositа taxative, sed demonstrative, quo stante non aperitur via reductioni, sed supplemento.

Hæc in hac Sacra Congregatione contigerunt, sed illis minime obstantibus, iisdem penitus dissimulatis, Promotor Fiscalis Rev. Fabricæ Sancti Petri judicium instruxit coram Commissario in Provincia Marchiæ, & Commissarius Sententiam tulit super applicatione Legati cum præfixione termini unius mensis ad obtinendam a Sede Apostol. quamcumque commutationem, Missarum reductionem, aut aliam magis congruam provisionem, sub obtentu, quod Cappellanus reperiri non posset, qui binas Missas hebdomadales celebraret cum exigua eleemosyna percipienda ex fructibus Capitalis scutorum ducentorum monetæ Urbini.

Displicuit hæc Sententia Antonio Gineuri, eamque credidit, emanasse ad instantiam Diophæbi de Palazzis, qui post reportatum negativum responsum ab hac Sacra Congregatione super petita reductione Missarum, & super facultate investiendi summam ducentorum scutorum, ut tot Missæ ex ejus fructibus celebrari possent, excitavit Promotorem Fiscalem Rev. Fabricæ, ut per indirectum obtineret, quod directe obtinere non potuerat, habitoque idcirco per eum recursu ad hanc Sacram Congregationem, disputandum in præsenti proponitur Dubium.

An sit locus reductioni, & quomodo in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Non esse locum reductioni; sed Diophæbum teneri ad suppliendum, & amplius.

QUÆSTIO DLXXXI.

In Causa Venafrana, seu Nullius Montis Cassinensis Matrimonii, die 6. Decembris 1727.

Anna Gentilis nata est in Terra Bareæ Diœcesis Montis Cassinen. cujus Terræ Hyacinthus Pater erat oriundus, & Civis.

Anno 1692. prædictus Pater a memorata Terra discessit, & se contulit ad Civitatem Venafri una cum Filiis, & Filiabus, continuantibus habitationem in eadem Terra Fratre, & Sorore Hyacinthi, qui adhuc in ea habitant.

Contracta fuerunt Sponsalia in Civitate Venafri inter Annam Gentilem, & Joannem Baptistam Roccum, cumque contrahere voluissent Matrimonium, & supplicem libellum porrexissent Curiæ Episcopali, noluit hæc concedere licentiam sub obtentu, quod Mulier alia contraxisset Sponsalia cum Josepho Marchetta.

Anna videns impedimentum, a dicta Civitate Venafri discessit comite Philippo Gentile germano Fratre, & se contulit ad Terram Bareæ, in qua uti dictum est, habitabant Patruus, & Amita, & in eorum domum se recepit, elapsisque quadraginta diebus continuæ moræ, cum Joannes Baptista Roccus die 21. Novembris anni 1725. supervenisset, die immediate sequenti contractum fuit ab ipsis Matrimonium coram Archipresbytero in dicta Terra Curam Animarum exercente, & coram Testibus, nullis tamen præmissis denunciationibus, & dum Archipresbyter Missam celebrabat, & conversus ad Adstantes dicebat: *Dominus vobiscum.*

Anna, & Joannes Baptista recursum habuerunt ad hanc Sacram Congregationem, petendo declarationem nullitatis Matrimonii, tum quia fuerat contractum per vim, & metum, tum quia non fuerat contractum coram proprio Parocho, & Sacra hæc Congregatio die 5. Julii currentis anni deputavit Dominum meum Advocatum Ursayam in Matrimonii Defensorem.

Dominus Advocatus de more doctam exaravit Scripturam, & concluſit pro validitate Matrimonii, tum quia metus non est probatus, tum quia pro validitate facit resolutio hujus Sagræ Congregationis, bene nota EE. VV. *in Cæsenaten. seu Forolivien. Matrimonii 20. Februarii, & 26. Junii 1723.* quam reverenter amplexa est *Rota in Leopolien. Matrim. 19. Februarii 1725.* §. *Non constito coram hon. mem. Carro.*

His positis, quæritur,
An Matrimonium sit validum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Dilata, & proponatur cum iisdem scripturis.

QUÆSTIO DLXXXII.

In Causa Cæsenatensi, die 6. Decembris 1727.

Archionissa Lelia Maria Fava Vidua Marchionis Nicolai de Albitiis die 14. Aprilis 1726. Matrimonium per verba de præsenti contraxit cum Aurelio Versalia, prævia dispensatione super proclamationibus, & super tempore Quadragesimali, coram Sacerdote Cappellano Parochialis ipsorum Ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ, & coram duobus Testibus, qui Sacerdos Cappellanus in Libro Matrimoniorum adnotavit, se Matrimonio interfuisse ex speciali Parochi licentia.

Matrimonio adhuc non consummato, cum denunciationes fieri cœpissent, ægre ferentibus tum filiis Leliæ ex primo Matrimonio, tum cæteris ejus consanguineis, quod eadem ad secunda vota convolasset cum memorato Aurelio, res eo devenit, ut Sanctissimo Domino Nostro preces fuerint exhibitæ pro dispensatione, & dissolutione Matrimonii tanquam rati, & non consummati; factaque precum remissione ad hanc S. Congregationem, post superventam Ordinarii informationem rescriptum fuit, quod Causa poneretur in Folio.

Instantia hæc suum non habuit progressum, instanteque subinde Aurelio pro declaratione validitatis Matrimonii, & cohabitatione cum sua uxore, Causa remissa fuit ad Episcopum, ut procederet, prout de Jure; cumque Episcopus satius esse duxerit, se hac Causa spoliare, ex quo Aurelius est Germanus Frater sui Vicarii Generalis, disputanda in præsenti, & resolvenda proponuntur sequentia Dubia.

I. An constet de validitate Matrimonii contracti per verba de præsenti, & quatenus affirmative.

II. An locus sit communi Sponsorum cohabitationi, mutuæque Corporum traditioni.

III. An contra reluctantem sint Censuræ relaxandæ, vel aliud legale remedium fumendum in casu &c.

Non Proposita.

QUÆSTIO DLXXXIII.

In Causa Tusculana, die 6. Decembris 1727.

Communitas Civitatis Tusculanæ ex antiquissima consuetudine tenetur ad manutentionem, & reparationem Ecclesiæ Cathedralis, Turris Campanariæ, & Campanarum, & ejus obligatio non extenditur ad expensas pro paramentis, luminariis, & cæteris omnibus honorifico Dei cultui necessariis.

Eminentissimi Episcopi, qui pro tempore Ecclesiæ Tusculanæ præfuerunt, non deteriorent indigentiæ Sacrarum Supellectilium pie subvenire. Cumque Sanctissimus Dominus Noster in sua Constitutione 24. impressa post Concilium Romanum decreverit, quod provisi de Parochialibus annuum reditum scutorum centum excedentibus, ac de cæteris omnibus beneficiis, sive residentialibus, sive non residentialibus, & simplicibus etiam de Jure patro-

natus teneantur solvere mediam Annatam pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis, sive beneficia existant in Cathedrali, sive in alia Ecclesia, exceptis beneficiis existentibus in Collegiatis, de quibus media Annata solvenda est, sed favore Fabricæ ipsarum Collegiatarum, quæsitum fuit ab Eminentissimo Domino meo Cardinali Corsino Vigilantissimo Antistite Ecclesiæ Tusculanæ, an ex Beneficiis a se conferendis tanquam Episcopo Tusculano, mediam Annatam exigere possit, & applicare pro ornamentis, & supellectilibus prædictæ suæ Cathedralis Ecclesiæ. Cumque de hac re actum fuerit inter summaria precum die 17. Augusti 1726. rescriptum fuit, quod instantia describeretur in Folio.

Pro affirmativa facit, quod licet Sanctissimus Dominus Noster in prædicta sua Constitutione exceperit a solutione mediæ Annatæ beneficia illarum Diœcesum, in quibus reperitur opus, seu peculiare Patrimonium Fabricæ sufficienter instructum, aut onus, seu obligatio reparandi, instaurandi, & conservandi Ecclesias residet penes Communitates Locorum, præsens nihilominus casus sub prædicta exceptione non videtur esse comprehensus, ex quo videlicet Communitas non est adstricta, uti fuit dictum, nisi ad manutentionem, & reparationem materialis Ecclesiæ; in quo proinde rerum themate opus Fabricæ non videtur, quod dici valeat sufficienter instructum, exclusaque sufficienti prædicta instructione, via aperitur supplemento, & sic regulæ applicanti mediam Annatam favore Fabricæ Cathedralis. Quidquid enim disponitur, & quidquid relinquitur favore Fabricæ Ecclesiæ, intelligitur dispositum, & relictum favore etiam ornamentorum, & supellectilium, cum nomine Fabricæ Ecclesiæ veniant etiam ornamenta necessaria Cultui Divino, uti probat *Textus in cap. Finali de Testamentis*, ibi: *Ornamentis, seu Fabricæ, Luminariis, sive aliis ad perpetuum Cultum Divinum:* & ad rem late prosequuntur *Covar. in citato cap. ultimo num. 4. de Testamentis, Solorzan. de Jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 23. num. 11. Francesi. de Ecclesiis Cathedralibus cap. 20. num. 48. Zerola in praxi Episcopali in verbo Fabrica Ecclesiæ.*

Eoque magis, quia in Synodo Romana *tit. 27. cap. unico*, ubi habetur relatio ad citatam Constitutionem, disponitur, quod fructus mediæ Annatæ non expendantur in Musicas, aut Organistarum, vel aliorum Ecclesiæ inservientium Salaria, atque stipendia, quæ exceptio per consequens videtur firmare regulam in oppositum, quod media scilicet Annata exigi possit, & erogari in cæteras alias res, quæ veniunt nomine Fabricæ.

Pro negativa vero facit, quod stricte loquendo sub nomine Fabricæ venit opus tantum, & structura Ecclesiæ materialis, uti late ostendunt *Valasch. consult. 179. num. 4. & 5. Valenz. consil. 122. num. 45. & sequent. Rebuff. in Leg. Ferri 235. §. Fabros versic. Fabrica ff. de verborum significatione*, & ab hac intelligentia non videtur, quod Sanctissimus Dominus Noster recedere voluerit in sua Constitutione, tum quia in ea semper locutus est de Fabrica materiali, tum quia sermonem habendo de erogatione pecuniarum ex media Annata retrahendarum, statuit, eas non esse in alium usum erogandas, *quam reparationis, conservationis, & manutentionis Fabricæ ipsarum Ecclesiarum*, quorum verborum importantia, non ad ornamenta, sed ad opus Fabricæ materialis referenda videtur.

Quibus proinde stantibus, quæritur,
An exigi possit media Annata, eademque erogari in supellectilia Ecclesiæ Cathedralis Tusculanæ in casu &c.

Non proposita.

QUÆSTIO DLXXXIV.

In Causa Savonensi, die 27. Januarii 1728.

Territorium situm in confinibus Vadi pertinet ad Mensam Episcopalem Savonensem; anno 1611. fuit illud per tunc temporis Episcopum concessum in Emphytheusim ad tertiam Generationem Joanni Antonio Brignono pro annuo canone scutorum centum triginta quinque aureorum, quæ nunc constituere dicuntur scuta Romana 211. 50.

Neglexit Emphytheuta solvere annuam pensionem, factaque Territorii devolutione ad Mensam Episcopalem, diminutisque hoc interim Territorii reditibus, deventum fuit a tunc temporis Episcopo ad novam concessionem in Emphytheusim ad tertiam Generationem, quæ facta fuit anno 1675. Francisco Firpo pro annuo Canone, seu pensione scutorum centum aureorum, quæ constituere dicuntur scuta Romana 152. & hæc concessio in Emphytheusim fuit per hanc Sacram Congregationem approbata, prævia relatione Episcopi Albinganensis.

Post aliquem temporis lapsum, Territorium iterum devolutum est ad Mensam Episcopalem, initoque per tunc temporis Episcopum novo perpetuæ Concessionis tractatu anno 1706. cum nobili Cæsare de Maris patritio Januensi pro annuo canone scutorum centum aureorum pro medietate juxta valorem Hispaniæ, & pro altera medietate juxta valorem Italiæ, & sic pro scutis Romanis 154. *& obulis 33.* datæ iterum fuerunt litteræ pro informatione ad Episcopum Albinganensem, & licet informatio fuerit favorabilis, anno nihilominus 1708. rescriptum fuit pro Concessione Beneplaciti ad tertiam Generationem.

Beneplacitum hoc non fuit expeditum, neque fuit executioni mandatum, cum etenim anno 1707. sub reservatione Apostolici Beneplaciti facta fuisset stipulatio instrumenti pro canone prædicto, & onere obtinendi renovationem de annis 29. in 29. addito pacto, quod pendente instantia pro renovatione Beneplaciti, Concessio staret in linea Locationis de Triennio in Triennium sub eadem responsione scutorum centum aureorum, ita tamen ut conductor hoc interim opportuna conficeret melioramenta, Cæsar sibi magis expediens judicavit continuare in detentione bonorum titulo conductionis, solvendo suis temporibus quantitatem conventam.

In præcitato Instrumento ultra pacta relata aliud etiam reperitur, & est, quod liberum esse deberet Episcopo, non impetrato Apostolico Beneplacito per Cæsarem impetrando, ad bona redire, solutis tamen prius melioramentis, necnon aliis scutis mille argenteis, quæ Cæsar in actu Contractus solverat Mensæ Episcopali pro Canonibus decursis, & non solutis a præcedenti Emphytheuta, & pro melioramentis ab eo factis. Cumque modernus Episcopus ab Ecclesia Adjacenti ad Savonensem translatus prædictum Cæsarem in fine Triennii interpellaverit, ut bona favore Mensæ dimitteret, ad judicialem contestationem deventum est, in qua Mensa obtinuit Mandatum de manutenendo, facto deposito scutorum mille, & præstita fidejussione de reficiendis melioramentis a Cæsare factis. Post varias Fori ambages controversia delata est ad hanc Sacram Congregationem, & instante Cæsare pro Concessione Beneplaciti ad effectum perpetuæ Emphytheusis, datæ sunt litteræ pro informatione ad Episcopum Naulensem, & responsionibus jam superventis, & utraque parte acriter informante, disputandum in præsenti proponitur dubium.

An sit consilium præstandum Sanctissimo pro Concessione Beneplaciti super Emphytheusi perpetua bonorum, de quibus agitur in casu &c.

Sacra Congr. respondit,
Negative, & amplius, & quoad asserta melioramenta, & eorum liquidationem Sacra Congregatio remisit Instantiam ad A. C.

QUÆSTIO DLXXXV.

In Causa Compostellana, die 27. Januarii 1728.

Licet de Jure sit, Canonicum Divinis non interessentem non lucrari distributiones, licet sit inquisitor adversus hæreticam pravitatem, ut respondit Sacra hæc Congregatio *in Civitaten. anno 1587. lib. 5. Decret. pag. 39.* quod ipsum confirmavit *die 25. Aprilis 1591. lib. 7. Decret. pag. 9.* datis litteris ad Nuncium Hispaniarum, & ad Cardinalem Archiepiscopum Toleti, hæc nihilominus, & similia sic explicantur, ut procedant, inspecto jure communi, secus autem, si ex Apostolico Privilegio indultum sit Canonicis Inquisitoribus, ut fructus, & distributiones lucrentur etiam in absentia, uti præcedentes resolutiones explicando, hæc eadem Sacra Congregatio respondit *in Toletana die 4. Junii 1594. lib. 8. Decret. pag. 40. & seq.* quæ resolutio est per extensum impressa apud *Garziam de Benef. par. 3. cap. 2. num. 356.* quo privilegio potiri dicuntur Inquisitores Hæreticæ pravitatis in Hispania, *Teste Solorzan. de Jure Indiarum tom. 2. lib. 3. cap. 24. num. 8.* Ita ut tam ipsi, quam Secretarii, Fiscales, Relatores, & Commissarii deputati ad Causas S. Officii, in absentia lucrentur fructus, reditus, proventus, & quotidianas distributiones suorum Beneficiorum in sequelam Privilegiorum Apostolicorum, quæ de quinquennio in quinquennium prorogantur, *Teste Barbosa de Canonicis cap. 24. sub num. 2.*

Ad tramites eorum, quæ hucusque dicta sunt, etsi Petrus Curiel Canonicatum, & Præbendam Dignitatem obtinens

tinens in *Metro*politana Compostellana, ac etiam Consultor S. Officii, & Judex Ordinarius dicti Tribunalis in Civitate Hispalensi debitos sibi licet absenti fructus, atque *distributiones* assereret, ad tollendas nihilominus Capituli Compostellani exceptiones, recursum habuit ad Sanctissimum Dominum Nostrum, factaque expositione munerum a se exercitorum in Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, & quod onus legendi Sacros Canones Canonicatui annexum, alias fuerat adimpletum opera Substituti, & pro speciali Indulto supplicavit fruendi fructibus, & distributionibus, licet Choro non interesset, & Jus Canonicum per interpositam personam legeret; cumque Sanctitas Sua benigne precibus annuens petitum Indultum ad quinquennium concesserit, exceptis tamen distributionibus quotidianis, excitatis subinde, promotisque reclamationibus nomine Ecclesiarum Hispaniarum, & præsertim Ecclesiæ Compostellanæ, res eo redacta est, ut concessa oris aperitione adversus prædictum Breve, negotii cognitio per eumdem Sanctissimum Dominum Nostrum ad hanc Sacram Congregationem remissa sit, in cujus proinde remissionis sequelam bina Dubia ad calcem Restrictus descripta, disputanda in præsenti proponuntur.

Ut eo, quo decet ordine, commissi negotii cognitio assumeretur, datæ sunt litteræ ad Nuncium Apostolicum Hispaniarum, qui informationem Inquisitoris Generalis pro responsione transmisit, quæ in substantia ad duo capita reducitur; Primum est, quod Jus Capituli Compostellani unice desumi potest ex Brevi Urbani VIII. de quo infra expedito *die* 10. *Februarii anno* 1640. Sed illud ait non esse applicabile casui, de quo nunc agitur, cum illud sit restrictum ad quatuor Canonicatus de Officio nuncupatos, & qui per concursum, sive per oppositionem conferuntur, Doctoralem videlicet pro defensione litium Ecclesiæ, Lectoralem pro explicatione Sacræ Scripturæ, Magistralem pro Sacra Concione exercenda, & Pœnitentiarium pro Confessionibus excipiendis, quo stante si Canonicatus, quem Petrus Curiel habet in Metropolitana Compostellana, non est ex illis quatuor prædictis, ex quo videlicet illi quatuor jam in dicta Ecclesia reperiuntur, nec habet nisi onus legendi in Academia Jus Canonicum, quod onus fuit alias adimpletum per Substitutum, sequitur, eum esse exemptum a dispositione Brevis Urbani VIII. alterum est, quod licet juxta Pontificia Privilegia, omnes Officiales Sanctissimæ Inquisitionis in Hispaniis sint admittendi ad fructus, & distributiones, licet Choro non interfint, sic tamen res in praxi se habet, ut Officiales habentes continuum exercitium memoratis Privilegiis distincte fruantur, alii vero qui non continuum, sed interpolatum habent proprii Officii ministerium, privilegiis fruantur non indistincte, sed pro diebus, & horis, quibus fuerint pro Sancta Inquisitione occupati, uti etiam practicatur in Urbe, in qua Assessor S. Officii, durante munere, eximitur a servitio Chori, & admittitur ad participationem fructuum, & distributionum, perinde ac si Choro interesset, ad quam tamen Consultores non admittuntur, nisi pro diebus, & horis, quibus fuerint occupati, onerata eorum Conscientia.

Adversus hæc excipitur, primo, quod supplicantibus Archiepiscopis, Episcopis, & Capitulis Cathedralium omnium Regnorum Castellæ, & Legionis, in unaquaque Ecclesia erecti fuerunt bini Canonicatus, alter conferendus Magistro in Theologia, alter Doctori in utroque Jure, quibus Canonicis inter cætera imposita fuit strictissima lex residentiæ, uti habetur in Constitutionibus Summorum Pontificum Sixti IV. & Innocentii VIII. impressis apud *Garziam de Benef. 5. par. cap. 4. num.* 169. secundo, quod a Summo Pontifice Julio II. erectus fuit in Ecclesia Compostellana Canonicatus, de quo nunc agitur, cui impositum fuit onus Jus Canonicum legendi in Civitatis Archigymnasio, facta ad hunc Canonicatum Compostellanum extensione litterarum Sixti IV. & Innocentii VIII. supra memoratarum; & tertio, quod ab Urbano Papa VIII. solemniter statutum est, Canonicos habentes Præbendas Magistrales, vel Doctorales in Ecclesiis Regnorum Castellæ, & Legionis, ita addictos esse debere servitio suarum Ecclesiarum, ut ab eo avelli non possint, etiam sub obtentu servitii præstandi Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, ita ut eis suffragari non possit Indultum Sedis Apostolicæ de percipiendis fructibus, & distributionibus in absentia, nisi de Capitulorum consensu fuerit concessum, & nisi in Indulto facta mentio de verbo ad verbum hujus ejusdem Brevis, & ab his principiis infertur, Canonicatum Compostellanum esse in omnibus, & per omnia exæquatum Canonicatibus Magistralibus Ecclesiarum Castellæ, & Legionis, & sic per consequens subjectum Constitutionibus Sixti IV. Innocentii VIII. & Urbani VIII. ita ut sicuti Petrus Curiel, si unum ex Canonicatibus Magistralibus haberet in aliqua Ecclesia Regnorum Castellæ, & Legionis, teneretur ad strictam residentiam, nec ullo modo percipere posset fructus, aut distributiones, licet absesset pro servitio Sanctissimæ Inquisitionis, ita hoc ipsum dicendum sit, quamvis idem habeat Canonicatum Lectoralem in Metropolitana Compostellana; nulla habita ratione specialis Indulti eidem a Sanctissimo Domino Nostro concessi, utpote concessi per obreptionem; Sanctitati etenim Suæ expositum non fuit, quidquid fuerat statutum in Constitutionibus Sixti IV. Innocentii VIII. Julii II. & Urbani VIII.

Additur, quod in Constitutionibus Ecclesiæ Compostellanæ imponitur Canonico onus patrocinandi, & defendendi negotia Ecclesiæ, & habendi Lectionem Sacrorum Canonum in Universitate, ex quo nedum infertur ad residentiam, sed etiam ad exclusionem substituti, cum in rebus, quæ expoſcunt industriam Personæ, non possit fieri implementum opera substituti. Et quia Inquisitor Generalis Hispaniarum in sua informatione ponderat, hunc Canonicatum Compostellanum pertinere ad collationem Decani, & esse subjectum reservationibus Sedis Apostolicæ, & Capituli instantiam habere pro objecto ejus collationem per Concursum, quæ jus Decani, & Sedis Apostolicæ excluderet, Capitulum Compostellanum, quod instantiam promovit pro subscriptione dubiorum, in quorum primo videtur, quod huc respexerit, solemniter in sua Scriptura protestatur, se tale quid nunquam cogitasse, sed suam unicam fuisse, & esse intentionem, ut Canonicus Lectoralis munera sibi imposita adimpleat, nec absit a servitio Ecclesiæ, sub prætextu servitii præstandi Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis.

His stantibus, quæritur,

I. An Litteræ Apostolicæ Urbani VIII. editæ die 10. *Januarii* 1640. *pro Canonicavibus de Concursu Cathedralium Ecclesiarum Regnorum Castellæ, & Legionis, afficiant etiam Canonicatum Lectoralem Cathedralis Ecclesiæ Compostellanæ in casu &c.*

II. An Petro Curiel debeantur fructus, & emolumenta quæcumque dicti Canonicatus Lectoralis in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Ad primum negative, & consilium præstandum Sanctissimo pro extensione.

Ad secundum, servetur Breve Sanctissimi.

QUÆSTIO DLXXXVI.

In Causa Neocastrensi, die 27. *Januarii* 1728.

Episcopus Neocastren. die 23. Februarii 1725. Visitationem Generalem suæ Diœcesis indixit, & in indictione palam fecit, se omnes Conventus Regularium Virorum esse visitaturum, in quibus non existeret numerus sex Religiosorum, & quorum quatuor essent Sacerdotes, ad tramites Constitutionis Innocentii X. quæ incipit: *Ut in parvis*, & inter cætera hujus generis Monasteria Monasterium nominavit Sancti Francisci de Paula Ordinis Minimorum Loci Sancti Blasii, & quia horum Conventuum Religiosi aliquam fecerant Visitationi resistentiam, Sanctissimus Dominus Noster per Epistolam Secretariæ Status die 11. Augusti ejusdem anni 1725. ultra facultates Episcopis concessas in citata Constitutione Innocentii Papæ X. alias quascumque opportunas, & necessarias facultates benigne est impertitus.

Mense subsequentis Decembris voluit Episcopus accedere ad visitandum memoratum Conventum Patrum Minimorum, sed eisdem excipientibus, se vigore suorum Privilegiorum non esse Visitationi subjectos, post varias altercationes res eo devenit, ut Episcopus Ecclesiam interdicto suppoſuerit, & Fratrem Marcum Palaja Superiorem, sive Correctorem Conventus excommunicaverit, & excommunicatum declaraverit, & uti ab omnibus evitandum pronunciaverit.

Non obstante Interdicto, publice in Ecclesia celebrata fuerunt Officia Divina, quocirca Episcopus ad ulteriora procedendo, tres terminos assignavit, intra quos Pater Corrector comparere deberet ad dicendam causam, quare non esset declarandus irregularis, ex quo publice Missam celebravit, non obstante incursa, & declarata excommunicatione, & sub eisdem terminis assignatis monuit Fratrem Antonium a Noja, Fratrem Petrum ab Amato, &

to, & Fratrem Xaverium a Catanzario, ut comparerent ad dicendam causam, quare non deberent excommunicari, cum celebraverint in Ecclesia interdicta, cumque demum prædictus Episcopus nonnullos Processus confecerit adversus prædictorum Religiosorum mores, tentata fuit carceratio primum Patris de Amato, & deinde Patris Correctoris, sed res incassum cecidit, cum bene reperta fuerit clausa, & munita porta Conventus.

Ab hoc facto insurgit disputatio dubiorum infra recensendorum, in ordine ad quæ Patres primo contendunt, eorum Conventum non fuisse subjectum Episcopi Visitationi, tum quia obstant Ordinis Privilegia, tum quia aderant in eo Religiosi in numero præfixo a Constitutione Innocentiana. Secundo dicunt, Censuras, & Interdictum non sustineri, tam ex capite injustitiæ, quam nullitatis, cum nulla præmissa citatione, vel monitione, deventum fuerit ad affixionem Cedulonum Excommunicationis, & Interdicti. Tertio ajunt, quod stante notorietate nullitatis, nec irregularitatis, nec aliæ pœnæ fuerint incursæ ab his, qui Missas celebrarunt in Ecclesia interdicta. Quarto suadere conantur, non potuisse Episcopum inquirere super delictis oppositis, tum quia non erant notoria, tum quia non fuerant perpetrata extra Claustra. Quinto prætendunt, duplicem fuisse incursam Excommunicationem propter attentatam carcerationem Fratris Petri de Amato, ex quo videlicet fuerunt injectæ manus violentæ in eum, & id factum est in Ecclesia. Et ultimo demum volunt, sibi restitui cadavera, & emolumenta, cum nonnulli Sepulturam elegissent in eorum Ecclesia, & alibi propter Interdictum fuerint sepulti.

Quæ sint Jura Episcopi ignoro, cum ad me delata non fuerint; quocirca quæritur,

I. An Conventus Patrum Minimorum Terræ Sancti Blasii esset subjectus Visitationi Reverendissimi Episcopi Neocastren. tempore, quo fuit ab eodem Episcopo interdicta, in casu &c.

II. An Censuræ, & Interdictum Ecclesiæ ab eodem Episcopo respective latæ sustineantur in casu &c.

III. An Patres ob Missas, & Divina Officia celebrata tempore Interdicti incurrerint Irregularitatem, vel quas pœnas in casu &c.

IV. An Edicta affixa, & Processus fabricati contra Patres Minimos per eundem Episcopum sustineantur, & quatenus negative, an sint abolendi in casu &c.

V. An, & quis incurrerit in Excommunicationem ob attentatam carcerationem Fratris Petri de Amato in casu &c.

VI. An sit locus restitutioni Cadaverum, & Emolumentorum in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Dilata, & ad mentem.

QUÆSTIO DLXXXVII.

In Causa Aquipendenti, die 27. *Januarii* 1728.

Excitata controversia inter Archipresbyterum ex una, & Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ Sanctorum Joannis, & Andreæ Terræ Canini Diœcesis Aquipenden. ex altera partibus, prætendente illo, quod Canonici sint obligati ad præstandum sibi adjumentum in exercitio, & administratione Curæ Animarum, & asserentibus istis, se ad hoc onus nullatenus teneri, juxta morem datæ fuerunt litteræ Episcopo pro informatione, & voto; cumque Episcopus retulisset, Canonicos revera habere dictum onus, & hanc suam assertionem pluribus fundamentis corroborasset, facta instantiæ relatione inter summaria precum, responsum fuit die 15. Maii proxime præteriti, teneri Canonicos ad Parochum coadjuvandum in exercitio, & administratione Curæ Animarum, & impetrata a succumbentibus nova audientia, bina in præsenti dubia ad calcem restricti relata disputanda proponuntur.

Porro prætendunt Canonici, se non teneri ad coadjuvandum Parochum, sive Archipresbyterum in exercitio Curæ Animarum; primo, quia Cura habitualis est penes Capitulum, & actualis penes Archipresbyterum; secundo, quia Testes deponunt, nunquam Canonicos in præteritum, & quidem a tempore immemorabili adjumentum Parocho præstitisse in prædicto exercitio; Tertio, quia Archipresbyter duplicem habet portionem tam de certis, quam de incertis; Quarto, quia in Constitutionibus Ecclesiæ nihil legitur, quod ad hoc onus referri possit; Quinto, quia erecta fuit nova Parochialis Ecclesia cum dismembratione partis Populi olim subjecti Parochiali, & Collegiatæ Ecclesiæ Sanctorum Joannis, & Andreæ; hinc inferendo, quod non est opus in præsenti auxilio Canonicorum pro exercitio Curæ Animarum, & eo fortius, si ab Archipresbytero Sacerdos substitutus retineatur, uti alias factum dicitur, qui ejus vices suppleat in casu necessitatis.

Addunt Canonici tenuitatem fuorum redituum, & quia in secundo dubio promovetur ab Archipresbytero prætensio, quod si onus detrectant, excludendi sint a participatione emolumentorum Parochialium, subdunt se semper de illis participasse, & nunquam inservisse, & participationem descendere ex Transactione inita de anno 1595. inter Communitatem, & ipsum Capitulum.

Excipit e contra Archipresbyter, non posse Canonicos se subtrahere ab onere coadjuvandi, tum quia ipsis fuit impositum anno 1593. ab Episcopo de Castro, & in ejus compensationem fuerunt per eum admissi ad participationem incertorum, tum quia semper in præteritum coadjuvarunt Archipresbyterum in exercitio Curæ Animarum, & in eo, quod attinet ad novæ Parochiæ erectionem, dicit, eam sibi non obesse, cum novo Rectori suus Populus sit assignatus, nec limites statutos prætergredi possit, in eoque, quod spectat ad Transactionem, inquit, eam non percutere casum, de quo nunc agitur, concluditque, quod si Canonici participant de Decimis, de Quarta Funerali, & de aliis emolumentis Parochialibus, vel debent sibi adjumentum præstare in exercitio Curæ Animarum, vel relicto dicto exercitio debent a participatione dictorum emolumentorum excludi.

Jura circumferuntur; quocirca ex dictis Juribus circumferendis quæritur,

I. An Canonici Capitulares Ecclesiæ Collegiatæ SS. Joannis, & Andreæ Terræ Canini teneantur coadjuvare Archipresbyterum in exercitio, & administratione Curæ Animarum, & quatenus negative.

II. An, & de quibus emolumentis Parochialibus debeant iidem Canonici participare in casu &c.

Sacra Congr. die 21. Febr. 1728. respondit,

Dilata, & Testes hinc inde formiter examinentur, firmo interim remanente Decreto edito die 10. *Maii* 1727.

QUÆSTIO DLXXXVIII.

In Causa Messanensi, die 27. *Januarii* 1728.

Antonia Corvaja post emissam Professionem in Monasterio Sanctæ Claræ Civitatis Messanen. recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem, ut obtineret Restitutionem in integrum, ex quo lapsum erat quinquennium, datisque de more Litteris ad Archiepiscopum, ipse, auditis Monialibus, censuit, petitionem esse exaudiendam, sed quia sine Processus formalis confectione super asserta nullitate Professionis non est locus Concessioni Restitutionis in integrum, novæ datæ sunt ad cum Litteræ pro confectione Processus, & ejus transmissione, quatenus confectus esset, sed cum supponatur eum nec esse confectum, nec confici posse propter impedimenta, quæ ab Adversariis Antoniæ opponuntur, instante, & sæpius Antonia supplicante, opus fuit devenire ad Causæ descriptionem in Folio, etsi in Summario non adsint, nisi binæ informationes Archiepiscopi, & nonnullæ extrajudiciales depositiones Monialium, ex quibus habetur, primo, quod tractato inter eam, & quemdam Equitem Matrimonio, fuit hic carceribus mancipatus, & insinuatum Antoniæ, quod Amalius e carceribus non esset egressurus, nisi post factam ab ipsa Professionem, secundo, quod emissa Professione fuit Eques libertate donatus, tertio, quod Professio facta fuit de nocte, quarto, quod Professa, & tunc, & semper reclamavit, quinto, quod requisita noluit eam ratificare, & ultimo, quod etiam post Professionem semper se gesserit tanquam Monasterii Alumnam, hoc est tanquam educandam; Comam etenim nutrivit, Vestes Sæculares retinuit, a Choro abstinuit, & ab aliis actibus, qui a Professis exerceri solent.

Jura circumferuntur, unde quæritur,

An sit locus Restitutioni in integrum in casu &c.

Sacra Congr. die 21. Februarii 1728. respondit,

Scribatur Archiepiscopo juxta Instructionem.

QUÆ-

QUÆSTIO DLXXXIX.

In Causa Colonienſi, die 27. Januarii 1728.

MARIA Anna de Horſt Patria Juliacenſis, & de Diœceſi Colonienſi, viginti circiter ab hinc annis cum eſſet in ætate annorum quatuordecim, Matrimonium contraxit, Parentibus invitis, cum Boleslao Schtuerin Hæretico Pomerano Neomagi in Hollandia, coram Miniſtro Hæretico, licet Parochus Catholicus adiri, & commode haberi potuiſſet in eodem loco. Ex hoc Matrimonio duo filii nati ſunt, cumque Boleslaus, poſt quinquennium Mariam Annam deſeruiſſet, & abiens in longinquas Sveciæ Regiones hæreticam duxerit Uxorem, infelix Maria Anna, quæ miſeram duxit vitam per ſpatium plurium annorum, cum occaſionem invenerit Matrimonium contrahendi cum Edmundo Geverſagen Catholico, ſupplices preces porrexit huic Sacræ Congregationi pro declaratione nullitatis Matrimonii a ſe contracti cum Boleslao, & pro libera facultate Matrimonium contrahendi cum Edmundo.

Datæ fuerunt litteræ pro informatione ad Ordinarium, qui reſpondit, primo, ſubſiſtere in facto ea, quæ fuerunt expoſita, ſecundo, Matrimonium fuiſſe contractum coram Miniſtro Hæretico Caſtrenſi, non tamen proprio illius Legionis, ſub qua Boleslaus militabat, tertio, potuiſſe contrahi Matrimonium coram Miſſionario Catholico, & Teſtibus juxta Concilii Tridentini Decretum, quarto, Concilium Tridentinum, & decretum de Matrimonio contrahendo coram Parocho, & Teſtibus fuiſſe in loco publicatum, nec ullam quoad hunc punctum moveri poſſe controverſiam, quinto, ſe juxta repetitas hujus Sacræ Congregationis declarationes inclinare pro nullitate Matrimonii, ſed ſe deinde dubitare, ex quo Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis Petra in ſuis doctiſſimis *Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas tom.* 4. ſcripſit, non expedire, ut procedatur ad declarationem nullitatis horum Matrimoniorum, cum ex conſimilibus declarationibus multa mala ſequantur, & Catholici degentes in Regionibus Hæreticorum periculis Perſecutionum exponantur, ſexto, ſe hæc mala prævidere in caſu, de quo nunc agitur, cum in receſſu, quem vocant, Religionis facto de anno 1672. inter Marchionem Brandeburgicum, & Ducem Neoburgicum intuitu terrarum ex ſucceſſione Juliacenſi inter ſe diviſarum, conventum fuerit, quod in contrahendis mixtis Matrimoniis hoc eſt V. G. Catholicæ cum Hæretico aſſiſtere ſemper debeat Parochus, ſeu Miniſter Sponſi, & quod Proles Maſcula educetur in Religione Patris, & proles fœminina in Religione Matris, ſeptimo, quod licet hæc prodierint ab incompetenti auctoritate, nihilominus in praxi recepta ſunt, ita ut mala, infortunia, perſecutiones Catholicorum, & alia hujus generis imminere probabiliſſime credenda ſint, ſi ad aures Principum Acatholicorum deveniat pro nullis haberi Matrimonia contracta coram Miniſtro Hæretico a Fœmina Catholica cum viro Heterodoxo; octavo, ſupereſſe modum, quo res componi poſſet, ſi videlicet, prætermiſſo defectu aſſiſtentiæ Parochi Catholici, procederetur ad publicationem nullitatis Matrimonii, utpote contracti coram Miniſtro, qui non erat proprius Sponſi Miniſter, erat enim Miniſter alterius Legionis, ſub qua Boleslaus non militabat, uti ſupradictum eſt, cum Acatholici, etſi reputent valida Matrimonia contracta coram alieno Miniſtro, ſevere nihilominus puniant Miniſtrum aſſiſtentem Matrimoniis, quæ a ſuis Subditis contracta non ſint, & idcirco credi poſſit, mitius eſſe laturos, ſi nullum declaretur, id quod ipſi perperam geſtum agnoſcunt; ultimo, demum permiſſum fuiſſe Boleslao remanere in ſecundo Matrimonio contracto cum Hæretica, non quia exiſtimatum fuerit primum Matrimonium contractum cum Maria Anna fuiſſe invalidum, ſed quia ponderatum fuit ab Hæreticis, uti ſibi Ordinarius Colonienſis aſſerit ex Actis conſtare, quod ſecundum Matrimonium contractum fuerat cum Fœmina nobili præcedentis Matrimonii ignara.

Hæc ſunt quæ continentur in luculenta dicti Ordinarii Relatione; Nunc autem tranſeundo ad exponendam praxim, & conſuetudinem hujus Sacræ Congregationis, necnon aſſerta Doctorum, præmiſſaque regula generali deſumpta ex littera Concilii *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de Reformat. Matrimonii*, quod ipſa videlicet Sancta Synodus noluit nullitatem Matrimonii ex defectu præſentiæ Parochi, & Teſtium ſibi vindicare locum in Parochiis, in quibus Decretum publicatum non fuerit, redactaque quæſtione ad eos locos, in quibus Tridentinum Decretum fuit publicatum, nonnulli in ea ſunt opinione, quod Hæretici degentes in locis prædictis non ſint prædictæ legi ſubjecti, ita ut Matrimonia ibi ab eis contracta coram Miniſtro Acatholico, & ſic ſine vero Parocho, & Teſtibus, pro validis ſint habenda, ut late oſtendere conatur *Theophilus Raynaudus in Heteroclitis Spiritualibus tom.* 16. *pag. mihi* 176. *a num.* 7. *uſque ad num.* 14. Alii in ea ſunt opinione, quod Matrimonia hæc Hæreticorum valida ſint in illis locis, in quibus utpote tunc Principi Catholico ſubjectis, licet olim fuerit publicatum Tridentini Decretum, hodie nihilominus ſubſunt Principibus Hæreticis, quam aſſertionem ampliant etiam ad caſum, in quo non deeſſet copia Parochi Catholici, & etiam ad caſum, in quo aiter ex contrahentibus Catholicus eſſet, uti late oſtendere conatur *Vaneſpen. Juris Eccleſiaſtici tom.* 1. *par.* 2. *tit.* 12. *de Sponſalibus a num.* 31. *uſque ad finem*; & alii demum volunt, Matrimonia hæc Hæreticorum nulla eſſe, ſive inter Hæreticos contracta fuerint, ſive inter Hæreticum, & Catholicam, dummodo tamen copia haberi potuerit Parochi, aut Sacerdotis Catholici, qui Matrimonio intereſſet, quam Sententiam latiſſime tuetur *la Croix lib.* 6. *par.* 3. *de Matrimonio num.* 772. *cum pluribus ſeq.* & eidem late adhærent etiam cæteri plena manu cumulati *Anaclet. ad tit. Decret. de Clandeſtina deſponſatione* §. 3. *a num.* 132. *& ſeq. P. Schmalzgrueber ad eumdem tit. Decret.* §. 2. *a num.* 115. *& pluribus ſeq.* ubi etenim Parochi Catholici non ſunt, vel eſt moraliter impoſſibile eos reperire, validum etiam eſt Matrimonium ſine eorum præſentia contractum juxta reſponſum Ven. Dei Servi Cardinalis Bellarmini, cujus meminit *Rota dec.* 308. *num.* 25. *coram Dunozet. Seniore*, & quod per extenſum refertur apud *Sbogar in Theologia radicali tract. ſeptemſimo decimo ſexto cap.* 4. *de Matrim. Clandeſtino pag. mihi* 528.

Deveniendo ad hujus Sacræ Congregationis reſolutiones; fuit alias ab ea reſolutum, Hæreticos teneri pro validitate Matrimonii ad ſervandam formam præſcriptam a Concilio Tridentino, ſi ejus decretum fuerit in loco publicatum. Item hæc eadem Sacra Congregatio alias reſolvit, Matrimonia hæc eſſe valida, quamvis contracta ſine Parocho, ſi in loco, nec Epiſcopus, nec Parochus adſit, dummodo tamen duo, aut tres Teſtes fuerint adhibiti, & ſic ſervata fuerit, quantum potuit, forma Concilii, & omnes hæ reſolutiones impreſſæ reperiuntur apud *Pignatell. tom.* 5. *conſult.* 79. *num.* 26. *& ſeq.* apud *Anaclet. ad tit. Decret. de Clandeſtina Deſponſatione ſub num.* 132. *& ſub numer.* 141. & apud Eminentiſſimum Dominum meum Cardinalem Petram ad *Conſtitutiones Apoſtolicas tom.* 4. *pagin.* 78. *& pluribus ſeqq.* & concordant aliæ reſolutiones recentiores hujus ejuſdem Sacræ Congregationis *in Colonien.* 16. *Decembris* 1719. *lib.* 69. *Decr. pag.* 609. *a tergo*, *& in Moguntina* 31. *Maii* 1721. *lib.* 71. *Decret. pag.* 184. *a tergo*.

At quia hæc eadem Sacra Congregatio bis, hoc eſt in Cauſa *Hollandiæ Matrimoniorum* 23. *Auguſti* 1681. *& in Boſcoducen. Matrimonii* 13. *Februarii* 1693. ſuper hoc eodem dubio reſcripſit *Secretario cum Sanctiſſimo ad mentem*, & prædictus Eminentiſſimus Dominus meus Cardinalis Petra, qui pluribus annis laudabiliter, & laborioſe functus eſt officio Secretarii, mentem explicavit, quæ fuit, ut ſi dubio reſpondendum eſſet, non aliter reſponderi poſſet, quam pro nullitate Matrimonii, ſed animadverſum fuiſſe, id non expedire, ne Catholici periculis exponantur, ex hoc natum eſt dubium Ordinario Colonienſi, juxta ea, quæ in ſuperioribus dicta ſunt; In quo proinde rerum themate quæritur,

Quid in propoſito caſu ſtatuendum ſit, aut Ordinario Colonienſi reſpondendum.

Sacr. Congr. die 21. Februarii 1728. reſpondit,
Ad mentem.

QUÆSTIO DXC.

In Cauſa Squillacenſi, die 21. Februarii 1728.

IN Cathedrali Eccleſia Squillacen. adſunt ſex Dignitates, quindecim Canonici, & adſunt Presbyteri inferioris ordinis, qui componunt quandam Congregationem vulgo appellatam *Communeria*.

Dignitates, & Canonici habent onus inſerviendi Choro, & Eccleſiæ, & habent proventus ſeparatos, & ſuam maſſam Canonicalem; Presbyteri vero inferioris ordinis ſuos reditus habent ex piis Legatis, quæ fuerunt a Benefactoribus relicta cum onere Miſſas celebrandi, & omnes Sacerdotes Squillacenſes ad hanc Congregationem, ſive Communeriam admittuntur, nec ab ea excluduntur Canonici, & quatenus ſint Cives originarii.

Plures controverſiæ inter Dignitates, & Canonicos ex una, & hoſce Presbyteros præteritis temporibus exortæ ſunt, propoſitiſque idcirco in hac Sacra Congregatione die 24. *Septembris* 1712. ſequentibus dubiis: *An onus celebrandi Miſſam Conventualem ſpectet ad ſolos Canonicos, & an Presbyteri Participantes teneantur intervenire Choro, & aliis functionibus, ſicuti Canonici, & quomodo*, ad primum reſponſum fuit *affirmative*, & ad ſecundum, *quod ſervaretur ſolitum*.

Reſolutio hæc confirmationis robur obtinuit anno 1713. cumque die 17. *Martii* 1714. inter cætera dubia propoſitum etiam fuiſſet ſequens: *An Canonicis celebrantibus Miſſam Conventualem teneantur Presbyteri aſſiſtere in munere Diaconi, & Subdiaconi*, & huic dubio reſponſum fuit *negative*.

Cum juxta in ſuperioribus expoſita anno 1712. reſcriptum fuerit, Presbyteros hoſce Participantes teneri ſervire Choro, & cæteris functionibus juxta ſolitum, ex hoc reſponſo nova nata eſt controverſia, contendentibus Dignitatibus, & Canonicis, Presbyteros teneri ad aſſiſtendum Dignitati, ſeu Canonico in Veſperis, & ad Benedictus, & Presbyteris excipientibus, ſe ad id non teneri, cum non participent de maſſa, & reditus ſuos habeant ex Legatis Benefactorum cum onere celebrandi, & quia obſtare ipſis poſſe videtur diſpoſitio Cæremonialis Romani lib. 2. cap. 16. dicunt, eam non eſſe applicabilem caſui, quia Cæremoniale præſcribit, quod parentur duo, quatuor, vel ſex Presbyteri ejuſdem Eccleſiæ, & non Canonici in dictis functionibus, ſed quando in Eccleſia præter Dignitates, & Canonicos reperitur alius ordo Beneficiatorum participans de reditibus Eccleſiæ: ſecus autem quando prout in hypotheſi adſunt in Eccleſia per accidens ſimplices Presbyteri nihil participantes de maſſa communi, nec facientes unum corpus cum Canonicis.

Jura circumferuntur; quocirca quæritur,

An, & quomodo Presbyteri Communeriæ teneantur aſſiſtere Dignitati, vel Canonico in Veſperis, & ad Benedictus in caſu &c.

Sacra Congr. reſpondit,
Teneri juxta Cæremoniale Epiſcoporum lib. 2. *cap.* 3.

QUÆSTIO DXCI.

In Cauſa Alexandrina, die 21. Februarii 1728.

BINA dubia diſputanda proponuntur inter Confraternitatem Sanctæ Mariæ de Miſericordia, & Sanctorum Rocchi, & Martini Civitatis Alexandriæ, & Parochum S. Martini, intra cujus Parochiæ fines Eccleſia prædictæ Confraternitatis ſita eſt.

Primum dubium pertinet ad Expoſitionem Ligni Sanctæ Crucis ſine licentia, & interventu Parochi, & ſecundum reſpicit Expoſitionem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſine licentia pariter, & interventu Parochi.

Pugnantes hinc inde olim afferebantur reſolutiones Sacrarum Congregationum in ordine ad controverſias inter Parochos, atque Confratres, utque certa regula ſtaueretur, edita fuerunt *die* 10. *Decembris* 1703. Decreta a Sacrorum Rituum Congregatione.

In undecimo dubio in dictis decretis reſoluto hæc habebantur: *An Expoſitio Quadraginta Horarum, & Benedictio, quæ fit ſuper Populo, ſit de dictis Juribus mere Parochialibus*, & huic dubio reſponſum fuit *negative*.

In duodecimo dubio propoſito in dictis decretis hæc pariter habebantur: *An expoſitio, quæ fit ex Reliquiis, vel ex Sacris Imaginibus, & Benedictio, quæ ex eis fit ſuper Populo, ſit de dictis Juribus Parochialibus*, & huic dubio reſponſum fuit *negative*, *& quoad Benedictionem cum Reliquiis, & Imaginibus ſerventur Decreta*.

In his eiſdem Decretis anno 1703. facta fuit præſervatio Indultorum, Conſtitutionum Synodalium, & Provincialium, & in Conſtitutionibus Synodalibus Alexandrinis editis anno 1684. prohibetur Cappellanis Confraternitatum Sacramenta, & Sacramentalia peragere in Oratoriis, niſi accedat prævia deputatio Parochi, intra cujus Parochiæ fines Confraternitas ſita eſt.

In hac Sacra Congregatione *die* 24. *Septembris* 1718. *& die* 13. *Januarii* 1720. in quadam Cauſa *Novarien. Aggregationis* diſputata fuerunt hæc dubia: *An Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum retineri poſſit in Oratorio*

Confraternitatis in caſu &c. Item hoc aliud dubium: *An cum licentia Epiſcopi, & ſine conſenſu Parochi fieri poſſit in Oratorio Confratrum Expoſitio infra annum, & præcipue Quadraginta Horarum in Octava Defunctorum in caſu &c. & die* 24. *Septembris anni* 1718. ad utrumque reſponſum fuit *affirmative*, repropoſitaque Cauſa *die* 13. *Januarii* 1720. perſtitum fuit *in deciſis quoad ſecundum*, & etiam quoad *primum*; ſed cum additione horum verborum, *arbitrio tamen Eminentiſſimi Epiſcopi, attentis circumſtantiis facti.*

His ergo poſitis, quæritur

I. *An Confraternitas Sanctæ Mariæ Miſericordiæ, & Sancti Rocchi Civitatis Alexandriæ, aggregata Archiconfraternitati Sancti Rocchi Urbis, poſſit ſine licentia, & interventu Parochi exponere in ſuo Oratorio Lignum Sanctæ Crucis.*

II. *An eadem Confraternitas poſſit pariter ſine licentia, & interventu Parochi exponere in ſuo Oratorio Sanctiſſimam Euchariſtiam in caſu &c.*

Sacra Congr. reſpondit,
Ad utrumque affirmative, accedente licentia Epiſcopi, & amplius.

QUÆSTIO DXCII.

In Cauſa Calaritana, die 21. Februarii 1728.

IN Diœceſi Calaritana, & aliis Regni Sardiniæ Epiſcopatibus magnus eſt numerus Clericorum conjugatorum, & ex his plerique aut facinora committunt, aut viles artes exercent, non tam in dedecus Ordinis Clericalis, quam in perturbationem Jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ut eorum Immunitatem tueatur.

Plerique ex Epiſcopis Regni Sardiniæ uſum alias habuerunt conferendi una, eademque die Ordines Minores, & Subdiaconatum iiſdem Perſonis; cumque Calaritanus Archiepiſcopus putet, methodum hanc futuram eſſe aptam natam ad evellendos expoſitos abuſus, ex quo videlicet ſi ſtatim ac eodem contextu, quo Ordinandi primam Tonſuram, & Minores Ordines recipiunt, recipiant etiam Subdiaconatum, non amplius Ordinatis modus ſupererit reaſſumendi habitum laicalem, & ſe convertendi ad exercendas artes Clericali charactere indignas, ſupplicat pro facultate conferendi primam Tonſuram, Minores Ordines, & Subdiaconatum iiſdem Perſonis, una die, hoc eſt in Quatuor Temporibus, in Sabbato Sitientes, & in Sabbato Sancto, juxta Text. *in cap. De eo de Tempor. Ordin. in Can. Fin. diſt.* 75. *& cap.* 8. *ſeſſ.* 23. *Sac. Concil. Trid.*

Secretarius ad calcem nonnulla adnotavit: Quocirca quæritur,

I. *An ſit indulgendum petitioni in caſu, & quatenus negative.*

II. *Quid ſit in caſu ſtatuendum pro abuſibus ſupradictis eradicandis.*

Sacra Congr. reſpondit,
Ad primum negative. Ad ſecundum Archiepiſcopus utatur juxta remediis, & ſignanter Statutis in cap. 6. *ſeſſ.* 23. *de Reform. & aliis indicatis in Conſtitutione XVI. impreſſa poſt Synodum Romanam* §. 1. 2. 4. *& 6.*

ADNOTATIONES SECRETARII

POSTEA BENEDICTI PAPÆ XIV.

In Cauſa Calaritana.

1. INTER cætera, quæ fuerunt a Sacro Concilio Tridentino in uſum revocata, funt Interſtitia, hoc eſt temporum ſpatia, quæ inter Ordinum ſuſceptionem decurrere debent, ut rite, & recte Ordinandus aſcendere debeat de gradu in gradum. Sanxit itaque Tridentinum, Minores Ordines conferendos eſſe per Temporum Interſtitia, non eſſe aliquem promovendum ad Sacros Ordines, niſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus Minorum Ordinum, promotos ad Subdiaconatum non debere aſcendere ad Diaconatum, niſi poſt annum, & Diacono non eſſe conferendum Presbyteratum, niſi in Diaconatu per annum permanſerit, uti habetur *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 11. *cap.* 13. *& cap.* 14., & omnibus prædictis ſimul cumulatis proſequitur *Thomaſin. de nova*,

& veteri disciplina part. 2. lib. 1. cap. 87. numer. 10.

2. Si non serventur Interstitia, peccatum committitur tam ab Ordinante, quam ab Ordinato, sed cum nulla pœna a Tridentino imponatur, concors esse videtur Doctorum Sententia, eos in foro exteriori nullam pœnam incurrere, uti late ostendunt *Marchin. de Sacram. Ordinis, tract. primo par. 7. cap. 2. num. 12. Rosignol. operum tom. 17. par. 1. quæst. 2. artic. 9. num. 14. & Castropal. operum Moral. tom. 4. de Sacram. Ordinis tract. 27. disput. unica punct. 13. num. 14. Giribal. de Sacram. tract. 9. cap. 3. dub. 4. num. 49.* cæterisque plena manu cumulatis, prosequitur *modernus Pontas in suo Dictionario casuum conscientiæ tom. 2. in verbo Interstitia casu 2.* & quamvis Sixtus PP. V. suspensionem adversus promotos non servatis Interstitiis, & irregularitatem in casu, in quo in Ordinibus dicto modo receptis ministrassent, imposuisset, uti habetur *in ejus Constit. 91. Bullarii tom. 2.* Clemens nihilominus VIII. Bullam Sixtinam exceptis his, quæ ad simoniacam pertinent ordinationem, revocavit ad terminos Sacri Concilii Tridentini, uti habetur *in ejus Constit. 40. Bullarii tom. 3.* uti bene adnotavit *Fagnan. in cap. vel non est compos num. 12. de tempor. Ordinat.* & quia plures poterant contingere casus, in quibus rationabiliter esse possit locus collationi Ordinum, non servatis Interstitiis, ipsum S. Concilium Tridentinum dispensationem commisit Episcopis, concurrentibus necessitate, aut utilitate Ecclesiæ, quemadmodum habetur in locis supracitatis, de quibus necessitate, & utilitate ad rem, de qua agitur, bene differit *Cotonius in suis Controversiis lib. 3. Controv. prima c. 5. num. 95. & seqq.*

3. Prima facie videtur, quod hucusque deducta viam aperiant favorabili responso super petitione Archiepiscopi Calaritani, tum quia dispensatio ab Interstitiis committitur a Tridentino arbitrio, sive judicio Episcopi, tum quia dici potest, non deesse in casu, de quo agitur, necessitatem Ecclesiæ, ne in dedecus videlicet Ordinis Clericalis, Clerici ad viles artes se convertant, & inter utramque potestatem, Ecclesiasticam videlicet, & Laicalem, contentiones exoriantur, sed pro adæquato examine videtur ad ulteriora esse procedendum, cum hic, & nunc non agatur de sola dispensatione super Interstitiis, sed de dicta dispensatione una cum Collatione Minorum Ordinum, & Subdiaconatus una, eademque die faciendis iisdem Personis.

4. Ad hanc ergo inspectionem descendendo, distinguendus esse videtur casus a casu; vel enim agitur de Collatione omnium Minorum Ordinum, vel de collatione duorum Ordinum Majorum, vel de Collatione Subdiaconatus una cum Minoribus Ordinibus in terminis Juris communis, vel de collatione Minorum Ordinum, & Subdiaconatus, una die faciendis eidem Personæ in locis, in quibus viget consuetudo sic conferendi Minores Ordines, & Subdiaconatum.

5. Si agitur de collatione omnium Ordinum Minorum eadem die eidem Personæ facienda, communis est Doctorum sententia, eam non esse prohibitam, ubi consuetudo invaluit, quæ a Tridentino sublata non fuit, vel quando secluſa consuetudine, aliqua concurrit legitima causa fundamentum præbens Episcopo dispensandi, ut in terminis consuetudinis docent *Fagnan. in cap. de eo sub num. 42. de Tempor. Ordinat. Thomasin. loco citato cap. 87. sub n. 12.* & in terminis causæ legitimæ *la Croix lib. 6. part. 2. sub n. 2295. Castropalao de Sacram. Ordin. disput. unica puncto 13. n. 5.*

6. Si loquimur de collatione duorum Majorum Ordinum, Sacrum Tridentinum Concilium id expresse prohibet tam quoad Sæculares, quam quoad Regulares, & derogat omnibus Indultis, atque privilegiis, uti habetur *cap. 13. sess. 23. de Reformat.* ferebatur enim, Summum Pontificem Eugenium Quartum Monachis omnibus Sancti Benedicti concessisse, ut semel in anno omnes Majores Ordines eadem die recipere possent a quocumque Catholico Episcopo, quo eodem privilegio Religiosi Mendicantes per communicationem se frui debere contendebant, uti adnotavit *Castropalao loco supra citato num. 11.* & in Decretalibus binæ habentur Constitutiones, altera *in cap. litteras*, altera *in cap. Dilectus de Temporibus Ordinationum*, in quibus Episcopus confereus duos Ordines Sacros eadem die, remanet suspensus a collatione illorum Ordinum, quos sic contulit, & recipiens duos Sacros Ordines eadem die remanet suspensus ab executione Ordinis posterius recepti, uti etiam adnotavit *Thesaurus de pœnis Ecclesiæ par. 2. cap. 15. num. 1. & n. 3.*, & sola inter Scribentes superest disputatio, an hæ suspensiones sint latæ, vel ferendæ Sententiæ, quemadmodum videri potest apud *Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. part. 7. cap. 1. num. 1. & 2.*

7. Si vero fermo est de collatione Minorum Ordinum, & Subdiaconatus in terminis Juris communis, & præscindendo a quacumque consuetudine, sibi vindicat examen dispositio *Textus in cap. 2. de eo, qui furtive Ordinem suscepit*, ibi etenim Summus Pontifex mandat, ut Clericus, qui Minores Ordines una cum Subdiaconatu recepit, in Minoribus tantum ministret, & quod tantum ministrare possit in Subdiaconatu, si Domum religiosam ingrediatur.

8. Non obstante prædicta Textus dispositione, plerique graves Doctores putant, nullam incurri ab Ordinatis suspensionem, ex quo videlicet Textus procedit, quando quis Minores Ordines, & Subdiaconatum recipit aufu temerario, atque furtive, & contra mandatum Episcopi. Secus autem, quando Minores Ordines, & Subdiaconatum recipit, sciente, volente, atque Episcopo consentiente, cui quidem prohibitum est duos Ordines Majores eadem die eidem Personæ conferre, sed prohibitum non est prædicto modo, concurrente necessitate, aut utilitate Ecclesiæ Minores, & Subdiaconatum conferre, & ita docent *Vasquez in tertiam partem tom. 5. disc. 246. cap. 5. num. 47. Castropal. de Sacrament. Ordinis tract. 27. disput. unica puncto 13. n. 5. Fermosin. in cap. 1. n. 10. & seq. de temporibus Ordinationum*, latissime *Diana in opere coordinato tom. 2. tract. 5. resol. 97. Giribald. de Sacram. tract. 9. cap. 3. dubio 4. n. 47. la Croix lib. 6. part. 2. sub n. 2295.*

9. At alii sustinent, sic Ordinatum remanere suspensum in sequelam Textus supra citati, *Campanil. diversi. Juris Canonici rubrica 6. cap. 3. n. 15. in fine, Bonacina de suspens. in particulari disput. 3. quæst. 1. punct. 4. §. 1. num. 2. versic. Si vero suscipiat, & sub num. 5. Thesaurus de pœnis Ecclesiæ part. 2. in verbo Ordo cap. 15. §. 2. recipiens, Alterius de Censuris tom. 2. disput. 10. cap. 4. fol. 176. §. Dico, & fol. 177. §. Remanet, Pauluccius Jurisprud. Sacra tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 6. §. Minores, Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. titul. 6. num. 339,* & in eo, quod attinet ad rationem supra perpensam, dicunt, eam non prodesse, tum quia delictum Ordinati in casu *Text. in cap. 2. de eo, qui furtive*, residet in hoc, quod una, eademque die recepit Minores Ordines, & Subdiaconatum, & receptio plurium Ordinum infimul intelligitur prohibita, nisi appareat permissa, uti adnotarunt in *citato cap. Butrius Hostiensis, & Joannes Andreas num. 2.* tum quia si prohibitum est eadem die duos Ordines conferre, & Episcopus dispensare non potest, ejus scienria, & patientia, & ejus expressus consensus ad rem, de qua agitur, facere non possunt, uti late prosequitur *Marian. Soccin. in allegato cap. 2. n. 5.*

10. Quinimmo licet in sæpecitato Textu nulla pœna imponatur Ordinanti, suspensio nihilominus ab Ordinum sic collatorum collatione applicabilis esse videtur; in tantum etenim in dicto Textu prædicta pœna non imponitur, in quantum Clericus ille præter Episcopi notitiam se immiscuit inter Acolythos, qui debebant ad Subdiaconatum promoveri, sed si Episcopus id sciviſſet, graviori utique pœna affectus fuisset, quam Ordinatus, uti adnotarunt in eodem *Textu Zabarella in principio, Joannes Andreas num. primo, Butrius num. primo, Hostiensis num. 2. Soccin. num. 4. & pluribus segq.* quocirca si Ordinans, qui sciviſſet, gravius punitus fuisset, quam Ordinatus, hinc est, quod si Ordinatus remanet suspensus, Ordinans quoque ad minus suspensionis pœna debebit affectus remanere, exemplo ejus, qui duos Ordines Sacros eadem die confert, si etenim id faciat ignoranter, excusatur, juxta *Textum in cap. Innotuit, & ibi Ancharan. num. 2. de eo, qui furtive*; sed si scienter id faciat, gravius punitur, quam Ordinatus juxta optimam *Glossam in cap. litteras in verbo deliquit de temporibus Ordinationum*, & in terminis ejus, qui Minorem aliquem Ordinem una cum Majori contulerit per ignaviam, aut incogitantiam, quod remaneat suspensus ab Ordinum collatione, docent *Majol. de Irregular. lib. 3. cap. 24. num. 13. Pax Jordan. tom. 1. lib. 3. tit. 6. num. 430.*

11. De hac controversia bis actum dicitur in hac Sacra Congregatione, *in Ravellen. videlicet die 12. Novembris* 1650. in qua Sacra Congregatio indulsisse dicitur dispensationem ad cautelam Ordinato in Minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu eadem die, cum in susceptis ministrasset, teste *Pignatell. consult. 319. tom. 1.* sed hæc resolutio in Regestis non reperitur; vera, & celebrior fuit disputatio *in Boven. Ordinationis 29. Januarii 1707.* quæ causa pluries fuit proposita, & tandem resoluta *die 7. Maii ejusdem anni*, uti habetur *in Regestis lib. 57. fol. 23. a tergo, & fol. 156.* In dicta causa agebatur de collatione duorum Minorum Ordinum una cum Subdiaconatu, & prætendebatur, Ordinatos, qui in susceptis propter reverentiam non ministraverant, non esse suspensos, ex quo furtive non se immiscuerant Ordinationi, nec ullam suspensionem fuisse incursam ab Ordinante, cum pœna sibi vindicet locum in collatione duorum Majorum Ordinum, & non in collatione Minorum cum Subdiaconatu, proposito dubio: *An, & quomodo esset danda absolutio in casu*, responsum fuit: *Quoad Ordinatos, dandam esse absolutionem prævia salutari pœnitentia arbitrio Episcopi vicinioris, & quoad Ordinantem* rescriptum fuit *ad mentem*, quæ explicata fuit per Epistolam ad Ordinantem scriptam, in qua postquam Sacra Congregatio eum acriter arguit, asserendo eum plus deliquisse, quam Ordinatos, cum Ordines scienter contulisset, omnem pœnam pro ea vice benigne remisit, dummodo in posterum a similibus abstineret.

12. Hæc sunt, quæ respiciunt collationem Minorum Ordinum, & Subdiaconatus in terminis Juris communis. Quocirca solum superest examen hujus ejusdem quæstionis in casu, in quo vigeat consuetudo.

13. De hac ergo consuetudine loquendo, nonnulli putant, eam non esse attendendam, utpote per Tridentinum sublatam; quod intervalla temporum decrevit inter Ordines Minores, & Subdiaconatum, relicto tantum Episcopis Jure dispensandi super Interstitiis, & ita docent *Majol. de Irregularit. lib. 3. cap. 24. num. 13. & lib. 4. cap. 11. num. 1. Diaz ad Salzed. versic. Una die, Menoch. de Arbitrariis lib. 2. casu 564. num. 7. & sequent. Venet. in Examin. Episcoporum lib. 1. cap. 18. num. 13. Grass. de Effectibus, Clericatus in præludiis numer. 341. Pax Jordan. tit. 3. lib. 6. num. 430. & seq. tom. 1. de Magistris in Silva Ecclesiastica tom. 2. pag. 265.*

14. At alii oppositæ adhærent sententiæ, & idcirco volunt, stante consuetudine, Minores Ordines, & Subdiaconatum licite conferri posse iisdem personis una, eademque die, & hi sunt *Suarez de Censuris disput. 31. sect. 1. num. 41. Thesaurus de pœnis Eccles. par. 2. in verb. Ordo cap. 15. §. Inter Ordinem, Leander Operum Moralium tom. 1. tract. 6. disput. 11. quæst. 13. Fagnan. in cap. De eodem autem n. 41. de Temporibus Ordinationum*: ubi testatur de sensu hujus Sac. Congregationis, de quo pariter testatur *Gallemart ad cap. 13. num. 5. sess. 23. de Reformat.* Cumque Sacra hæc eadem Congregatio apud *Suarez loco mox citato* sic responderit: *Qui ex consuetudine illius Regionis quatuor Minores Ordines, & Subdiaconatum eodem die susceperunt, non sunt suspensi*, hinc deducitur, suspensionem sibi locum vindicare in locis tantum, in quibus dicta consuetudo non viget. *Layman lib. 5. tractat. 9. cap. 10. num. 10. & ad tit. Decret. de Temporibus Ordinationum* late prosequuntur *Piringh sect. 1. §. 10. num. 83. Anaclet. n. 6. num. 160. & 167. Schmalzgrueber §. 2. num. 15.* ex quo videlicet Sacrum Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 11.* consuetudini non derogavit, cumque *cap. 13.* prohibuerit duos Sacros Ordines una die eidem conferri, privilegiis, & indultis non obstantibus, nec quidquam statuerit quoad collationem Minorum, & Subdiaconatus, videtur, quod præservare voluerit consuetudinem eosdem infimul conferendi in locis, in quibus eadem est recepta, uti ad rem ponderant *Gutier. quæst. Canon. lib. 1. cap. 26. num. 30. & sequent. Gobat. in Theologia Experimentali tract. 8. casu 11. sess. 2. num. 460. & sequent. pagina mihi 542. Marchin. de Sacram. Ordinis tract. 1. par. 7. cap. 1. num. 6. & seq.* latissime *Sanchez consil. moral. lib. 7. cap. 1. dubit. 53. num. 5. & pluribus seq.*

15. His positis, si adhærendum est opinioni, quæ vult, Episcopum jure suo, & prævia tantum dispensatione super Interstitiis Minores Ordines, & Subdiaconatum eidem Personæ conferre posse una, eademque die, inquirendum remanebit, an adsit utilitas, & necessitas Ecclesiæ in hoc, quod collatis infimul prædictis Ordinibus, non possint amplius Ordinati resilire, & ad viles artes se convertere, vel potius statuta methodo Ordines conferendi modo prædicto, relaxetur, & destruatur Ecclesiastica disciplina, quæ ab antiquissimo tempore intervalla Temporum decrevit, ut per ea, fides, morum probitas, constantia, & moderatio Ordinandorum deprehendatur, quemadmodum legitur *in Can. 10. Concilii Sardicensis*. Rursus, si adhærendum est opinioni, quæ licitam ex consuetudine loci admittit simultaneam collationem Minorum Ordinum, & Subdiaconatus, examinandum erit primo, an hæc consuetudo sit introducta, secundo, an fuerit introducta post Tridentinum, vel ante Tridentinum viguerit, si etenim post Tridentinum est introducta, obstaret Decretum irritans appositum *in Bulla 73. Pii IV.* confirmatoria Concilii, & tertio demum locum sibi vindicaret etiam examen necessitatis, & utilitatis Ecclesiæ, uti mox dictum est; cumque hæc omnia profecto sint involuta, perpendendum proponitur EE. VV. an ultra disposita a Sacro Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 6. de Clericis Conjugatis* ad fartam tectam conservandam, seu restaurandam Ecclesiasticam Disciplinam in Regno Sardiniæ, & ad evellendos expositos abusus, Archiepiscopo Calaritano requirenti infinuandum sit, ut in Sacra Ordinatione, & in plectendis Clericis facinorosis se conformet dispositioni Constitutionis sanctæ memoriæ Innocentii XIII. a Sanctissimo Domino Nostro confirmatæ, & impressæ post Synodum Romanam in appendice *Constit. 16.* & signanter dispositis *in §. 1. 2. 4. & 6.* licet enim prædicta Constitutio edita fuerit pro Regnis Hispaniarum, ea tamen, quæ signanter in locis citatis decreta sunt, sunt eruta ex Sac. Canonibus, & Sacro Concilio Tridentino, & sunt in omnibus conformia Juri communi, & pleraque ex eis a Sanctissimo Domino Nostro in Synodum Romanam habitam anno 1725. translata sunt, uti legenti patebit.

Atque hæc dicta sint sub censura, salvo semper &c.

QUÆSTIO DXCIII.

In Causa Toletana, die 17. Aprilis 1728.

NOTISSIMA est in hac Curia Causa Toletana inter Capitulum Ecclesiæ Toletanæ, & Joseph Fernandez Jubera Provisum Apostolicum, cui Capitulum pro retardanda executione Litterarum Apostolicarum super Canonicatu ipsi collato, objiciebat sanguinis impuritatem.

Tres conformes sententiæ, præviis multis Decisionibus, latæ fuerunt a Rotæ Auditorio favore Josephi, quæ etiam canonizari obtinuerunt a Tribunali Signaturæ Justitiæ, sed Capitulo litem in devolutivo prosequente, & eidem assistente Canonico, qui ad hunc effectum fuerat a suo Capitulo ad Urbem transmissus, Joseph, qui erat etiam præsens in Urbe, suum constituit Procuratorem, qui possessionem caperet Canonicatus, & sibi consignari faceret fructus lite pendente decursos, & etiam suo nomine Fidei Professionem emitteret, tum in Capitulo, tum coram Archiepiscopo.

In actu possessionis emissa fuit a Capitulo protestatio satis indecora Familiæ Josephi, idemque Capitulum recusavit solvere fructus usque ad eam diem decursos, quocirca habito novo recursu ad Rotæ Auditorium, fuit ab hoc relaxata Declaratoria, nisi intra terminum trium mensium ultra protestationis abolitionem fieret solutio fructuum decursorum.

Paruit Capitulum, & Joseph in Urbe permansit, ut liti in devolutivo assisteret, in quo Judicio quartam sententiam reportavit, & ut conatibus Canonici Commissarii obsisteret, qui avocationem Causæ a Rota ad Congregationem Particularem petere dicebatur, & postquam Canonicus hic ab Urbe discessit, discessit etiam Joseph, qui se transtulit ad exercendum in Regno Murciæ Inquisitoris Officium, cujus obtentu se non adstrictum Residentiæ contendit.

Ex his, quæ hucusque narrata sunt, unusquisque litem super Canonicatu, & fructuum consignatione credere poterat esse terminatam, sed res non ita se habuit, quandoquidem Capitulum, quod possessionem tradiderat, & solutionem fecerat fructuum pendente lite decursorum, prætensionem excitavit non solvendi fructus, & distributiones imposterum decurrendas, habitoque idcirco recursu ad Rotæ Auditorium, disputatoque dubio, *an esset danda Declaratoria, affirmative* responsum fuit, uti colligitur *ex Decis. edita die 6. Decembris 1726. coram R. P. D. meo Corio.*

In hoc rerum statu Joseph supplicem exhibuit libellum huic Sac. Congregationi, in quo feriem omnium Judicatorum in sua Causa fideliter expofuit, exoravitque pro condonatione fructuum post captam possessionem decursorum, si eos forte suos non feciſſet ob non emissam Fidei Professionem in manibus Archiepiscopi; Procuratorem quippe constituerat pro emittenda Fidei Professione tum coram Capitulo, tum coram Archiepiscopo, & in bona fide versatus fuerat, quod mandatum fuisset in omnibus, & per omnia adimpletum, & sic non cum sola Fidei emissione coram Capitulo, uti a Toletanis Canonicis admittitur, sed etiam cum Fidei Professione coram Archiepiscopo, quod a Capitulo negabatur, & super quo certam notitiam habere non poterat, stante obitu Procuratoris, factaque hujus instantiæ relatione inter summaria precum, Sacra hæc Congregatio *die 24. Maii*

Maii 1727. commisit Oratoris Confessario, ut facta per eum aliqua eleemosyna Christi pauperibus arbitrio ipsius Confessarii fructus decursos post captam possessionem eidem misericorditer condonaret, & hoc rescriptum fuit a Canonico Pœnitentiario executioni mandatum; cumque adversus gratiam, uti supra, a Sacra Congregatione concessam, Capitulum reclamaverit, disputandum in præsenti proponitur dubium ad calcem restrictus referendum.

Quoad obligationem Canonicorum Ecclesiarum Cathedralium emittendi Fidei Professionem tam in Capitulo, quam coram Episcopo, vel ejus Vicario ad minus intra duos menses a die captæ Possessionis, ita ut contravenientes non faciant fructus suos, nec illis Professio suffragetur, statutum hoc fuit a Sacro Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Quoad punctum, an Fidei Professio valide possit emitti per Procuratorem, varia est Scribentium sententia, sed Sacra hæc Congreg. semper adhæsit opinioni negativæ, uti materia funditus examinata, responsum fuit *in Cathacen.* 9. *Februarii* 1726. & in Folio Congregationis habitæ *die* 26. *Januarii præcedentis*, quando Causa eadem fuit proposita, & non resoluta; referuntur antiquiores Sacræ Congregationis resolutiones.

Quo demum ad facultatem condonandi fructus male perceptos ob non factam Fidei Professionem, condonatio hæc fieri non potest ab Ordinario, sed a Sede Apostolica, & refertur, Gregorium XIII. hos fructus semper condonasse, quando abfuerat malitia, uti plene habetur apud *Garziam de Beneficiis* 3. *par. cap.* 3. *num.* 53. *& seqq.* qui etiam *num.* 57. subdit, hanc remissionem fieri a Sacra Pœnitentiaria, facta aliqua eleemosyna, & de condonationibus factis ab hac Sacra Congregatione favore cujusdam Parochi, qui pariter juxta Tridentinum tenetur emittere Fidei Professionem, extat exemplum apud *Novar. in Summa Bullarum part.* 1. *Commentar.* 59. *num.* 10. & de alia simili condonatione facta per hanc Sacram Congregationem Primicerio Cathedralis Ecclesiæ Tuscanensis erogata aliqua eleemosyna arbitrio Confessarii, extat exemplum apud *Barbosam de Canonicis cap.* 17. *sub n.* 23. Cæterisque omissis, cum occasione supra memoratæ Causæ *Cathacen.* in qua resolutum fuit, non posse Fidei Professionem emitti per Procuratorem, animadversum fuerit, plures Doctores in sententiam contrariam abiisse, & disputationem dubii in abstracto ad hunc finem potuisse esse directam, privandi fructibus aliquem, qui bona Fide Professionem emiserat per Procuratorem, prudenter insinuatum fuit, ut in casu contingentia fieret taliter Professo fructuum remissio, facta aliqua eleemosyna; cumque res contigisset eo modo, quo fuerat prævisa *die* 16. *Martii* 1726. facta fuit Archidiacono Cathedralis Ecclesiæ *Cathacen.* qui Professionem Fidei emiserat per Procuratorem, condonatio fructuum, emissa per eum nova Fidei Professione, & facta aliqua eleemosyna arbitrio Episcopi, ut habetur *lib.* 76. *Decretorum pagina* 133.

Sacrum Concilium loco citato statuit, non emittentem Fidei Professionem, non facere fructus suos, sed non decernit cui sint applicandi. *Garzias de Beneficiis tertia par. cap.* 3. *n.* 41. *& 42.* refert prætensionem Nuntii Apostolici in Hispaniis applicandi Cameræ dictos fructus, sed dicit eam non subsistere, & concludit, quod in habentibus fructus distinctos, & separatos a massa Capitulari, debet applicatio fieri pro fabrica Ecclesiæ, vel pro alio Pio Loco, & in habentibus fructus in massa, debet inter cæteros Canonicos fieri divisio, sed specialitas præsentis casus consistit in bona Fide, in qua Orator versatus est, cum certum sit in facto ab eo fuisse compulsum Procuratori, ut suo nomine faceret Fidei Professionem tum coram Archiepiscopo, tum in Capitulo.

Quæritur itaque,

An gratia justineatur, vel potius fructus accreverint Mensæ Capitulari, sive sint adjudicandi Capitulo Toletano in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Fructus deberi Josepho, nec ullo modo accrevisse Mensæ Capitulari, aut Canonicis, & amplius,

QUÆSTIO DXCIV.

In Causa Neapolitana, die 17. *Aprilis* 1728.

ANGELA Maria Viola per verba de futuro contraxit Sponsalia cum Josepho Francisco Gilierano, & dotis nomine illi tradidit in antecessum ducatos 300. cumque ad aures prædictæ Angelæ Mariæ devenisset, hanc summam pecuniariam fuisse a Josepho Francisco dilapidatam, in animum induxit devenire ad dissolutionem Sponsalium, & mediatoribus Nuptiarum, Petro videlicet Guerræ, & Rosæ Athanasio, qui nomine Josephi Francisci obtulerunt ipsi restitutionem ducatorum 300. & Sponsalium dissolutionem, respondit se dare plenissimum assensum, & in hac eadem voluntate permansit, quando a Vicario Generali Neapolitano facta est suæ voluntatis exploratio in Conservatorio Sancti Nicolai a Nido, in quo permanebat. Præterhæc per homines fide dignos, & documenta exhibita delatum est ad eundem Vicarium, quod Joseph Franciscus neque natalibus, neque fortunæ bonis præditus erat, uti ante Sponsalia supposuerat; & quod post Sponsalia inhonestam, & pravam habuit cum aliis fœminis conversationem, ex qua luem gallicam contraxit, ita ut prædictus Vicarius decretum tulerit super dissolutione Sponsalium; cumque Joseph Franciscus adhuc non acquiescat, & ejus instantia fuerit ad hanc Sacram Congregationem remissa, disputanda in præsenti proponuntur dubia sequentia.

I. *An sit locus coactioni pro executione, seu effectuatione Sponsalium, & quatenus negative.*

II. *An Angela Maria Viola possit contrahere novas Sponsalia cum alio Viro sibi beneviso,*

Sacra Congr. respondit,

Ad primum negative.

Ad secundum affirmative,

QUÆSTIO DXCV.

In Causa Mediolanensi, die 17. *Aprilis* 1728.

JOANNES Baptista Leuco Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Laurentii Majoris Civitatis Mediolanen. accessit ad Urbem prævia licentia Eminentissimi sui Ordinarii, & sub fundamento assistentiæ liti, quam habebat in Sacro Rotæ Auditorio super quodam Beneficio sub titulo Sanctorum Ambrosii, & Catharinæ, ad quod fuerat a Patronis præsentatus, prævia semper attestatione Curialis Indultum obtinuit ab hac Sacra Congregatione absendi a residentia, & participandi de omnibus fructibus sui Canonicatus amissis Distributionibus quotidianis, & cum solita clausula, quod si fructus omnes in Distributionibus consisterent, vel si reditus Præbendæ tertiam partem Distributionum non attingerent, duas ex tribus partibus Distributionum, vel Præbendæ, ac Distributionum insimul cumulatarum respective perciperet, amissa tertia, quæ inservientibus accresceret, cumque similia Indulta pluries repetita, fuerint juxta morem semper remissa arbitrio, & prudentiæ Eminentissimi Ordinarii, Eminentia Sua eadem approbavit, & confirmavit.

His minime obstantibus, cum Canonici controversiam moverint super configuratione Emolumentorum sub obtentu potissimum, quod major pars eorumdem proveniunt ex piis Testatorum dispositionibus, de quorum proinde natura, & indole est, quod inter solos præsentes, & interessentes dividantur, & e contra Canonicus præcipue insistat in observantia præterita, juxta quam a prædictis Emolumentis non fuerunt absentes exclusi, quando eorum absentia fuit legitima, disputandum in præsenti proponitur sequens dubium.

An Canonico Joanni Baptistæ Leuco debeantur fructus sui Canonicatus pro toto tempore suæ absentiæ, & in quo rata in casu &c.

Sacra Congr. respondit,

Eminentissimo Archiepiscopo, qui procedat ad formam Indulti.

FINIS.

IN-

Emendabat accuratissime Joannes Sebastianus Menchetti Socius Academiæ Historiæ Ecclesiasticæ Lucensis.

INDEX RERUM,

Quæ in toto Opere continentur.

Numerus Romanus Quæstionem indicat, T. Tomum p. paginam significat.

A

ABBAS semel benedictus non est iterum benedicendus, *Quæst.* CCLXIII. §. *Hæc quoad in princ. Abbas* benedictus ab Episcopo Pontificalia in alterius Diœcesi exercente remanet suspensus. *ibidem.* §. *Pœnæ. Abbatis* benedictio fit cum Pontificalibus, sive ea authoritate Apostolica, sive ordinaria peragatur. *ibid.* §. *Quoad exercitium circa fin. Abbatis* benedictio non confert Ordinem, nec characterem imprimit, sed est tantum quædam solemnitas Orationum. *ibidem.* §. *Hæc quoad. Abbas* S. Barbaræ nequit Exteris, & Forensibus, neque aliis quibuscumque nec sibi, neque Mantuano Episcopo subjectis ordines conferre. CCCCXXXVI. §. *Secundo. T.* 2. *p.* 54. *Abbas* S. Barbaræ nequit sibi attribuere potestatem concedendi dimissorias Clericis suæ Ecclesiæ adscriptis, ut a quocumque alio Catholico Antistite independenter ab Ordinario Mantuano valeant promoveri. *ibid.* §. *Tertio. Abbas* S. Barbaræ nequit adscribere ad servitium ejusdem Ecclesiæ numerum indefinitum, ac effrenatum Clericorum, eisque Minores Ordines conferre, etiamsi prædictæ Personæ, & Clerici adscripti nobiles existant, vel ex alia qualitate nunquam prædictæ inserviant Ecclesiæ, quinimmo sæpius, mediante eadem adscriptione, Ordines conferre illismet, qui per Episcopum Mantuanum fuerunt rejecti, & improbati. *ibid.* §. *Primo. Abbas* habens privilegium concessum post Tridentinum valide, & licite confert primam Tonsuram, & Minores Ordines Personis Sæcularibus in privilegio designatis, & quatenus conferat personis in privilegio non designatis, ordinatio est valida, sed illicita, & Ordinati remanent suspensi. *ibid.* §. *Quo ad Tertium. Abbas* Sæcularis habens Privilegium ante Tridentinum concessum conferendi primam Tonsuram, & Ordines Minores Sæcularibus nequit nec licite, nec valide eos conferre. *ibid.* §. *At si. T.* 2. *p.* 53. Si vero Privilegium concessum fuit post Concilium, licite, & valide Ordines Minores confert Sæcularibus in Privilegio designatis; si vero eos conferat Personis in Privilegio non designatis, ordinatio est valida, sed illicita. *ibidem. Abbas*, qui benedictionem Apostolicam, vel Episcopalem non recepit, an, & quando possit primam Tonsuram, & Minores Ordines suis Subditis regularibus conferre, late examinatur. CCCLXXVII. *T.* 2. *p.* 7. *& seq. Abbas* sive Sæcularis, sive regularis, etiamsi habeat jurisdictionem quasi Episcopalem in Clerum, & Populum, & Territorium separatum, nequit Personis Sæcularibus Dimissorias concedere, nisi speciale super hoc habeat a Sede Apostolica Privilegium. CCCCXXXVI. §. *At si in fin. T.* 2. *p.* 53. *Abbati* non licet intra fines alicujus Diœcesis, etiamsi nullius Diœcesis, vel exemptus existat, cuiquam, qui regularis Subditus sibi non sit, Tonsuram, vel Minores Ordines conferre. *ibid.* §. *ad rem T.* 2. *p.* 52. *Abbas* Monasterii nequit dispensationem ab esu Carnium concedere Canonicis Præmonstratensibus in Parochiis ex obedientia degentibus, *in Ordinis Præmonstratensis* 15. *Dec.* 1725. *ad V. Dub.* CCCCLXXIV. *Abbas* Ordinis Præmonstratensis nequidem pro uno die dispensare potest ab esu Carnium, *in Ordinis Præmonstratensis* 15. *Decembris* 1725. *ad II. Dub. ibid. Abbas* Ordinis Præmonstratensis dispensare potest ab esu Carnium, justa suffragante causa, *in Ordinis Præmonstratensis* 15. *Decembris* 1725. *ad IV. Dub. ibid.* Abbas Lubensis, cæterique ejusdem Provinciæ Abbates Presbyteri non benedicti ab Episcopo, sed a suo Patre Generali, vel ejus Subdelegatis possunt Tonsuram, & Minores Ordines suis Subditis Regularibus conferre, ita ut, nisi aliud Ordinaris obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines Majores, *in Oratislavien.* 12. *Februarii* 1724. CCCLXXVII. *Abbas*, & Canonici Collegiatæ B. M. V., & SS. Fabiani, & Sebastiani de Carignano Civitatis Januæ tenentur singulis diebus infra annum celebrare propriam Missam in eadem Ecclesia, *in Januen.* 25. *Januarii* 1727. *ad primum Dubium.* DXXXVI. *Abbati* & Canonicis Collegiatæ B. M. V. de Carignano Civitati Januen. deberi scuta 60. cum additione augumenti scutorum centum Stampæ, & Coronæ Januæ, cum obligatione tamen applicandi Missas pro Animæ Fundatoris, & suorum, respondit Sac. Congregatio *in Januen.* 25. *Januarii* 1727. *ad III. & IV. Dub. ibid.*

ABBATES, etiam constito de Territorio separato cum plena jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, & Populum, nequeunt, secluso particulari Privilegio Apostolico, literas dimissorias Subditis Secularibus concedere, CCL. §. *Non impugnat. Abbates* regulares, si sint Presbyteri, & solemniter benedicti, possunt suis Subditis conferre primam Tonsuram, & Minores ordines. CCCCXXXVI. §. *Attentaque. T.* 2. *p.* 52. *Abbates*, si eis Episcopus ter requisitus noluerit benedictionem impertiri, vel si a Sede Apostolica habeant privilegium, ut, etiamsi non sint benedicti, facere possint ea, quæ fiunt ab Abbatibus benedictis, possunt primam Tonsuram, & Ordines Minores suis Subditis conferre. *ibid.* §. *Attentaque. Tom.* 2. *p.* 52.

ABBATISSARUM electio quando facienda est, Episcopus, aut alius Superior non potest Monasterii Claustra ingredi, sed ante Cancellorum fenestellam Monialium suffragia audire, aut recipere debet, DXLVII. §. *Sacrum. Abbatissarum* electioni Episcopus, si Monasteria sint exempta, potest una cum Superioribus Regularibus per se ipsum, aut per alium interesse, & absque ulla Monasteriorum impensa præsidere, *ibid.* §. *Procedendo. Abbatissarum* electio facta, non interveniente Episcopo, sed tantum Superiore Regulari, invalida est, si Episcopus eam velit irritam esse. *ibid.* §. *Pteraque in fin. Abbatissarum* electio debet per vota secreta fieri, alias est invalida. *ibid.* §. *Sacrum. Abbatissarum* secretæ electioni non officit, quod ea, adhibitis duabus, vel tribus personis tanquam Scrutatoribus lege secreti obstrictis expleatur. *ibid.* §. *Sacrum. Abbatissarum* secretæ electioni itidem non obstat, si eadem per vota singularum Monialium oretenus expressa coram Superiore peragatur. *ibid.* §. *Sacrum.*

ABSOLVERE a casibus Episcopo reservatis prohibentur Fratres Prædicatores, & Minores. exc. §. *Quoad. Absolvere* qui potest ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, non ideo potest absolvere a casibus, qui sunt Episcopo reservati. *ibid.* §. *In primo in fin. Absolvere* potest Confessarius Regularis Monialium exemptarum Monialem complicem criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi, si non fuerit violata clausura. *ibid. ad IV. Dub. Absolvere* nequit Confessarius Regularis Sæcularem extra mortis periculum, si sit complex criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum patrati. *ibid. ad III. Dubium.*

ABSOLUTIONE cum rehabilitatione ad Ordines suscipiendos non indigere Joannem Baptistam Vivier, qui natus a Parentibus Turcis Baptismum suscepit in infantili ætate, & subinde omnibus Sacris Ordinibus fuit initiatus. XLIX. *ad I. Dub. Absolutionis* incapax est homo, qui laboret ignorantia Mysteriorum Fidei. CCCLXXXI. §. *Tertium.*

ACTUS pietatis, seu opera pia diuturno temporis spatio peracta, licet a principio fuerint voluntaria, fiunt subinde necessaria, ac ita obligatoria, ut pro eorum adimplemento in futurum competat actio, & coactio favore piæ causæ. XV. §. *Facit.*

ADJUNCTIS opus est Episcopo, ut procedat contra Canonicum, si Capitulum sit exemptum; secus vero, si de Capituli exemptione non constet. CCLXIX. §. *Anno. Adjunctis* uti debet Episcopus volens contra Capitulum exemptum procedere propter excessum ab universo Capitulo, vel de illius mandato, consensu, aut approbatione patratum. *ibid.* §. *In Cap. deinde in fin. Adjunctis* duobus e gremio Capituli selectis uti debet Episcopus volens extra visitationem adversus aliquem ex Canonicis Capituli exempti procedere. *ibid.* §. *In Cap. deinde 6. in princ.* Potest tamen extra Visitationem absque Adjunctis procedere, ubi agitur de delictis depositionem, vel degradationem merentibus, & in quibus de fuga timetur, deveniendo ad personalem detentionem, & ad summariam informationem. *ibid.* §. *In Cap. deinde. Adjunctis* uti debet Vicarius Capitularis volens contra Canonicos procedere, si Episcopus

cum

cum illis procedere consueverat, secus vero, si sine illis Episcopus procederet. CCXXVIII. §. *Hæc quoad in fin. Adjunctis* uti non tenetur Episcopus, quando vult exigere rationes administrationis a Canonicis Officialibus deputatis a Capitulo Sede vacante, nisi in casu, quo vellet ad eorum punitionem, & correctionem procedere. CCCCXXXVIII. §. *Et in eo in fin. Adjunctis* uti debet Episcopus volens procedere contra Canonicum Capituli exempti. *ibid.* §. *Et in eo. Adjunctos* adhibere debere Archiepiscopum Turritanum in cognoscendis causis criminalibus Canonicorum, idemque servandum esse, quando declarare velit aliquem ex ipsis incursum in Censuras a jure latas, si Processus sit compilatus, resolvit Sacra Congregatio. CCCCXIII. §. *Ad Tramites in fin. Adjunctos* adhibere debet Vicarius Capitularis in illis casibus, in quibus, si Episcopus processisset, debuisset cum Adjunctis procedere. *ibid.* §. *Ad tramites. Adjunctis* uti non tenetur Archiepiscopus procedens ad exigendam rationem administrationis gestæ ab Officialibus deputatis a Capitulo, Sede vacante, *in Gnesnen.* 14. *Aprilis* 1725. *ad I. Dub.* CCCCXXXVIII.

ADMINISTRATIONEM Bonorum Ecclesiæ Patronatæ exercere prohibentur Patroni. LXXIV. §. *Absque eo quod. Administrationem* Sacramentorum simulandi justa causa non est quicumque metus etiam gravis, ac in constantem virum cadens. CLIX. §. *Ad tertium. Administrationem*, & exactionem Gabellæ Quartutii Piscationis cum onere erogandi, & reddendi rationem Episcopo committendam esse Deputatis Cappellæ, ad quam ex Gabellæ reditus spectant, respondit Sacra Congregatio. XXXIX. *ad IV. Dub. Administrationem* Oblationem, vel Eleemosynarum in Oratorio collectarum nequit Parochus exercere, vel clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ retinere. LVI. *ad VII. Dub. Administrationis* rationem reddere tenentur Ordinario officiales Confraternitatis, tam in actu visitationis, quam extra illam in loco ab eodem Episcopo designando, non autem extra Oppidum, ubi ea erecta reperitur, *in Aesulana* 24. *Martii* 1725. *ad V. Dub.* CCCCXXVI. *Administratio* capitalium assignatorum in dotem Ecclesiæ Collegiatæ B. M. V., & SS. Fabiani, & Sebastiani de Carignano Civitatis Januæ competit Patronis, & ab eorum manibus Abbas, & Canonici reditus sibi rangentes recipere debent, non autem ea spectat ad eosdem Canonicos, itaut ipsi nequeant reditus suos exigere independenter a Patronis, *in Januen.* 25. *Januarii* 1727. *ad II. Dub.* DXXXVI.

ADMINISTRATORES Montis Pietatis exigunt a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario; duo enim sunt pro Ministrorum Salario, & reliqua tria exigunt pro emendatione damni emergentis, cui Mons subjectus est, summam recipiendo ad rationem trium pro centenario. XVI. §. *Absque eo. Administratoribus* Montis Pietatis solet Sacra Congregatio impartiri licentiam mutuas accipiendi pecunias ad rationem interusurii trium pro centenario, & exigendi a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario, sub clausulis tamen, quod interusurium non exigatur nisi ad rationem quinque, quodque intra certum tempus fiat restitutio summæ ad usuram acceptæ. *ibid.* §. *Pauperum. Administratoris* novam electionem faciendam esse juxta Episcopi Decretum, respondit Sacra Congregatio. LXXIV. *ad II. Dub. Administratores* Hospitalium, & Confraternitatum sub immediata Regum protectione existentium non eximuntur a redditione rationis Episcopo facienda. DX. §. *Quoad Hospitalia. Administratores* Hospitalium, aut aliorum piorum locorum sunt exempti a redditione rationis, si ita in institutione, aut fundatione cautum fuerit. *ibid.* §. *Denique. Administratores* tam Ecclesiastici, quam Laici Hospitalium, & quorumvis aliorum Locorum piorum singulis annis tenentur reddere rationem administrationis Ordinario, consuetudinibus, & Privilegiis in contrarium sublatis. *ibid.* §. *Quoad jus. Administratores* Ecclesiarum nequeunt aliquid retinere ex Missarum eleemosynis ratione utensilium, nisi quando Ecclesiæ, & loca pia carent aliis reditibus, quos in prædictam causam erogare valeant. DXXI. §. *Addantur in fin. Administratores* si sunt negligentes in adimplenda mente Fundatorum, Episcopus licet in fundatione exclusus ab exigenda rationum redditione, potest tamen eam exigere. DX. §. *Denique*.

ADSCRIBI quis debet illi Ecclesiæ, aut Pio Loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, alias ordinandus non est. XLV. §. *Adversus*.

ADULTERA Mulier Religionem ingredi, ibique Professionem emittere tenetur, Marito in sæculo manente, solo voto continentiæ emisso. CCLIV. §. *Acciti. Adulteram* Mulierem posse Religionem ingredi, remanente Viro in sæculo, indulsit Sacra Congregatio. *ibid.* §. *Rursus. Adultero* etiam invito, potest Conjux innocens Religionem ingredi. *ibid.* §. *Addunt circa fin. Adultero* Religionem ingredi volenti licentiam concedere potest Conjux innocens, quamvis ipse in sæculo remaneat. *ibid.* §. *Addunt in fin.*

ADULTERIUM quando fuit patratum, emitti valet Professio a Conjuge, altero in Seculo manente; secus tamen, si Matrimonium integrum, & illæsum perseverat. CCLIV. §. *Addunt in princ. Adulterium*, seu fornicatio justam præbet causam divortio perpetuo. CCCCXCVI. §. *Coherenter. Adulterium* committit uxor repudiata, si, vivente Viro repudiante, ad alia vota transeat, NXLVI. §. 14. *E contra in princ. Adulterium*, quando est publice notorium, sive notorietate facti, sive juris, operatur, ut Conjux innocens possit propria authoritate ab Adultero recedere tam quoad debiti redditionem, quam quoad mutuam cohabitationem. *ibid.* §. 9. *Et quidem in fin. Adulterii* causa potest Conjux innocens a peccatore conjuge divertere, & se a toro, & cohabitatione illius separare. DXLV. §. 9. *Et quidem in princ.*

ÆTAS completa annorum 14. in Masculo, & duodecim in Fœmina requiritur ad effectum contrahendi Matrimonium. CLXXXVII. §. *Porro in princ. Ætatis* defectu nulla est Professio; sed si ratificata fuerit, nequit amplius impugnari. LXXXIII. §. *Frater in fin.*

AFFINITAS est propinquitas procedens ex carnali copula licita, vel illicita, & Matrimonium dirimit intra quartum gradum, si contracta fuerit ex copula licita, illud vero dissolvit intra primum, & secundum dumtaxat, si ex copula illicita provenerit. CLXVI. *Tom. I. pag.* 100. §. *Affinitas*, & §. *Id totum. Affinitatis* secundum, & tertium genus non constituit impedimentum dirimens Matrimonii, sed solum primum usque ad quartum gradum inclusive. CLVI. *Tom. I. p.* 99. *circa finem. Affinis* Vitrico est Uxor Privigni, non autem primo, sed secundo affinitatis genere, *ibid.* §. *Porro in princ. Affinitatis* genus olim triplex erat, & eorum alterum Matrimonium dirimebat, sed hodie Matrimonium dirimitur solo primo Affinitatis genere, quod intercedit inter personam copulæ licitæ, vel illicitæ, cognitam, & Consanguineos cognoscentis, & e contra inter Personam cognoscentem, & Consanguineos cognitæ. CLXVI. *Tom. I. pag.* 100. §. *Antiquitus*, & *ibid. pag.* 101. §. *Non obstat*, & §. *Doctrina. Affinitas* ex Matrimonio, & copula conjugali contracta, inspecto etiam solo naturæ Jure, Matrimonium dirimit in primo gradu lineæ rectæ, ut inter Vitricum, & Privignam, Socrum, & Generum. *ibid. Tom. I. p.* 100. §. *Obtemperando circa princ. Affinitas* ex Copula carnali, non autem ex Matrimonio dumtaxat rato confurgit. CCXCI. §. *Secundum est in fin. Affinitas* ex copula licita descendens extenditur usque ad quartum gradum. CCXXVI. §. *Porro in princ. Affinitas* ex copula illicita contracta dirimit Matrimonium in primo, & secundo dumtaxat gradu. CCCXVII. §. *At quatenus circa fin. Affinitas* ex copula illicita descendens olim extendebatur usque ad quartum gradum, hodie vero extenditur solum usque ad primum, & secundum gradum. CCXXVI. §. *Porro circa fin. Affinitatis* impedimentum ex copula illicita est difficilis probationis, & ad illud probandum non solum præsumptiones, & Testium depositiones conjungi debent, sed non sunt rejiciendi etiam Testes, licet aliquas paterentur exceptiones. *ibid.* §. *Quæ omnia in princ.*

ALIENATIO, seu donatio ab Episcopo facta de Bonis suæ Mensæ Episcopalis favore sui Capituli est valida, licet careat solemnitate. LXXVII. §. *Eminentissimus in princ. Alienatio* Bonorum Ecclesiasticorum, quæ fit ex necessitate Juris, non requirit Beneplacitum Apostolicum. XCV. §. *Absque eo quod in princ. Alienatio* Bonorum Ecclesiasticorum, quæ Fratribus Mendicantibus S. Francisci sub modo licito relinquuntur, non requirit Beneplacitum Apostolicum, quia dd. Bona non dicuntur eorum Monasteriis incorporata, XCV. §. *At loquendo. Alienatio* utilis censetur, si ab Ecclesia fiat ob justam gratitudinem, & meriti remunerationem erga ipsam præstiti. LXXVII. §. *Additur in fin. Alienationem* ab Episcopo factam favore Capituli confirmandam esse, censuit Sacra Congregatio. LXXVII. *In Alienationibus* Mobilium pretiosorum, quæ Ecclesiæ Fratrum Ordinis S. Francisci relicta, & incorporata fuerunt, esse necessarium Beneplacitum Apostolicum, respondit Sac. Congregatio. XCV. *Alienatio* rei Ecclesiasticæ, si invalide peracta fuerit, fructus debent a Possessore restitui a die, qua fuit celebratus contractus. CCCXIV. §. *Ad primam in fin. Alienatio* Bonorum ad Regulares pertinentium & eorum concessio in Emphyteusim fieri nequit absque Beneplacito Apostolico, cujus concessio spectat ad Sac. Congregationem Concilii. CCCLXVI. §. *Jura. In Alienationibus* rerum Ecclesiæ est locus adjectioni in diem, scilicet novæ oblationi post candelam extinctam, & ultimo oblatori rem adjudicatam, dummodo actus non sit perfectus; perfectus vero non dicitur, si beneplacitum fuerit reservatum, & adhuc non fuerit obtentum, vel si fuerit obtentum, non fuerit executioni mandatum. DXXIX. §. *Quæstio*, & *duob. seqq. In Alienationibus* rerum Ecclesiæ prælatio conceditur majori Oblatori, donec beneplacitum non fuit executum. *ibidem*. §. *De hac re*, & *seqq.*

ALIMENTA ex reditibus Beneficii debentur Patronis etiam extraneis. CVI. §. *Absque eo quod. Alimenta* subministrare Ordinans tenetur ei, qui sine sufficienti titulo ordinatus est, donec ipsum Ecclesiasticum Beneficium assequatur. CXIII. §. *Licet circa med. Alimenta* an Hæredes Patrui teneantur præstare Nepoti, & an e converso, referuntur binæ Sententiæ. CCLXV. §. *Quod Patruus* & *seqq. Alimenta* præstare tenetur Patruus Nepoti, & Nepos Patruo. *ibid.* §. *Quod Patruus in princ. Alimenta* Patronis etiam Extraneis debent ex fructibus Beneficii subministrari. CVI. §. *In eo quod. Alimenta*, & Livellum ambulant pari passu, *ibid.* §. *Parum*.

ANIMO habitandi per majorem anni partem non concurrente, non acquiritur quasi domicilium. CLXXXII. §. *Ea videlicet circa med.*

ANIMAS in Purgatorio non detineri ultra decem annos, vel ultra metam centum annorum, asseruerunt nonnulli Theologi, sed eorum opinio est improbabilis, & sensui Ecclesiæ repugnans. LXXV. §. *Pro oneris in fin. Animabus* Purgatorii, ne ullum fieret præjudicium circa applicationem suffragiorum, nonnulla edita fuerunt a Summis Pontificibus Brevia, quæ referuntur. CCCCXCI. §. *Alexander & seq. Animabus* Purgatorii possunt Fideles in præsenti vita degentes per bona opera eis applicata satisfacere. *ibid.* §. *Hæc innuit*.

ANNIVERSARIA, quæ fiunt intra annum, si sint fixa, eorum

eorum emolumenta spectant ad Canonicos jubilatos, licet non intersint, nisi aliter a Testatore cautum fuerit. XCIV. §. *Quoad alium*.

APPELLANS a mala electione Examinatorum, vel ab irrationabili judicio Episcopi potest electum ad novum examen provocare, absque eo quod de irrationabilitate ullum afferat documentum. CLVIII. *Tom. I. p.* 93. §. *Prima est. Appellanti* ab irrationabili Episcopi Judicio, vel a mala Examinatorum relatione permissum est Prælectum ad novum examen provocare, etiamsi Appellans fuerit quoad scientiam approbatus in æquali gradu cum illo, cui Parochialis fuit collata. *ibid.* §. *Secunda. Appellanti* adversus malam Examinatorum relationem non sufficit pro Parochiali obtinenda, quod remaneat approbatus, & etiam qualificatus tamquam magis doctus, sed tantum ad avertendam notam, & infamiam reprobationis, & approbationis in secundo gradu reportatæ, *ibid. p.* 94. §. *Quocirca. Appellantibus* examen novum est concedendum. *ibidem pag.* 92. §. *Excipit*. Procedit in modum, ut Appellantes de gravamine per Episcopum illato in priori examine docere non teneantur. *ibid.* §. *Ablique eo quod*.

APPELLARE ad Metropolitanum, vel ad S. Sedem possunt ii, qui in Parochiali Concursu fuerunt rejecti, vel reprobati, & Prælectum ad novum examen provocare. CLVIII. *Tom. I. pag.* 93. §. *Porro circa med.*

APPELLATIO admittitur in devolutivo, proindeque non impedit, quominus electio per Ordinarium facta interim debitæ mandetur executioni. CLVIII. T. I. *p.* 93. §. *Porro circa finem. Appellatio* si adversus Episcopi judicium non fuit intra decendium interjecta, ei locus amplius non est, sed opus non est restitutione in integrum, quæ non datur sine probatione gravaminis. XLIV. §. *Additur. Appellatio* ab irrationabili Episcopi judicio, vel a mala Examinatorum relatione ad Sedem Apostolicam si interponatur, novum examen debet in Urbe fieri, & coram Examinatoribus Eminentissimi Cardinalis Vicarii, itaut nec ingravescens Provocati ætas, nec loci distantia eum excusare valeant ab accessu ad Urbem, ut se novo examini subjiciat. CLVII. *Tom. I. pag.* 93. §. *Quarta in princ. Appellatio*, & provocatio ad novum examen admissa fuit absque gravaminis probatione, eo quia, non respondentibus Concurrentibus in scriptis, gravamen nequibat probari. *ibid. pag.* 95. §. *Præmittendum*, & §. *Ultimo. Appellatio*, & provocatio ad novum examen antequam a Sac. Congregatione admitteretur, de sumo gravaminis, seu irrationabilitatis judicii Episcopi voluit aliquando gustare. *ibid. Tom. I. p.* 95. *Appellationi* in devolutivo locus est a judicio Examinatorum, & a collatione per Episcopum facta. XLIV. §. *Prætendit & seqq. Appellatione* Ordinarii venit Vicarius Generalis ad effectum assistendi Matrimonio. XCVIII. §. *Putant. Appellatio* adversus statutum admittitur, quando illud conditum fuit adversus particularem personam; secus autem quando conditum est ad publicam utilitatem. CCCCLX. §. *Quo ad primam. Appellatio* nequit interponi in causis correctionis morum, non obstante quacumque consuetudine, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine, nisi gravamen per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit. CCCLXXXI. §. *Ultimum*.

APPLICARI debet Missa Conventualis pro Benefactoribus, non obstante quacumque consuetudine. III. §. *Adversus, & XCII. §. Adversus. Applicari* debet a Parocho Missa pro Populo singulis diebus Dominicis, & Festis de præcepto. XCII. §. *Adversus circa med. Applicari* debet a Parochis congruam non habentibus Missa Parochialis. *ibid.* §. *Adversus circa finem. Applicari* debet etiam a Curatis amovibilibus Missa Parochialis pro Populo. *ibid.* §. *Adversus circa finem. Applicari* debet Missa pro Fundatore, licet ipse applicationem non expresserit. LXVIII. §. *Facit pro applicatione. Applicari* debet pro Anima Testatoris Missæ Sacrificium, quando ex mente, aut verbis ejusdem Testatoris non colligitur, quod reliquerit libertatem Sacrificii. VII. §. *Et concordant*, & LXXXIX. §. *Pro applicatione. Applicari* non debet Missa, si illius celebratio dumtaxat injuncta fuerit pro commoditate aliquorum, & pro cultu Ecclesiæ. LXVIII. §. *Facit e contra. Applicari* non debet, sed celebrari dumtaxat Missa in casu, quo illius celebratio demandata sit, *accio molti occupati da negozj possino andare a sentirla, ed in specie gli Scolari quando escono dalla Scuola*. LXXXIX. §. *Putant. Applicari* non debet Missa, sed ea dumtaxat celebranda, si Cappellania fundata fuerit cum onere celebrationis Missæ quotidianæ pro satisfactione, & voto Monialium. *ibid.* §. *Putant. Applicari* debere Missas tres de Mortuis, & non alias pro Testatoris anima, censuit Sacra Congregatio in casu, quo idem Testator demandaverat, ut Cappellanus pro tempore Missam celebraret omnibus diebus hebdomadæ, præter unam, cum hoc, quod tres Missæ qualibet hebdomada celebrentur de Mortuis pro Anima Fundatoris, VII. §. *Coherenter. Applicari* non debere Missæ Sacrificium pro Testatore, excepta feria secunda non impedita, censuit Sacra Congregatio in casu, quo Cappellania erecta fuerat cum obligatione celebrandi quotidie hora determinata pro commoditate nonnullarum Monialium, & applicandi qualibet Feria secunda non impedita Missam Mortuorum pro Anima Testatoris. *ibid.* §. *Coherenter circa finem*, & LXXXIX. §. *Putant circa finem. Applicari* debere Missas tres de Mortuis, & non alias pro Testatoris Anima, censuit Sacra Congregatio in casu, quo idem Testator demandaverat, ut Cappellanus pro tempore Missam celebraret omnibus diebus hebdomadæ præter unam, cum hoc, quod tres Missæ qualibet hebdomada celebrarentur de mortuis pro Anima Fundatoris. VII. §. *Coherenter. Applicari* debent Fabricæ S. Petri juxta ejus privilegia Bona relicta Cappuccinis, & Minoribus strictioris observantiæ, ac Regularibus, qui Bona in communi possidere non possunt. CXVI. §. *Quoad dispositiones. Applicari* debere Missam pro Populo diebus Dominicis, & Festis a Cappellanis Curatis amovibiliter a Capitulo pro exercitio curæ Animarum deputatis, rescripsit Sacra Congregatio. XCII. *ad V. Dub. Applicari* debent Missæ Conventuales pro Benefactoribus a Dignitatibus, Canonicis, Mansionariis, & Cappellanis Capituli. *ibid. ad I. Dubium. Applicari* debere Missam a Patribus Congregationis Somaschæ, respondit Sacr. Congr. LXXXIX. *Applicandas* non esse in beneficium Ecclesiæ Dotes ad Confraternitatem quomodocumque reversas, sed aliis Puellis esse distribuendas, respondit Sac. Congregatio in *Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718. LVIII. *Applicari* debet Missa pro Fundatore, licet ipse applicationem non expresserit, sed solum celebrationem præceperit. CCCCI. *Hæc sunt. Applicare* Missæ Sacrificium non teneri Cappellanum in suffragium Animæ Fundatoris, sed solum pro eodem Fundatore orare, respondit Sac. Congregatio *in Novarien.* 22. *Novembris* 1727. *ad I. Dub.* DLXXVI.

APPLICATIO annuorum scutorum 876. ab Episcopo Liparitano subtractorum ex reditibus Mensæ Episcopalis pro constituendis quotidianis distributionibus dividendis inter Canonicos, & Dignitates suæ Ecclesiæ judicata fuit valida. LXXVII. §. *Eminentissimus. Applicationi Legati* favore Seminarii locum esse, respondit Sac. Congregatio. CLI. *Applicationi* Legatorum in scutis tribus quolibet Mense, locum esse resolutum fuit. XLVII. *Applicatio* Missæ an, & quando non dicatur a Testatore injuncta, constat ex resolutionibus relatis. CCCCI. §. *Quo ad punctum & seqq.*

ARBITRI adeundi sunt, ubi Vicarius Episcopi suspectus allegetur, & ubi causa recusationis, quæ coram Episcopo probanda esset, ipsum etiam Episcopum respiceret. CCCCXIII. §. *Quando. Arbitri* sunt eligendi, qui de causis suspicionis cognoscant; quando contra Judicem legitima causa suspicionis assignatur. *ibid. Arbitrorum* electio, ubi illi cognoscere debent de causis suspicionis, ad Capitulum spectat, si Vicarius Capitularis suspectus allegetur. *ibid.* Contrarium statuunt resolutiones Sacræ Congregationis. *ibid. in fin.*

ARCHICONFRATERNITATIS Orationis, & Mortis in Urbe constitutæ narrantur Privilegia in *Const.* 22. *Pii IV. Bull. Tom.* 2. LVI.

ARCHIEPISCOPUM Turritanum in cognoscendis causis criminalibus Canonicorum teneri adjunctos adhibere, idemque servandum esse, quando declarare vellet, aliquem ex ipsis incursum in censuras a Jure latas, si processus sit compilatus, resolvit Sacra Congregatio. CCCCXIII. §. *Ad tramites in fin.*

ARCTATI ratione beneficii jam recepti sunt illi, qui obtinent beneficium aliquod, ratione cujus tenentur se promovere facere; arctati vero ratione beneficii recipiendi sunt illi, qui habent jus, seu sunt vocati ad aliquod Beneficium vacans, quod actu requirit certum Ordinem, quo iidem carent, vel qui non habentes primam Tonsuram sunt præsentati ad aliquod Beneficium. CCCCLXVI. §. *Sacrum*.

ASSIGNARE fundum favore Cappellaniæ Hæredem non potuisse, & assignationem non sustineri, respondit Sacra Congregatio, *in Viterbien.* 26. *Septembris* 1727. *ad I. Dub.* DLXXV.

ASSISTENS Matrimonio Vicarius Generalis, vel alteri tribuens facultatem, ut illi assistat, venit Episcopi nomine, XCVIII. §. *Putant. Assistentium* minor numerus permittitur, ubi Episcopus, qui vult Olea Sacra conficere, habet parvum Clerum, aut existit in partibus Infidelium. CCCCXXII. §. *Juxta*.

ASSISTERE Canonici tenentur Concioni tempore Quadragesimali. LXXVIII. *Assistere* Olei Sacri consecrationi feria quinta in Cœna Domini debent Præpositus Collegiatæ S. Justæ, & Archipresbyteri Collegiatarum S. Mariæ de Paganica, & S. Petri de Popleto, *in Aquilana* 3. *Martii* 1725. CCCCXXII. *Assistere* in munere Diaconi, & Subdiaconi Canonicis celebrantibus Missam Conventualem non teneri Presbyteros, rescripsit Sacra Congregatio in *Squillacen.* DXC. §. *Resolutio. Assistere* tenentur Dignitati, vel Canonico in Vesperis, & *Benedictus* juxta Cæremoniale Episcoporum *lib.* 2. *cap.* 3. Presbyteri Communeriæ, *in Squillacen.* 21. *Februarii* 1728. *ibid.*

ATTENTATA fuisse patrata, eaque purganda per circumscriptionem omnium gestorum, respondit Sacra Congregatio *in Dertbonen.* 6. *Julii* 1726. *ad I. Dub.* DXIV. *Attentata* fuisse patrata, & Provisiones factas esse circumscribendas, respondit Sacra Congregatio *in Calaguritana* 27. *Julii* 1726. DIII. *Attentata* fuisse patrata, eaque purganda esse juxta instructionem dirigendam ad Nuncium Colonienseni, respondit Sacra Congregatio *in Colonien.* 22. *Septembris* 1725. CCCCLXIII.

AUGMENTO dotis, ut acquiratur Jus patronatus, oportet, quod dos assignata fuerit penitus deperdita. CXI. §. *Franciscus in fine*.

AUTHOR Sequentiæ *Dies iræ* est incertus, & Rubricistæ ad diversos eam referunt. CCCIV. §. *Quoad sequentiam*.

B

BAPTISMUM ab Hæretico, qui recepit, irregularis est. xxx. §. *In hoc. Baptismales* Fontes debent in omnibus Parochialibus Ecclesiis esse, nisi illi extent in aliquibus Ecclesiis, quæ Matrices, vel Baptismales vocantur. cxliii. §. *Episcopus. Baptismalis* Fontis erectionem in Ecclesia Parochiali S. Mariæ novæ Castri Seronis sustineri, relicta libertate Parochianis Sanctæ Mariæ ejusdem Castri deferendi juxta solitum Filios baptizandos etiam ad alias Parochias, respondit Sacra Congregatio in *Fulginaten. Fontis Baptismalis* 22. *Junii* 1720. *ibid. Baptismus* sub conditione confertur etiam iis, qui Schedulam Collo appensam deferunt juxta praxim plurium Diœcesum. cclxix. §. *Et hæc. Baptismum* iterantes contrahunt irregularitatem. *ibid.* §. *Parochus.*

BAPTIZANDUS non est sub conditione Puer inter Catholicos natus, licet fuerit expositus, nisi forte occurrant aliquæ conjecturæ, quæ suspicionem ingerant, puta si in loco esset Infideles, aut Anabaptistæ. cclxix. §. *Alii è contra.* Contrariam tamen Sententiam sequuntur plures Authores relati. *ibid. Baptizandi* absolute sunt Pueri expositi, si de iis omnimode ignoretur, an fuerint baptizati, nec ullam habeant pro Baptismo conjecturam; sub conditione vero debent baptizari illi, qui collati Baptismatis conjecturam habent, puta Schedulam collo, vel alteri corporis parti appensam, in qua scriptum sit, eos esse baptizatos. *ibid.* §. *Cohæreator. Baptizandi* sunt Parvuli, & Infantes, quando certa non afferuntur documenta de eorum Baptismo. *ibid.* §. *Plures.*

BENEDICERE potest Candelas in Oratorio Cappellanus Confraternitatis pro Confratribus, & Sororibus in Festo Purificationis, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.* 1718. *ad XII. Dub.* lvi. *Benedicendus* iterum non est Abbas semel benedictus. cclxiii. §. *Hæc quoad in princ.*

BENEDICTIO Abbatis non confert Ordinem, nec characterem imprimit, sed est tantum quædam solemnitas Orationum. cclxii. §. *Hæc quoad. Benedictio* Abbatis fit cum Pontificalibus, sive ea authoritate Apostolica, sive ordinaria peragatur. *ibid.* §. *Quoad exercitium circa fin. Benedictionem* Abbas recipiens ab Episcopo exercente Pontificalia in alterius Diœcesi remanet suspensus, uti Ordinatus ab Ordinum exercitio. *ibid.* §. *Pœnæ. Benedictio* Eucharistiæ, quæ fit super Populo, non est de Juribus mere Parochialibus. dvii. §. *Confraternitas.*

BENEFICIATUS absens a residentia, quando procul habitat, aut ad eum tutus nequit accessus haberi, fieri potest citatio per Edictum. lxx. §. *Pro parte in princ. Beneficiati* tenentur contribuere taxam Seminario, & possunt ad id per censuras, aliaque Juris remedia, invocato etiam Brachii Sæcularis auxilio, compelli. clxii. §. *Fundamentum. Beneficiati* tenentur ad reaptationem Ecclesiæ, ad quam Beneficia fuerunt translata, licet eadem Beneficia in alia Ecclesia sint fundata. ccv. §. *Quod variter.*

BENEFICIUM, vel pensio Ecclesiastica est incompatibilis cum quacumque militia, etiamsi sit militia Summi Pontificis. cxcii. §. *Absque eo quod. Beneficium* Ecclesiasticum ad honestam sustentationem sufficiens, vel ad minus Patrimonium, vel Pensionem habere debet, qui vult ad Ordines Sacros promoveri. §. *Licet. Beneficium* ne devolvatur ad Superiorem, satis est quodliber non improbabile impedimentum, quod Jura Patroni præservat. cxl. §. *Putant in fin. Beneficii* devolutio supponit Patroni culpam, & inexcusabilem negligentiam. *ib.* §. *Putant in med. Beneficio* nequeunt superaddi onera in fundatione non apposita. xv. §. *Pro Cappellano. Beneficia* sæcularia Sæcularibus, & regularia Regularibus sunt conferenda. clvii. §. *Contendit. Beneficia* potest obtinere in aliqua Civitate, qui in ea Civilitatem obtinuit. xlv. §. *Parum. Beneficia* ut assequatur Neophytus, non indiget dispensatione, si fuerit dispensatus quoad Ordines. xlix. §. *Quoad in fin. Beneficiorum* sunt incapaces Hæreticorum Filii. *ibid.* §. *Quoad. Beneficia* erecta in Altaribus Parochialibus Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo non subjacent directioni, & Jurisdictioni Episcopi, *in nullius S. Severini Jurisdictionis* 4. *Februarii* 1719. *ad IV. Dub.* lxxx. *Beneficiorum* nova provisione non indiget is, qui natus ex Parentibus Turcis Baptismum in infantili ætate suscepit, & subinde Sacris Ordinibus initiatus Beneficia Ecclesiastica obtinuit, *in Melevitana* 13. *Augusti* 1718. *ad II. Dub.* xlix. *Beneficii* Institutio debet Episcopo, vel habenti jurisdictionem ordinariam, & non alteri Inferiori in limine fundationis reservari. ccxlviii. §. *Difficultas. Beneficii* institutio ad petitionem Patronorum Laicorum etiam post Tridentinum fuit a Summis Pontificibus reservata Inferioribus Ordinario. *ibid. Beneficii* reservatio, seu affectio potest in limine fundationis excludi. *ib.* §. *Quoad exclusionem. Beneficii* ratione, seu titulo nemo acquirit subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines, nisi Beneficium ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem sive juxta taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro Promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinato pacifice possideatur. cclxxxi. §. *Anno* 1694. *Tom.* 1. *pag.* 187. *Beneficii* ultimus status, an illud sit Seculare, vel Regulare, an Curatum, vel Simplex, non attenditur, si constat de statu anteriori contrario, nisi ultimus status sit legitime præscriptus. ccxxxiii. §. *Absque eo quod in princ. A Beneficio*, ad cujus titulum quis ordinari intendit, detrahenda non esse onera Missarum eidem adjecta, nisi in Fundatione cautum sit, ut illius Possessor in casu impedimenti teneatur per alium celebrare, & donec ascendat ad Sacerdotium pro tota Missarum aliunde habeat, quo vivere possit, resolvit Sacra Congregatio in *Tiburtina*. cclxxxi. §. *Anno* 1690., & §. *Anno* 1694. *Tom.* 1. *pag.* 187. *Beneficium* quodcumque olim satis erat, ut quis fieret Subditus ad effectum Ordinationis, licet tenue, & tenuissimum esset. ccxxiii. §. *Ad tramites. Beneficium* conferre potest Episcopus habenti jam ex Pensionibus Ecclesiasticis congruam sustentationem. ccxxxv. §. *Transitum circa med. Beneficium* primum quando non est sufficiens, potest Episcopus duo Beneficia difformia sub eodem tecto conferre. *ibid.* §. *Sacrum Concilium in fin. Beneficium* unum simplex habenti, si illud non sufficiat ad ejus sustentationem, potest Episcopus aliud simile conferre absque Apostolica Dispensatione, sed si duo non sufficiant ad sustentationem, nequit tertium absque Apostolica Dispensatione conferre. *ibid. Beneficia* duo simplicia habens nequit tertium de Jurepatronatus authoritate Ordinaria assequi, & absque Sedis Apostolicæ dispensatione retinere. *ibid.* §. *Alii e contra circa med. Beneficia* de Jurepatronatus comprehenduntur sub dispositione Concilii prohibentis pluralitatem Beneficiorum. *ibid.* §. *Quoad Beneficia*, & §. *Alii e contra. Beneficia* plura de Jurepatronatus Laicorum possunt retineri absque Apostolica Dispensatione juxta Sententiam, quam tuentur Authores relati. *ibid.* §. *Quoad Beneficia.* Contrariam Sententiam tenent alii Authores, & hanc secuta est Sac. Congregatio, uti constat ex Resolutionibus relatis. *ibid.* §. *Alii e contra. Beneficia* secularia neque simplicia, nec etiam Curata obtineri possunt a Canonicis Regularibus absque licentia Abbatis Generalis, & Apostolico Indulto. cccxlvii. §. *Id quod. Beneficiis* nequit nova onera Episcopus imponere. cci. §. *Fundamentum. Beneficiorum* Secularium etiam Curatorum incapaces omnino fiunt Canonici Regulares ad aliam Religionem translati, necnon etiam Religiosi ab alia Religione ad Canonicos Regulares translati. cccxxxviii. §. *Nonnulli & seqq. Beneficii* resignationes, quæ admitti possunt per Episcopos, enumerantur in Constitutione *Piana* 58. *Bull. Tom.* 2. ccccxc. §. *Sacrum in fin. Beneficii* resignatio non admittitur, nisi constito, quod aliunde Resignans vivere commode possit, si ad illius titulum fuit ordinatus, alias resignatio est irrita. *ibid. Beneficii* resignatio ut sit valida, requiritur individua expressio, quod Resignans fuit ad illius titulum ordinatus. *ibid.* §. *In eo. Beneficii*, ad cujus titulum quis fuit ordinatus, nequit resignatio fieri, nisi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus. *ibid.* §. *Sacrum. Beneficii* renunciatio est invalida, si ad illius titulum Renuncians fuit ordinatus, & renunciatio peracta fuerit absque subrogatione Patrimonii, vel alterius Ecclesiastici Beneficii. dxxx. §. *Primo. Beneficii* collatio ab Ordinario facta favore vel Consanguineorum suorum, vel Consanguineorum Resignantis est invalida. *ibid.* §. *Secundo. Beneficii* privationem, & juris cujuscumque ad illud incurrunt confugientes ad judices Laicos. dxxviii. §. *Subsequitur.* Limita, quando Judex Laicus præstat assistentiam possessioni habitæ a Judice Ecclesiastico, donec ab eodem Judice Ecclesiastico aliter provideatur. *ibid.* §. *Et quia. Beneficium*, seu Cappellania de perpetua potest ab Episcopo effici manualis. ccccxcii. §. *Quærunt in princ. Beneficium* dicitur vacare per obitum, si quis in infirmitate constitutus resignaverit Beneficium, & postea viginti dies ex infirmitate decesserit. dxxx. §. *Tertio.* ea inu... dividere, de novo creare, & extinguere por- *Beneficia* unire, ... ccccxcii. §. *Quærunt in fin.* est Episcopus in sua Diœce... quod fructus *Beneficia* ut dividantur, justa causa esse nequit, quæ non sufficiunt pro omnibus Beneficiatis, nulla habita contemratione augmenti cultus Divini, si Ecclesia ante divisionem suis non defraudabatur servitiis. cccci. §. *Contendunt præterea. Beneficia* non debent dividi, nisi justa urgente causa. *ibid. Beneficii*, seu Bonorum subrogatio in locum Beneficii, ad cujus titulum quis fuit ordinatus, facienda est per declaratoriam Episcopi, *in Lancianen. 9. Februarii* 1726. *ad VI. Dub.* ccccxc. *Beneficium* judicatum fuit Sacerdotale, *in Laurentana* 16. *Decembris* 1724. *ad I. Dub.* ccccxii. *Beneficium* esse erigendum, & illud esse debere Ecclesiasticum, non autem Laicale, respondit Sacra Congregatio *in Romana, seu Viterbien.* 23. *Februarii* 1726. *ad I., & II. Dub.* cccclxxv. *Beneficia* Ecclesiastica esse Hebdomadariatus Metropolitanæ Ecclesiæ Amalphitanæ, rescripsit Sacra Congregatio *in Amalphitana* 30. *Septemb.* 1724. *ad I. Dub.* cccci. *Beneficiorum* Ecclesiasticorum divisio per Episcopum peracta fuit declarata invalida, *in Amalphitana* 30. *Septembris* 1724. *ad II. Dub. ibid. Beneficium* curatum Seculare expoſcit habitum Presbyteri Secularis. dlxv. §. *Quoad Canonicos. Tom.* 2. *p.* 173. *Beneficium* potest ab Episcopo de perpetuo fieri manuale, accedente Patronorum consensu. ccccxcii. §. *Quærunt.* Contrarium tamen docent Authores relati. *ibid.* §. *Alii contrarium. Beneficii* incapax ut fiat Clericus ex eo, quod fuerit illicite tonsuratus, non sufficit, quod fuerit illicite tonsuratus, sed quod ulterius per dolum, vel cum positivo sui Ordinarii contemptu ab alio Episcopo Tonsuram receperit. dlii. §. *Cum ad. Beneficia* licitum est Pontifici etiam sine causa, & multo magis accedente aliqua causa legitima, unire. dliv. §. *Quarto.*

BENEPLACITUM Apostolicum non requiritur in alienatione Bonorum, quæ fit ex necessitate juris. xcv. §. *Absque eo quod in princ. Beneplacitum* Apostolicum non requiritur in alienationibus Bonorum, quæ Fratribus Mendicantibus S. Francisci sub modo licito relinquuntur, quia dicta Bona non dicuntur eorum Monasteriis incorporata. *ibid.* §. *Absque eo quod in fin. Beneplacitum* Apostolicum olim ex lapsu triginta, aut sexaginta annorum impetratum præsumebatur, sed hodie requiritur centenaria. clxxxiv. §. *Minusque. Beneplacito* Apostolico opus est, ut fructus Censuum a Locis piis reducantur, v. g. a scutis quinque ad scuta quatuor pro centenario. 1. §. *Leoparduus circa med. Beneplacito* Apostolico destituram fructuum Census reductionem quoad præteritum, revalidandam non esse, censuit Sacra Congregatio in *Senogallien. Censuum* 2. *Julii* 1718. *ad* II. *Dub.* xxxviii. *Beneplacito* Apostolico destituram fructuum Census reductionem quoad futurum revalidandam non esse arbitrio Episcopi, respondit Sacra Congregatio. *ibid. Beneplacitum* Apostolicum denegatum fuit pro confirmatione concordiæ in *Leodien. Confirmationis Concordiæ* 22. *Junii* 1720. clxx. *Beneplacitum* Apostolicum esse necessarium pro alienatione mobilium pretiosorum, quæ Ecclesiæ Fratrum Ordinis S. Francisci relicta fuerunt, & incorporata, respondit Sacra Congregatio. *ibid. Beneplacitum* Apostolicum requiri, ut valida sit fructuum census reductio, rescripsit Sacra Congregatio in *Senogallien. Censuum* 2. *Julii* 1718. *ad I. Dub.* xxxviii. *Beneplacito* Apostolico munita præsumitur transactio post lapsum 100. annorum. ccxxx. §. *Secundo in princ. Beneplacitum* Apostolicum præsumitur ex lapsu centum annorum, secus vero ex spatio triginta, vel 40. annorum. *ibid. Beneplacitum* Apostolicum ut ex lapsu 100. annorum præsumatur, satis est, quod centenaria elapsa sit ante motam litem. *ibid.* §. *Secundo circa fin. Beneplaciti* Apostolici præsumptio ex lapsu 30., vel 40. annorum sublata fuit ex Bulla Urbani VIII. *ibid.* §. *Secundo. Beneplacitum* pro executione Laudi concedendum esse juxta modum ab Eminentissimo Præfecto præscribendum, respondit Sacra Congregatio *in Tridentina Laudi* 3. *Martii* 1725. ccccxxv. *Beneplacitum* Apostolicum concedendum esse favore Tiburtii Mangalli, respondit Sacra Congregatio in *Reatina* 13. *Aprilis* 1726. dv. *Beneplacitum* Apostolicum concedendum esse favore Joannis Palmegiani, respondit Sacra Congregatio *in Reatina* 28. *Septembris* 1726. dxxix. *Beneplacitum* non esse elargiendum super emphyteusi perpetua Bonorum, de quibus ibi agebatur, respondit Sac. Congregatio, *in Savonen.* 27. *Januarii* 1727. dlxxxiv.

BONA in communi possidere licet prohibeantur Regulares, tamen capaces sunt eleemosynarum manualium Missarum. cxvi. §. *Procedentibus. Bona* relicta Cappuccinis, & Minoribus strictioris observantiæ, ac aliis Regularibus, qui Bona in communi possidere non possunt, Rev. Fabricæ S. Petri applicantur juxta ejus Privilegia. *ibid.* §. *Quoad dispositiones. Bonorum* Ecclesiasticorum alienatio, quæ fit ex necessitate juris, non requirit Beneplacitum Apostolicum. xcv. §. *Absque eo quod in princ. Bonorum* Ecclesiasticorum alienatio, cum ea Fratribus Mendicantibus S. Francisci sub modo licito relinquantur, non requirit Beneplacitum Apostolicum, quia dicta Bona non dicuntur eorum Monasteriis incorporata. *ibid.* §. *Absque eo quod in fin. Bonorum* cessionem qui emisit, Ordines Sacros suscipere prohibetur, *in Atrien.* 23. *Junii* 1725. ccccxlix.

BREVE concessum anno 1695. R. P. D. de Organis sustineri, & fructus ejus vigore perceptos non esse restituendos, rescriptum fuit in *Romana seu Praten. Indulti* 11. *Junii* 1718. *ad I. Dub.* xxxv. *Breve* prædictum expirasse dumtaxat anno 1710., & fructus eo usque perceptos non esse restituendos, respondit Sacra Congregatio in dicta *Romana seu Praten. Indulti* 11. *Junii* 1718. *ad* II. *Dub. ibid. Breve* cum reductione a tertia parte ad septimam esse confirmandum, respondit Sacra Congreg. *in Gerunden.* 24. *Aug.* 1720. clxxxi. *Breve* concessum Hospitali Expositorum Elboræ non comprehendere Legata Pia relicta certis Personis, & locis, nec minus legata, pro quibus obtentæ fuerunt, aut obtinebantur compositiones a Rev. Fabrica S. Petri, respondit Sacra Congregatio in *Elboren. Declarationis Indulti* 3. *Septembris* 1718. *ad* III. *Dub.* xxix. *Brevia* Pœnitentiariæ quoad legitimationem Prolis prosunt tantummodo in Foro Conscientiæ, & post factam legitimationem lacerantur. clxxiv. §. *Cumque in fin. Breve* Apostolicum favore Episcopi expeditum super ejusdem admissione ad Locum Capitularem, & fructuosam possessionem Canonicatus Collegiatæ S. Simeonis non esse exequendum, respondit S. Congregatio *in Treviren.* 17. *Augusti* 1726. dxxii.

BULLA Piana 58. disponens, quod Collatio facta ab Ordinario favore suorum Consanguineorum, vel favore Consanguineorum Resignantis an sit usu recepta in Hispaniis, & in Germania. *Vid. Authores relat.* dxxx. §. *Haud urgente.*

C

CADAVERIS exhumatio, licet non ita de facili permittatur, non procedit tamen, quando Pars pro illius restitutione instat. cccxxi. §. *Patres. Cadaveris* exhumationi, & illius restitutioni una cum omnibus emolumentis esse locum, respondit Sac. Congregatio in *Tudertina*, cclxxv. §. *Tudertina. Cadavera* in Fratrum Ecclesiis sepelienda ab Ædibus Defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri debent, monito prius, requisito, & expectato proprio Defunctorum Parocho, a quo Benedictionem, & ultimum *vale* recipere possint, quo venire expresse recusante, possunt iidem Fratres, etiam ipso invito, dicta Cadavera ad suas Ec-

clesias transportare, licet Hæredes Defunctorum contradicerent, & vellent, quod prius deferrentur ad Ecclesiam Parochialem. ccxliv. §. *A Sacris.*

CÆCUS, si Presbyter evadat, amittit executionem Ordinis Presbyteratus quo ad ea, quæ visum requirunt, & sic debet se a Missæ celebratione abstinere. dlxx. §. *De promoto in prime.* Potest tamen Confessiones audire, concionari, & alia ejusmodi, quæ visum non requirant, peragere. *ibid.* §. *De promoto in fin.*

CÆREMONIALE Episcoporum *lib.* 1. *cap.* 12. disponens de accessu Episcopi ad Ecclesiam Cathedralem observandum esse, respondit Sacra Congregatio, *in Gennen. Celebrationis Ordinum* 2. *Augusti* 1727. *ad X. Dub.* dxxxiv. *Cæremoniale* observari debere in peragenda generali Ordinum collatione, respondit Sac. Congregatio, *in Gennen. Celebrationis Ordinum* 2. *Augusti* 1727. *ad* IV. & V. *Dub. ibid.*

CANCELLARIUS Episcopi, durante Scrutinio pro electione Abbatissarum Regularibus subjectarum, nequit in Ecclesia permanere, exceptis Superiore Regulari, & Curatoribus, *in Tiburtina* 26. *Aprilis* 1727. *ad* III. *Dub.* dxlvii. *Cancellarius* Episcopi nequit assistere, & interesse Scrutiniis, ac electionibus Abbatissarum, quæ fiunt in Monasteriis Monialium Ordinis Minorum de Observantia, *in Tiburtina* 26. *Aprilis* 1727. *ad* II. *Dub. ibid. Cancellarium* Episcopus potest secum conducere in electionibus Abbatissarum in Monasteriis sub Disciplina Regularium Minorum de Observantia, *in Tiburtina* 27. *Aprilis* 1727. *ad* I. *Dub. ibid.*

CANDELAS benedicere potest in Oratorio Cappellanus Confraternitatis pro Confratribus, & Sororibus in Festo Sanctissimæ Purificationis, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad* XII. *Dub.* lvi.

CANONICATU valide privatus dicitur Canonicus a residentia absens, si a die ultimæ citationis usque ad diem latæ sententiæ elapsi fuerint sex menses. lxx. §. *Pro parte circa fin. Canonicatu* privari nequit Canonicus absens a residentia, nisi post triennium. *ibid. Canonicatus* Pœnitentiarius Cathedralis Oriolen. debet per concursum, & electionem ab Episcopo, & Capitulo faciendam conferri, in *Oriolen. Canonicatus Pœnitentiarii* 16. *Novembris* 1720. clxxxix. *Canonicatus* privationis Sententiam non sustineri, respondit Sacra Congregatio in *Romana Canonicatus* 3. *Decembris* 1718. *ad* I. *Dub.* lxx. *Canonicatus* habens Præbendam, & distributiones nequit conferri, apposita conditione, ut Canonicus fructus, & distributiones non percipiat. dlxvi. §. *Actum fuit. Canonicatum* novum in Cathedrali Ecclesia erigendum esse juxta conditiones præscriptas ab Eminentissimo Præfecto, respondit Sac. Congregatio, *in Alatrina* 8. *Februarii* 1727. dxxxviii.

CANONICUS a Residentia absens ut valide Canonicatu privetur, expectandus est lapsus trium annorum, & transacto tertio anno, trina citatio per Edictum est adversus eum absentem expedienda, & deinde expectari debet per alios sex menses, antequam deveniri valeat ad privationem. lxx. §. *A nullitate circa med. Canonicus* a Residentia absens dicitur valide Canonicatu privatus, si a die ultimæ citationis usque ad diem latæ sententiæ elapsi fuerunt sex menses. lxx. §. *Pro parte circa fin. Canonicus* a Residentia absens nequit, nisi post triennium Canonicatu privari. *ibid. Canonicus* jure suo constituere potest Procuratorem, qui in Capitulo suffragetur, non obstante, quod per se ipsum interesse possit. cxxii. §. *Præter hæc. Canonicus* absens infirmitatis causa lucratur distributiones quotidianas. *ibid.* §. *Porro in fin. Canonicus*, qui sit magnæ authoritatis, & qui non sit impeditus, an cogi valeat ad interessendum Capitulo per se, & non per Procuratorem. *ibid.* §. *Præter hæc in fin. Canonicus* jubilatus non tenetur residere. lvii. §. *Demum. Canonicus* jubilatus non tenetur, neque per se, neque per alium ad celebrationem Missæ Conventualis per Turnum. xciii. §. *Invenio in princ. Canonicus* jubilatus tenetur facere depositum tertiæ partis fructuum Præbendæ pro distributionibus quotidianis, sicuti faciunt alii Canonici. xciii. §. *Invenio circa fin. Canonico* jubilato cum facultate omnes fructus una cum distributionibus quotidianis percipiendi, perinde ac si Choro interesset, non deberi emolumenta Anniversariorum, resolutum fuit. xciii. §. *E contra in fin. Canonice* jubilato debentur fallentiæ Canonicorum absentium, dummodo non obstent Constitutiones Capitulares, vel Consuetudo Ecclesiæ. *ibid.* §. *Pro adæquata circa finem*, & §. *Invenio in fin. Canonici* jubilati præter quotidianas distributiones lucrantur alia emolumenta certa, & fixa, nisi aliter cautum fuerit a Testatoribus, vel aliter Statuto, vel consuetudine fuerit introductum. *ibid.* §. *Anniversaria. Canonici* jubilati, licet non interfint, participant de emolumentis Anniversariorum, quæ fiunt intra annum; & sunt fixa, & nisi aliter a Testatoribus cautum fuerit. *ibid.* §. *Quoad alium. Canonicis* jubilatis non debentur punctaturæ, seu fallentiæ aliorum Canonicorum Choro non interessentium. *ibid.* §. *Quoad punctaturas. Canonici* possunt, & tenentur canere Passionem Dominica Palmarum, & Feria VI. in Parasceve; præsertim si adsit consuetudo. xli. §. *Additur. Canonici* legitime non impediti tempore Quadragesimæ quotidianis Concionibus interesse debent. lxxviii. §. *Quoad assistentiam. Canonici* tenentur de jure communi ad formalem præsisam residentiam. xci. §. *Contendit. Canonici* non residentes possunt ipso facto Canonicatu privari, si adsit consuetudo, vel Statutum. clxxxviii. §. *Nec Canonici. Canonici* Coadjuti tenentur residere, licet soleat eis a Sacra Congregatione facile concedi Indultum abessendi. lvii. §. *Superest in fin. Canonici* Cathedralium, seu Collegiatarum, si Animarum cura penes ipsos resideat, applicando Dominicis, & Festis diebus Mis-

fam pro Populo, non satisfaciunt oneri Missæ Conventualis, sed eam ulterius tenentur applicare. III. §. *Adversus*. *Canonici*, quibus incumbit cura Animarum, applicare debent Missam Conventualem ultra Parochialem, itaut Canonici applicando Missam pro Populo diebus Dominicis, & Festis, non satisfaciant oneri Missæ Conventualis. *ibid.* §. *Adversus in fin. Canonicorum* Coadjutores, sicuti sedent post omnes Canonicos, ita non admittuntur ad honorarias functiones, si alii adsint Canonici. XXII. §. *In scripturis*. Imo Coadjutores Canonicorum instar Coadjutoris Dignitatum succedunt in jus functiones peragendi. *ibid.* §. *Adversus*. *Canonico* non deberi fructus, & Distributiones pro tempore, quo ipse absuit condemnatus ad Triremes Pontificias, respondit Sacra Congregatio in *Ferentina distributionum* 24. *Septemb.* 1718. LXIII. *Canonicum* teneri ad onera expressa in Testamento Fundatoris, & ad onera, ad quæ tenentur alii Canonici, rescriptum fuit in *Nepesina Canonicatus* 4. *Feb.* 1719. LXXXI. *Canonicus* jubilatus participat de emolumentis adventitiis Anniversariorum, dummodo non obstet voluntas Testatoris, vel dantis, in *Aquipenden. Indulti* 1. *Aprilis* 1719. *ad* II. *Dub.* XCIII. *Canonicus* jubilatus, licet Choro non intersit, participat de punctaturis, & fallentiis aliorum Canonicorum non infervientium, *ibid. ad* I. *Dub. Canonicus* jubilatus non participat de emolumentis ex Cadaverum associatione provenientibus. *ibid. ad* II. *Dub. Canonicus* non tenetur Evangelium Passionis Dominica Palmarum canere juxta Decretum Episcopi, in *Lucana* 2. *Jul.* 1718. XLI. *Canonicus* coadjutus potest per se ipsum explere functiones nuncupatas de hebdomada, & Turno, in *Florentina Præeminentiarum* 9. *Aprilis* 1718. *ad I. Dub.* XV. *Canonici* Cathedralis tenentur tempore Quadragesimæ assistere Concioni. LXXVIII. *ad* III. *Dub. Canonici* Coadjutores tenentur ad cantandam Missam solemnem, ut compleant Turnum Canonicorum, in *Æsina Præeminentiæ* 16. *Decemb.* 1719. *ad* II. *Dub.* CXXXVI. *Canonici* nuncupati Ecclesiæ S. Mariæ Terræ Matthæ non tenentur ad celebrationem Missæ Conventualis, in *Montis Falisci Missæ Conventualis* 12. *Febr.* 1718. III. *Canonicorum* numerum esse augendum ad ratam redituum, censuit Sac. Congregatio in *Cremon. Erectionis Collegiatæ* 7. *Decembris* 1720. CXII. *Canonicos*, non obstante Missæ Conventualis obligatione, teneri continuare in recitatione nocturni a mortuis, & in celebratione Missæ cantatæ cum applicatione prima die cujuslibet mensis non impedita pro Benefactoribus, respondit S. C. in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad* IV. *Dub.* XCII. *Canonicos* Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Lu nominatos per Familiam de Bellardis non habere onus formalis residentiæ personalis præcisæ, resolvit Sacra Congregatio in *Cæsalen. Residentiæ* 18. *Martii* 1719. XCI. *Canonico* ex legitima causa absenti debentur nedum distributiones quotidianæ, sed etiam aliorum fallentiæ, CCLXXXVIII. §. *Transeundo*. *Canonico* jubilato, etiamsi Choro non interfit, debentur fallentiæ, nisi obstent Constitutiones, aut consuetudo Ecclesiæ. *ibid.* §. *Transeundo in princ. Canonico* infirmo debentur Distributiones, & aliorum fallentiæ. *ibid.* §. *Transeundo in fin. Canonico* absenti, ut assistat liti super suo Canonicatu promotæ, non debentur distributiones quotidianæ, si iis commode possit per Procuratorem tractari; secus, si requirat personalem Canonici assistentiam. CCCXXV. §. *Quoad Canonicos denique circa princ.* Episcopo autem competit judicare, an lis requirat, vel non requirat personalem assistentiam. *ibid.* §. *Quoad Canonicos denique circa med. Canonico* absoluto cum Decreto --- *non molestetur* -- debentur distributiones tempore, quo absuit a Choro ex causa inquisitionis. CCLXXVIII. §. *Super puncto*, *Canonico* dimisso a S. Officio cum clausula --- *Firmo remanente Processu* -- debentur distributiones quotidianæ. *ibid. Canonico* Regulari Lateranensi impertita fuit dispensatio obtinendi per resignationem Ecclesiam Parochialem. CCLX. §. *Ad tramites*. *Canonico* Regulari Lateranensi post assecutionem Parochiæ concessa fuit immissio quoad usumfructum ad omnia Bona Paterna, Materna, & Avita, quæ occasione Professionis renunciaverat, addito pacto reversivo in casu egressus e Religione. §. *Prætendit circa fin. Canonico* Regulari Lateranensi concessum fuit Indultum obtinendi Parochialem Sæcularem in *Placentina* relata. CCCXLVII. §. *Celebris*. *Canonicus* Regularis Lateranensis, quamvis non translatus, ad Curam Animarum in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam non admittitur, nisi, præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat. CCLX. §. *Sanctæ*, *Canonicus* Regularis Lateranensis, si Parochialem Ecclesiam secularem obtineat, debet habitum Religiosum deferre, & Socium unum ex suo Ordine secum habere. *ibid.* §. *Quoad dilationem*. *Canonicus* Regularis Lateranensis, si obtineat Parochialem Ecclesiam tenetur deferre habitum juxta solitum, est vero exemptus ab obligatione retinendi Socium, si illum commode retinere nequit, CCCXXXIX. §. *Exorta*. *Canonicus* Regularis Lateranensis nequit ad jura renunciata regredi, postquam Parochialem est assecutus, licet pactum regressus in renunciatione apposuerit. CCLX. §. *Hæc quoad in fin. Canonicus* Theologus suo muneri satisfacit, sive Sacram Scripturam interpretetur, sive legat Theologiam Scholasticam, CCCXXX. §. *Concilium in fin. Tom.* 1. *p.* 218. *Canonicus* quotidianas distributiones lucratur, si assistat liti vertenti super Canonicatu, secus vero, si lis vertat super præteritis distributionibus. CCCXXV. §. *Quoad Canonicos denique in fin. Canonici* Regulares Lateranenses ad Episcopatum promoti habitum deferunt ejusdem coloris, & formæ, quibus utuntur Episcopi Seculares tam in Sacello Pontificio, quam extra, CCLX. §. *Hæc quoad*. *Canonici* Regulares Lateranenses nedum Parochiales, sed neque Beneficia simplicia Secularia possunt obtinere absque licentia Abbatis Generalis. CCCXLVII. §. *Id quod*. *Canonici* Regulares Lateranenses, quamvis non translati, ad Curam Animarum in Ecclesiis Secularibus etiam de Jurepatronatus in perpetuum, seu ad tempus quocumque titulo exercendam nequeunt admitti, nisi, præter Abbatis Generalis licentiam, expressum quoque Sedis Apostolicæ Indultum accedat, quod juxta Sacrorum Ministrorum penuriam, & prout Animarum postulabit utilitas in contingentibus casibus concedi debet. CCCXXXVIII. §. *Porro*. *Canonici* Regulares Lateranenses nequeunt Parochiales Seculares obtinere, nisi cum licentia Abbatis Generalis accesserit Apostolicum Beneplacitum. CCCXLVII. §. *Celebres*. *Canonici* Regulares Lateranenses citra dispensationem Apostolicam nequeunt ad Canonicatus in Cathedralibus assumi, *ibid.* §. *Id quod*. *Canonici* primo inquisiti, ac deinde absoluti, uti inculpabiles per Sententiam licet cum clausula -- *Ex hactenus deductis* -- debent percipere distributiones quotidianas totius temporis, quo talem ob causam Divinis interesse non potuerunt. CCLXXVIII. §. *Super puncto*. *Canonici* absentes a Choro, ut sui Episcopi servitio vacent, admittuntur ad participationem fructuum, sed non ad participationem distributionum. CCCXXV. §. *Quoad Canonicos absentes a Choro*. *Canonici* absentes, & ab Episcopo missi ad visitanda limina Apostolorum lucrantur distributiones. *ibid.* §. *Quoad Canonicos absentes*, *& missos*. *Canonici* absentes, ut assistant liti suos Canonicatus respicienti, lucrantur distributiones quotidianas. *ibid.* §. *Quoad Canonicos denique in princ. Canonici*, statuto Capitulari, & Episcopi Decreto circa methodum inserviendi per substitutum reducto, cogi possunt ad illius observantiam ad formam Resolutionum Sacræ Congregationis, CCVIII. §. *Tandem*. *Canonici* tenentur quotidie Horas Canonicas in Choro psallere, & Missam Conventualem celebrare. CCCIV. §. *Capitulum*. *Canonici*, attenta vetusta consuetudine, & redituum tenuitate, tolerari possunt, si per Turnum inservierint, atque aliquibus Horis, & non aliis interfint. *ibid.* §. *Actum*. *Canonici* Regulares ad aliam Religionem translati necnon etiam Religiosi ab alia Religione ad Canonicos Regulares translati fiunt omnino incapaces Beneficiorum Sæcularium etiam Curatorum, CCCXXXVIII. §. *Nonnulli & seqq*. *Canonici* Regulares Sanctissimi Salvatoris comprehenduntur sub Decreto Sac. Congregationis Episcoporum a Clemente X. approbato, de quo. *ibid.* §. *Porro in fin. Canonici* dumtaxat in Civitate, ubi est Cathedralis, vel in ejus Suburbiis præsentes, non autem alii possunt se invicem substituere. CCVIII. §. *Pluries*. *Canonici* absentes in Castro Diœcesis nequeunt se invicem substituere. *ibid. Canonici*, ut possint se invicem substituere, nulla requisitur causa. *ibid. Canonici* possunt se invicem substituere, dummodo non substituantur ii, qui eodem prorsus tempore addicti sunt servitio Ecclesiæ. *ibid.* §. *Rursus*. *Canonici* ne nimis frequenter se in servitio Chori, & Ecclesiæ substituant, Episcopus curare debet. *ibid.* §. *Pluries*, & §. *Rursus*. *Canonicis*, qui ex Constitutionibus Ecclesiæ adstricti sunt servitio totius anni, consuevit Sacra Congregatio indulgere vacationem trium mensium. CCXCIII. §. *Hæc procedunt*. *Canonicis* Prænestinis annuit S. Congregatio, ut per quatuor menses singulis annis sci, licet a prima die mensis Junii ad primam diem Octobris per tertiariam, ideft octo ex duodecim intervenire deberent, & quatuor a servitio vacare possent. *ibid.* §. *Transeundo circa med. Canonicis* adstrictis Ecclesiæ servitio ultra novem menses Sacra Congregatio consuevit denegare vacationem trium mensium, *ibid.* §. *Sacrum in fin. Canonicis* non licet vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres menses a Residentia quolibet anno abesse. *ibid.* §. *Sacrum Concilium*. *Canonicis* Cathedralis Arianensis Sac. Congregatio indulsit, ut possint per alternativam inservire, attenta nimia aeris rigiditate, numero viginti Canonicorum, & sex Hebdomadariorum, & Relatione Episcopi restantis de habitualibus infirmitatibus per Canonicos ex aeris inclementia contractis. CCCXXXVII. §. *In Cathedrali*. *Canonicis* Ecclesiæ Collegiatæ S. Victoriæ Farfen. Sacra Congregatio indulsit, ut per duos menses a servitio Ecclesiæ quotannis pro arbitrio Eminentissimi Commendatarii abesse possent, ita tamen, ut omnes interessent diebus Dominicis, & Festis totius anni, & diebus omnibus Adventus, Quadragesimæ, Octavæ Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi, & nunquam a Servitio ultra tertiam partem eodem tempore abessent, CCXCIII. §. *Transeundo in princ. Canonicis* Cathedralis Cathacensis, qui inserviebant diebus Dominicis, & aliis Festis solemnioribus alternatim, reprobata hac serviendi ratione, Sacra Congregatio, attenta redituum tenuitate, quæ erat in ducatis 100. quoad Dignitates, indulsit, ut possent inservire per mediarias juxta morem Basilicæ Vaticanæ, *ibid.* §. *Transeundo circa fin. Canonicis* Cathedralis Lairien., cum ultra vacationem 80. dierum sibi a Nuncio Apostolico indultam contenderent alternis hebdomadis vacatione frui pro recreatione corporis, Sacra Congregatio indulsit, ut, sublatis aliis quibuscumque vacationibus, ex gratia frui valerent vacatione trium mensium quolibet anno. CCXCIII. §. *Transeundo in fin. Canonicos*, sive Beneficiatos, qui spatio annorum 40. continuo, & laudabiliter Ecclesiæ inservierunt, frui debere exemptione a Choro, ac insuper ad participationem fructuum, & distributionum admittendos, nullo Canone statutum legitur. CXCV. §. *Nullus*. *Canonici* Theologi, aut Lectoris Officium non est per se stans, sed annexum Præbendæ. CCCLXXI. §. *Quod vero*. *Canonici* Pœnitentiarii Officium est titulus Ecclesiasticus per se stans, & juxta Decretum Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 8. institui debet ante vacationem Præbendæ. *ibid.* §. *Quod vero*. *Canonico*, qui reportavit Decretum -- *Non esse molestandum* --, deberi distributiones quotidianas decursas tempore, quo fuit carceribus detentus, resolvit Sacra Congregatio. DI. §. *In terminis*. *Canonico*, qui in quadam Causa Homicidii reportaverat Decretum -- *Non molestetur* --, deberi distributiones quotidianas usque ad diem obtenti Decreti, respondit Sacra Congregatio in *Reatina*. *ibid.* §. *Rursus*. *Canonico* Pœnitentiario, & Theologo habenti tenuem Præbendam Sacra Congregatio indulsit, posse optare, donec ad aliquam ex pinguioribus Præbendis ascenderet, quæ perpetuo affectæ Pœnitentiario, & Theologo pro tempore intelligerentur. CCCCXCIII. §. *Anno*. *Canonicus* Pœnitentiarius habens tenuem Præbendam potest Præbendam vacantem pinguioris reditus optare, & illam subrogare in locum suæ Præbendæ, & dimittere antiquam liberam, retento onere Pœnitentiarii. *ibid.* §. *Regula hæc*. *Canonicus* Pœnitentiarius, vel Theologus nequit Præbendas pinguiores optare, licet adsit Indultum optandi. *ibid.* §. *Regula*. *Canonicus* Pœnitentiarius nequit habere Pœnitentiariam Præbendam una cum Dignitate, cum triplicitas in eadem Ecclesia admitti nequeat etiam dependenter a quacumque consuetudine. CCCLXXI. §. *Quod vero in fin. Canonicus* Pœnitentiarius aliquando ex gratia, & dispensatione Apostolica obtinet simul Dignitatem in eadem Ecclesia, ut contingit in Ecclesia Salamantina. CCCLXXI. §. *Ultimo*. *Canonicus* absens pro servitio Capituli tam fructus, quam distributiones lucratur. CCCC. §. *Transitum*. Limita, ubi adest consuetudo, quod Canonici absentes, ut Ecclesiæ, vel Capitulo inserviant, non admittuntur ad distributiones. *ibid.* §. *Transitum*. *Canonicus* absens ut Capitulo, & Ecclesiæ inserviat, non lucratur distributiones, si non fuerit Episcopi licentia præmunitus. *ibid.* §. *Vis constituitur*. *Canonicus* obtinens ex dispensatione Apostolica Parochialem debet in Parochiali residere, & residendo in Parochiali, lucratur fructus sui Canonicatus, exceptis distributionibus quotidianis. CCCCXXIII. §. *Contendit*. *Canonici*, qui debent Animarum curam exercere, approbandi sunt ab Episcopo. CCCCLXXX. §. *Promotor*. *Canonicum* Pœnitentiarium admittendum esse ad optandam aliam Præbendam, quæ perpetuo affecta remaneat officio Pœnitentiariæ, respondit Sacra Congregatio *in Melevitana* 23. *Februarii* 1726. CCCCXCIII. *Canonicus* Pœnitentiarius ut posset retinere cum Canonicatu Pœnitentiali Archidiaconatum, dispensatio concessa fuit, *in Oscen. Canonicatus Pœnitentiarii* 15. *Januarii* 1724. CCCLXXI. *Canonici* in fine cujuslibet anni possunt devenire ad electionem duorum Canonicorum pro exercenda Cura Animarum Capitulo adnexa, *in Aliphanæ Curæ* 12. *Januarii* 1726. *ad* II. *Dub.* CCCCLXXX. *Canonici* Cathedralis emittere debent Fidei Professionem coram Episcopo, vel ejus Vicario, & etiam coram Canonicis Capitulariter congregatis; sufficit tamen, si emittatur coram Capitulo, cui Episcopus, vel Vicarius Generalis interfit, *in Cathacen.* 9. *Februarii* 1726. *ad* III. *Dubium*. CCCCLXXXIX. *Canonici* omittentes Fidei Professionem non faciunt fructus suos, lucrantur tamen distributiones quotidianas pro horis, quibus interfunt. *ibid. ad* IV. *Dub. Canonicos* Cathedralis, & non Collegiatæ emittere debere Fidei Professionem, rescripsit Sacra Congregatio. *ibid. ad* I. *Dub. Canonicos*, & Clerum Ecclesiæ S. Severinæ inservire posse alternative, & facta divisione per turnum cum solitis clausulis, rescriptum fuit *in* S. *Severinæ* 13. *Julii* 1725. CCCCLV. *Canonicus*, qui inserviat cum expectatione ad futuram Præbendam, nequit admitti. DLXVI. §. *Tertia*. *Canonicus* honorarius nequit ad residentiam compelli. *ibid.* §. *Actum in fin. Canonici* Ecclesiarum Cathedralium non emittentes Fidei professionem tam in Capitulo, quam coram Episcopo, vel ejus Vicario ad minus intra duos menses a die captæ possessionis non faciunt fructus suos, nec illis possessio suffragatur. DXCIII. §. *Quoad obligationem*. *Canonicorum* onus est Missam Conventualem celebrare, ut respondit S. Congregatio in *Squillacen.* DXC. §. *Plures*. *Canonici* Regulares sunt capaces Ecclesiarum Parochialium etiam Sæcularium. DLXV. §. *Juxta in princ. Tom.* 2. *p.* 173. *Canonici* Regulares Lateranenses assumi possunt ad curam animarum etiam in Ecclesiis Sæcularibus exercendam, dummodo, ultra licentiam Abbatis Generalis, accedat expressum Sedis Apostolicæ Indultum. *ibid. Canonici* Regulares Lateranenses assumpti quandoque fuerunt ad Canonicatus Sæculares in Metropolitanis, seu Cathedralibus Ecclesiis. *ibid.* §. *Juxta in fin. Canonicus* Regularis assumptus ad Ecclesiam Parochialem Sæcularem debet secum retinere Socium Regularem, si id commode fieri possit, *ibid.* §. *Hæc quoad habitum*. *Tom.* 2. *p.* 174. *Canonicum* Regularem Lateranensem exemptum esse ab obligatione retinendi Socium, declaravit Sacra Congregatio *in Firmana* relata *ibid.* §. *Hæc quo ad habitum in fin. Canonici* Regulares Lateranenses ad Beneficia Sæcularia assumpti habitum Clericorum Sæcularium deferunt. *ibid.* §. *Supposita*. T. 2. *p.* 173. *Canonicum* Regularem Lateranensem teneri deferri habitum juxta solitum, respondit Sacra Congregatio in *Firmana*. *ibid.* §. *Quoad Canonicos in fin.* T. 2. *p.* 173. *Canonici* Regulares Lateranenses ad Episcopatus assumpti habitum deferunt ejusdem coloris, & formæ, quibus utuntur Episcopi Sæculares tam in Sacello Pontificio, quam extra. *ibid.* §. *Quoad Canonicos circa med.* T. 2. *p.* 173. *Canonico*, qui fidei Professionem bona fide non emiserat, deberi fructus, nec ullo modo accrevisse Mensæ Capitulari, sive Canonicis, respondit Sac. Congregatio, *in Toletana* 17. *Aprilis* 1728. DXCIII. *Canonico* prorogatum fuit indultum absendi ex causa infirmitatis ad annum, & demandatum, ut interim coram Ordinario conficeretur Processus super qualitate infirmitatis, *in Osnaburgen.* 20. *Septemb.* 1727. *ad* II. *Dub.* DLXXIV. *Canonico*, seu Dignitati assistere tenentur in Vesperis, & Benedictus juxta Cæremoniale Episcopor. *lib.* 2. *cap.* 3. Presbyteri Communeriæ, *in Squillacen.* 21. *Februarii* 1728. DXC.

CAPITULI novus consensus una cum scientia nullitatis Professionis requiritur, ut Professio ratificetur. CXXVI. §. *Cresciteque*. Religionis autem consensum potest Summus Pontifex, concurrente justa causa, supplere. *ibid.* §. *Quod denique*. *Capituli* consensus requiritur, ut possit Episcopus dies festos de præcepto in sua Diœcesi indicere. CI. §. *Quoad diem in fine*. *Capitulo* interesse per Procuratorem an valeat Canonicus, qui sit magnæ authoritatis, nec sit impeditus, & an cogi valeat ad interessendum per se. CXXII. §. *Præter hæc in fin. Capitulum*, ut persolvat eleemosynam Missæ Parochialis Cappellanis per ipsum deputatis pro exercitio curæ Animarum, eam detrahere debet ex Massa distributionum. XCII. *ad VII. Dub. Capitulum* teneri persolvere Cappellanis ab ipso pro exercitio curæ Animarum deputatis eleemosynam Missarum ab ipsis celebratarum, respondit Sacra Congregatio. *ibid. Capituli* consensus, qui ad validitatem unionis Parochialium juxta unam Sententiam requiritur, satis est, si subsequatur. CCCXI. §. *Ordinarius in fin. Capitulum* Cathedralis, & aliarum Ecclesiarum, earumque Personæ nullis exemptionibus, aut consuetudinibus se tueri possunt, quominus a suis Episcopis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, visitentur, & corrigantur. CCLXPX. §. *In Cap.* 4. *Capitulum*, defuncto Episcopo, tenetur Vicarium Capitularem eligere. CCXXVIII. §. *Ab Episcopo circa med. Capitulum*, defuncto Episcopo, olim non tenebatur Vicarium Capitularem eligere, sed poterat per se ipsum jurisdictionem exercere. *ibid.* §. *Ab Episcopo circa fin. Capitulum*, Sede vacante, succedit in Ordinariam Episcopi jurisdictionem. *ibid.* §. *Ab Episcopo in princ. Capitulum*, Sede Episcopali vacante, visitare potest Civitatem, & Diœcesim, *ibid.* §. *Ab Episcopo circa princ.* Procedit dummodo elapsus sit annus a die ultimæ Visitationis ab Episcopo habitæ. *ibid. Capitulum*, Sede vacante, nequit concedere Dimissorias aliqui, qui ratione Beneficii recepti, sive recipiendi arctatus non fuerit. CCCLXXVI. §. *Sacrum*. *Capitulo*, & Canonicis Curam Animarum habitualem competere, resolvit Sacra Congregatio *in Aliphana Curæ* 12. *Januarii* 1726. *ad* I. *Dub.* CCCCLXXX. *Capitulo* Turritano licitum fuisse recipere suspiciones, seu recusationes Vicarii coram ipso propositas per Rectorem Ecclesiæ Parochialis de Ossi, respondit Sacra Congregatio *in Turritana* 16. *Decembris* 1724., & 13. *Januarii* 1725. *ad* III. *Dub.* CCCCXIII. *Capitulo* competit facultas recipiendi recusationes Vicarii Capitularis per Diœcesanos propositas, & respective deputandi Arbitros pro admittendis, vel rejiciendis Causis earumdem recusationum, *in Turritana* 16. *Decembris* 1724. *ad* II. *Dub. ibid. Capitulum* tenetur Episcopo Decimas solvere sub pœna indirecti, vel aliarum Censurarum, servatis servandis, *in Spoletana Decimarum* 8. *Martii* 1726. *ad* I. *Dub.* CCCCXCVIII. *Capitulum* Ecclesiæ Tridentinæ non teneri relaxare fructus tam certos, quam incertos Canonicatus, Præposituræ, & Præbendæ Canonico non residenti, resolvit Sacra Congregatio, *in Tridentina* 7. *Junii* 1727. CCCCXXIII. *Capitulum* cogere potest Episcopus occasione functionis Ordinationum in Altari majori Cathedralis explendæ, ut anticipet, vel postponat horam consuetam pro horis Canonicis, & Missa Conventuali, dummodo non excedatur spatium unius horæ ultra horas consuetas, *in Gemen. celebrationis Ordinum* 2. *Augusti* 1727. *ad* III. *Dub.* DXXXIV. *Capitulo* Illerden. pertinet jus percipiendi fructus Ecclesiarum Parochialium tempore illarum vacationis per integrum annum a die vacationis, *in Illerden.* 11. *Januarii* 1727. *ad* I. & II. *Dub.* DXXXII.

CAPPELLÆ, & Ecclesiæ Granciarum, in quibus nullus degit Conversus, visitari possunt ab Episcopo jure delegato. CCCLXVII. §. *Quando in fin.*

CAPPELLANIÆ nequeunt superaddi onera in fundatione non apposita. XV. §. *Pro Cappellano*. *Cappellania*, vel Beneficium, si requirat Sacerdotii qualitatem, sufficit, ut ea intra unius anni spatium valeat obtineri. LXXXII. §. *Supposito circa med. Cappellania* erecta cum obligatione celebrandi quotidie hora determinata pro commoditate nonnullarum Monialium, & applicandi qualibet Feria secunda non impedita Missam Mortuorum pro anima Testatoris, censuit Sacra Congregatio, Missæ Sacrificium non esse pro Testatore applicandum, excepta Feria secunda non impedita. VII. §. *Coherenter circa fin.*, & LXXXIX. §. *Putant circa fin. Cappellaniam* erectam in titulum perpetui Beneficii reformandam esse in Cappellaniam ad nutum amovibilem, quoad Cappellanos extra Familiam Fundatoris ad normam dispositionis ejusdem, respondit Sacra Congregatio in *Æsina Cappellaniæ* 22. *Aprilis* 1719. *ad* I. *Dub.* CIII. *Cappellaniæ* Rectorem non teneri adimplere onera, de quibus agebatur, responsum fuit in *Florentina* 12. *Martii* 1718. XV. *Cappellania* Laicali obtenta cum pactionibus super ea adjectis, Simoniam non fuisse commissam, & pacisscentem pœnas Simoniæ non incurrisse, licet eædem pactiones essent illicitæ, respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana* relata. CCC. §. *Plana in fin. Cappellaniæ* Laicalis capax est Laicus in statu etiam conjugato. CCXV. §. *Dominicus*. *Cappellaniæ* Laicales non comprehenduntur sub prohibitione Concilii prohibentis pluralitatem Beneficiorum. CCCXXXV. §. *Transitum in fin. Cappellaniæ* Laicales sunt Simoniæ subjectæ juxta unam opinionem; secundum vero alteram Sententiam veriorem non sunt capaces Simoniæ. CCC. §. *Plana circa princ. Cappellaniam* quamdam non esse cum Canonicatu incompatibilem, respondit Sacra Congregatio. CCCLXXI. §. *Quarto*. *Cappellaniam* non esse legatum pium, cujus capaces sint etiam fœminæ,

næ, & infantes, sed esse ecclesiasticam, non autem collativam in titulum, respondit S. Congregatio *in Maceraten.* 28. *Septembris* 1726. DXXV. *Cappellania* declarata fuit Sacerdotalis habitu tantum, *in Ulixbonen. Cappellaniæ* 17. *Novembris* 1725. CCCCLXVIII. *Cappellaniæ* ut erigantur, sufficere fructus assignatos, respondit Sacra Congregatio *in Savonen.* 4. *Augusti* 1725. *ad* I. *Dub.* CCCCLV. *Cappellanias* debere esse Manuales, respondit Sacra Congregatio *in Savonen.* 4. *Augusti* 1725. *ad* II. *Dub. ibid. Cappellanias* posse ab Ordinario erigi, prout de jure, non obstante applicatione Fabricæ, respondit Sacra Congregatio *in Firmana Cappellaniarum* 1. *Septembris* 1725. *ad* I. *Dub.* CCCCLXI. *Cappellaniam* non posse retineri in statu conjugali a Cappellano per Testatorem nominato, respondit Sacra Congregatio, *in Romana* 20. *Septembris* 1727. DLXXIII.

CAPPELLANO instituto cum onere Missam quotidie celebrandi hora determinata, post terminatum scilicet officium in Cathedrali, ut Mercatores, & Scholarum Discipuli interesse possent, respondit Sacra Congregatio, applicandum non esse Missæ Sacrificium pro Anima Testatoris, VII. §. *Cohæventer, & LXXXIX. §. Putant in princ. Cappellano* pro tempore cum demandatum fuerit a Testatore, ut Missam celebraret omnibus diebus hebdomadæ, præter unam, cum hoc, quod tres Missæ qualibet hebdomada celebrarentur de Mortuis pro Anima Fundatoris, Sacra Congregatio censuit, Missas tres de Mortuis, & non alias applicandas esse pro Testatoris Anima. VII. §. *Cohæventer, Cappellanus* Castrensis nequit assistere Matrimoniis, quæ a militibus contrahuntur, sive hi degant in Præsidiis, sive in Castris, & Stationibus hybernis, aut æstivis, seu etiam sint in actuali expeditione positi, nisi habeat specialem facultatem a Sede Apostolica, vel expressam licentiam ab Ordinario. CLXXXII. §. *Præmisso. Cappellanum* Cappellaniæ S. Bernardini teneri deferre Pluviale, & Sacrum celebrare certis diebus, & horis præscriptis in tabellis resolvit Sacra Congregatio in *Callien.* 4. *Martii* 1719. XXIII. *Cappellanum* non teneri Missam pro suffragio Animæ Testatoris applicare, sed solum eam celebrare, respondit Sacra Congregatio in *Mantuana Applicationis Sacrificii* 19. *Novembris* 1718. LXVIII. *Cappellanus* Confraternitatis potest facere benedictionem Candelarum in Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in Festo Sanctissimæ Purificationis, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad* XII. *Dub.* LVI. *Cappellanus* non tenetur ad nova onera apposita in nominatione de se facta a Confratribus, & non memorata in fundatione, in *Tudertina Cappellaniæ* 12. *Martii* 1718. *ad* I. *Dub.* X. *Cappellanus* Conventus suppressi S. Augustini Plani Mileti tenetur ad annuam præstationem scutorum 10. favore Seminarii, in *Ferotrana Reductionis Onerum* 7. *Septembris* 1720. *ad* I. *Dub.* LIII. *Cappellanus* Confraternitatis potest Stolam in Processionibus in Oratorio tantum deferre, non autem extra illud, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.* 1718. *ad* VII. *Dub.* LVI. *Cappellani* instituti a Calamello de Calamellis tenentur quotidie Missam applicare pro Anima Fundatoris, ejusque Propinquorum in *Ferrarien. Applicationis Missarum* 26. *Martii* 1718. *ad* I. *Dub.* VII. *Cappellanis* per Capitulum deputatis pro exercitio curæ Animarum, cum sit persolvenda Missæ Parochialis eleemosyna, ea debet detrahi ex massa Distributionum. XCII. *Cappellanis* a Capitulo deputatis pro exercitio curæ Animarum debere persolvi ab eodem Capitulo eleemosynam Missarum ab ipsis celebratarum, respondit Sacra Congregatio. *ibid. ad* VI. *Dub. Cappellanos* Curatos, amovibiliter a Capitulo deputatos pro exercitio curæ Animarum teneri diebus Dominicis, & Festis Missam pro Populo applicare, rescripsit Sac. Congregatio. *ibid. ad* V. *Dub. Cappellanus* obligatus Missas per se ipsum celebrare non tenetur tempore infirmitatis, vel alterius justi impedimenti eorum onus adimplere per alium. CCLXXXI. *ibid.* §. *Cumque. T.* 1. *p.* 187. *Cappellanus* non tenetur Missas per se ipsum celebrare, nisi Fundator claris, & rotundis literis dixerit, eum debere -- *per se ipsum celebrare* -- *ibid.* §. *Quartum est. Tom. I. p.* 188. *Cappellanus* obligatus Missam quotidianam per se ipsum celebrare potest ex justa causa, & sic ex infirmitate semel in hebdomada a celebratione vacare. *ibid.* §. *Pro hac circa fin. Tom.* 1. *p.* 186. *Cappellanus* obligatus Missas per se ipsum celebrare tenetur per alium in casu saltem diuturnæ Infirmitatis celebrare, secus vero, si infirmitas fuerit brevis. *ibid.* §. *Nulla. T.* 1. *p.* 188. *Cappellanus* obligatus Missam quoridie celebrare, absque tamen onere celebrandi per se ipsum, nequit aliquando a celebratione vacare. *ibid.* §. *Tertium, Tom.* 1. *p.* 188. *Cappellanus* Exercitus, sive Sæcularis, sive Regularis nequit Militum Confessiones audire, nisi vel habeat speciale Apostolicum Privilegium, vel approbationem Ordinarii. CCXXXVIII. §. *Notum est. Cappellani* Confraternitatum possunt in suis Ecclesiis, & sine licentia Parochi Festivitates, & Vigilias in hebdomada occurrentes denunciare. D. §. *In fortioribus. Cappellano* Confraternitatis de licentia Episcopi, non autem Parocho competit delatio Venerabilis in Processione, quæ singulis annis expletur, *in Fulginaten.* 18. *Maii* 1726. DVII. *Cappellanum* curatum esse sumptibus Parochi constituendum in Ecclesia intra limites Parochiæ existente, donec definiretur, num locus esset dissolutioni unionis unius parochialis ab altera, responsum fuit *in Placentina* 13. *Aprilis* 1726. *ad* I. *Dub.* DIV. *Cappellani*, durante infirmitate, tenentur oneri Missarum per suos Substitutos satisfacere, *in Neapolitana Cappellaniarum* 14. *Aprilis* 1725. *ad* IV. *Dub.* CCCCXXXIII. *Cappellani*, qui Missas per se ipsos celebrare tenentur, nequeunt acceptare onera incompatibilia cum dicta celebratione. *ibid. ad* I. *Dub. Cappellani* pro aliqua die cujuslibet hebdomadæ impediti Missam per se ipsos celebrare possunt Sacerdotibus pro ipsis celebrantibus eleemosynam Manualem tradere, *ibid. ad* II. *Dub. Cappellanis* competit facultas deputandi Presbyteros Missam celebrare debentes, non autem id ad Officiales pertinet. *ibid. ad* III. *Dub. Cappellanos* nominare spectat ad Officiales Confraternitatis, *in Savonen.* 4. *Augusti* 1725. *ad* III. *Dub.* CCCCLV. *Cappellanum*, per Testatorem nominatum non posse Cappellaniam in statu conjugali retinere, respondit Sac. Congregatio, *in Romana* 20. *Septembris* 1727. DLXXIII. *Cappellanum* non teneri Missæ Sacrificium pro suffragio Animæ Fundatoris applicare, sed solum pro eodem Fundatore orare, respondit Sac. Congregatio, *in Novarien.* 22. *Novemb.* 1727. *ad* I. *Dub.* DLXXVI. *Cappellano* annua scuta quadraginta favore Cappellaniæ Hæredem subministrare teneri, respondit Sac. Congregatio, *in Viterbien.* 20. *Septemb.* 1727. *ad* II. *Dub.* DLXXV.

CAPPUCCINIS potest a Testatore committi nominatio Puellarum, quibus dotalia subsidia distribui jussit, CCXCII. §. *Cavalerius. Cappuccinos* posse Sacramentum Pœnitentiæ administrare Personis, quæ vivunt in Triremibus Pontificis tantum in Darsena, Portu, & Hospitio in Darsena existente cum approbatione tantum Eminentissimi Cardinalis Urbis Vicarii, extra tamen dicta loca non posse dictum Sacramentum ministrare sine approbatione Eminentissimi Episcopi Viterbiensis, decretum fuit ab Auditore Sanctissimi. CCXXXVIII. §. *Ultimum.*

CASTITATIS votum Ordinibus adnexum non obligat, si Sacri Ordines fuerunt per vim, & metum suscepti. CCXIII. §. *Transmisse in fin. Castitatis* votum emittendum est a Conjuge in Sæculo manente, tunc solum quando Matrimonium integrum, illæsumque manet, secus si illud fuerit violatum. CCCXIII. §. *Duo autem in fin. Castitatis* votum debere emittere Virum innocentem in Sæculo manentem, Conjuge non innocente ad Religionem transeunte, resolvit Sacra Congregatio, sed deinde, ad instantiam dicti Viri, jussit deleri dictum onus, seu conditionem emissionis Voti Castitatis. *ibid.* §. *Duo autem circa fin. Castitatis* votum emittere debet Conjux innocens in Sæculo remanens, altero post læsa, & diminuta Matrimonii jura per Sententiam divortii in Religionem transeunte. *ibid.* §. *Duo autem circa med.*

CATHEDRALIBUS, & Collegiatis Ecclesiis Missæ Conventualis onus impositum est. III. §. *Hisce.*

CATHEDRATICI Juri non fuit a Tridentino derogatum, CCCVI. §. *Inter cæteras. Cathedratici* Jus suum habet fundamentum in quantitate duorum carolenorum in jure communi. *ibid. Cathedratici* legem S. Carolus Borromæus reintegravit. *ibid. Cathedratici* solutionem non excusit Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 3. *de Ref.*, bene vero quasdam exactiones prohibuit. *ibid. Cathedraticum* inter jura Episcopalia recensetur, & ad duos solidos ab unaquaque Ecclesia persolvendos restringitur. *ibid. Cathedraticum* potest ab Episcopo exigi, licet antea non fuerit exactum. *ibid. Cathedraticum* esse solvendum Archiepiscopo Amalphitano a die adeptæ possessionis a Parochis, & Beneficiatis tam ratione Parochiarum, quam Beneficiorum Parochiis unitorum, resolvit Sac. Congregatio. *ibid. Cathedraticum*, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, solvi debet. *ibid.* §. *Ad horum. Cathedraticum* non debet a toto Clero exigi, sed tantum ab Ecclesiis, Cappellis, & Beneficiatis. *ibid.* §. *Inter cætera. Cathedraticum* non esse solvendum in visitatione, sed extra, & in Synodi celebratione, resolvit Sacra Congregatio. CCCVI. §. *Inter cætera.*

CAUSARUM Criminalium, & mixtarum cognitio ad Ordinarium, & non ad Conservatores pertinet, si ille, qui habet pro se literas Conservatorias, sit reus, secus autem, si sit Actor. CCCVII. §. *Sacrum. Causæ*, quibusnam Judicibus sint committendæ? CCCCLXX. §. *Bonifacius, & seq.*

CELEBRANDI facultas petita a Religioso e Societate Jesu, ubi ad titulum paupertatis fuerat ordinatus, dimisso, remissa fuit arbitrio Eminentiss. Urbis Vicarii. CCXLVI. §. *At relato.*

CENSURÆ Episcopo reservatæ nequeunt per Regulares degentes etiam extra Italiam absolvi. CXC. §. *Concilium in fine, & §. In primo. Censuram* nullam incurrisse Sacerdotem Marcum Antonium Marci oriundum Jemini, & promotum ad Ordines ab Episcopo Uxentino, censuit Sacra Congregatio in *Uxentina, seu Neriton. Ordinationis* 17. *Julii* 1719. CVII. *Censurarum*, & Processus comminationem contra Confraternitatem non sustineri, respondit Sacra Congregatio in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad* XIII. *Dub.* LVI. *Censuras* indicere nequit Episcopus pro exigendis Decimis, si potest devenire ad executionem realem, vel personalem. CCCCXCVIII. §. *Capitulum. Censuras* non sustineri, respondit Sacra Congregatio *in Lycien. Visitationis, & Censurarum* 23. *Junii* 1725. *ad* II. *Dub.* CCCLXI. *Censuras* non sustineri, respondit Sacra Congregatio *in S. Marci* 13. *Apr.* 1726. *ad* III. *Dub.* DII. *Censuras* non esse attentatas, respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana* 24. *Martii* 1725. CCCXCVIII. *Censuras* relaxatas per Vicarium Capitularem adversus Archipresbyterum Decanum, & Canonicum Antiquiorem Cathedralis non sustineri, respondit Sacra Congregatio *in Turritana* 16. *Decembris* 1724. & 13. *Januarii* 1725. *ad* IV. *Dub.* CCCCXIII. *Censuras* latas in Synodalibus Constitutionibus contra Sponsos, qui Matrimonium absque prævius denunciationibus inierant, esse validas, respondit Sacra Congregatio *in Placentina* 3. *Februarii* 1725. *ad* II. *Dub.* CCCCXX. *Censuræ* per Archiepiscopum Gnesnensem relaxatæ declaratæ fuerunt invalidæ, *in Gnesnen.* 14. *Aprilis* 1725. *ad* II. *Dub.* CCCCXXXVIII. *Censuræ* declaratæ fuerunt invalidæ, fuitque demandatum, ut Episcopus

scopus ex integro procederet, *in Anglonen.* 29. *Januarii* 1724. *ad* II. *Dub.* CCCLXXII. *Censuris*, aliisque Ecclesiasticis pœnis punire debet Episcopus Clericos recursum habentes ad Judices laicos, *in Derthonen.* 6. *Julii* 1726. *ad* I. *Dub.* DXIV.

CENSUUM fructus nequeunt a Locis Piis absque Apostolico Beneplacito reduci, v. g. a scutis quinque ad scuta quatuor pro centenario. I. §. *Leopoldus, &* XXVIII. §. *Negative & seq. Census* fructuum reductio, si talis census spectet ad Loca Pia, a scutis quinque ad rationem quatuor pro centenario indiget Apostolico Beneplacito. I. §. *Leopardus. Census* fructuum reductiones sustineri, præstita fidejussione ad formam Resolutionis Congregationis Confratrum de anno 1685. respondit Sacra Congregatio in *Romana Census* 11. *Maji* 1720. CLXIV. *Census* non reputantur Bona stabilia ad effectum investiendi pro celebratione Missarum. DXXIII. §. *Contendunt circa fin.* Procedit in modum, ut quando Sacra Congregatio vult concedere facultatem investiendi in Censibus, id individualiter exprimat, ac eam semper concedit limitate ad census cum Communitatibus, vel Locis piis tutis, atque securis, *ibidem in fin.*

CESSIONEM Bonorum qui emisit, Ordines Sacros suscipere prohibetur, *in Atrien.* 23. *Junii* 1725. CCCCXLIX.

CHRISMA ut conficiatur, est necessaria balsami mixtura, sive hoc sit de necessitate Sacramenti, sive sit de necessitate Præcepti juxta varias Scribentium Opiniones. CCCCXXXVI. §. *Licet T.* 2. *p.* 54. *Chrisma* non est simplex Oleum, sed Oleum balsamo mixtum. *ibid.*

CITATIO per Edictum debet affigi in Ecclesia Beneficii, seu Canonicatus. LXX. §. *Adversus. Citatio* per Edictum fieri potest, quando Beneficiatus absens a residentia procul habitat, aut ad eum tutus nequit accessus haberi. *ibid.* §. *Pro parte in princ.*

CIVILITATEM qui obtinuit in aliqua Civitate, potest etiam obtinere Beneficia, quæ Civibus illius Civitatis dumtaxat possunt conferri. XLV. §. *Parum. Civilitatem* possunt sibi Conclavistæ in quacunque Civitate Status Ecclesiastici eligere, & habentur tamquam Cives originarii. DLXXI. §. *Informatio in fin.*

CLAVEM Capsulæ pro recipiendis oblationibus, & Eleemosynis in Oratorio expositæ nequit Parochus retinere, nec valet se in earum administratione ingerere, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad* VII. *Dub.* LVI.

CLAUSULA, quod alter alteri supervivens perpetuo absque spe Conjugii remaneat, apponitur in Dispensationibus Matrimonialibus, quæ expediuntur pro Incestuosis Consanguineis. CLXXXIII. §. *A primo dubio.*

CLAUSURA Monialium etiam exemptarum, & Regularibus subjectarum ab Episcopis Apostolica authoritate debet, ubi violata fuit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari. CCCXLI. §. *Sacrum Concilium. Clausuram* Monasteriorum Episcopo visitare volenti non tenentur Moniales egere in Ecclesia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldachino, sed sufficit, si stratum in utraque Ecclesia præparent. §. *IV. An Episcopo. Clausuram* Monialium si visitare velit Episcopus, circa personas secum ducendas intus Monasterium debet servare *Constit. Gregor.* XIII. *Bullar. Tom.* 2. *ibid.* §. *V. An Episcopus. Clausuram* Monialium Regularibus subjectarum nequit ingredi Episcopus cum Pluviali, & Stola. *ibid.* §. III. *An possit. Clausuram* Episcopo ingressuro non tenentur Moniales stratum adornare, neque ei genuflectens Monialis aliqua porrigere debet Crucem deosculandam. *ibid.* §. VII. *An dd. Moniales. Clausuram* ingressus Episcopus potest pro suo libito convocare Moniales omnes in Choro interiori, aut in alio loco, & ad eas Sermonem habere. *ibid.* §. VIII. *An Episcopus. Clausuræ* Monialium Regularibus subjectarum, cum visitatio peragitur a Vicario Generali, is non tenetur secum ducere Priorem, & Confessarium dictarum Monialium. *ibid.* §. *V. An in Visitatione.*

CLERICIS elargita Privilegia Pontificia, ut ipsi absque sufficienti titulo Beneficii, vel Patrimonii sacri possint ad Sacros Ordines promoveri, referuntur. CXIII. §. *Exempla. Clerici* vestes illæ sunt, quæ cum eis incedentem prima facie indigitant, esse Clericum, LXXII. §. *Adeoque. Clericus* Conjugatus excluditur a Canonis privilegio, si non deferat habitum, & Tonsuram. *ibid.* §. *Clericus in fin. Clericus* cælebs non incedens in habitu, & Tonsura, & non servans requisita Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 6. *de Ref.* amittit ipso jure privilegium Fori, sed non privilegium Canonis. *ibid. Clerico* licet Beneficiato, concurrente necessitate, permitti debet peruccha gestatio, dummodo illa sit modesta, & a luxu aliena. CCLXXVII. §. *Hæc quoad in princ. Clerici* Cotta induti debent assistere, quando Missa cantatur. CCCIV. §. *Denique. Clericis* est prohibita peruccha gestatio. CCLXXVII. §. *Quoad substantiam in princ. Clericis* Beneficiatis, & in Ordinibus Sacris constitutis fuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibita gestatio perucchæ; Clericis vero primæ Tonsuræ, & Ordinum Minorum prohibita fuit sub pœnis Sacrorum Canonum, & Tridentini, *cap.* 6. *Sess.* 3. *de Ref. ibid.* §. *Quoad substantiam in fin. Clericum* esse rite tonsuratum, respondit Sac. Congregatio, *in Aquilana* 24. *Maii* 1727. DLIV.

COADJUTORES Canonicorum instar Coadjutorum Dignitatum succedunt in jus functiones peragendi. XXII. §. *Adversus. Coadjutores* autem Dignitatum, Coadjuto impedito, succedunt in jus functiones peragendi in exclusionem Canonici in Turno succedentis. *ibid.* §. *In scripturis. Coadjutores* Canonicorum, sicuti sedent post omnes Canonicos, ita non admittuntur ad honorarias functiones, si alii adsint Canonici. *ibid. Coadjutores* autem Canonicorum, utpote sedentes post omnes Canonicos, facere non possunt functiones ad Canonicos Coadjutos pertinentes, nisi ubi desint Canonici, vel agatur de Missis, ad quas Canonici Coadjuti teneantur vigore Testamenti, & institutionis Canonicatuum, & eas propter senectutem, vel aliud impedimentum nequeant celebrare. CXXXVI. §. *Excitata circa med. Coadjutores* Dignitatum, uti sedentes in Stallo Dignitatum, facere debent functiones spectantes ad Dignitates coadjutas. *ibid. Coadjutore* sibi dato ab Episcopo non obstante, tenetur Parochus residere. LVII. §. *Superest in fin. Coadjutores* Canonici tenentur ad cantandam Missam solemnem, ut compleant Turnum Canonicorum, in *Æsina Præeminentiæ* 16. *Decembris* 1719. *ad* II. *Dubium.* CXXXVI. *Coadjutores* ab Episcopo, quacumque appellatione, & exemptione remota, deputari possunt Parochis illiteratis, & imperitis, & pars fructuum pro sufficienti eorumdem Coadjutorum victu assignanda est. CCCCLXXVI. §. *Sacrum.*

COADJUTI in Canonicatu tenentur residere, licet soleat eis a Sacra Congregatione facile concedi Indultum absentendi. LVII. §. *Superest in fin. Coadjutus* potest per se ipsum explere functiones nuncupatas de hebdomada, & Turno, in *Florentina Præeminentiarum* 9. *Aprilis* 1718. *ad* I. *Dub.* XV.

COADJUTORIÆ verba, quod Coadjutor habere debeat omnes, & singulas prærogativas, præeminentias, & honores in Choro, Processionibus, aliisque actibus capitularibus, quos, & quas Canonicus Coadjutus haberet, si præsens esset, dicuntur stare ad exclusionem aliorum Inferiorum, non autem Canonicorum. CXXXVI. §. *Excitata in fin.*

COGNATIO Spiritualis, an contrahatur a Mandante, aut a Procuratore, tres referuntur Sententiæ. CCXXVII. §. *Tres.*

COLLATIO Parochialium Ecclesiarum Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo, cum quæreretur, ad quem spectaret, Sacra Congregatio rescripsit -- *Dilata, & videatur particulariter de unaquaque Ecclesia* --, in *Nullius, seu S. Severini Jurisdictionis* 4. *Februarii* 1719. *ad* I. *Dub.* LXXX. *Collatio* Beneficii ab Ordinario facta favore vel Consanguineorum suorum, vel Consanguineorum Resignantis est invalida. DXXX. §. *Secundo. Collatio* Primæ Distributionis spectat libere ad Sanctam Sedem. DLIV. §. *Ultimo.*

COLLEGIALITAS Ecclesiæ probatur ex signis univocis, & concludentibus; Signa vero æquivoca, & quæ convenire possunt etiam simplicibus Congregationibus Cappellanorum, seu Beneficiatorum, non sufficiunt. CCCCXXXI. §. *Et quia in fin.*

COLLEGIATIS, & Cathedralibus Ecclesiæ Missæ Conventualis onus impositum est. III. §. *Hisce. Collegiatæ* erectio juxta antiquiorem opinionem poterat ab Episcopo fieri, & ab hac opinione non est recedendum, quando agitur de Collegiatis erectis tempore, quo prædicta opinio vigebat. CLXXXIV. §. *Absque eo quod. Collegiatam* erigere Episcopus olim poterat. LXIII. §. *Absque eo quod in fin. Collegiatæ* erectio per Episcopum facta etiam in actu Pastoralis visitationis non sustinetur. CLXXXIV. §. *Quatuor. Collegiatam* esse erigendam, respondit Sacra Congregatio in *Cremonen. Erectionis Collegiatæ* 8. *Julii* 1719. CXII. *Collegiatæ* SS. Firmi, & Rustici in Oppido Caravaggi erectionem sustineri, respondit Sacra Congregatio in *Cremonen. Collegiatæ* 7. *Septemb.* 1720. CLXXXIV. *Collegiatæ* erectioni juxta numerum petitum Canonicorum, & Dignitatum, & cum concessione usus Rocchetti, & Mozzettæ expedien. per Datariam locum esse, respondit Sacra Congregatio in *Syracusana Erectionis Collegiatæ* 24. *Febr.* 1720. CXXXI.

COMMENDATARIUS, & Conventuales Præceptoriæ ad S. Joannem, & Cordulam Coloniæ recipere non possunt Novitios, illosque ad professionem admittere absque licentia magni Prioris Alemaniæ, *in Colonien.* 17. *Aprilis* 1728. *ad I. Dub.* CCCLXIII. *Commendatarium* esse ex gratia reintegrandum, & summam receptam pro dote in admissione Novitii ex ejus hæredibus restituendam, demptis alimentis ipsi præstitis, resolvit Sacra Congregatio, *in Colonien.* 17. *Aprilis* 1628. *ad IV. Dubium. ibid.*

COMMISSARII super illicitis negotiationibus, aut aliis Deputati pro quibusdam causis particularibus in actu tantum exercitii gaudent exemptione ab Episcopi jurisdictione. CCXLIII. §. *Exemptio circa med. Commissariorum*, & Subcollectorum in Regno signanter Neapolitano existentium exemptio innixa est Constitutioni 25. *Gregorii XIII. Bull. T.* 2., & *Const.* 202. *Urb. VIII. Tom.* 5. *ibid.* §. *Exemptio in princ.*

COMMUNICATIO Privilegiorum non suffragatur pro exemptione a Quarta funerali. II. §. *Addit.*

COMMUNIO frequens quomodo Laicis negotiatoribus debeat permitti? *Vid. Decretum* S. C. CCCCXXIV. §. *Decretum. Communio* frequens quomodo Monialibus sit permittenda? V. *Decretum S. C. ibid.* §. *Exhibitus.*

COMMUNITATI incumbere potest onus eleemosynam solvendi Concionatori, & ad alterum spectare jus eumdem nominandi, si concurrat Immemorabilis. CXLIV. §. *Communitas. Communitas* non tenetur manutenere, & reaptare Ecclesiam Parochialem, sed Parochus, in *Auximana Restaurationis Ecclesiæ* 26. *Augusti* 1719. CXVII. *Ad Communitatem* non spectare præsentationem, seu nominationem Concionatoris in loco Castri S. Marcelli, sed ad Priorem Ecclesiæ Cathedralis Æsinæ, resolutum fuit in *Æsina Juris eligendi Concionatorem* 16. *Martii ad I. Dub.* CXLIV.

COMMUTATIO Operis pii fieri debet in opus magis proximum, & magis consimile. CLXXV. §. *Supplicationis. Commutationi* voluntatis locum non esse, respondit Sacra Congregatio in *Cathacen. Commutationis Voluntatis* 18. *Novem.* 1719.

cxxiii. *Commutationi* voluntatis non esse locum, respondit Sacra Congregatio in *Casalen. Commutationis Voluntatis* 24. *Septemb.* 1718. lx. *Commutationi* voluntatis locum esse, & transactionem esse approbandam, responsum fuit in *Fulginat. Commutationis voluntatis* 13. *Julii* 1720. clxxvii. *Commutationi* voluntatis Francisci de Vannis esse locum juxta votum Archiepiscopi, reservato jure Executori Testamentario adimplendi voluntatem Testatoris in domo ab Hæredibus assignata, respondit Sacra Congregatio in *Firmanâ Ædificationis Ecclesiæ* 12. *Februarii* 1718. vi. *Commutatio* piæ voluntatis facta ad favorem Monasterii S. Bernardi declarata fuit valida, *in Montis Politiani* 9. *Septembris* 1724. cccxciv. *Commutationi* quando locus est, ea fieri debet in opus magis proximum menti Testatoris. dlxij. §. *Ædes*.

COMPENSATIO Missarum, quæ ultra debitum numerum celebratæ sunt, cum Missæ deinde celebrandis, an, & quando admittatur, vel denegetur. xxviii. §. *In Congregatione habita die* 5. *& seqq.*

CONCILIO Tridentino derogasse dicitur Papa, si aliquid ei contrarium statuit, etiamsi illius expressam mentionem non faciat. ccccxxxvi. §. *Ad hoc, Tom.* 2. *p.* 54.

CONCIONIBUS interesse debent tempore Quadragesimæ Canonici legitime non impediti. lxxviii. §. *Quoad assistentiam*. *Concio* debet haberi diebus Quadragesimæ hora Episcopo benevisa, *in Commen. Missæ Parochialis, & Conventualis*, 11. *Maii* 1720. *ad VI. Dub.* lxx. *Concioni* assistere tenentur tempore Quadragesimali Canonici Cathedralis. lxxviii. *Conciones* ad Populum diebus Dominicis, & Festivis Parocho licet habere inter celebrationem Missæ Conventualis absque consensu Capituli, dummodo fiant ex suggestu, & non excedant medietatem horæ, *in Novarien.* 8. *Julii* 1724. *ad II.Dubium*. ccclxxxiii.

CONCIONATORIS deputatio neque ad Parochum in sua Parochia, sed ad Episcopum pertinet. cxliv. §. *Postquam*, *Concionatoris* electio spectat ad Episcopum, licet eleemosyna Concionatori per Communitatem solvatur, cxliv. §. *At quidquid*. *Concionatoris* nominatio potest ad unum spectare, & Communitati incumbere onus eleemosynam solvendi, si concurrat immemorabilis consuetudo. *ibid.* §. *Communitas*. *Concionatori* eleemosynam teneri subministrare Communitatem, non autem Priorem, respondit Sacra Congregatio in *Æsina Juris eligendi Concionatorem* 16.*Martii* 1720. *ad* II. *Dub.* cxliv. *Concionatoris* nominationem, seu præsentationem in Loco Castri S. Marcelli spectare ad Priorem Ecclesiæ Cathedralis Æsinæ, & non ad Communitatem, responsum fuit. *ibid. ad* I. *Dub.*

CONCLAVISTÆ possunt sibi Civilitatem in quavis Ecclesiastici Status Civitate eligere, & tamquam originarii Cives habentur. dlxxi. §. *Informatio in fin.*

CONCORDIA cum peteretur confirmari, fuit denegatum Beneplacitum Apostolicum, in *Leodien. Confirmationis Concordiæ* 22. *Junii* 1720. clxx.

CONCURSUS, & examen in pluribus Diœcesibus solet haberi, proponendo eadem quæsita omnibus, & exigendo responsiones in scriptis. clviii. §. *Ante Tom.* 1. *p.* 94. In aliis vero pluribus Diœcesibus mos erat oretenus interrogandi, & respondendi. *ibid.* §. *Præmittendum circa fin. Concursus* forma fuit per Tridentinum inducta pro Parochialium collatione. *ibid.* §. *Porro Tom.* 1. *p.* 93. *Concursus* ut rite, valideque habeatur, sufficiunt tres Examinatores Synodales. cxxxv. §. *Contendit autem*. *Concursus* ad Parochiales licet haberi nequeat coram Examinatoribus paucioribus, quam tribus, potest tamen haberi coram pluribus, quam tribus Examinatoribus, §. *Excipit e contra*. *ibid. Concursum* ad Parochialem habitum validum esse, respondit Sacra Congregatio in *Iselana Concursus* 23. *Julii* 1718. *ad I. Dub.* xliv. *Concursum* habitum ad Parochiam esse validum, respondit Sacra Congregatio, in *Cassanen. Concursus* 16. *Decembris* 1719. *ad I. Dub.* cxxxv. *Concursum* novum ad vacantem Parochialem esse coram Archiepiscopo Capuano instituendum, respondit Sacra Congregatio in *Iselana Parochialis* 1. *Aprilis* 1719. *ad II. Dub.* xcvii. *Concursus* Acta exhibenda sunt, ut videri possit, num constet de rationabili Episcopi judicio, & locus sit provocationi ad novum examen, in *Cassanen. Concursus* 16. *Decembris* 1719. *ad II. Dub.* cxxxv. *Concursus* validus declaratus fuit in *Tarantina Archiepresbyteratus* 7.*Decembris* 1720. *ad I. Dub.* cxciv. *Concursus* non requiritur, sed simplex examen sufficit in Parochiali Jurispatronatus Laicalis ad differentiam Jurispatronatus Ecclesiastici, in quo Patronus digniorem inter probatos ab Examinatoribus Episcopo præsentare tenetur, eccxxviii. §. *Alterum in fin. Concursus* pluribus casibus non est necessarius pro conferendis Parochialibus. cccxxix. §. *Quoad provisionem in princ. Concursus* in conferenda Parochia, quæ est de Jurepatronatus Laicorum, aut exigui reditus non requiritur, sed solum examen, *ibid.* §. *Quoad provisionem in fin.*

CONDITIONES turpes, aut impossibiles, quæ Matrimonii Bonis non adversentur, vitiantur, sed non vitiant Matrimonium. cxlviii. §. *Conditiones*. *Conditio* in Matrimonio apposita, & hinc inde acceptata, quod alter ex Sponsis teneatur ante illius consummationem Religionem ingredi, ibique Professionem emittere, vitiat Matrimonium. *ibid.* §. *Quoad Conditionem in fin. Conditio* in Matrimonio appositâ, ut liceat Religionem ingredi, ibique ante Matrimonii consummationem profiteri, non vitiat Matrimonium, sed ea vitiatur, *ibid.* §. *Quoad conditionem in princ.*

CONFERENTIÆ casuum conscientiæ sunt maximopere proficuæ. xvii. §. *Pro parte*. *Conferentiis* Casuum Conscientiæ interesse non tenentur Regulares ad Confessiones Sæcularium excipiendas approbati. *ibid.* §. *Negative*. *Conferentiis* Casuum Conscientiæ interesse non tenentur Confessarii Regulares, in *Aquipendii Visitat. Sacrorum Liminum* 12. *Februarii* 1718. xvii.

CONFESSARIUS Regularis Monialium exemptarum potest absolvere Monialem complicem criminis carnalis externi moraliter peccaminosi secum commissi, quatenus non sit violata clausura. cxc. *ad IV. Dub. Confessarius* Regularis extra mortis periculum nequit Sæcularem absolvere, si sit complex criminis carnalis externi mortaliter peccaminosi secum commissi. *ibid. ad III. Dub. Confessarii* Monialium exemptarum, & Prælatis Regularium subjectarum possunt eas etiam extra mortis periculum absolvere a casibus Episcopo reservatis præterquam quoad casus, quos Episcopus sibi reservavit in materia clare spectante ad jurisdictionem delegatam. *ibid. ad II. Dub. Confessarii* Regulares nequeunt extra mortis periculum Sæculares absolvere a casibus Ordinario reservatis. *ibid. ad I. Dub. Confessarius* Monialium potest ingredi Monasterium pro administrando Sacramenta Confessionis, & Eucharistiæ non solum quando urget morbi periculum, sed etiam in ipso morbi initio, & quoties ex Regulæ suæ præscripto Monialis vult confiteri, & ulterius, quoties infirma dixerit, se Sacramento Pœnitentiæ indigere, aut Sacramenta recipere consueverat. dlxiv. §. *Atque hinc, & sequentibus*.

CONFESSIONES Militum nequeunt excipere Cappellani Exercitus, sive Sæculares, sive Regulares sint, nisi, vel habeant speciale Apostolicum Privilegium, vel approbationem Ordinarii. cxxxviii. §. *Notum est*. *Confessiones* a Regularibus Ordinum Mendicantium semel ad eas audiendas approbatis excipi posse in Diœcesibus, in quibus non fuerunt approbati, itaut nova Episcoporum approbatione non indigeant, est propositio falsa, & saluti Animarum perniciosa. *ibid.* §. *Porro in fin. Confessiones* Sæcularium excipere nequit Regularis in ea Diœcesi, in qua non est approbatus, etiamsi in altera Diœcesi approbationem reportaverit, & Pœnitens sit subditus illius Episcopi, qui ejusmodi approbationem concessit. *ibid.* §. *Porro in fin. Confessiones* per Diœcesim possunt absque ulla Parochorum licentia excipere Presbyteri Sæculares ad audiendas Confessiones approbati. ccccxxix. §. *Et quoad Presbyteros*, Limita in casu, quo in approbatione adesset limitatio excludens tempus Quadragesimæ ex. g. *Salvo juve Parochorum*; tunc enim sic approbatus Confessiones excipere nequiret tempore Paschali sine Parochi licentia. *ibid.* §. *Dictum est*, *Confessio* Sacramentalis ratione Communionis Paschalis in Pascbate implenda est, dlxiv. §. *In Canone*. *Confessionis* præceptum licet non obliget statim, ac aliquis in mortale peccatum lapsus est, expedit tamen, ut ille quam citius potest, confiteatur. *ibid.* §. *Item circa medium*, *Confessionis* Sacramentalis præcepto obstringitur, quicunque conscius peccati mortalis vult ad Sacramentum Eucharistiæ accedere. dlxiv. §. *Item*, *Confessionem* peccatorum facere, & Sacramentalem Eucharistiam suscipere Moniales saltem singulis mensibus tenentur. *ibid.* §. *Item*. *Confessionem* semel in anno explere tenentur omnes, & singuli Fideles, *ibid.* §. *In Canone*. *Confessionis* Sacramentalis præcepto tenetur ille, cui periculum mortis immineat. *ibid.* §. *Item circa in princ.*

CONFIRMATIONIS Minister ordinarius est Episcopus, & contrarium affirmans anathema est. cclxvii. §. *Adeoque*, *Confirmationis* Sacramentum administrandi facultatem ut Papa simplici Sacerdoti committat, requiritur causa magna, & urgens, non tamen oportet, quod simpliciter, & absolute sit necessaria. *ibid.* §. *Tertium*, *Confirmationis* Sacramentum potest a simplici Sacerdote, cui facultas a Papa sit commissa, in aliquibus locis conferri. *ibid.* §. *Porro*, *& §. Ad hoc & seqq. Confirmationis* Sacramentum ut ministretur a simplici Sacerdote, Papa in aliquibus casibus ob defectum Episcoporum concessit. *ibid.* §. *Secundum est*. *Confirmationis* Sacramentum non potest conferri a simplici Sacerdote. ccccxxxvi. §. *Et in tantum*. T. 2. *p.* 54.

CONFRATERNITATIS erectio facta in loco, ubi alia similis reperiebatur, fuit invalida declarata. cxciii. §.*Excipit circa fin. Confraternitatis* erectio facta in Civitate, ubi alia sub eodem Instituto fundata reperiebatur, fuit a Sac. Congregatione revalidata. *ibid.* §. *Contendit in fine*. *Confraternitates* plures ejusdem Instituti nequeunt in eodem Oppido, vel Civitate erigi, *ibid.* §. *Contendit in princ.*, *&* §. *Excipit*. Limita, ubi Oppidum, vel Civitas sit amplissima, & magno Populi numero referta. *ibid.* §. *Contendit in fin. Confraternitas* aggregata gaudet Indulgentiis, & Privilegiis Archiconfraternitatis Aggregantis in *Novarien. Aggregationis* 24.*Septembris* 1718. *ad I. Dub.* lvi. *Confraternitas* potest suas Congregationes facere absque licentia, & interventu Parochi, in *Novar. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718, *ad IX. Dub. ibid. Confraternitas* Mortis nequit Pauperum defunctorum, vel occisorum cadavera sepelire, si Parochus ad ea sepelienda paratus est. *ibid. ad X. Dub. Confraternitas* mortis, Parocho renuente Cadavera Pauperum defunctorum, vel Occisorum sepelire, & Ecclesia potest ea tumulare, & Ecclesiæ Parochialis januam per vim aperire, *ibid. ad XI. Dub. Confraternitati* licet facere Processiones intra ambitum Oratorii, non autem extra illud absque licentia Parochi, per cujus Parochiam transeundum est, nisi accedat Episcopi licentia, *ibid. ad V. Dub. Confraternitatis* erectio convalidata fuit, in *Ustipanen. Occidentalis Confraternitatis* 7. *Decembris* 1720. cxciii. *Confraternitatis* Cappellanus deferre potest Stolam in Processionibus tantum in Oratorio, non autem extra illud, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1718. *ad VI. Dub.* lvi. *Confraternitatis* Cappellanus potest facere benedictionem Candelarum in Oratorio pro Confratribus, & Sororibus in Festo Sanctissimæ Purificationis. *ibid. ad XII. Dub. Confraternitates* Laicales erectæ in Altaribus Ecclesiarum Parochialium Abbatis S. Laurentii in Dogliolo non subjacent visitationi, directioni, & jurisdictioni Episcopi, in *Nullius seu S. Severini Jurisdictionis* 4. *Februarii* 1719. *ad III. Dub.* lxxx. *Confraternitates* Laicorum in Regularium Ecclesiis erectas visitare potest Episcopus quoad administrationem, cultum, & ornamentum Altaris, seu Cappellæ, onera Missarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & denique circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent. cclxxxv. §. *Quia vero & dub. seq. Confraternitatum* Cappellani possunt in suis Ecclesiis Missæ solemnes canere, & sine licentia Parochi Festivitates, & Vigilias in hebdomada occurrentes denunciare. d. §. *In fortioribus*. *Confraternitatum* Ecclesias, Hospitalia aliaque loca pia existentia sub immediata protectione sublimium Principum, si non sint Reges, visitare potest Episcopus, dx. §. *Quoad Hospitalia circa fin. Confraternitas* tenetur contribuere pro expensis Visitationis Ordinarii, in *Asculana* 24. *Martii* 1725. *ad* VII. *Dub.* ccccxxvi. *Confraternitati* competit privativum jus eligendi Officiales, *in Sancti Marci* 13. *Aprilis* 1726. *ad* I. *Dub.* dii. *Confraternitatis* Congregationibus Generalibus potest intervenire Episcopus sive per se, sive per alium ab ipso deputandum, *in Asculana* 24. *Martii* 1725. *ad* II. *Dub.* ccccxxvi. *Confraternitatis* Cappellano de licentia Episcopi, non aurem Parocho, competit delatio Venerabilis in Processione, quæ singulis annis expletur, *in Fulginaten.* 18. *Maii* 1726. *Confraternitatis* Officiales, & Ministros ab ea electos removere Episcopo licet, quatenus non sint idonei, & graves exceptiones patiantur, *in Asculana* 24. *Martii* 1725. *ad* IV. *Dub.* ccccxxvi. *Confraternitatis* Officiales tenentur reddere rationem eorum administrationis Ordinario tam in actu visitationis, quam extra illam in loco ab Episcopo designando, non autem extra Oppidum, ubi ea erecta reperitur, *ibid. ad V. Dub. Confraternitatis* Officialibus competit Cappellanos nominare, *in Savonen.* 4. *Augusti* 1725. *ad* III. *Dub.* ccccv. *Confraternitates* existentes in Ecclesiis Regularium subsunt jurisdictioni, & visitationi Episcopi, & ab eo possunt visitari, nec non earum Cappellæ in his, quæ respiciunt administrationem earumdem Confraternitatum, atque Altare, si dictis Confraternitatibus incumbat onus illud manutenendi. pl. §. *Quoad Confraternitates existentes*. *Confraternitates* erectæ in Ecclesiis sitis in solo Lateranensi, an ab Episcopo visitari possint? Vide resolutiones relatas. *ibid.* §. *Quoad Confraternitates erectas*, *& seq. Confraternitas* potest sine licentia, & interventu Parochi in suo Oratorio Sanctissimam Eucharistiam exponere, accidente tamen licentia Episcopi, *in Alexandrina* 1. *Februarii* 1728. *ad* II. *Dubium*, dxci.

CONFRATRES nequeunt acceptare Legata absque Ordinarii licentia; Legata vero mere lucrativa possunt acceptare, eaque in usus a Testatoribus destinatos erogare cum participatione Episcopi, *in Asculana* 24. *Martii* 1725. *ad* VI. *Dub.* ccccxxvi. *Confratribus* licet convocare Congregationes tam generales, quam particulares, devenire ad electionem Officialium, aliaque negotia proponere, ac determinare absque licentia, & assistentia Episcopi, seu Vicarii Foranei, aut alterius Personæ per Episcopum deputandæ, *ibid. ad* I. *Dubium*.

CONGREGATIO Concilii debet invigilare super executione Concilii Tridentini, & ex officio procedere ad abusuum correctionem in toto Christiano Orbe. ccccxxxvi. §. *Et hæc sunt*. *Tom.* 2. *p.* 54.

CONGRUA Vicariis Ecclesiarum unitarum Monasteriis, Capitulis, Collegiis, & aliis Locis Piis constituenda non debet esse major centum, nec minor quinquaginta scutis annuis, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, cclv. §. *Fundamenta in princ.*, *&* §. *Hæc sunt*. Intellige tamen de incertis, quæ certa sunt, & non de illis incertis, quæ semper sunt incerta, quæque dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ Altaris, & Funerum. *ibid.* §. *Fundamentum in fin. Congruam* non teneri PP. Jesuitas subministrare Religioso ad titulum Religiosæ paupertatis ordinato, & deinde a Societate dimisso, respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana Congruæ*, ccxlvi. §. *Nicolaus*. *Congruam* non tenentur PP.Jesuitæ præstare Religioso ad titulum paupertatis ordinato, si a Societate postmodum dimittatur, & Sacro patrimonio sit destitutus. *ibid.* §. *Multoque magis*. *Congruæ* termini quoad Vicarios amovibiles non congruunt, & sunt inapplicabiles; aptantur vero termini Salarii. cclv. §. *Prior*. *In Congruam* Vicariis Parochialium ex Constitutione Piana debitam imputantur obventiones, quæ licet incertæ dicuntur, certæ nihilominus sunt, secus vero obventiones omnino incertæ, & a personali labore dependentes. ccccivi. §. *Addit*. *Congruæ* termini non applicantur Vicariis amovibilibus, sed congruunt termini Salarii, *ibid.* §. *Archipresbyter*. *Congruæ*, & Emolumentorum assignationi ad formam Bullæ deputationis Vicarii perpetui Curati S. Mariæ de Paganica ab extra locum esse, respondit Sacra Congregatio *in Aquilana* 1. *Sept.* 1725. ccccivi.

CONJUX infidelis, qui Fidelem conjugem sequi noluit, an possit novum sibi conjugem eligere ex sua gente, quæ est in eadem perfidia, duæ sunt sententiæ inter se oppositæ, quæ referuntur. dxlvi. §. ii. *Assumptum*. T. 2. *p.* 125. *Conjux* si ad Religionem post consummatum Matrimonium transeat, ibique Professionem emittat, debet alter Religionem ingredi, & in ea profiteri, si sit juvenis, & si fuerit senex, tolerari potest, ut in sæculo remaneat cum voto simplici castitatis. dlxviii. §. *Tertia est in princ.* Excipe tamen casum, in quo Matrimonii jura sint per adulterium læsa, tunc enim potest conjux adulter Religionem profiteri, licet innocens in sæculo remaneat, nec emittat solemnem Professionem, si sit juvenis, nec faciat simplex Votum castitatis, si sit Senex. *ibid.* §. *Tertia est in fine*. *Conjux* innocens adulterii causa potest a peccatore conjuge divertere, & se a toro, atque a cohabitatione separare. dxlvi. §. 9. *Et quidem in princ. Conjux*, qui consensum præstitit alteri, ut regularem Professionem emitteret, an possit eum revocare, si ipse in sæculo remansit, nullo emisso castitatis voto, differunt DD. allegati. dlxxviii. §. *Quinta est*, *& §. At quia*, *& §. Theorica*, *& seq.*

CONSANGUINITATIS gradus in successione, an juxta Civile, vel Canonicum jus computari debeant. ccclxiv. §. *Quoad alterum*.

CONSENSUM Religionis potest Summus Pontifex, concurrente justa causa, supplere. cxxvi. §. *Quod denique*. *Consensum* Superioris Religionis circa Novitii admissionem a Papa suppleri, incongruum esse videtur. *ibid.* §. *Adversus*. *Consensum* Vocalium suppleri debere a Papa, ut Professio valide ratificaretur, resolutum fuit in *Sicula* 18. *Novembris* 1719. *ad* II. *Dubium*. *ibid. Consensus* novus non requiritur, quando dispensatio in radice Matrimonii conceditur. clxxxiii. *Tom.* 1. *p.* 123. §. 25.

CONSERVATOR potest ad certum tempus deputari pro observantia Constitutionum Apostolicarum. ccclxiii. §.*Clerus*. *Conservator* Judex Commendæ Hierosolymitanæ Civitatis Auximanæ nequit cognoscere causas criminales, aut mixtas, nec civiles, quæ Judicialem indaginem requirunt, sed eas solum in quibus agitur de manifestis injuriis, aut violentiis. *ibid.* §. *Coherenter in fin. Conservatorem* si habeant Regulares, nequeunt, cum rei sint, coram illo conveniri, sed coram Ordinario conveniendi sunt in causis civilibus judicialem discussionem postulantibus, *ibid. Conservatorem* Commendæ Hierosolymitanæ Civitatis Auximanæ non posse erigere Tribunal pro cognitione causarum criminalium, & mixtarum, neque posse deputare Officiales, & Ministros, sed solum Notarium, resolvit Congregatio Particularis. *ibid. Conservatores* a manifestis injuriis, & violentiis defendere possunt, nequeunt autem suam extendere potestatem ad alia, quæ judicialem expostcunt indaginem. *ibid.* §. *Plures*. *Conservatores* per annum ab Officio remanent suspensi, si de aliis, quam de manifestis injuriis, & violentiis scienter se intromiserint, seu manum in aliis judicialem indaginem requirentibus appposuerint. *ibid.* §. *Bonifacius*. *Conservatores* nullam habent jurisdictionem in causis, in quibus Regulares, & alii Actores fuerunt, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint. *ibid.* §. *Gregorius*. *Conservatorum* Ministri nequeunt erigere Tribunal, nec proprios, excepto Notario, assumere Ministros. *ibid.* §. *Coherenter circa med. Conservatoribus* non est a Bulla Gregoriana adempta facultas defendendi Regulares, & alios a manifestis injuriis, & violentiis. *ibid. Conservatoribus* non competit causarum criminalium, & mixtarum cognitio, sed ea pertinet ad Ordinarium, si ille, qui habet pro se literas conservatorias, sit Reus, secus autem, si sit Actor. *ibid.* §. *Sacrum*. *Conservatoris* inhibitio facta Ordinario in casu litis jam introductæ coram Ordinario non est attendenda, *in Januen. Jurisdicti.* 20. *Februar.* 1723. *ad* III. *Dub. ibid.*

CONSERVATORIÆ literæ concessæ a S. Pio V. Patribus Societatis Jesu redactæ fuerunt ad terminos Constitutionis Gregorii XV. ccevii. §. *Quoad Patres*. *Conservatoriæ* omnes concessæ contra formam Constitutionis Bonifacii VIII. revocatæ fuerunt a Clemente VIII. *ibid.* §. *Clemens*.

CONSTITUTIONES Capitulares si non obstent, Canonico jubilato debentur fallentiæ Canonicorum absentium. xciii. §. *Pro adæquata*. *Constitutiones* Conciliorum non Generalium vim Legis in universa Ecclesia nequeunt obtinere, quamvis insertæ sint in Decreto Gratiani. ccevi. §. *Inter cætera*. *Constitutio* Piana 58. disponens, quod collatio facta ab Ordinario favore suorum Consanguineorum, vel favore Consanguineorum Resignantis sit irrita, an sit usu recepta in Hispaniis, & in Germania *Vid. Auctores relat.* dxxx. §. *Haud urgente*. *Constitutio* san. mem. Innocentii XIII. & altera confirmatoria Benedicti XIII. *la* 16. in appendice Concilii Romani editæ circa normam servandam in Sacra Ordinatione, & in plectendis Clericis facinorosis referuntur. dxcii. §. *His positis circa fin. Tom.*2. *p.* 163. *Constitutionem* noviter exaratam super solutione Quartæ Funeralis obstare, ita ut Ecclesia Patrum Minorum Conventualium Terræ Pergulæ teneatur solvere Ecclesiæ Parochiali PP. S. Augustini ejusdem Terræ integram Quartam Funeralem in casu, quo aliquis subjectus Parochiæ dictorum PP. S. Augustini sepelitur in Ecclesia PP.Minorum Conventualium, respondit Sacra Congregatio, *in Nonantulana, seu Eugubina* 24. *Maii* 1727. dlv.

CONSUETUDO contraria tollere potest Residentiam, sive servitium personale, quamvis illud in fundatione sit præscriptum. xcvi. §. *Putat*. *Consuetudines* licet immemorabiles, juxta quas aliquid occasione possessionis Canonicatus, & Præbendæ persolvitur, sunt irrationabiles, & a jure reprobatæ, si id, quod exigitur, vel persolvitur, cedat in utilitatem particularem aliorum Canonicorum, secus autem, si in usus pios erogetur. lxxi. §. *Porro*. *Consuetudo* Ecclesiæ, si non obstet, Canonico jubilato debentur fallentiæ Canonicorum absentium. xciii. §. *Pro adæquata*. *Consuetudinem* circa numerum Consortialium, & eorum sustentationem non esse immutandam, responsum fuit in *Imolen. Congruæ* 7.*Septembris* 1720. clxxiii. *Consuetudi-*

tudinem vigentem exigendi a quolibet Presbytero admittendo ad participationem Maſſæ communis carolenos decem eſſe ſervandam, dummodo fiat depoſitum in capſa Sacriſtiæ, & quod depoſitum erogetur in uſum ejuſdem Sacriſtiæ tantum, reſponſum fuit in *Caſſanen.* 3. *Decembris* 1718. lxxi. *Conſuetudo*, juxta quam pro integra aſſecutione diſtributionum ſufficit interventus Canonicorum in Matutino, in Laudibus, Miſſa conventuali, & Veſperis debet obſervari, ſi aliqui ſaltem diviſa hebdomada per Turnum punctaturis ſubjecti ſint, ſi aliis horis non interſint, ea vero admittenda non eſt, ſi aliquæ Horæ omittantur, ita ut integrum Officium Divinum quotidie in Choro non recitetur. cccliv. §. *In Cathedrali*. *Conſuetudo* recipiendi Sudariolum ad Crucem Parochi appenſum occaſione Funeris fuit improbata a Sac. Congregatione. cccxi. §. *Quoad Sudariolum*. *Conſuetudo* antiqua, & immemorabilis, juxta quam aliquid perſolvitur occaſione poſſeſſionis Canonicatus, & Præbendæ, ſeu alterius Officii Eccleſiaſtici in aliqua Eccleſia exercendi, & in commodum Canonicorum cedit, tamquam ſimoniaca reprobatur, ſecus vero, ſi id, quod perſolvitur, in uſus pios convertatur. ccc. §. *Quando*. *Conſuetudo* antiqua aliquid recipiendi occaſione adminiſtrandi Sacramenta a ſponte dantibus non eſt a jure improbata. cccxi. §. *Quoad Sudariolum*. *Conſuetudinem* immemorabilem receptitiæ Eccleſiæ S. Mariæ Majoris Civitatis Maratheæ, juxta quam quicumque Sacerdos ad numerum Sacerdotum Participantium admittendus ſolvebat decem Carolenos in paramenta, vaſa Sacra, & alia neceſſaria pro Sacriſtia impendendos, ſervandam eſſe, præcepit S. Congregatio, dummodo fieret depoſitum in Capſa Sacriſtiæ, & depoſitum erogaretur in uſus ejuſdem Sacriſtiæ tantum. ccc. §. *Quando in fin.* *Conſuetudines*, & Conſtitutiones Eccleſiarum, quæ longius ſervitii tempus requirunt, & vacationem trium menſium Canonicis non concedunt, debent obſervari. ccxciii. §. *Sacrum*. *Conſuetudo* offerendi denarium Presbytero pro Miſſæ celebratione eſt antiquiſſima. dvi. §. *Nonnulla*. *Conſuetudo* pia adeundi proceſſionaliter Eccleſiam SS. Hippolyti, & Caſſiani obſervanda eſt a Præpoſito, & Capitulo Collegiatæ S. Mariæ de Populo, *in Lunen. Sarzanen. Præeminentiarum* 9. *Junii* 1725. *ad* IV. *Dub.* ccccxlii. *Conſuetudo*, juxta quam fructus Canonicatuum vacantium in commodum Eccleſiæ, vel Sacrarii, aut in augmentum cultus Divini a Capitulo convertuntur, ſuſtinetur. dxxxii. §. *Propoſitio*, *Conſuetudo*, juxta quam Capitulum fructus Canonicatuum vacantium in ſui commodum convertit, ſublata fuit a Tridentino, & Conſtitutione S. Pii V. 104. innovata a ſan. mem. Innocentio XII. in ſua Conſtitutione. *ibid.* *Conſuetudo*, juxta quam Capitulum in proprium commodum convertit fructus Parochialium vacantium, an ſubſit Conſtitutioni Pianæ, vel potius hæc reſtricta ſit ad Canonicatus, & Beneficia ſita in Cathedrali, vel in Collegiata, examinatur. *ibid.* *Conſuetudo* conferendi eodem die Ordines Minores una cum Subdiaconatu fuit a Tridentin. ſublata, relicto tantum Epiſcopis jure diſpenſandi ſuper Interſtitiis. dxcii. §. 13. *De hac ergo*. Contrarium tenent ex mente S. Congregationis Concilii plures DD. relati. *ibid.* §. 14. *At alii*. *Conſuetudo*, ubi increbuit, vel quando, ſecluſa conſuetudine, aliqua adſit legitima cauſa fundamentum præbens Epiſcopo, poſſunt omnes Minores Ordines eadem die eidem perſonæ conferri. *ibid.* §. 5. *Si agitur*.

CONTINENTIÆ votum eſt Subdiaconali Ordini ex Eccleſiæ Statuto adnexum, liberamque idcirco voluntatem expoſcit, qua ceſſante illud non obligat. ccxciv. §. *Hermannus*.

CONTRACTUS eſt uſurarius, ſi res vendatur carius ob expectationem pretii ſolvendi. ccxxxvii. §. *Agunt in princ.* *Contractus* autem non eſt uſurarius, ſi res vendatur intra latitudinem juſti pretii; ſecus vero, ſi vendatur ultra ſupremum juſti pretii gradum propter præciſam temporis dilationem. *ib.* *Contractus* non eſt uſurarius, ſi res carius vendatur, quam valeat tempore venditionis, ſi tunc dubium adſit, an id, quod pluris venditur, pluris, vel minoris tempore ſolutionis ſit valiturum, ac præterea ſi ille, qui vendit, non fuiſſet alioquin tempore contractus venditurus. *ibid.* §. *Canoniſtæ in fin.* *Contractus* aliqui cum diſceptaretur, an eſſent permittendi, reſponſum fuit -- *ad Eminentiſſimum Ordinarium*, *qui provideat*, *prout de jure* -- *in Præneſtina* 6. *Decemb.* 1721. ccxxxvii. *Contractus* uſura vacat, ſi venditur frumentum ea conditione, quod ſolvatur pretium, quanti verno tempore frumentum valebit, ſi neſcitur, utrum verno tempore plus, minuſve frumentum ſit valiturum; ſed ſi certum ſit, frumentum tunc temporis pluris valiturum, Contractus eſt uſurarius, niſi venditor fuiſſet frumentum uſque ad illud tempus conſervaturus. ccccxciv. §. *Tranſeundo*. *Contractus* emptionis fuit declaratus immunis a labe uſuraria, *in Firmana* 27. *Julii* 1726. dxix. *Contractus* nuncupatus *Dragbetto*, quo dantur titulo mutui tot ducati Regni Neapolitani cum obligatione, ut Mutuatarius intra duos menſes tot alia reſtituat ſcuta Romana, declaratus fuit illicitus, & uſurarius, *in Aſculana* 16. *Mart.* 1726. *ad* I. *Dub.* ccccxciv. *Contractus*, quo datur frumentum, & dantur Segetes ad rationem pretii, quo frumentum, & Segetes vendentur tali alio determinato tempore, quo frumentum, & Segetum pretium ſolet augeri, cum diſceptatum fuerit, an ille eſſet uſurarius Sacra Congregatio juſſit Epiſcopo, ut conſuleret Theologos. *ibid. ad* II. *Dub.* *Contractus* ſanatio cum peteretur, reſcriptum fuit *Ad mentem in Montis Regalis* 16. *Decembris* 1724. ccccxi.

CONVENTIONES initæ ſuper Cappellania Laicali non ſunt ſimoniacæ, licet illicitæ. lii. §. *Ad jus*. *Conventionem* initam anno 1588. non eſſe validam, & obligatoriam Parochi Terræ Melicucciæ, reſpondit Sacra Congregatio *in Mileten.* 2. *Octobris* 1721. ccxxx.

CONVENTUS, & Granciæ Monaſteriorum, in quibus non aluntur ſex Religioſi, ſubduntur viſitationi, & correctioni Ordinarii. ccclxvii. §. *Quando alias*. *Conventui* S. Caroli ad Quatuor Fontes licere manutenere pro nunc duos, aut tres Religioſos pro Fabrica perficienda, reſpondit Sacra Congregatio, *in Tuſculana* 3. *Martii* 1725. ccccxix.

COPULATIVA quando in disjunctivam reſolvatur. cclxxiii. §. *Parum*.

CREDITOREM poſſe aliquid ultra ſortem a Mutuatario exigere, & ab uſura excuſari, cum numerata pecunia ſit pretioſior numeranda, & nemo ſit, qui non pluris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, eſt propoſitio damnata ab Innocentio XI. la VI. ccxxxvii. §. *Ad rem*.

CURÆ Animarum præfici non poteſt Regularis ab Epiſcopo ſine Apoſtolica diſpenſatione. clvii. §. *Contendit circa fin.* *Curam* Animarum eſſe annexam Prioratui Cathedralis Fulginei reſpondit Sac. Congregatio *in Fulginaten. Prioratus quoad Curam Animarum* 2. *Octobris* 1721. ccxxxiii. *Cura* animarum adnexa Capitulo exercetur quandoque a Cappellanis amovibilibus. cccclxxx. §. *Capitulum*. *Cura* animarum Collegiatæ adnexa an, & quando a ſingulis Canonicis per vices exerceri poſſit. cccclxxxviii. §. *Suppoſito*. *Curam* exerceri per Turnum, & per vices ſæpius prohibuit Sacra Congregatio, cenſuitque, Ordinarium debere curam Animarum transferre in certam perſonam per viam Vicariæ perpetuæ, aſſignata Vicario perpetuo congrua ad tramites *Bullæ* 47. *S. Pii V. Bullar. Tom.* 2. *ibid.* *Curæ* Animarum nequit Regularis ab Epiſcopo præfici ſine Apoſtolica diſpenſatione, quæ non ſolet concedi, niſi inſtante Epiſcopo pro neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ. ccclxxxii. §. *Adſunt*. *Curam* animarum habitualem ſpectare ad Capitulum, & Canonicos, reſolvit Sacra Congregatio *in Aliphana Curæ* 12. *Januarii* 1726. *ad I. Dubium*. cccclxxx. *Cura* animarum in Parochialibus, quæ ſunt unitæ Monaſteriis, exerceri poteſt a Religioſo ad nutum amovibili, ſi modo alter Religioſus cum eo habitet. dlviii. §. *In Conſtitutione in princ.*

D

DEBITOR promittens ſub juramento ſolvere quolibet anno partem ſui debiti, quod unica vice debebat ſolvere, ſi uno anno ſolutionem partis conventæ omittat, poteſt pro tota ſumma conveniri. xxix. §. *Contendunt ulterius*.

DECANO abſente, renuente, aut alias quomodolibet impedito, facultatem convocandi Capitulum devolvi ad ſucceſſivas Dignitates, & Canonicos gradatim, reſcripſit Sacra Congregatio *in Melevitana Juriſdictionis* 18. *Septembris* 1723. *ad* II. *Dub.* cccxlviii. *Decanus* Cathedralis Eccleſiæ, ad quem ſpectat convocare Capitulum, non tenetur, Sede Epiſcopali vacante, petere licentiam a Vicario Capitulari pro convocandis Capitularibus, *in Melevitana Juriſdictionis* 18. *Septembris* 1723. *ad* I. *Dub.* *ibid.*

DECIMARUM aſſignatio, ſi facta fuerit demonſtrationis cauſa, operatur, ut Aſſignans, decreſcentibus reditibus, debeat ſupplere, ſi vero excreſcant, eorum augumentum in beneficium aſſignantis debet cedere. clxix. §. *Fundamentum*. *Decimarum* pertinentia, vel fines Eccleſiarum, ut probentur, ſufficit obſervantia quadragenaria. ccxiv. §. *Hujuſce*. *Decimarum*, & Funeralium Quartæ Epiſcopo debitæ non fuit a Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de Ref.* derogatum. cccvi. §. *Inter cætera*. *Decimarum*, & Funeralium Quarta inter jura Epiſcopalia numeratur. *ibid.* §. *Inter*. *Decimæ* prædiales, quando Prædium ſitum eſt in Parochia unius Diœceſis, & illius Dominus habitat in Parochia alterius Diœceſis, debentur Parocho Loci, in quo Prædium ſitum eſt, quando non adeſt conſuetudo in contrarium. cccxvi. §. *Pro definitione*. *Decimarum* Quarta debetur Epiſcopo, *in Anglonen. Cathedratici Decimarum*, & *Quartæ Funeralis* 30. *Januarii* 1723. *ad* II. *Dub.* cccvi. *Decimæ* non ſolvuntur de pitantiis Monachorum. dxiii. §. *Secundo*. *Decimarum* repetitioni non eſſe locum, licet prætenderetur eas fuiſſe in exceſſiva quantitate ſolutas, reſponſum fuit *in Spoletana Decimarum* 30. *Martii* 1726. *ad* III. *Dub.* ccccxcviii. *Decimas* ſolvere tenetur Epiſcopo Capitulum ſub pœna Interdicti, vel aliarum Cenſurarum, ſervatis ſervandis, *in Spoletana Decimarum* 30. *Martii* 1726. *ad I. Dub. ibid.* *Decimas*, & Primitias debere per Vicarium reſtitui Eccleſiæ Parochiali unitæ Monaſterio Monialium *Ave Maria* Civitatis Portus, demptis Scutis 150. favore ejuſdem Vicarii, reſpondit Sacra Congregatio *in Portucallen.* 3. *Martii* 1725. ccccxxi.

DECRETA Urbis, & Orbis Congregationis Rituum circa jura Parochialia, & Functiones, & Præeminentias inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, eorumque Officiales, ubi ſint impreſſa: Vid. lvi. §. *Adnotaſſe*. *Decreta* Epiſcopi edita in viſitatione Eccleſiæ, quam poteſt cumulative cum Inferiore viſitare, prævalent Decretis editis ab Inferiore, ſi inter ſe adverſentur. ccclxvii. §. *Hæc quoad in fin.* *Decreta* aperitionem feneſtrarum in Eccleſiis prohibentia referuntur apud Urſayam citatum. dviii. §. *Materia in fin.* *Decretum* Epiſcopi circa diſtributionem Subſidiorum dotalium eſſe executioni mandandum, reſpondit Sacra Congregatio *in S. Miniati* 24. *Martii* 1725. ccccxxxi. *Decretum* Epiſcopi, quo prohibitum fuit Parocho, ne ad Communionem Paſchalem admitte-

ret Parochianum publicum Peccatorem, & non ſatis inſtructum in iis, quæ ad Myſteria Fidei pertinent, ſuſtineri, & eſſe executioni demandandum, reſpondit Sacra Congregatio *in Gravinen.* 10. *Junii* 1724. ccclxxxi.

DENUNCIATIONUM Matrimonii omiſſio fuit a Tridentino remiſſa prudentiæ, & judicio Ordinarii. clxxxii. §. *Ac licet circa fin.* *Denunciationibus* omiſſis, Matrimonium Contrahentes incurrunt excommunicationem in Conſtitutionibus Synodalibus inflictam. cv. §. *Quoad punctum*. *Denunciationibus* omiſſis, adhuc Matrimonium eſt validum. clxxxii. §. *Ac licet in fin.* *Denunciationes* Matrimonii fieri etiam debent in loco originis. cv. §. *Quoad neceſſitatem*. *Denunciationibus* omnibus omiſſis, Matrimonium non dicitur clandeſtinum. *ibid.* §. *Quoad punctum*. *Denunciationes* Matrimonii non ſunt neceſſariæ in loco originis, in *Vercellen.* 9. *Maii* 1719. *ad* I. *Dub. ibid.* *Denunciationes* Matrimonii dimittere non licet ulli Inferiori etiam Epiſcopalem juriſdictionem habenti, ac nullius etiam Diœceſis exiſtenti. ccl. §. *Non impugnat circa fin.* *Denunciationes* Matrimoniorum dierum feſtorum, vigiliarum, ſeu jejuniorum, & ejuſmodi ad Parochialia officia ſpectantium ex Provinciali Synodo Mediolanenſi præſtari poſſunt intra Miſſæ Conventualis ſolemnia, ubi Collegiatæ Eccleſiæ ſunt Parochiales. cclxxxiii. §. *Succedunt*. *Denunciationes* Matrimoniorum & Ordinandorum, aliæque ſimiles functiones Parochiales fieri poſſunt arbitrio Parochi in celebratione Miſſæ Parochialis, vel Miſſæ Conventualis, contradicente etiam Capitulo, *in Novarien.* 8. *Julii* 1724. *ad* I. *Dubium*. *ibid.* *Denunciationes* fieri debent ab eo, qui cupit Prima Tonſura initiari. dliii. §. *Juxta in fin.*

DEPOSITUM tertiæ partis fructuum Præbendæ pro diſtributionibus quotidianis facere tenetur Canonicus jubilatus, ſicut alii Canonici. xciii. §. *Invenio circa fin.*

DEPUTATIO Concionatoris in ſua Parochia ſpectat ad Epiſcopum, & non ad Parochum. cxliv. §. *Poſtquam*.

DEVOLUTIONI Beneficii ad Superiorem, ne locus ſit, ſatis eſt quodlibet non improbabile impedimentum, quod Jura Patroni præſervat. cxl. §. *Putant in fin.* *Devolutio* Beneficii ſupponit Patroni culpam, & inexcuſabilem negligentiam. *ibid.*

DIES feſti juxta veterem Eccleſiæ conſuetudinem, & Diſciplinam colendi erant a veſpere ad veſperam. clxxxi. §. *Modus in princ.* Hodie tamen ex communi conſuetudine per totam Europam recepta dies feſti coluntur ſpatio 24. horarum, quæ a media nocte ad aliam dimidiam computantur. *ibid.* *Dies* feſtos de præcepto poteſt Epiſcopus indicere in ſua Diœceſi, ſicuti poteſt Papa in toto Orbe Catholico. ci. §. *Quoad diem in princ.*

DIGNITAS major in Collegiata, aut Cathedrali, ſi ei Animarum cura ſit adnexa, quandoque ex mandato Datarii per concurſum eſt conferenda. clviii. *Tom.* 1. *pag.* 94. & *ſeq.* §. *Ante*. *Dignitatum* Coadjutores, Coadjuto impedito, ſuccedunt in jus functiones peragendi in excluſionem Canonici in Turno ſuccedentis, juxta reſolutiones Sacræ Congregationis Rituum. xxii. §. *In Scripturis*. Immo Coadjutores Canonicorum inſtar Coadjutoris Dignitatum ſuccedunt in jus functiones peragendi. *ibid.* §. *Adverſus*. *Dignitatum* Coadjutores, uti ſedentes in Stallo Dignitatum, facere debent functiones ſpectantes ad Dignitates coadjutas. cxxxvi. §. *Excitata*. *Dignitas*, ſeu Canonicus Capitulo præſidens non tenetur reddere certiorem Vicarium Capitularem de Reſolutionibus Capitularibus, *in Melevitana Juriſdictionis* 18. *Septembris* 1723. *ad V. Dub.* cccxlviii. *Dignitates* convocantes Capitulum poſſunt uti quacumque perſona pro intimandis Capitularibus, necnon quocumque Notario, caſu quo Curſores, & Cancellarius totum officium præſtare recuſent, in *Melevitana Juriſdict.* 18. *Septemb.* 1723. *ad* IV. *Dub. ibid.*

DIMISSORIAS, & Teſtimoniales literas dandas eſſe ab Eminentiſſimo Urbis Vicario ad normam taxæ Urbis, reſpondit Sac. Congregatio in *Romana*, *ſeu Sipontina* 23. *Julii* 1718. *ad* II. *Dub.* xlvi. *Dimiſſorias* literas Archiepiſcopi Hydruntini, non autem Epiſcopi Ugentini a Clerico Franciſco Graſſi, ad effectum recipiendi Sacros Ordines obtinendas eſſe, præſtito tamen juramento ad tramites Bullæ *Speculatores*, reſpondit Sacra Congregatio in *Ugentina*, *ſeu Hydruntina Ordinationis* 1. *Apr.* 1719. xlv. *Dimiſſorias* non poſſe concedi a Capitulo Baſilicæ S. Petri, etiamſi potiretur Territorio ſeparato, reſolutum fuit in *Nullius ſeu Brictinorien.*, & *Policaſt.* 21. *Jan.* 1719. lxxvi. *Dimiſſorias* concedere nequit Præpoſitus Eccleſiæ B. M. Albæ Regalis, licet potiatur activa, & paſſiva exemptione, in *Nullius*, *ſeu Veſprimien. Juriſdict.* 46. *Martii* 1718. *ad* II. *Dub.* xviii. *Dimiſſorias*, Sede Epiſcopali vacante, Capitulum intra annum a die vacationis Arctatis concedit. ccxxiii. §. *Ultimum*. *Dimiſſoriæ*, Sede aliqua Epiſcopali vacante, tradi nequeunt a Nuncio Hiſpaniarum, niſi Arctatis. cccolxxvi. §. *De hac*. *Dimiſſoriæ*, Sede vacante, nequeunt infra annum a Capitulo concedi alicui, qui ratione Beneficii recepti, ſive recipiendi arctatus non fuerit. *ibid.* §. *Sacrum*. Beneficii autem ratione arctati ſunt illi, qui obtinent Beneficium aliquod, ratione cujus tenentur ſe promoveri facere; arctati vero ratione Beneficii recipiendi ſunt illi, qui habent jus, ſeu ſunt vocati ad aliquod Beneficium vacans, quod actu requirit certum Ordinem, quo iidem carent, vel qui non habentes primam Tonſuram ſunt præſentati ad aliquod Beneficium. cccclxxiii. §. *Sacrum*. *Dimiſſoriæ* non ſunt a Vicario Capitulari concedendæ, nec ordinari quis poteſt ad titulum Cappellaniarum erectarum ante tempus Sedis vacantis, niſi eædem Cappellaniæ fuerint ab Epiſcopo Prædeceſſore approbatæ, & ſufficiant pro congrua Synodali, *in Legionen. Viſitationis Sacrorum liminum* 15. *Decemb.* 1725. cccclxxvi.

DISMEMBRARE Parochias antiquas, aut novas erigere, de jure communi permiſſum non eſt, niſi concurrentibus requiſitis, *Text. in cap. ad audientiam il* 1. *de Eccl. ædific.* & *Trident. Seſſ.* 21. *cap.* 4. *de Ref.* xxxvi. §. *Subdit*.

DISMEMBRATIONI, & erectioni novæ Parochialis locum non eſſe, reſpondit Sacra Congregatio in *Sedunen.* 11. *Jun.* 1718. xxxvi. *Diſmembrationi* Parochialis locum non eſſe, ſed Parochum pro tempore eſſe obligatum ad retinendum propriis ſumptibus Coadjutorem ab Epiſcopo approbandum in altera ex Eccleſiis ab eodem Epiſcopo deſignandis, reſpondit Sacra Congregatio. clxxviii. §. *Oppidani*. *Diſmembrationi* Parochiæ locum eſſe dummodo nova Eccleſia, ſeu Oratorium remaneat ſub antiqua Parochiali, reſponſum fuit *in Imolen. Diſmembrationis* 21. *Junii* 1721. *ad* I. *Dub.* clxviii. *Diſmembrationi* locum non eſſe reſpondit S. Congregatio *in S. Marci* 24. *Martii* 1725. ccccxxvii. *Diſmembrationi* factæ favore Capituli non fuiſſe derogatum, reſpondit S. Congregatio *in Calaritana* 18. *Novemb.* 1724. *ad* I. *Dub.* ccccii.

DISPENSARE poteſt Epiſcopus in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario oritur. xxiii. §. *Clara eſt*. *Diſpenſare* quando poſſit, vel non poſſit Epiſcopus in irregularitate contracta ex homicidio, & an, & quando illud dicatur voluntarium, vel caſuale, vide deducta. *ibid.* §. *Adverſus & ſeqq.* *Diſpenſare* nequit Epiſcopus in irregularitate ex homicidio voluntario contracta, in *Papien.* 21. *Maii* 1718. xxxiii. *Diſpenſare* ut queat Papa in radice Matrimonii, non requiritur ulla novi conſenſus præſtatio. clxxiv. §. *Abſque eo quod*. *Diſpenſare* poteſt Papa in radice Matrimonii, & ſic Prolem illegitimam indirecte quoad temporalia legitimare, ſi concurrat magna, & urgentiſſima cauſa, ſi Proles ſuſcepta non fuerit ex copula putative Matrimoniali, & ſi Matrimonium non fuerit invalidum ex impedimento juris Naturalis, vel Divini, ſed propter impedimentum juris Eccleſiaſtici. *ibid.* §. *Poteſt*. *Diſpenſare* poteſt Pontifex Sacerdotem utraque manu obtruncatum ad Miſſam celebrandam, ita tamen, ut per manum alterius Sacerdotis Hoſtiam elevet, frangat, & ab ejus manu ſumat. ccccliii. §. *Tranſeundo in fin.* *Diſpenſare* ab eſu carnium certis anni temporibus neque P. Vicario Generali Provinciæ Svevicæ Ordinis S. Norberti, neque ejuſdem Provinciæ Abbatibus competit, *in Ordinis Præmonſtratenſis* 15. *Decembris* 1725. *ad* I. & II. *Dub.* cccclxxiv. *Diſpenſare* ne quidem pro uno die ab eſu Carnium poſſunt Abbates Ordinis Præmonſtratenſis. *ibid. ad* III. *Dub.* *Diſpenſare* poſſunt Abbates Ordinis Præmonſtratenſis aliquos Canonicos ab eſu Carnium, juſta ſuffragante cauſa. *ibid. ad IV. Dub.*

DISPENSATIO ſuper Matrimonio rato, & non conſummato non conceditur; niſi concludenter probetur, illud non fuiſſe conſummatum. xxiv. §. *De ſummi*. Procedit, licet ageretur, quod alter ex Conjugibus eſſet hæreticus, & ſpes eſſet, quod ad fidem converteretur. *ibid.* *Diſpenſatio* ſuper Matrimonio rato, & non conſummato conceſſa fuit Sigiſmundo Tranſilvaniæ Principi, & Mariæ Auſtriæ tempore Clementis Octavi. cviii. §. *Celebris*. *Diſpenſatio* ut concedatur ſuper Matrimonio rato, & non conſummato, eſt juſta cauſa odium implacabile cum periculo vitæ juxta aliquos Authores, ſecus vero ſecundum opinionem Fagnani. xxiv. §. *Loquendo*. *Diſpenſatio* in radice Matrimonii ſi concedatur, non eſt neceſſaria expreſſa, vel tacita conſenſus renovatio. clxxiv. §. *Abſque eo quod*. *Diſpenſatio* in radice Matrimonii, ut concedatur, ſatis eſt, quod Matrimonium de facto fuerit contractum, & quod interceſſerit affectus maritalis una cum conſenſu naturali. *ibid.* §. *Cumque*. *Diſpenſationes* in radice Matrimonii, niſi magna urgente cauſa, conceduntur. *ibid.* §. *Itaut*. *Diſpenſationes* plures in radice Matrimonii fuerunt a Gregorio XIII. conceſſæ. *ibid.* *In Diſpenſationibus* Matrimonialibus, quæ expediuntur pro Inceſtuoſis Conſanguineis, apponitur ſemper clauſula, quod alteri alter ſupervivens perpetuo abſque ſpe Conjugii remaneat. clxxxiii. §. *A primo in fine*. *In Diſpenſationibus* gradus remotior attendi debet, & trahit ſecum propinquiorem, ita ut ſufficiat exprimere gradum remotiorem, obtentis tamen ſuper gradu propinquiori litteris Apoſtolicis, in quibus declaretur, non obſtare reticentia propinquioris gradus. *ibid.* §. *Hanc*. *In Diſpenſationibus* gradus remotior imbibit, & trahit ad ſe propinquiorem. *ibid.* §. *Putant*. *Diſpenſatio*, quando concedatur Regularibus ad effectum diſponendi de Bonis inter vivos, vel cauſa mortis, videnda ſunt exempla relata. xxvii. §. *In quadam Cauſa*. *Diſpenſatio* Apoſtolica, ut Regularis curæ Animarum præficiatur, concedi non conſuevit, niſi eodem Epiſcopo inſtante pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ. clvii. §. *Contendit in fin.* *Diſpenſantur* ad Beneficia deſcendentes a Parentibus Mahometanis, & formula diſpenſationis impreſſa eſt penes *Corrad.* xlix. §. *Quoad*. *Diſpenſatus* ſi fuerit Neophytus quoad Ordines, videtur non indigere diſpenſatione quoad conſequenda Beneficia. *ibid.* *Diſpenſationi* a voto continentiæ præſtat cauſam metus incuſſus ei, qui Subdiaconatus Ordinem ſuſcepit. cxiv. §. *Supplicationis in fin.* *Diſpenſatio* a voto Continentiæ denegata fuit Subdiacono, eo quia metum ex Teſtibus allegatis non probavit. *ibid.* §. *Abſque eo quod*. *Diſpenſationem* retinendi penſionem cum officio Vexillarii Equitum levis armaturæ Summi Pontificis indulſit Sacra Congregatio. cxcii. §. *Abſque eo quod*. *Diſpenſatio* ſuper Voto continentiæ conceſſa fuit, in *Ipren. Diſpenſationis* 16. *Decemb.* 1719. cxiv. *Diſpenſatio* ab irregularitate contracta ab eo, qui, non obſtante ſuſpenſione a Divinis, Miſſam celebravit, impartita fuit, impoſitis

tamen præceptis, nec non pœnitentiis arbitrio Episcopi, *in Laodicen. Dispensationis* 3. *Sept.* 1718. LIV. *Dispensatio* ab irregularitate *ex* homicidio contracta denegata fuit in *Bisuntina* 22. *Aprilis* 1719. C. *Dispensatio* super Matrimonio rato, & non consummato, cum peteretur, Sacra Congregatio rescripsit ---- *Dilata, & coadjuventur probationes juxta instructionem, ideſt examinetur uterque Conjux cum interrogatoriis, & juramento, examinato prius D. Joanne Jacobo super circumstantiis expressis ante secundum juramentum Peritis, & exprimatur in dicto examine nomen Peritorum, quos prima vice consuluit, qui etiam formiter Teste deponente de Confessionibus extrajudicialibus Joannis Jacobi, & examinentur etiam* DD. *Petrus Gentilis, & Carolus Spinula, & committatur examen Eminentissimo Archiepiscopo juxta instructionem, præfixo termino trium mensium, in Januen. Dispensationis* 9. *Septembris* 1719. CVIII. T. I. *p.* 62. *Dispensationem* ab irregularitate ab eo contracta, qui contra Fures clamavit, & isti fuerunt capite damnati, denegavit Sacra Congregatio in *Calsalen. Irregularitatis* 24. *Septembris* 1718. IX. *Dispensationem* ab irregularitate concedendam esse, resolvit Sacra Congregatio in *Civitatis Castellanæ Irregularitatis* 3. *Decembris* 1718. LXXII. *Dispensationem* super Matrimonio raro, & non consummato esse concedendam, rescripsit Sacra Congregatio in *Januen. Dispensationis* 20. *Maii* 1719. CVIII. *Dispensatio* a voto Continentiæ, quod fuerit pluribus Diaconis concessa, testatur Navarrus. CCXIII. §. *Transmissa in princ. Dispensatio* a voto Continentiæ Sacris Ordinibus adnexo fuit concessa, quando allatæ fuerunt probationes metus, quo Ordines fuerunt suscepti. cc. §. *At quidquid*. *Dispensatio* a voto Continentiæ concessa fuit Diacono, qui ad suscipiendum Diaconatum fuerat metu coactus. CCXCIV. §. *Hermannus*. *Dispensatio* a voto Continentiæ Sacris Ordinibus adnexo fuit denegata, eo quod non satis probatum fuit, Sacros Ordines per vim, & metum fuisse susceptos, cc. §. *At quidquid*. *Dispensationi* a voto Continentiæ justam causam præbet metus gravis, qui in Sacri Ordinis susceptione interfuit. CCXCIV. §. *Hermannus*. *Dispensatio* a voto Continentiæ concessa fuit Subdiacono, qui Subdiaconatum per vim, & metum susceperat in *Ipren. Dispensationis*, *ibid. Dispensatio* a voto Castitatis conceditur Subdiacono, vel Diacono, qui Sacros Ordines per vim, & metum susceperit, cc. §. *At quidquid*. *Dispensatio* non vitiatur ex defectu causæ impulsivæ. CCLXXII. §. *In jure*. *Dispensatio* Ordinario commissa, & ab isto executioni mandata nequit retractari, licet Ordinarii Sententia forte fuerit injusta, nisi a principio Rescriptum fuerit subreptitium cum dolo, & fraude extortum, aut Testes adhibiti super precum veritate fuerint corrupti, aut denique subreptio fuerit notabilis in tacenda veritate, *ibid.* §. *Additur*, & *seqq. Dispensatio* fundata in falsa causa nulla est, licet falsitas processerit ex ignorantia. *ibid.* §. *Allegata*. *Dispensatio* retinendi Pensionem in statu inhabili non conceditur post secutam illius extinctionem. CCLXXXIV. §. *Contendit circa med. Dispensatio* contrahendi Matrimonium cum alia Muliere denegata fuit ei, qui Matrimonium cum Consanguinea invalide inierat, non obstante dispensatione. CLXXXIII. §. *Allegatæ in fin. Dispensatio* in radice Matrimonii quando conceditur, non requiritur novus consensus. *ibid.* §. *Absque eo quod T.* I. *p.* 123. *Dispensatio* in radice Matrimonii prodest filiis natis quoad omnes effectus civiles directe in Terris Ecclesiæ, & indirecte in reliquo Terrarum Orbe. *ibid. Dispensatio* in radice Matrimonii conceditur etiam post mortem alterius ex Conjugibus, CLXXIV. §. *Occasione*, *in fin. Dispensatio*, quod in secundo gradu non concedatur Magnis Principibus, & ob publicam causam, intelligitur de gradibus Affinitatis, & Consanguinitatis, dummodo tamen consanguinitas, vel affinitas orta sit ex legitimo Matrimonio. CCCXVII. §. *Si legitimum*. *Dispensatio* impetrata super gradu prohibito ex causa deficientiæ dotis valida est, si Mulier habeat quidem dotem, sed insufficientem, & inconguam. CCLXXIII. §. *Nullus*. *Dispensatio* in secundo gradu nunquam conceditur, nisi Magnis Principibus, & ob publicam causam. CCCXVII. §. *Si legitimum*. *Dispensationem* posse concedi Viro, qui propter incestum in figura Matrimonii patratum factus fuerat inhabilis ad Matrimonium ineundum, rescripsit Sacra Congregatio *in Papien.* CLXXXIII. §. *Allegatæ in princ. Dispensationes* super Matrimonio inter Hæreticum, & Catholicam ineundo non conceduntur, nisi adjecta clausula --- *Abjurata prius hæresi* -- CCXXXIV. §. *Huic in fin. Dispensatio* ad cautelam concessa fuit Presbytero, qui irregularis prætendebatur ex eo quod Maritus Uxorem suam cum eo deprehensam interemit, *in Nullius Provincia Compostellanæ* 2. *Octobris* 1723. CCCLIII. *Dispensatio* a Voto Castitatis cum a Diacono petita fuerit sub obtentu, quod Ordines Sacros, per vim, & metum suscepisset, rescriptum fuit -- *Dilata, & coadjuventur probationes juxta Instructionem* -- *in Parisien. Dispensat.* 25. *Jan.* 1721. cc. *Dispensatio* a voto Continentiæ concessa fuit Diacono, qui ad Diaconatus Ordinem suscipiendum, vi metusque adactus fuerat, *in Parisien. Dispensat.* 12. *Jul.* 1721. CCXIII. *Dispensatio* Apostolica requiritur ad hoc, ut qui Beneficium retinet, sive illud sit liberæ collationis, sive de Jurepatronatus Laicorum existat, si sufficiens est ad sui sustentationem, possit secundum de Jurepatronatus Laicorum retinere, *in Bruxellen.* 6. *Decemb.* 1721. *ad* I. *Dub.* CCXXXV. *Dispensatio* Apostolica requiritur ad hoc, ut qui obtinet Beneficia duo sive liberæ collationis, sive de Jurepatronatus Laicorum minime sufficientia ad congruam sustentationem, possit tertium, & quartum de Jurepatronatus Laicorum retinere. *ibid. ad* II. *Dub. Dispensatio* super defectu ætatis, & qualitatis Sacerdotalis, non obstante præsentatione ad Beneficium Sacrdotale, facta in personam Sacerdotis, concessa fuit *in Imolen. Beneficii* 23. *Maji* 1722. *ad* II. *Dub.* CCLIX. *Dispensatio* in radice Matrimonii, prævio recessu a decisis die 16. Januarii 1723. concessa fuit *in Pragen. Matrimon.* 18. *Septemb.* 1723. CLXXIV. *Dispensatio* ab interpellatione Viri in infidelitate permanentis, concurrente justa causa, conceditur, ut absque ea Matrimonium dissolvatur, *in Florentina* 17. *Januar.* 1722. *ad* II. *Dub.* CCXLI. *Dispensationem* non esse concedendam, responsum fuit *in Cæsenaten.* 24. *April.* 1723. CCCXVII. *Dispensatio* super Matrimonio rato, & non consummato fuit concessa Personis etiam parvæ notæ, CCCCLXXIX. §. *Tertium*. *Dispensationi* super Matrimonio rato, & non consummato justam causam præbet voluntaria Conjugis dilatio in Matrimonio consummando. *ibid. Dispensatio* Matrimonii in radice, an, & ex quibus circumstantiis concessa dicetur, *V. deducta* DXXVII. §. *In eoque*. *Dispensatio* retinendi plura Beneficia incompatibilia solet quandoque, justa urgente causa, ab Apostolica Sede concedi. CCCLXXI. §. *Ultimo*. *Dispensatio* Irregularitatis, qua laborabat Sacerdos non valens Sacram Hostiam, & Sanguinem sumere, nisi auxilio manus sinistræ, remissa fuit arbitrio Archiepiscopi, *in Consentina* 13. *Jul.* 1725. *ad* II. *Dub.* CCCCLIII. *Dispensatio* ab Irregularitate, quæ incursa timebatur ab eo, qui ictu Sclopi læserat oculum sinistrum alteri, fuit ad cautelam concessa, *in Aquinaten*, 12. *Januar*, 1726. CCCCLXXXIII. *Dispensatio* ab Irregularitate denegata fuit ei, qui Causam dederat rixæ, ex qua homicidium secutum fuit, *in Caputaquen.* 14. *Mart*, 1725. *ad* II. *Dub.* CCCCXXX. *Dispensatio* ab Irregularitate ex homicidio ad sui defensionem patrato concessa fuit ad Cautelam, *in Papien.* 18. *Maii* 1726. DIX. *Dispensatio* super Matrimonio rato, & non consummato concessa fuit, *in Urbanien.* 12. *Januar*, 1726. CCCLXXIX. *Dispensatio* a Voto continentiæ quod concedenda non esset Subdiacono, qui contendebat Ordinem Sacrum per vim, & metum suscepisse, respondit Sacra Congregatio *in Namurcen. Dispensat.* 16. *Decemb*, 1724. *ad* I. & II. *Dub.* CCCCXIV, *Dispensatio* ab esu Carnium concedi nequit ab Abbate Monasterii Canonicis Præmonstratensibus in Parochiis ex obedientia degentibus, *in Ordinis Præmonstratensis* 15. *Decemb.* 1725. *ad V. Dub.* CCCCLXXIV. *Dispensatio* concessa fuit, ut Canonicus Pœnitentiarius posset retinere cum Canonicatu Pœnitentiali Archidiaconatum, *in Ofcen. Canonicatus Pœnitent.* 15. *Januar.* 1724. CCCLXXI. *Dispensatio* concessa fuit ad suscipiendos reliquos Ordines minores, *in Placent.* 30. *Septembr.* 1724. CCCLXXXVII. *Dispensatio* ad Ordines suscipiendos denegata fuit Energumeno, *in Mediolanen.* 2. *Decembr.* 1724. *ad* II. *Dub.* CCCLXXXV. *Dispensationis* Breve super impedimento affinitatis ex copula illicita, obtenta dispensatione per Secretarium a Sanctissimo super falsa imputatione prætensorum impedimentorum, de quibus agebatur, executioni esse mandandum, respondit Sacra Congregatio *in Reatina* 13. *Jul.* 1725. *ad* I. *Dub.* CCCCLII. *Dispensatio* super Polygamia reservata est soli Deo, & concedi nequit a Summo Pontifice, PXLVI. §. 22. *Quod denique*, *Dispensatio* an aliquando a Summis Pontificibus fuerit concessa remanendi cum ea uxore, quæ Fidem Catholicam amplexa est, derelicta prima, quæ in infidelitate permansit, referuntur exempla. *ibid.* §. 21. *Quod vero*, & §. 29. *Difficultatibus*. *Dispensatio* ab irregularitate fuit ad cautelam concessa ordinato in Minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu eadem die, cum in susceptis ministrasset. DXCII. §. II. *De hac controversia*,

DISTRIBUTIONES quotidianas lucratur Canonicus absens causa infirmitatis. CXXII. §. *Porro in fin. Distributiones* sunt stipendium quotidiani servitii, & quotidianæ interessentiæ omnibus, & singulis, tam nocturnis, quam diurnis Officii Divini partibus. CLXVII. §. *Præpositus*. *Distributionibus* quotidianis æquiparantur emolumenta ex Anniversariis provenientia, XCIII. §. *E contra*. *Distributionibus* quotidianis constituendis, & dividendis inter Canonicos, seu Dignitates suæ Ecclesiæ valida judicata est applicatio facta ab Episcopo Liparitano de annuis scutis 876. subtractis ex reditibus suæ Mensæ Episcopalis. LXXVII. §. *Eminentissimus*. *Distributionum* quotidianarum causa tenetur Canonicus jubilatus, sicut alii Canonici, facere depositum tertiæ partis fructuum Præbendæ. XCIII. §. *Invenio circa fin. Distributionum* divisio, si possibile esset, fieri deberet singulis diebus, CLXVII. §. *Præpositus in fin. Distributionum* constituendarum modus traditur a Tridentino *Sess.* 21. *c.* 3. *& sess.* 22. *cap.* 3. *de ref.* LXXVII. §. *Eminentissimus in fin. Distributio* nuncupata natalitia annuorum scutorum 208. facienda est pro rata servitii præstiti in anno Capitulari antecedenti, in *Anagnina Distributionum* 8. *Jun.* 1720. *ad* I. *Dub.* CLXVII. *Distributiones*, & fructus pro tempore quo Canonicus absuit condemnatus ad triremes Pontificias non deberi, respondit Sacra Congregatio in *Ferentina Distributionum* 24. *Septemb.* 1718. LXIII. *Distributiones*, quæ aliis accrescunt juxta dispensationem Fundatoris, Mansionarius amittit si negligat residere, & Choro interesse, in *Comen. Distributionum* 9. *Maii* 1719. *ad* VII. *Dub.* CIV. *Distributionibus* quotidianis partim, & partim Præbendæ, destinatus censetur annuus reditus per Testatorem relictus pro Mansionariis quotidianis, *ibid. ad* II. *Dub. Distributiones* lucrantur Canonici absentes, ab Episcopo missi ad visitanda Limina Apostolorum. CCCXXV. §. *Quoad Canonicos absentes*, *& missos*. *Distributiones* debentur Canonico pro tempore, quo abfuit a Choro ex causa inquisitionis, si is cum Decreto -- *non molestetur* -- fuerit absolutus. CCLXXXVIII. §. *Super puncto*. *Distributiones* quotidianæ debentur Canonico a S. Officio dimisso cum clausula -- *Firmo remanente Processu* --, *ibid. Distributiones* quotidianæ non debentur Canonico absenti, ut assistat liti super suo Canonicatu promotæ, si lis commode possit per Procuratorem tractari, secus si requirat personalem Canonici assistentiam, CCCXXXV.

§. *Quoad*

§. *Quoad Canonicos denique circa med.* Episcopo autem competit judicare, an lis requirat, vel non requirat personalem assistentiam. *ibid. Distributiones* quotidianæ, aliorumque fallentiæ debentur Canonico infirmo. CCLXXXVIII. §. *Transeundo in fin. Distributiones* quotidianæ etiamsi debeantur, fallentiæ tamen non debentur, præsertim ubi viget consuetudo, quod fallentiæ tradantur tantum vere præsentibus. *ibid.* §. *Advertus in fin. Distributiones* quotidianas, aliorumque fallentias lucratur Canonicus ex legitima causa absens. *ibid.* §. *Transeundo*. *Distributiones* quotidianas percipere debent Canonici pro toto tempore, quo inquisiti manserunt, etiamsi ea de causa Divinis interesse non potuerint, dummodo deinde, uti non culpabiles, per Sententiam licet cum clausula -- *Ex hactenus deductis* -- absoluti fuerint. *ibid.* §. *Super puncto*. *Distributiones* quotidianas lucrantur Canonici absentes, ut assistant liti super Canonicatus respicienti. CCCXXV. §. *Quoad Canonicos denique in princ. Distributiones* petitæ pro tempore, quo Canonicus prosequitur litem in Curia pro consecutione aliarum distributionum ei debitarum non debentur. *ibid. Distributiones* quotidianas lucrantur Canonici, si assistant liti verteriti super Canonicatu, secus vero si lis vertat super præteritis distributionibus. *ibid. Distributionum* participatione non gaudent Canonici absentes a Choro, ut sui Episcopi servitio vacent. *ibid.* §. *Quoad Canonicos absentes a Choro*. *Distributiones* quotidianas, & fallentias non lucrari Canonicum, qui fuit ab impacto crimine absolutus, tamquam non repertus culpabilis, *in Lauretana Distributionum* 17. *Septemb.* 1722. *ad* I., & II. *Dub.* CCLXXXVIII. *Distributiones*, & fructus lucratur Canonicus absens pro Servitio Capituli. CCCC. §. *Transitum*. Limita, ubi adest consuetudo, quod Canonici absentes, ut Ecclesiæ & Capitulo inserviant, non admittantur ad distributiones. *ibid. Distributiones* non lucratur Canonicus absens, ut Capitulo, & Ecclesiæ inserviat, si non fuerit Episcopi licentia præmunitus. *ibid.* §. *Vis constituitur*. *Distributiones* quotidianas decursas tempore, quo fuit carceribus detentus, deberi Canonico, qui reportavit Decretum --- *Non esse molestandum*, --- resolvit Sacra Congregatio. DI. §. *In terminis*, *Distributiones* quotidianas usque ad diem obtenti Decreti deberi Canonico, qui in quadam Causa homicidii reportaverat Decretum -- *Non molestetur*, -- respondit Sacra Congregatio in *Reatina*, DI. §. *Rursus*, *Distributiones* non deberi Presbytero absque justa causa absente a Chori servitio, respondit Sacra Congregatio, *in Castren.* 13. *Apr.* 1726. *ibid. Distributiones* quotidianas pro horis, quibus interfunt, lucrantur omittentes Fidei Professionem, licet fructus suos non faciant, *in Cathacen.* 9. *Februar.* 1726. *ad* IV. *Dub.* CCCCLXXXIX.

DIVISIO Beneficiorum Ecclesiasticorum per Episcopum peracta fuit declarata invalida, *in Amalphitana* 30. *Septemb.* 1724. *ad* II. *Dub.* CCCCI.

DIVORTIO locus est ob Viri sævitiam, si v. g. manibus Uxorem atrociter, & immoderate verberet, & res eo redacta sit, ut nec quidem, oblata per Virum fidejussione, Uxor possit tuto illi committi. CCXXV. §. *Et post*. *Divortio* non esse locum, bene vero separationi thori usquequo aliter demandetur a Sacra Congregatione, responsum fuit in *Taurinen. Matrim.* 13. *Septemb.* 1721. *ad* II. *Dub. ibid. Divortii*, & separationis a toro sunt plures aliæ causæ præter Adulterium; sed divortium ob dictas causas concessum non durat, nisi usquequo durat causa, propter quam illud concessum fuit. CCCCXCVI. §, *Coherenter in fin. Divortio* perpetuo justam præbet causam fornicatio, sive adulterium, *ibid. Divortio*, seu separationi locum esse, usque quo aliter demandetur a Sacra Congregatione, responsum fuit *in Taurinen.* 16. *Mart.* 1726. CCCCXCVI. *Divortium*, seu tori separatio potest ab Ecclesia ex aliis causis præter Adulterium decerni. DXIVI. §. 13. *Accedit in princ. Divortio* justam præbet causam molesta cohabitatio ex probabili periculo jurgiorum, atque rixarum. *ibid. Divortio* non rigoroso, sed abstinentiæ a cohabitatione, & a toro ad certum, vel incertum tempus justam præstant causam odium, & inimicitia. *ibid.* §. 14. *E contra in fin.*

DOCTORATUS non receptus in publica Universitate non sustragatur pro assequendis Beneficiis, & Dignitatibus Ecclesiasticis. CCCXXXIII. §. *Quoad Beneficia*. *Doctoratus* Privilegia non recepta in publica Universitate, utpote sine examine concessa, non attenduntur, *ibid.* §. *At licet*.

DOCTRINAM Christianam docere tenentur Sacerdotes, & Clerici, & id omittentes mulctantur ex Synodo IV. Mediolanensi. CXIX. §. *Adversus hæc*. *Doctrinam* Christianam ut doceant Ludi-Magistri tam Clerici, quam Laici, primum hortari, dein vero præcipere potest Episcopus. *ibid. Doctrinam* Christianam docere in suis Ecclesiis, & annunciare Populo Festa, & jejunia inter Missarum solemnia, Regularibus a Tridentino prohibitum non est. CCCCXCVII. §. *In fortioribus circa med. Doctrinam* Christianam debent Scholarum Magistri docere. *ibid. Doctrinæ* Christianæ Confraternitas ad Pueros in eadem instruendos instituta, jussit S. Pius V. in Const. 137. Bull. Tom. 2. *ibid.* separata fuerit, Sacra Congregatio rescripsit *Ad Judices suos in Salernitana Sponsalium* 13. *Jul.* 1725. *ad* 3. *Dub.* CCCCXLV. *Dotium* distributionem faciendam esse Puellis Romæ, non autem Bononiæ degentibus, responsum fuit *in Romana seu Bononien.* 22. *Septemb.* 1725. *ad* I. *Dub.* CCCCLXVII,

DOTALE Subsidium cum peteretur a Puella prælative quoad alias Puellas, & sine lege Bussoli, rescriptum fuit -- *Dilata, & coadjuventur probationes super Consanguinitate* -- *in Romana subsidii dotalis* 16. *Mart.* 1720. CXLVI. *Dotale* Subsidium non esse tradendum Eleonoræ Catharinæ Fundati prælative quoad alias Puellas, & absque lege Bussoli, respondit Sacra

Con-

Congregatio. *ibid. Dotalium* subsidiorum, quæ dari a Confraternitate solent, administrationem nequit Parochus exercere. lvi. *ad IX. Dub. Dotalibus* subsidiis nequeunt apponi onera, & pactum reversivum in Schedulis impressis assignationis, *in Romana Dotium* 2. *Decemb.* 1724. ccccvi.

E

ECCLESIA ex erectione in Collegiatam acquirit nonnullas prærogativas, quæ ei antea non competebant, & quæ forte ante erectionem ad alias pertinebant Ecclesias. xxvi. §. *Folia, Ecclesiam*, ejusque Fabricam, titulum, & proprietatem donare Laici non possunt absque Episcopi consensu. lxiv. §. *Dicitur autem. Ecclesiæ* Collegiatæ erectio juxta antiquiorem opinionem poterat ab Episcopo fieri, & ab hac opinione non est recedendum, quando agitur de Collegiatis erectis tempore, quo prædicta opinio vigebat. clxxxiv. §. *Absque eo quod. Ecclesiæ* Collegiatæ erectio per Episcopum facta etiam in actu Pastoralis Visitationis non sustinetur. *ibid.* §. *Quatuor. Ecclesiæ* Matrici honor præservari debet super Ecclesia recens fundata, sed pendet ab arbitrio Ordinarii. clxviii. §. *Et honor. Ecclesiæ* Matricis Parocho competit jus præstandi ad Parochiam noviter institutam, si Ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione Ecclesiæ, secus quando eadem aliorum sumptibus fuit ædificata. *ibid.* §. *Non omissa. Ecclesiam* non esse vendendam, respondit Sacra Congregatio in *Bononien.* 24. *Februarii* 1720. cxlii. *Ecclesiæ* Parochialis manutentio, & reaptamentum spectat ad Parochum, non autem ad Commune, in *Auximana Restaurationis Ecclesiæ* 26. *Augusti* 1719. cxvii. *Ecclesiæ* S. Joannis in Statua unionem esse confirmandam, respondit Sacra Congregatio in *Reatina Unionis Ecclesiæ* 8. *Julii* 1719. cix. *Ecclesia* maximopere abhorret a Clericorum mendicitate, ideoque nemo licet idoneus non est ad Sacros Ordines promovendus, nisi Beneficium Ecclesiasticum ad congruam ejus sustentationem possideat. cclxxxi. §. *Secundum. Ecclesia* Parochialis ne conferatur diffamato, non requiruntur probationes concludentes delicti, sed leviores sufficiunt. ccxlix. §. *Appellatione. Ecclesiam* reaptare tenentur Beneficati, si in ea translata fuerunt Beneficia, licet eadem Beneficia in alia Ecclesia sint fundata. ccv. §. *Quod pariter. Ecclesiam* Parochialem reaptare cogendi sunt Parochus, cæterique Beneficia habentes in eadem Parochiali. ccv. §. *Quod Parochus. Ecclesiæ* Parochialis reparatio spectat ad Abbatem Commendatarium, non autem ad Vicarium perpetuum, nisi ei fuerit assignata portio sufficiens nedum pro alimentis, sed etiam pro reparationibus. ccclxviii. §. *Simile est. Ecclesias* novas, aut publica Oratoria erigi, dum concedit Episcopus, debet summopere animadvertere, ne Populus nimium abstrahatur ab Ecclesia Parochiali, & sic incidat in ignorantiam circa credenda, & observanda. cclxxxvii. §. *Pro persistentia. Ecclesiam* S. Mariæ Gratiarum Loci Benincasæ erigi non debere in Parochialem, respondit Sacra Congregatio in *Caven. Erectionis Parochialis* 5. *Junii* 1723. *ad I. Dub.* ccxcviii. *Ecclesiam* Parochialem reaptandam esse sumptibus Parochi, & Beneficiatorum ad ratam redituum, respondit Sacra Congregatio in *Nullius, seu Farfen. Reaptationis Ecclesiæ* 8. *Februarii* 1721. ccv. *Ecclesias* unitas, & annexas Collegio Montalto visitare potest Archiepiscopus Bononiensis jure delegato, *in Bononien. Juris Visitandi* 2. *Octobris* 1721. ccxxxii. *Ecclesia* Parochialis si est Monasterio plene subjecta, Cura Animarum potest etiam per Sacerdotem conductitium, absque eo quod opus sit Rectore perpetuo, exerceri. ccclxxv. *Ecclesiæ* Parochiali ob penuriam Sacerdotum Sæcularium potest præfici Regularis, ita ut, deducto victu, reliqui reditus in utilitatem Ecclesiæ, & Pauperum convertantur, & magis expedire, si idem Regularis fuisset deputatus ad tempus, & donec Episcopus providisset de Clerico Sæculari. ccclxxxii. §. *Adsunt & seq. Ecclesiæ* Parochialis hodie incapax est Monachus, & sine Apostolica dispensatione, & Indulto nequit illam obtinere. *ibid.* §. *Antiquæ. Ecclesias* non curatas, quæ sunt de Mensa Monasterii, eique subjective unitæ, nec jure Ordinario, nec delegato visitare potest Episcopus. ccclxvii. §. *Hæc quoad. Ecclesias* quascumque quomodolibet exemptas, sive illis immineat Cura Animarum, sive non, potest Episcopus jure delegato visitare. *ibid.* §. *Hæc quoad. Ecclesias* non Curatas, quæ perpetuo unitæ sunt Monasteriis, visitare potest Episcopus ut Sedis Apostolicæ delegatus; præterea Monasteria, & Abbatias commendatas, in quibus non viget Regularis observantia, & demum Beneficia tam Curata, quam non curata Sæcularibus, & Regularibus qualitercumque commendata, & eorum membra, quoties in illis non servetur Regularis disciplina. *ibid.* §. *Pluribus. Ecclesias*, quæ spectant ad Regulares, si eisdem deserviatur a Sæcularibus, potest Episcopus jure delegato visitare. *ibid.* §. *Quoad. Ecclesiæ* pertinentes ad Regulares, si eisdem immineat cura Animarum Personarum Sæcularium, visitari possunt ab Episcopo. dxx. §. *Quoad visitationem. Ecclesiæ*, & Cappellæ Granciarum, in quibus nullus degit Conversus, visitari possunt ab Episcopo jure delegato. ccclxvii. §. *Quando in fin. Ecclesiam* pertinentem ad Monachos Olivetanos potest Episcopus jure delegato visitare, *in Lycien. Visitationis, & Censurarum* 23. *Junii* 1725. *ad I. Dub. ibid. Ecclesiam* S. Stephani Sigestri Collegiatam non esse respondit Sacra Congregatio *in Brugnaten. Collegialitatis* 14. *Apr.* 1725. ccccxxxvii. *Ecclesiam* esse publicam, facta tamen per Senatorem Imperialem in publico Instrumento declaratione, se nullum jus habere in area sita ante Ecclesiam, nec non quod Claves tam Ecclesiæ, quam areæ retineantur a Cappellano, & quod dicta area non gaudeat immunitate refert Sacra Congregatio *in Savonen. 9. Septembris* 1724. ccclxxxix.

EDICTUM pro concursu a Capitulo promulgatum sustineri, responsum fuit *in Valentina* 30. *Januarii* 1723. cccii. *Edictum* Episcopi moderandum esse quoad deletionem turnariæ divisionis in servitio Chori, & Ecclesiæ per Canonicos servatæ, respondit Sacra Congregatio *in Anglonen., & Tursien.* 2. *Octobris* 1723. ccclxv.

EJECTIO, seu dimissio Religiosi e Religione fieri debet, servatis servandis, a Superiore Regulari una cum Episcopo. cl. §. *Hæc dicta. Ejectiones* Religiosi fieri debere, servatis servandis a Superiori Regulari una cum Ordinario, responsum fuit in *Burgen.* 13. *Aprilis* 1720. *ibid.*

ELECTIO Concionatoris spectat ad Episcopum, licet eleemosyna Concionatori per Communitatem solvatur, cxliv. §. *At quidquid. Electio* si fieri debeat, absens a loco electionis, sed degens in loco, a quo possit avocari, si justo detineatur impedimento, constituere valet Procuratorem, qui nomine suo suffragium ferat in electione, dummodo probet impedimentum juramento, & vices suas uni de Collegio committat. cxxii. §. *Si essemus.* Procedit, etiamsi de aliis negotiis Capitularibus agatur. *ibid.* §. *Porro. Electionem* novam Administratoris faciendam esse juxta Episcopi Decretum, respondit Sacra Congregatio. lxxiv. *ad II. Dub. Electionem* Camerarii factam in Capitulo cui interfuit Canonicus privatus Canonicatu, sustineri, resolutum fuit in *Romana Canonicatus* 3. *Decembris* 1719. *ad II. Dub.* lxx. *Electio* Sepulturæ facta a Defuncto ad suggestionem alicujus non sustinetur. cclxxv. §. *Archipresbyter.* De electione Sepulturæ non constare, respondit Sac. Congregatio *in Tudertina. ibid.* §. *Francisca. Electio* Vicarii Capitularis declarata fuit invalida, *in Turritana Vicarii Capitularis* 21. *Novembris* 1722. *ad I. Dubium.* ccxc. *Electionem* Vicarii Capitularis ab Episcopo antiquiore ex Suffraganeis valide fuisse peractam, respondit Sacra Congregatio, *in Turritana Vicarii Capitularis* 21. *Novembris* 1722. *ad II. Dub.* ccxc. *Electionem* ad officium Fabricerii in personam Canonici Goria coadjuti sustineri, respondit Sac. Congregatio *in Asten. Officii Fabricerii* 2. *Octobris* 1721. *ad I. Dub.* ccxi. De electione Sepulturæ satis constare responsum fuit *in Sorana Funerum* 24. *Aprilis* 1723. *ad I. Dub.* cccxxi. *Electio* Presbyteri ad participationem Missæ communis declarata fuit valida, *in Nullius Fasani* 6. *Julii* 1726. dxvii. *Electio* facienda a Capitulo de duobus Canonicis, qui curam Animarum eidem Capitulo adnexam exerceant, est ab Episcopo approbanda, *in Aliphana Curæ* 12. *Januarii* 1726. *ad III. Dub.* cccclxxx. *Electio* Abbatissarum fieri debet per vota secreta, alias est invalida. dxlvii. §. *Sacrum. Electioni* secretæ Abbatissarum non officit, quod ea expleatur, adhibitis duabus, vel tribus personis tanquam scrutatoribus lege secreti obstrictis. *ibid. Electioni* secretæ Abbatissarum itidem non officit, si ea expleatur per vota singularum Monialium oretenus expressa coram Superiore. *ibid. Electio* Abbatissæ facta sine interventu Episcopi, sed solum coram Superiore Regulari est invalida, si id Episcopus velit. *ibid.* §. *Plerasque in fin. Electio* Abbatissæ Monialium exemptarum non est ab Episcopo, sed a Superiore Regulari confirmanda. *ibid.* §. *Ultimo. Electioni* Abbatissarum in Monasteriis exemptis Episcopus una cum Superioribus Regularibus per se, vel per alium interesse valet, & præsidere citra tamen ullam Monasteriorum impensam. *ibid.* §. *Procedendo.* In Electionibus Abbatissæ Monialium exemptarum non debet intervenire Notarius Episcopi. *ibid.* §. *Sola. Electio* Abbatissæ Monialium facta coram Superiore Regulari absque interventu Episcopi, vel ejus Vicarii, qui prætendebat, intervenire debere Notarium Curiæ Episcopalis fuit declarata valida. *ibid. Electio* Abbatissæ, ubi fieri debeat, Episcopus, aut alius Superior non debet Claustra Monasterii ingredi, sed ante Cancellorum fenestellam vota singularum Monialium audire, vel recipere debet. *ibid.* §. *Sacrum.* Limita, quando magna concurrat necessitas evitandi scilicet subornationem Vocalium, aut alia adesset consimilis circumstantia; tunc enim ingredi liceret. *ibid.*

ELECTUS in Concursu ad Parochialem novum examen nequit alio modo effugere, quam ostendendo, Appellantem, & Provocantem ad novum examen esse de aliquo crimine diffamatum. clviii. *T. I. p.* 93. §. *Itaut.*

ELEEMOSYNARUM Manualium Missarum capaces sunt Regulares, qui Bona in communi possidere prohibentur. cxvi. §. *Procedentibus. Eleemosynam* Missarum, an petere possit is, qui eas celebravit, putans, se ad earum celebrationem teneri, examinatur. xxviii. §. *Hæc & alia. Eleemosynam* pro Missis recipere possunt Fratres Minores Observantiæ, si eam Hæredes persolvant in executionem oneris a Testatore relicti. cxxvii. §. *Hinc est. Eleemosynam* Missarum non teneri augere Hæredem, rescriptum fuit. xxi. §. *Pretendente. Eleemosyna* Missæ Conventualis est eam celebrantibus persolvenda, in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad II. Dub.* xcii. *Eleemosynæ* Missæ Conventualis detrahi, & solvi debet ex Massa Distributionum quotidianarum. *ibid. ad III. Dub. Eleemosyna* Missæ Parochialis persolvenda Cappellanis per Capitulum deputatis pro exercitio Curæ Animarum debet detrahi ex Massa distributionum. *ibid. ad VII. Dub. Eleemosynam* Missæ, quæ a Cappellanis a Capitulo deputatis pro exercitio Curæ Animarum celebratur, debere ad eodem Capitulo persolvi, respondit Sacra Congregatio. *ibid. ad VI. Dub. Eleemosynam* Concionatori subministrandam esse a Communitate, non autem

a Priore, respondit Sacra Congregatio in *Æsina Juris exigendi Concionatorem* 16. *Martii* 1720. *ad II. Dub.* cxliv. *Eleemosynæ* Missarum cedit in sustentationem Sacerdotum. cclxxxi. §. *Quapropter talia. Tom. I. p.* 188. *Eleemosyna* Missæ ea justa non dicitur, quæ requiritur ad diurnam Sacerdotis celebrantis sustentationem. dvi. §. *Tertium. T. 2. p.* 99. *Eleemosyna* Missæ, si per consuetudinem Localem, vel Legem Synodalem taxata fuerit, id operatur, ut Sacerdotes plus exigere nequeant, sed non efficit, ut ampliorem eleemosynam sibi sponte oblatam accepare non possint. dvi. §. *Taxatque. T. 2. p.* 90. *Eleemosyna* Missæ taxari debet juxta consuetudinem, quæ in Diœcesi viget, vel ex præstanda est, quæ a Lege Synodali, aut a Decreto Episcopi taxatur. *ibid.* §. *Quartum. Eleemosyna* Missæ potest in integro julio taxari, imposita pœna Sacerdotibus, qui pro minori quantitate celebrent. *ibid.* §. *Taxatque. Eleemosyna* Missæ, ut juste taxetur, habenda est ratio circumstantiarum loci, & temporis, & signanter caritatis, vel vilitatis annonæ. *ibid.* §. *Ultimum. Eleemosynas* pro Missis Religiosi Societatis Jesu, neque in particulari, neque eorum Collegia, & domus recipiunt. dxiii. §. *Quoad punctum. Eleemosynam* Manualem possunt Cappellani pro aliqua die cujuslibet Hebdomadæ impediti Missam per se ipsos celebrare tradere Presbyteris, qui vices suas suppleant, *in Neapolitana, seu Cappellaniarum* 14. *April.* 1725. *ad II. Dubium.* ccccxxxiii. *Eleemosynam* Manualem Missæ non esse in Urbe augendam, sed servari debere solitum, respondit Sacra Congregatio *in Urbis* 13. *Apr.* 1726. dvi.

EMOLUMENTA Anniversariorum, quæ fiunt intra annum, & quæ sunt fixa, spectant ad Canonicos jubilatos, licet non interfint, nisi aliter a Testatore cautum fuerit. xciii. §. *Quoad alium. Emolumenta* certa, & fixa præter quotidianas distributiones lucrantur Canonici jubilati, nisi aliter cautum fuerit a Testatoribus, vel aliter Statuto, vel consuetudine fuerit introductum. *ibid.* §. *Quoad Anniversaria. Emolumenta* Anniversariorum æquiparantur Distributionibus quotidianis. *ibid.* §. *E contra. De Emolumentis* adventitiis Anniversariorum participat Canonicus jubilatus, dummodo non obstet voluntas Testatoris, vel Dantis, in *Aquipenden. Indulti* 1. *Apr.* 1719. *ad II. Dub. ibid. De Emolumentis* ex Cadaverum associatione provenientibus non participat Canonicus jubilatus. *ibid. Emolumenta* una cum Cera debet Parochus restituere, si ea percepit occasione associationis, & expositionis in sua Ecclesia, quando illud deferri debebat recto tramite ad Ecclesiam tumulantem, *in Lucana Funerum* 14. *Martii* 1722. *ad II. Dub.* ccxlv.

EMPHYTEUSIS Ecclesiastica si sit temporalis, annuus canon ratione evidentis utilitatis, quæ in ipsa requiritur, debet æquivalere fructibus, qui ex Fundo Emphyteutico percipi solebant. cccxiv. §. *Ad alterum.*

ENERGUMENUS declaratus fuit irregularis quoad Ordines suscipiendos, *in Mediolanen.* 2. *Decemb.* 1724. *ad I. Dub.* ccclxxxv. *Energumenus* quod non esset dispensandus ad Ordines Sacros suscipiendos, respondit S. Congr. in *Mediol.* 2. *Decemb.* 1724. *ad II. Dub. ibid.*

Ad EPISCOPATUM promovendi debent esse nati ex Parentibus Catholicis. xlix. §. *Quoad.*

EPISCOPI Judicium, si contendat fuisse irrationabile, qui fuit examinatus in concursu ad Parochialem, debet de irrationabilitate, & gravamine concludenter docere. cxxxv. §. *Excipit donique. Episcopi* nequeunt uti mensibus a Tridentino indultis, si nondum Ecclesiam suam juxta *Const.* 190. *Urbani* VIII. accesserint. xi. §. *Alexander. Episcopi* non se conferentes ad residentiam juxta Const. Urbani VIII., sed tempore habili supplicantes pro Indulto nullas incurrunt Censuras, licet eorum preces non fuerint ob Sanctitatis Suæ, vel Secretarii impedimentum relatæ. *ibid.* §. *De incursu. Episcopi* post mensem a die eorum pronunciationis factæ per Papam in Consistorio debent itineri se committere, & ad residentiam se conferre. *ibid.* §. *In Constitutione. Episcopi* si contendant, se posse in suo primo ingressu aliquem nominare ad Canonicatus in futurum vacaturos, ejusmodi nominationes habent naturam gratiarum expectativarum. xciv. §. *Excipiunt in fin. Episcopi* prudentiæ, & judicio remissa fuit a Tridentino omissio Denunciationum Matrimonii. clxxxii. §. *At licet circa hæc. Episcopis* fuit a Tridentino permissum, ut singulis annis possint a suis Diœcesibus duobus, aut tribus mensibus abesse, dummodo id ex justa causa, & absque spirituali Gregis detrimento fiat, & dummodo quibusdam solemnioribus diebus ibidem enumeratis non absint. xiii. §. *Sacrum. Episcopis* infirmis Apostolica Sedes consuevit impartiri licentiam discedendi a suis Ecclesiis, sed ad tempus. xiv. §. *Propter. Episcopis*, intra quorum Diœcesum fines Abbatiæ sunt, licet eædem fruantur Territorio separato, reservata fuit per *Trident. sess.* 23. *cap.* 10. *de Ref.* concessio literarum dimissoriarum. lvi. §. *Pendet in fin. Episcopis* plura jure delegato competunt super clausura Monialium, non obstante Monasteriorum exemptione. clv. §. *Quartum, & seq. Episcopo* erigenti Ecclesiam Collegiatam etiam in actu Pastoralis visitationis, talis erectio non sustinetur. clxxxiv. §. *Quatuor. Episcopo* competit jus deputandi Concionatorem in Parochia, non Parocho. cxliv. §. *Postquam. Episcopo* competit jus eligendi Concionatorem, licet eleemosyna Concionatori per Communitatem solvatur. *ibid.* §. *At quidquid. Episcopus* potest indicere dies festos de præcepto in sua Diœcesi, sicuti Papa in toto Orbe Catholico. ci. §. *Quoad diem in princ.* Requiritur tamen consensus Capituli. *ibid. Episcopus* potest Ordines minores conferri uni, aut duobus extra jejunia quatuor Temporum Dominicis, aut aliis festis diebus. cxlix. §. *Quoad minores. Episcopus* nequit curæ Animarum præponere Regulares sine Apostolica dispensatione. clvii. §. *Contendit circa finem. Episcopus* juxta antiquiorem opinionem poterat erigere Ecclesiam Collegiatam, & ab hac opinione non est recedendum, quando agitur de Collegiatis erectis tempore, quo prædicta opinio vigebat. clxxxiv. §. *Absque eo quod. Episcopus* ille, in cujus Diœcesi Ordinandus, vel ejus Pater contraxit domicilium, debet Ordines conferre. clvi. §. *Prima & seqq.* Procedit, dummodo Pater Ordinandi, qui per decennium ibi habitavit, jurejurando affirmet, ab initio habuisse intentionem contrahendi domicilium. *ibid.* §. *Absque eo quod. Episcopus* illius Diœcesis, in qua Beneficium pro Ordinatione sufficiens ab aliquo possidetur, potest eidem Ordines conferre. clxi. §. *Non primum. Episcopus* ordinans aliquem sine sufficienti titulo tenetur sic Ordinato alimenta subministrare, donec ille Ecclesiasticum Beneficium assequatur. cxiii. §. *Licet. Episcopus* rite, recteque præfert minus doctum magis docto, ex quo minus doctus cæteris aliis necessariis polleat qualitatibus pro regimine Animarum. clvii. §. *Quoad depositionem. Episcopus* potest edere Decretum, ut Canonicis numquam liceat tempore Quadragesimæ abesse, nisi de ipsius, vel ejus Vicarii licentia. lxxviii. §. *Quoad assistentiam. Episcopus*, qui parum a sua Diœcesi abest, dicitur moraliter præsens. xiii. §. *Præter. Episcopus* quando possit, vel non possit in irregularitate contracta ex homicidio dispensare, & an, & quando illud dicatur voluntarium, vel casuale, vide deducta. xxxiii. §. *Adversus & seqq. Episcopus* dispensare potest in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio voluntario oritur. *ibid.* §. *Clara est. Episcopus* olim poterat Collegiatam erigere. lxiii. §. *Absque eo quod. Episcopus* infirmus potest Episcopatui renunciare ad Terminos *Textus in Cap. Nisi cum pridem* §. *Alia vero caus. de renunc.* xiv. §. *Ob hoc. Episcopi* judicium fuisse irrationabile circa collationem Parochialis, responsum fuit in *Uxentina Parochial.* 11. *Maii* 1720. clix. *Episcopo* non licere visitare Ecclesiam Sancti Joannis ad Templum, respondit Sacra Congregatio in *Asculana Visitationis* 4. *Mart.* 1719. lxxxvii. *Episcopo* Sanctæ Crucis de la Sierra indultum fuit, ut promovere valeat ad Sacros Ordines in Civitate S. Laurentii della Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec Beneficium, nec pensionem, nec patrimonium obtineant, in *Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Orientalibus* 8. *Jul.* 1719. cxiii. *Episcopo* privative competit electio Œconomorum Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo, tam in casu vacationis Ecclesiarum Parochialium ejusdem Abbatiæ, quam inhabilitationis earum Parochorum, in *Nullius seu S. Severini Jurisdict.* 4. *Februar.* 1719. *ad II. Dub.* lxxx. *Episcopo* non esse permittendum, seu indulgendum, ut præter tres menses Conciliares, tribus aliis mensibus in loco suæ Diœcesi contermino habitet, sed ei injungendum, ut recurrat ad Sanctissimum in casibus particularibus, responsum fuit in *Gurgen.* 19. *Februar.* 1718. xiii. *Episcopo* Segnensi infirmo fuit impertitum Indultum abessendi a residentia ad sex Menses, in *Segnen.* 19. *Febr.* 1718. xiv. *Episcopo* Cremonensi prorogatus fuit terminus ad duos Menses, ut inter eum ad residentiam se conferret, in *Cremonen.* 19. *Febr.* 1718. xi. *Episcopus* nequit dispensare in irregularitate ex homicidio voluntario contracta, in *Papien.* 21. *Maii* 1718. xxxiii. *Episcopus* nequit Regularibus, quibus traditit facultatem audiendi Confessiones Sæcularium præcipere, ut interfint Conferentiis Casuum Conscientiæ, in *Aquipendii Visit. Sacrorum liminum* 12. *Februar.* 1718. xvii. *Episcopus* cogere potest Deputatos, & Gubernatores Cappellæ ad reddendam rationem pecuniæ ad eos pervenæ ex redditibus legatis eidem Cappellæ, necnon ex Gabellis, & aliis Bonis dictæ Cappellæ assignatis per Consilium Civitatis. xxxix. *ad III. Dub. Episcopo*, vel habenti Jurisdictionem Ordinariam, & non alteri *Inferiori debet in limine fundationis* Beneficii institutio reservari. ccxlviii. §. *Difficultas.* Beneficii tamen institutio ad petitionem Patronorum Laicorum etiam post Tridentinum fuit a Summis Pontificibus reservata Inferioribus Ordinario. *ibid. Episcopo* non licet consueta privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere nisi de Ordinarii Loci expressa licentia, & in personas eidem subjectas tantum. cclxiii. §. *Quoad exercitium in princ. Episcopo* visitare volenti Clausuram Monasteriorum non tenentur Moniales erigere in Ecclesia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldachino, sed sufficit, si stratum in utraque Ecclesia præparent. cccxli. §. IV. *An Episcopo. Episcopus* visitare potest, etiam assumpto secum Vicario Generali, & Confessario Monialium, Monasterium Regularibus subjectum, ac Moniales ipsas in iis, quæ ad Clausuram pertinent, examini subjicere, remotis etiam suspicione violatæ Clausuræ, ac quacumque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis. *ibid.* §. *Actum. Episcopus* Clausuram ingressus potest pro sui libito convocare Moniales omnes in Choro interiori, aut in alio loco, & ad eas sermonem habere. *ibid.* §. VIII. *An Episcopus. Episcopus* nequit absolute, & indifferenter visitare Cellas dd. Monialium etiam quoad non pertinentia ad Clausuram. *ibid.* §. IX. *An absolute. Episcopus* nequit Clausuram Monialium Regularibus subjectarum ingredi cum Pluviali, & Stola. *ibid.* §. III. *An possit. Episcopus* potest communicare Moniales Regularibus subjectas. *ibid.* §. II. *An valeat. Episcopus* non potest visitare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Olea Sacra, Confessionalia, Reliquias, & Sepulturas in Ecclesiis Monialium Regularibus subjectarum, quatenus non adsit legitima in contrarium consuetudo. *ibid.* §. II. *An in Ecclesiis. Episcopus* non potest Fores Ecclesiæ Monialium Regularibus subjectarum frangere, Tabernaculum violenter aperire, Eccle-

ſiam interdicere, & SS. Euchariſtiæ Sacramentum ad aliam Eccleſiam transferre, niſi in caſibus ad Clauſuram ſpectantibus. *ibid.* §. III. *An in caſu &c. Epiſcopus* nequit concedere Presbytero licentiam utendi Pileolo, ſeu Peruccha in celebratione Miſſarum. cclxxvii. *& ſeq.* §. *Promotor in fin. Epiſcopus* nequit ad Parochi inſtantiam impedire, quo minus Miſſæ celebrentur in Eccleſiis ſitis in Diſtrictu Parochiæ, niſi poſt abſolutam Miſſam Parochialem. ccliii. §. *Quia vero in princ. Epiſcopus* nequit nova onera Beneficiis imponere. cci. §. *Fundamentum. Epiſcopus* viſitare poteſt Confraternitates Laicorum in Regularium Eccleſiis erectas quoad adminiſtrationem, & circa ea, quæ reſpiciunt manutentionem, cultum, & ornamentum Altaris, ſeu Cappellæ, onera Miſſarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & denique circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent. cclxxxv. §. *Quia vero, & duob. ſeqq. Epiſcopus*, quando primum Beneficium non eſt ſufficiens, poteſt illo Beneficia diffornia ſub eodem tecto conferre. ccxxxv. §. *Sacrum Concilium in fin. Epiſcopus* poteſt Beneficium conferre habenti jam in penſionibus Eccleſiaſticis congruam ſuſtentationem. *ibid.* §. *Tranſitum circa med. Epiſcopus* poteſt habenti unum ſimplex Beneficium, quod non ſufficiat ad ejus ſuſtentationem, aliud ſimile conferre abſque Apoſtolica diſpenſatione, ſed, ſi duo non ſufficiunt ad ſuſtentationem, nequit tertium abſque Apoſtolica Diſpenſatione conferre. *ibid.* §. *Sacrum Concilium circa med. Epiſcopus* volens extra viſitationem adverſus aliquem ex Canonicis Capituli exempti procedere, tenetur id facere cum duobus Adjunctis ex gremio Capituli. cclxix. §. *In cap. deinde 6. in princ.* Poteſt tamen etiam extra viſitationem abſque Adjunctis procedere, ubi agitur de delictis depoſitionem, vel degradationem merentibus, & in quibus de fuga timetur, deveniendo ad perſonalem detentionem, & ad ſummariam informationem. *ibid. Epiſcopus*, ſi velit extra viſitationem contra aliquem ex Canonicis procedere, tenetur id facere cum duobus Adjunctis ex gremio Capituli. ccxxviii. §. *Allegata*. Procedit, ſi Capitulum ſit exemptum, ſecus ſi Ordinariæ Epiſcopi Juriſdictioni ſubſit. *ibid.* Procedit inſuper, niſi agatur de delictis depoſitionem, aut degradationem requirentibus, & in quibus de fuga timeatur, tunc enim poteſt Epiſcopus ad perſonalem detentionem, & ad ſummariam informationem etiam ſine Adjunctis procedere. *ibid.* §. *Allegata*. *Epiſcopus* tenetur cum Adjunctis procedere contra Capitulum exemptum propter exceſſum ab univerſo Capitulo, vel de illius mandato, conſenſu, aut approbatione patratum. cclxix. §. *In cap. deinde in fin. Epiſcopus* tenetur cum Adjunctis procedere contra Canonicum, ſi Capitulum ſit exemptum, ſecus vero ſi de Capituli exemptione non conſtet. *ibid. Epiſcopus*, ſi velit viſitare Clauſuram Monaſteriorum Monialium Regularibus ſubjectarum, non tenetur ante acceſſum iiſdem Monialibus præfinire diem, & horam viſitationis. cccxli. §. I. *An Archiepiſcopus*. *Epiſcopus* in viſitatione Capituli non tenetur aſſumere aliquos ex Canonicis, ſed poteſt viſitare vel per ſe ipſum ſolum, vel aliis Adjunctis etiam extra Capitulum, non obſtante quacumque Capituli exemptione. cclxix. *Epiſcopus* poteſt per ſe ipſum ſolum, vel illis, quibus ſibi videbitur, adjunctis viſitare, corrigere, & emendare Capitula Cathedralium, aliarumque Eccleſiarum, nullis obſtantibus conſuetudinibus, aut exemptionibus. ccxxviii. §. *De viſitatione in princ. Epiſcopus* in viſitatione Capituli Cathedralis, vel aliarum Eccleſiarum non tenetur ſibi aliquos Canonicos adjungere, ſed poteſt viſitare per ſe ipſum ſolum, vel aliis adjunctis etiam extra Capitulum. *ibid. Epiſcopus* non tenetur Ordinato ad titulum Beneficii quidquam contribuere pro illius ſuſtentatione, ſi dictum Beneficium fuerit ab alio ſubinde evictum. ccxlvi. §. *Secundo. Epiſcopus* non tenetur inquirere, an Ordinandi dimiſſi ad ipſum ſint idonei, & an habeant ſufficientem titulum pro Ordinatione, poteſt tamen, ſi velit. ccxxiii. §. *Juxta circa fin. Epiſcopus* proprius ad effectum Ordinationis non dicitur ille, in cujus Diœceſi Ordinandus habet penſionem. *ibid.* §. *Pro parte vero. Epiſcopus* proprius ad effectum Ordinationis eſt ille, de cujus Diœceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat Oriundus, ſed in cujus Diœceſi Beneficium Eccleſiaſticum obtinet, aut in eadem domicilium, licet ab illo natus fuerit, habet. *ibid.* §. *Proprius*, *Epiſcopus* in concedenda licentia erigendi novas Eccleſias, aut Oratoria publica debet ſummopere animadvertere, ne Populus nimium abſtrahatur ab Eccleſia Parochiali, & ſic incidat in ignorantiam circa credenda, & obſervanda. cclxxxvii. §. *Pro perſiſtentia*. *Epiſcopus* curare debet, ne Canonici nimium frequenter ſe ſubſtituant in ſervitio Chori, & Eccleſiæ. ccviii. §. *Pluries*, *& §. Ruurſus*, *Epiſcopi* debent Ordinandos dimittere ad alium Epiſcopum probatos, & examinatos. ccxxiii. §. *Juxta in prin. Epiſcopus* ſi Miſſa abſque Miniſtris cantetur, a Lectore indutо tantum Superpelliceo cantanda eſt juxta Cornu Altaris, ubi Celebrans legit Epiſtolam in Plano Presbyterii. cccv. §. *Quoad Epiſtolam in fin. Epiſcopum* poſſe viſitare nedum crates, & mœnia exteriora Monaſteriorum Regularibus ſubjectorum, ſed etiam Chorum interiorem, Dormitoria, Cellas, aliaque loca pro Clauſuræ cuſtodia, reſpondit Sacra Congregatio *in Aquilana Juriſdict.* 31. *Jul.* 1723. *ad* IV. *Dub.* cccxli. *Epiſcopum* poſſe ſolum cum ſuis Conviſitatoribus ingredi, & viſitare Clauſuram Monialium Regularibus ſubjectarum abſque Superioris Regularis interventu, reſpondit Sacra Congregatio *in Aquilana Juriſdict.* 31. *Jul.* 1723. *ad* III. *Dub. ibid. Epiſcopum* nedum Altaria, & Cappellas Eccleſiarum exiſtentium in Monaſteriis Monialium Regularibus ſubjectarum, in quibus Beneficia, aliaque Miſſarum onera inſint, verum etiam, & Tabernaculum cum Altari Majori viſitare non poſſe, reſpondit Sacra Congregatio *in Aquilana Juriſdict.* 31. *Jul.* 1723. *ad* VI. *Dub. ibid. Epiſcopum* occaſione Viſitationis Monaſteriorum Monialium Regularibus ſubjectarum poſſe habere ſermonem ſpiritualem prædictis Monialibus tam intra, quam extra Septa Monaſterii reſpondit Sacra Congregatio. *ibid. ad* V. *Dub. Epiſcopum* accedentem ad viſitandum Monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum jus non habere cogendi eaſdem Moniales ad ſibi exhibendum librum Regularum; eas vero teneri ſubire ad ſolitas crates onus perſonalis viſitationis quoad Clauſuram ſpectantis, reſpondit Sac. Congregatio. *ibid. Epiſcopum* accedentem ad viſitandum Monaſteria Monialium Regularibus ſubjectarum excipiendum eſſe in ingreſſu Eccleſiæ cum ſolitis honorificentiis, præeminentiis, aç omnibus reverentialibus actibus, eumque tam in ingreſſu, quam in egreſſu Eccleſiæ aſſociari debere a Miniſtris Officialibus ejuſdem Monaſterii, ejuſque Confeſſario tantum, reſpondit Sacra Congregatio. *ibid.* Ad Epiſcopum pertinere approbationem Confeſſariorum pro Monialibus, reſpondit Sacra Congregatio *in Uratislavien.* 30. *Januar.* 1723. cccl. *Epiſcopum* Auxiliarem non teneri, ſed poſſe inquirere, utrum circa illos, qui ſibi ab Ordinario, ſeu Capitulo proponuntur, ſeu dimittuntur ordinandi, ſatisfactum ſit Conſtitutioni *Speculatores*, non obſtante, quod ipſi non competat habilitare, & expedire Ordinandos, ſed Proviſori Capituli, a quo, non in genere, ſed expreſſæ Perſonæ habiles, & expeditæ proponuntur, reſolvit Sacra Congregatio *in Eboren. Dubiorum* 23. *Auguſti* 1721. *ad* III. *Dub.* ccxxiii. *Epiſcopi* Decreta edita in viſitatione Eccleſiæ, quam poteſt cumulative cum Inferiore viſitare, prævalent Decretis editis ab inferiore, ſi inter ſe adverſentur. ccclxvii. §. *Hæc quoad in fin. Epiſcopo* Mobilia omnia Beneficiatorum, & aliorum Presbyterorum morientium in Diœceſi, & in nonnullis Eccleſiis Belgicis deferuntur. cccclxxiii. §. *Adeoque*. *Epiſcopo* ex privilegio, ſeu conſuetudine legitime præſcripta licitum eſt bona Beneficiatorum ſuę Diœceſis morientium appropriare, eaque in ſuos uſus convertere. *ibid.* §. *Archiepiſcopus*. *Epiſcopus* viſitare poteſt jure delegato Eccleſias, quæ ſpectant ad Regulares, ſi eiſdem deſerviatur a Sæcularibus. ccclxvii. §. *Hæc quoad*. *Epiſcopus* jure delegato viſitare poteſt Eccleſias, & Cappellas Granciarum, in quibus nullus degit Converſus. *ibid.* §. *Quando in fin. Epiſcopus* viſitare non poteſt nec jure Ordinario, nec delegato Eccleſias non curatas, quæ ſint de Menſa Monaſterii, eique ſubjective unitæ. *ibid.* §. *Hæc quoad*. *Epiſcopus* viſitare poteſt Eccleſias quaſcumque exemptas, ſive illis immineat Cura animarum, ſive non. *ibid. Epiſcopus* jure Ordinario viſitare poteſt Eccleſias Curatas in ſolo Lateranenſi fundatas quoad Curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. dx. §. *Quoad fundationem in princ. Epiſcopus* viſitare poteſt jure Ordinario Perſonas tam Regulares, quam Sæculares Curam animarum exercentes in Monaſterio, cui immineat Cura animarum, eaſque corrigere, ac punire, ſi in iis, quæ ad Curam, & adminiſtrationem Sacramentorum pertinent, deliquerint. ccclxvii. §. *Pluribus*. *Epiſcopus* viſitare poteſt Eccleſias quaſcumque, licet ſpectent ad Regulares, dummodo iiſdem deſerviatur a Sæcularibus, & licet non ſint curatæ. dxx. §. *Quoad viſitationem in fin. Epiſcopus* viſitare poteſt Monaſteria, & Abbatias commendatas, in quibus non viget regularis Diſciplina. *ibid. Epiſcopus*, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, viſitare poteſt Hoſpitalia, & omnia Loca pia, etiamſi eorum Cura ad Laicos pertineat, & exempta ſint, non obſtantibus conſuetudine etiam immemorabili, Privilegio, aut ſtatuto. dx. §. *Quoad Jus*. *Epiſcopus*, uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, viſitare poteſt Beneficia curata, quæ perpetuo unita ſunt Monaſteriis; præterea Monaſteria, & Abbatias commendatas, in quibus non vigeat Regularis obſervantia, & demum Beneficia tam curata, quam non curata Sæcularibus, & Regularibus qualitercumque commendata, & eorum membra, quoties in illis non ſerventur Regularis Diſciplina. ccclxvii. §. *Pluribus*. *Epiſcopus* viſitare poteſt Hoſpitalia, & confraternitatum Eccleſias, aliaque pia Loca exiſtentia ſub immediata protectione ſublimium Principum, ſi non ſint Reges. dx. §. *Quoad Hoſpitalia circa fin. Epiſcopus* viſitare non poteſt Hoſpitalia, & Confraternitates ſub immediata Regum protectione exiſtentes. *ibid.* Protectio tamen Regia, ut ſuffragetur, debet in limine erectionis implorari. *ibid. Epiſcopus* viſitare poteſt Eccleſias non Curatas, aliaque Loca pia in ſolo Lateranenſi fundata. dx. §. *Quoad fundationes in fin. Epiſcopus* nequit repellere Præſentatos a Patronis, niſi ubi illi non fuerint idonei reperti. cccciv. §. *Circumfertur*. *Epiſcopus* poteſt novo examini Parochos ſubjicere, ut conſtat ex pluribus reſolutionibus relatis. cccclxxvi. §. *Sacrum in fin. & ſeq. Epiſcopus* an ſtatuere poſſit, ut Sacerdotes pro Miſſa non recipiant quid minus Eleemoſyna taxata? Variant Authores relati, dvi. §. *Taxataque*. T. 2. *p.* 99. *Epiſcopus* poteſt Beneficium, ſeu Cappellaniam de perpetua manualem effecere. ccccxcii. §. *Quærunt in fin. Epiſcopus* in ſua Diœceſi poteſt Beneficia dividere, de novo creare, & extinguere. *ibid. Epiſcopus* Olea Sacra conficere poteſt minori Aſſiſtentium numero, ubi parvum Clerum habet, aut exiſtit in partibus Infidelium. ccccxxii. §. *Juxta*. *Epiſcopus* ſingulis annis feria v. in Cœna Domini Olea Sacra debet conficere. *ibid. Epiſcopi* judicium non fuiſſe irrationabile in Collatione Parochiæ, & Examinatores Synodales malam relationem non feciſſe, reſpondit Sacra Congregatio *in Lunen. Sarzanen. Parochiæ*. 2. *Decemb.* 1724. cccev. *Epiſcopi* Decretum circa diſtributionem ſubſidiorum dotalium eſſe executioni mandandum, reſpondit Sacra Congregatio *in S. Miniati* 24. *Mart.* 1725. ccccxxxi.

Epi-

Epiſcopi Decretum, quo prohibitum fuit Parocho, ne ad Communionem Paſchalem admitteret Parochianum publicum Peccatorem, & non ſatis inſtructum in iis, quæ ad Myſteria Fidei pertinent, ſuſtineri, & eſſe executioni demandandum, reſpondit Sacra Congreg. *in Gravinen.* 10. *Jun.* 1724. ccclxxxi. *Epiſcopo* ultra id, quod ipſe recipit in pecunia numerata ab Hæredibus Defunctorum pro funere cujuslibet Defuncti, non debetur Quarta ex quatuor libris Ceræ, quæ ſuperſunt poſt abſolutum funus, *in S. Marci 9. Februar.* 1726. cccclxxxvii. *Epiſcopo* licet removere Officiales, & Miniſtros a Confraternitate electos, quatenus non ſint idonei, & graves exceptiones patiantur, *in Aſculana* 24. *Mart.* 1725. *ad* IV. *Dubium*. ccccxxvi. *Epiſcopo* rationem reddere tenentur Confraternitatis Officiales, tam in actu viſitationis, quam extra illam in loco ab eodem Epiſcopo deſignando, non autem extra Oppidum, ubi ea erecta reperitur. *ibid. ad* V. *Dub. Epiſcopus* ſive per ſe, ſive per alium ab ipſo deputandum intervenire poteſt Congregationibus generalibus Confraternitatis. *ibid. ad* II. *Dub. Epiſcopus*, ſeu Perſona per eum deputanda nequit ſuffragium ferre in Congregationibus Confraternitatis. *ibid. ad* III. *Dub. Epiſcopus* procedens ad exigendam rationem adminiſtrationis geſtæ ab Officialibus deputatis a Capitulo, Sede vacante, adjunctis uti non tenetur, *in Gneſnen.* 14. *Apr.* 1725. *ad* I. *Dub.* ccccxxxviii. *Epiſcopus* poteſt jure delegato viſitare Eccleſiam pertinentem ad Monachos Olivetanos, in *Lycien. Viſitat.*, *& Cenſuranum* 23. *Jun.* 1725. *ad* I. *Dubium*. ccclxvii. *Epiſcopus* punire debet Clericos recurſum habentes ad Judices Laicos Cenſuris, aliiſque Eccleſiaſticis pœnis, *in Derbonen. 6. Jul.* 1726. *ad* I. *Dub.* dxiv. *Epiſcopus* poteſt Ordines conferre etiam non ſervatis interſtitiis, & ſuper eis, concurrente neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ diſpenſare. dxcii. §. 2. *Si non ſerventur in fin. Epiſcopus* conferens eodem tempore Minores Ordines, & Subdiaconatum an, & quando ſuſpenſionem ab Ordinum collatione incurrat, differitur. *ibid.* §. 10. *Quin immo*. *Epiſcopo*, qui duos Minores Ordines una cum Subdiaconatu nonnullis Clericis eadem die contulit, omnis pœna remiſſa fuit pro ea vice, dummodo impoſterum a ſimilibus ſe abſtineret. *ibid.* §. 11. *De hac controverſia*. *Epiſcopus* nequit in electione Abbatiſſæ Monialium exemptarum exquirere voluntates eligentium. dxlvii. §. *Secundo*. *Epiſcopus* in electione Abbatiſſæ Monialium exemptarum nequit exquirere, ſeu recipere vota Monialium, ſed illa ſunt exquirenda, & recipienda a Superiore Regulari, ſciente tamen Epiſcopo. *ibid.* §. *Tertio*. *Epiſcopus* non poteſt in electione Abbatiſſæ Monialium exemptarum adnotare ſuffragia, ſed hæc adnotatio reſervata eſt Prælato Regulari. *ibid.* §. *Quarto*. *Epiſcopus* in electione Abbatiſſæ Monialium exemptarum nequit dare ſuffragium, alias electio in vim hujuſmodi voti celebrata vires non obtinet. *ibid.* §. *Quinto*. *Epiſcopus* poteſt animadvertere in Regulares, qui ante tempus ſibi ſignificatum, aut die electionis ei non prænunciato, procedunt ad electionem Abbatiſſæ. *ibid.* §. *Plerique*. *Epiſcopus* poteſt beneficium de perpetuo facere manuale, accedente Patronorum conſenſu. ccccxcii. §. *Quærunt*. Contrarium tamen ſentiunt Authores relati. *ibid.* §. *Alii contrarium*. *Epiſcopus* habens facultatem dandi benedictionem Apoſtolicam conſtitutis in articulo mortis non tenetur quoad Moniales eam committere earum Confeſſario ordinario, ſed eſt in ejus facultate aliquando ingredi Monaſterium, ut eiſdem benedictionem elargiatur, in *Mazavien.* 10. *Maii* 1727. *ad* I. *Dub.* dli. *Epiſcopus* occaſione functionis ordinationum in Altari majori Cathedralis explendæ poteſt cogere Capitulum, ut anticipet, vel poſtponat horam conſuetam pro horis Canonicis, & Miſſa Conventuali, dummodo non excedatur ſpatium unius horæ præter conſuetas horas, in *Glennen. celebration. Ordinum* 2. *Auguſti* 1727. *ad* III. *Dub.* dxxxiv. *Epiſcopus* debet temporibus a jure ſtatutis celebrare ſunctionem Ordinum generalium ad Altare majus Eccleſiæ Cathedralis, niſi adſit rationabilis cauſa arbitrio Epiſcopi judicanda. *ibid. ad* I. *Dub. Epiſcopus* occaſione generalis Ordinationis poteſt ad Altare majus Eccleſiæ Cathedralis Pontificaliter celebrare Miſſam Conventualem ad Sabbatum deſignatum loco illius, quæ celebrari a Capitulo debet cum aſſiſtentia omnium Præbendatorum, & aliorum de Choro in *Glennen. Celebration. Ordinum* 2. *Auguſti* 1727. *ad* II. *Dub.* dxxxiv. *Epiſcopus* poteſt in electionibus Abbatiſſarum in Monaſteriis ſub diſciplina Regularium Minorum de Obſervantia ſecum conducere Cancellarium in *Tiburtina* 26. *April.* 1727. *ad* I. *Dub.* dxlvii. *Epiſcopus* ingrediens Monaſterium, ut Monialibus in articulo mortis conſtituris det benedictionem, debet ingredi cum Confeſſario Monialium, & uno probo Sacerdote per eum eligendo, in *Mazarien.* 10. *Maii* 1727. *ad* II. *Dub.* dli. *Epiſcopus* adverſus abuſus introductos ex magno numero Clericorum conjugatorum facinora committentium, aut viles artes exercentium debet uti juris remediis, & ſignanter ſtatutis in *cap. 6. ſeſſ.* 23. *de Ref.* & aliis indicatis in Conſtitutione 16. impreſſa poſt Synodum Romanam §. 1. 2. 4. & 6. in *Calaritana* 21. *Februar.* 1728. *ad* II. *Dub.* dxcii. *Epiſcopus*, & Confeſſarius ſive ordinarius, ſive extraordinarius ingredi poſſunt Monaſterium abſque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua Moniali infirma, quæ pro ſua devotione vult confiteri, ſervatis tamen ſervandis, in *Mazavien.* 5. *Jul.* 1727. dlxiv. *Epiſcopum* Maceraten. poſſe viſitare jure ordinario Confraternitatem ſub invocatione Sanctæ Mariæ Miſericordiæ erectam in Eccleſia ejuſdem Tituli ſita in Caſtro Urbis Aliæ, quamvis in ſolo Baſilicæ Lateranenſis ædificata ſit, reſpondit Sacra Congregatio in *Maceraten.* 10. *Maii* 1727. dl. *Epiſcopum* Monopolitanum debere, prout de jure, procedere contra Clerici percuſſorem, reſpondit S. Congregatio in *Monopolitana* 20. *Septemb.* 1727. *ad* II. *Dubium*. dlxvii. *Epiſcopum* Montis Regalis poſſe viſitare Eccleſiam Ruralem ſub titulo Beatæ Mariæ Virginis ad Nives exiſtentem in ſua Diœceſi in finibus Loci Moroſii, & portam eſſe aperiendam verſus viam publicam, reſpondit Sac. Congregatio in *Montis Regalis* 13. *Mart.* 1727. dxli.

EPISTOLA canenda eſt ante Altare ab uno de Clero Superpelliceo induto. cccxv. §. *Quoad Epiſtolam*. *Epiſtola* licite poteſt cantari in Miſſa ſolemni a Clerico Minorum Ordinum ſine Manipulo, ſi illi hoc committatur propter inopiam Miniſtrorum in Sacris. *ibid. Epiſtolam* in Miſſis Defunctorum canendam non eſſe in Choro, ſed ad Altare in cornu Epiſtolæ ab uno de Clero, reſponſum fuit in *Montis Mavani Servitii Eccleſiæ* 30. *Januar.* 1723. *ad* III. *Dub. ib.*

ERECTIO Collegiatæ per Epiſcopum facta etiam in actu Paſtoralis Viſitationis non ſuſtinetur. clxxxiv. §. *Quatuor*. *Erectio* Collegiatæ juxta antiquiorem opinionem poterat ab Epiſcopo fieri, & ab hac opinione non eſt recedendum, quando agitur de Collegiatis erectis tempore, quo prædicta opinio vigebat. *ibid.* §. *Abſque eo quod*. *Erectioni* novæ Parochiæ locus eſt attenta diſtantia, & magna Populi incommoditate quoad receptionem Sacramentorum. clxxviii. §. *Communitas*. *Erectio* novæ Parochiæ eſt remedium ſubſidiarium non adhibendum, quando per Conſtitutionem Vicarii ſatis conſultum eſt ſpirituali animarum ſaluti. *ibid.* §. *Porro*. *Erectioni* novæ Parochiæ eſt locus, concurrentibus juſtis cauſis, diſtantiæ videlicet, & incommoditatis percipiendi Sacramenta, & non obſtante exiſtentia Coadjutoris, & Vicecurati, ſive oblatione eum retinendi in aliqua Eccleſia ad effectum, ut ille Populo Sacramenta miniſtret. *ibid.* §. *Adeoque*. *Erectio* Confraternitatis fuit ſanata, ſeu convalidata in *Ulliſponen. Occident. Confraternitat. 7. Decemb.* 1720. cxciii. *Erectionem* Collegiatæ SS. Firmi, & Ruſtici in Oppido Caravaggi ſuſtineri, reſpondit Sacra Congregatio in *Cremonen. Collegiatæ 7. Septembris* 1720. clxxxiv. *Erectioni* Collegiatæ cum quæreretur, an eſſet locus, editum fuit hoc Reſcriptum -- *Affirmative cum omnibus conditionibus expreſſis in folio Capituli, & dummodo inſtitutio authorizabilis, & approbatio Perſonæ præſentandæ ad Canonicatum pertineat ad Epiſcopum, & ſola expeditio Literarum Collationis ſpectet ad Capitulum, necnon prævia ratificatione obligationum per Deputatos, & Syndicos Communitatis factarum favore Eccleſiæ Collegiatæ facienda a generali Conſilio Pontremoli legitime coacto* -- in *Lunen. Sarzanen. Erectionis Collegiatæ 7. Maii* 1718. xxvi. *Erectioni* Collegiatæ juxta numerum petitum Canonicorum, & Dignitatum, & cum conceſſione uſus Rocchetti, & Mozzettæ expedien. per Datariam locum eſſe reſpondit Sac. Congreg. in *Syracuſana Erectionis Collegiatæ* 24. *Febr.* 1720. cxxxi. *Erectioni* Fontis Baptiſmalis in Eccleſia Parochiali S. Mariæ Novæ Caſtri Seronis locum eſſe, relicta libertate Parochianis S. Mariæ Caſtri Seronis deferendi juxta ſolitum Filios baptizandos etiam ad alias Parochias, reſpondit Sacra Congregatio in *Fulginat. Fontis Baptiſm.* 22. *Jun.* 1720. cxliii. *Erectioni* Sepulturæ factæ pro tota alicujus familia locum eſſe, reſponſum fuit in *Famen. Sepulturæ*, *& Quartæ Funeralis 9. Maii* 1719. *ad* I. *Dub.* li. *Erectio* Collegiatæ eum peteretur, reſcriptum fuit -- *Dilata*, *& examinetur coram Eminentiſſimo Præfecto modus, quo Collegiata poſſit erigi*, *& coram eodem Eminentiſſimo Præfecto interim reddatur ratio ab Adminiſtratoribus de Hæreditate Maltraverſia*, *in Cremon. Erectionis Collegiatæ* 23. *Auguſt.* 1721. ccxxi. *Erectio* Cappellaniarum nuncupatarum Canonicatuum judicata fuit valida in *Savonen.* 23. *Maii* 1722. *ad* I. *Dub.* cclxi. *Erectionem* Univerſitatis Juvenum Aurificum, & Argentariorum ſuſtineri, deleto tamen capitulo, quo a contributione eximuntur Filii, & Fratres Magiſtrorum, & eos teneri, uti cæteros, ad ſolutionem, reſpondit Sacra Congregatio *in Romana* 16. *Januarii* 1723. ccxcix. *Erectionem* Archipresbyteratus indulgendam eſſe reſpondit Sacra Congregatio *in Cæſenaten. Erect. Archipresbyteratus* 6. *Mart.* 1723. cccxii. *Erectio* Vicariæ perpetuæ in Parochiali unita Dignitati Cathedralis declarata fuit invalida, *in Neocaſtren. Parochialis* 23. *Jun.* 1725. *ad* II. *Dub.* ccccxlviii. *Erectionem* Collegiatæ eſſe a Sanctiſſimo ſanandam juxta vorum Eminentiſſimi Præfecti, reſcripſit S. Congreg. *in Theatina* 15. *Mart.* 1727. *ad* I. *Dub.* cccclvii.

ERIGERE Collegiatam Epiſcopus olim poterat. lxiii. §. *Abſque eo quod in fin. Erigere* novas Parochias, aut diſmembrare antiquas de jure communi permiſſum non eſt, niſi concurrentibus requiſitis -- *Text. in Cap. ad audientiam illæ de Eccl. ædific. & Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 4. *de Refor.* -- xxxvi. §. *Subdit*.

ERROR qualitatis non facit Matrimonium invalidum. cxli. §. *Error in princ.*

EVANGELIUM Paſſionis Dominica Palmarum canere non teneri Canonicos juxta Decretum Epiſcopi, reſcripſit Sacra Congregatio in *Lucana* 2. *Jul.* 1718. xli. *Evangelium* tempore Miſſæ Conventualis Populo explicare poſſe Parochum, ſive Præpoſitum Collegiatæ S. Columbani, reſpondit S. Congregatio. ccclxxxiii. §. *In eoque*.

EUCHARISTIÆ Sacramentum retineri poſſe in Oratorio Confraternitatis, reſpondit Sacra Congregatio, in *Novar. Aggregat.* 24. *Septemb.* 1718. *ad* II. *Dub.* lvi. *Euchariſtiæ* Sacramentum, ut in Eccleſiis etiam non Parochialibus, ſi ab immemorabili fuerit in eiſdem aſſervatum, retineatur, approbavit Sacra Congregatio. ccliii. §. *Operæ*. *Euchariſtiæ* Sacramentum retineri poſſe in Eccleſiis intra Parochiæ limites exiſtentibus ſine præjudicio Jurium Rectorum, *indulſit* aliquando Sac. Congregatio. *ibid. Euchariſtiæ* Sacramentum nequit in Eccleſiis Confraternitatum retineri ſine ſpeciali Indulto Sa-

cris

dis Apostolicæ, aut cum concurrente immemorabili constructione. *Ibid. Eucharistia* publico Peccatori, sive publice, sive privatim vetitati est deneganda. ccclxxxi. §. *Jura. Eucharistiæ* expositio, & Benedictio, quæ fit super Populo, non est de juribus mere Parochialibus. dvii. §. *Confraternitas. Eucharistiæ* Sacramentum retineri posse in Oratorio Confraternitatis, respondit Sacra Congregatio *in Novarien.* dxci. §. *In hac. Eucharistiæ* expositionem infra annum & præcipue 40. Horarum fieri posse in Oratorio Confratrum pure, & sine consensu Parochi, responsum fuit. *ibid. Eucharistiæ* Sacramentum potest Confraternitas sine licentia, & interventu Parochi in suo Oratorio exponere, accedente tamen licentia Episcopi in *Alexandrina* 21. *Februar.* 1728. *ad* II. *Dub.* dxci.

EXAMEN, ad quod electus provocatus est, fieri debet intra breve tempus, ne lapsu longi temporis reprobatus evadat doctior. clviii. §. *Tertia in princ. Tom.* 1. *pag.* 93. In praxi tamen admittitur intervallum unius anni, & etiam aliquando viginti mensium a primo ad secundum examen, si provocans sit extra Statum Ecclesiasticum, vel si tempus intermedium necessario insumatur in tricis judiciariis, & siguanter in disputatione, an videlicet sit locus novo examini. *ibid. Examen* semel, iterum, ac tertio conceditur, quoad usque per tria uniformia experimenta instar Rei judicatæ de literatura, vel illiteratura constare possit. *ibid.* §. *Quinta. Tom.* 1. *p.* 94. *Examen* etiam pro quarta vice conceditur ex quadam æquitate, si prælectus ab Episcopo in duobus successivis examinibus succubuisset, & dein tertio vicisset. *ibid.* Procedit in modum, ut Appellantes de gravamine per Episcopum illato in priori examine docere non teneantur. *ib.* §. *Absque eo quod. Tom.* 1. *p.* 92. *Examen* novum est Appellantibus concedendum. *ibid.* §. *Excipit.* Procedit in modum, ut Appellantes de gravamine per Episcopum illato in priori examine docere non teneantur. *ib.* §. *Absque eo quod. Examen* novum quando conceditur, non est agendum de qualitatum præponderantia, sed de ejusmodi qualitatibus assumenda est indago, quando assumitur principalis quæstio, an sit facienda nova collatio ob prælectionis irrationabilitatem. *ibid.* §. *Et quia. Examen* novum prius faciendum est, deinde cognoscitur de gravamine per Episcopum illato. xliv. §. *Absque eo quod. Examen* novum fieri debet coram ipso Appellationis Judice, & ejus Examinatoribus. clviii. §. *Quarta est. Tom.* 1. *p.* 93. *Examine* peracto coram Judice Appellationis, assumitur principalis quæstio, an sit facienda nova collatio ob prælectionis irrationabilitatem, & tunc instituenda est indago de moribus, experientia, & similibus, quæ præter doctrinam in Beneficiis curaris requiruntur. xliv. §. *Absque eo quod. Examini* novo locus est etiam in terminis duorum æque approbatorum in concursu, si alter eorum appellationem interponat. clviii. §. *Nec ulterius. T.* 1. *p.* 92. *Examinis* subdelegatio in partibus fieri non solet, nisi in Parochialibus de Jurepatronatus Laicorum, aliisque Beneficiis, quæ examen dumtaxat, & non concursum exposcunt. *ibid.* §. *Quarta Tom.* 1. *pag.* 93. *Examinis* judicio expleto, institui debet quæstio circa collationem Parochialis, adeoque circa uniuscujusque requisita, & tunc formiter, & per concludentes probationes poni debet in claris, quod Ordinarius prælegerit minus dignum in comparatione Dignioris. *ibid.* §. *Ultima. p.* 94. *Examini* novo locum esse, respondit Sacra Congregatio in *Ifelana Parochialis* 23. *Jul.* 1718. *ad* II. *Dub.* xliv. *Examini* si Provocatus noluit in Urbe se subjicere, non esse locum exhibitioni Requisitorum utriusque Collitigantis, respondit Sacra Congregatio in *Ifelana Parochialis* 1. *Aprilis* 1719. *ad* I. *Dub.* xcvii. *Examini* novo ut subjiciatur Valentinus, accedere debere ad Urbem, respondit Sacra Congregatio in *Lucana Præpositure* 16. *Decemb.* 1719. cxxx. *Examen* novum esse concedendum, & de irrationabili Episcopi judicio non constare, respondit Sacra Congregatio *in Nucerina Parochialis* 2. *Octob.* 1721. clviii. *T.* 1. *p.* 96. *Examini* novo Parochos subjicere potest Episcopus, ut constat ex pluribus resolutionibus relatis. ccccxlvi. §. *Sacrum in fin. & seq. Examini* novo subjici possunt Parochi ab Episcopo, *in Legionen. Visitat. Sacrorum Liminum* 15. *Decemb.* 1725. ccccl xxvi. *Examen* concedendi facultatem Mulieribus Tertiariis pertinet ad Sedem Apostolicam, examen vero conditionum quo ad Mulieres vestiendas, & licentiam vestiendi ad Ordinarium spectat, & conditiones Vestiendarum sunt expressæ in Decretis generalibus alias editis, & hujusmodi sunt omnino servandæ, in *Mazavien.* 10. *Maii* 1727. *ad* IV. *Dub.* dli.

EXAMINATORES in numerum sex saltem debent singulis annis in Diœcesana Synodo eligi. cxxxv. §. *Excipit e contra. Examinatores* Synodales in numero sex electi possunt usque ad novam Synodum suum obire Officium, licet Synodus singulis annis non convocetur, dummodo tamen post annum ex electis in Synodo sex ad minus supersint. *ibid. Examinatores* in numero sex electi, elapso anno, nequeunt suum Officium exercere, si ex illis quatuor, aut quinque supersint, sed aut nova Synodus est celebranda, & in ea Synodales Examinatores sunt eligendi aut ab hac Sacra Congregatione facultas est obtinenda, ut Episcopus uti possit superstitibus, vel alios valeat in locum demortuorum sufficere, & illis uti una cum superstitibus. *ibid. Examinatores* Synodales tres sufficiunt, ut Concursus ad Parochiales rite, valideque habeatur. *ibid.* §. *Contendit autem. Examinatores* Synodales malam relationem non feciss e, & Episcopi judicium non fuisse irrationabile in collatione Parochiæ, respondit Sacra Congregatio *in Lunen. Sarzanen. Parochiæ* 2. *Decemb.* 1724. ccccv.

EXAMINATUS in concursu ad Parochialem habito, & reprobatus, si instet pro novo examine ad vindicandam propriam existimationem, & idoneitatem, tunc nulla alia probatio gravaminis reputatur necessaria. cxxxv. §. *Excipit denique in fin. Examinatus* in Concursu ad Parochialem, si contendat, judicium Episcopi fuisse irrationabile, debet de irrationabilitate, & gravamine concludenter docere. *ibid.* §. *Excipit denique.*

EXCOMMUNICATIONEM in Constitutionibus Synodalibus propositam incurrunt Contrahentes Matrimonium, omissis denunciationibus. cv. §. *Quoad punctum. Excommunicationem* ipso jure incurrunt recurrentes ad Judices Laicos. dxxviii. §. *Subsequitur. Excommunicationem* incurrunt ii, qui asserunt, Ecclesiam errare, dum docet, Matrimonium quo ad vinculum non solvi ex causa adulterii. ccclxxiii. §. *In Concilio. Excommunicationem* ex Canone *si quis Suadente* incurrisse Canonicum, qui in alium magno irruit impetu, eumque in humum projecit, respondit S. Congreg. *in Turritana* 30. *Mart.* 1726. ccccxcix.

EXECUTOR Testamentarius, qui tenetur distribuere dotes Puellis incertis, non potest prævenire tempus a Testatore distributioni præfinitum. cxxxii. §. *Quoad hæredem.*

EXEMPTIO localis operatur, quod Delinquens extra locum exemptum ab Ordinario punitur, contra vero exemptio personalis efficit, ut Delinquens nequeat coram Ordinario, ratione delicti commissi, aut contractus initi, aut Rei sitæ extra locum exemptum puniri. clt. §. *Haud urgente.* Limita, ubi exemptio concessa fuerit Personis propter locum. *ibid.* §. *Excipit. Exemptio* omnimoda Præpositi, & Ecclesiæ Albæ Regalis non adest quoad Episcopum Strigoniensem tamquam delegatum Apostolicum contra Exemptos, *in Nullius, seu Vesprimien. Jurisdicti.* 26. *Augusti* 1719. xviii. *Exemptio* activa, & passiva Præpositi, & Ecclesiæ B. Mariæ Albæ Regalis, ejusque annexorum, tam quoad Episcopum Vesprimien., quam quoad Metropolitanum, seu Primates Regni canonizata fuit, *ibid. ad* I. *Dub. Exemptioni*, & deputationi Judicis in Causis Capituli locum non esse, respondit Sacra Congregatio in *Sulmonen.* 2. *Decemb.* 1719. *ad* II. *Dub.* cxxiv. *Exemptio* localis, vel mixta operatur, ut cognitio delicti extra locum commissi ad Ordinarium, cujus locus subjectus est, pertineat, secus autem, ubi exemptio sit personalis, tunc enim cognitio delicti extra locum patrati ad Judicem exempti spectat. ccxxiv. §. *Juxta celebrem. Exemptio* Subcollectorum, & Commissariorum in Regno signanter Neapolitano existentium innititur Constitutioni 25. *Gregorii XIII. Bull. Tom.* 2., *& Const.* 202. *Urbani VIII. Tom.* 5., ccxliii. §. *Exemptio in princ. Exemptione* a Jurisdictione Ordinarii non fruuntur Subcollectorum, & Commissariorum Patentati; quo vero ad alios Capitulorum Ecclesiarum Patriarchalium S. Joannis in Laterano, & S. Petri de Urbe, suspensa fuit resolutio *in Caputaquen. Visitationis Sacrorum Liminum* 14. *Mart.* 1722. *ad* III. *Dub. ibid. Exemptione* a Jurisdictione Ordinarii frui non debent Subcollectorum, seu Commissariorum munus pro Locis exemptis, & aliis Diœcesibus adjacentibus exercentes, sed in Civitate, aut Diœcesi commorantes. *ibid. ad* I. *Dub. Exemptione* eadem qua fruuntur Subcollectores, & Commissarii frui non debent Subcollectorum, & Commissariorum Actuarii. *ibid. ad* II. *Dub. Exemptione* ab ordinaria jurisdictione fruuntur ii, qui militiis S. Joannis Hierosolymitani, de cujus Privilegiis Ordo Theutonicorum amplissime participat, actu inserviunt, & inter eorum septa, ac domos residunt, & sub eorum obedientiæ vivunt, sive ii, qui legitime, & secundum regulam dictarum militiarum Professionem fecerint, de qua Ordinario constare debet. ccccxliv. §. *Ab ordinaria. Exemptione* ut fruantur inservientes religioni S. Joannis Hierosolymitani, debent habere has qualitates, quarum prima est, ut actu inserviant, secunda ut resideant intra Domos Ordinis, & Septa, & tertia, ut sub Ordinis obedientia vivant, quarta, ut Professionem emiserint; & ultima, ut prædictas omnes qualitates coram Ordinario verificaverint. dxii. §. *Porro in fin.* De exemptione quoad pitantias Monachorum loquitur Textus in *Cap. un. de Decim. inter Extravag. Comm.* dxiii. §. *Quo domum. Exemptionem* non competere, colligitur potissimum ex consuetudine. dxii. §. *Porro.*

EXIGERE solent Administratores Montis Pietatis a Pignorantibus ad rationem *quinque* pro *centenario*; duo enim sunt pro Ministrorum Salariis, & reliqua tria exigunt pro emendatione damni emergentis, cui Mons subjectus est, summam recipiendo ad rationem trium pro centenario. xvi. §. *Absque eo.*

EXPECTATIVÆ abrogatæ fuerunt a Tridentino. dlxvi. §. *Tertia.*

EXPENSÆ litis non sunt extrahendæ ex Massa communi, si lis non respexit Ecclesiæ utilitatem. cccc. §. *Fundamentum. Expensæ* Litis in S. Congreg. agitatæ non sunt reficiendæ, *in Derthonen.* 6. *Jul.* 1726. *ad* IV. *Dub.* dxvi.

EXPONERE potest Confraternitas Sanctæ Mariæ Misericordiæ, & Sancti Rocchi Civitatis Alexandriæ aggregata Archiconfraternitati Sancti Rocchi Urbis sine licentia, & interventu Parochi in suo Oratorio Lignum Sanctæ Crucis in *Alexandrina* 21. *Februar.* 1728. *ad* I. *Dub.* dxci. *Exponere* potest Confraternitas sine licentia, & interventu Parochi in suo Oratorio Sanctissimam Eucharistiam, accedente tamen licentia Episcopi. *ibid. ad* II. *Dub.*

EXPOSITIO Sacramenti non debet fieri in Oratione 40. horarum Feria V. in Cœna Domini. lxxviii. §. *Quoad expositionem. Expositio* infra annum, & præcipue Quadraginta horarum in Octava Defunctorum potest fieri in Oratorio Confraternitatis cum Episcopi licentia, & sine consensu Parochi, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Sept.* 1718. *ad* III. *Dub. Exposi-*

F

FABRICÆ S. Petri juxta ejus Privilegia, applicantur Bona relicta Cappuccinis, & Minoribus strictioris Observantiæ, qui Bona in communi possidere non possunt. cxvi. §. *Quoad dispositiones. Fabricæ* Ministris, & Commissariis facta fuit prohibitio admittendi compositiones super Legatis Fratribus factis cum onere Missarum, & Officiorum, præterquam quoad annuas præstationes duorum annorum decurrorum a die obitus Testatorum, quas integre etiam recipere debent, & Fabricæ applicare, salvo semper Capitali, ut Hæredes, qui primis duobus annis non adimpleverunt, possint, si velint, futuris temporibus dare Fratribus annua Legata titulo Eleemosynæ. *ibid.* §. *Factaque. Fabricæ* S. Petri debentur Fructus Capitalium assignatorum pro celebratione Missarum, pro Cappellaniis, vel pro Ecclesiis, aliisque Piis Locis erigendis si non fuerint erogati in causas prædictas, non autem accrescunt Capitalibus, nec cedunt in beneficium Piorum Operum. cxii. §. *Absque eo quod in fin. Fabricæ* nomine, stricte loquendo, venit opus tantum, & structura materialis Ecclesiæ. dlxxxiii. §. *Pro negativa. Fabricæ* Ecclesiæ nomine veniunt etiam ornamenta necessaria cultui Divino. *ibid.* §. *Pro affirmativa in fin.*

FABRICERII electionem in personam Canonici Goria Coadjuti sustineri, respondit S. Congreg. *in Astен. Officii Fabricerii* 2. *Octob.* 1721. *ad* I. *Dub.* ccxi.

FALLENTIAS aliorum, necnon quotidianas distributiones lucratur Canonicus ex legitima causa absens. cclxxxviii. §. *Transeundo. Fallentiæ* debentur Canonico jubilato, etiamsi Choro non interfit, nisi obstent Constitutiones, aut consuetudo Ecclesiæ. *ibid. Fallentiæ* aliorum, & quotidianæ distributiones debentur Canonico infirmo. *ibid. Fallentiæ* non debentur, etiamsi debeantur quotidianæ distributiones, præsertim ubi viget consuetudo, quod fallentiæ tradantur tantum vere præsentibus. *ibid.* §. *Adversus.*

FAMULI Regularium, ut eximantur a Parochi Jurisdictione, debent tria requisita copulative concurrere, quod scilicet Regularibus inserviant, quod intra eorum septa, ac domos resideant, & demum, quod sub illorum obedientia vivant. ccxxxix. §. *Nec mirum. Famuli*, & Famulæ Monialium in iisdem Mansionibus degentes tenentur Eucharistiæ Sacramentum recipere tempore Paschali a Parochis, in quorum Parochiis Monasterium, & Mansiones sitæ sunt, in *Ulixbonen. Occidentalis* 17. *Septemb.* 1722. *ad* II. *Dub. ibid. Famulis*, & Famulabus Sactamenta in casu ultimæ infirmitatis administrant Parochi, intra quorum Parochias Monasteria existunt. *ibid. ad* III. *Dub.*

FENESTRA, per quam Moniales sumunt Sacram Eucharistiam, nunquam aperitur, nisi occasione sumptionis Eucharistiæ, vel dandi habitum, seu velum alicui Novitiæ, aut consecrationem alicui Moniali, aut confirmationem alicui Personæ in Claustris degenti. ccccxxiv. §. *Hæc quoad. Fenestra*, per quam a monialibus recipitur Sacra Eucharistia, debet duas habere januas, unam interiorem, & alteram exteriorem, & interioris januæ clavis debet retineri ab Abbatissa, seu Prioriss a, exterioris vero a Confessario. *ibid. Fenestram* in Ecclesiam prospicientem aperire potest ex quadam epicheja concedi Baroni, qui etiam sit insignis Benefactor, & res non sit de aperienda fenestra in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata. dviii. §. *Materia in fin.* Decreta aperitionem Fenestrarum prohibentia referuntur apud Ursaya citatum, *ibid. Fenestras* in Ecclesias prospicientes aperire de jure prohibitum est. *ibid.* Limita, si Patronus id in limine fundationis reservaverit. *ibid. Fenestræ* aperitio ad effectum audiendi Missam, & assistendi cæteris Divinis Officiis celebrandis in Ecclesia Parochiali fuit denegata, *in Mantuana* 18. *Maii* 1726. *ibid. Fenestræ*, per quam a Monialibus Eucharistia sumitur, clavis retineri debet a Superioriss a Monasterii, & a Confessario juxta Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium die 15. Septemb. 1617. *in Januen.* 14. *Aprilis* 1725. *ad* II. *Dub.* ccccxxiv.

FESTI dies, juxta veterem Ecclesiæ Disciplinam colendi erant a Vespere ad Vesperam. clxxxi. §. *Modus in princip.* Hodie tamen ex communi consuetudine recepta dies festi colluntur spatio 24. horarum quæ a media nocte ad aliam dimidiam noctem computantur. *ibid. Festos* dies de præcepto pot-

est Episcopus indicere in sua Diœcesi, sicuti potest Papa in toto Orbe Catholico. ci. §. *Quoad diem in princ.* Requiritur tamen consensus Capituli, *ibid. Festum* Expectationis B. M. V. potuisse ab Episcopo fieri Festum de præcepto, respondit S. Congregat. in *Antoquexen. in Indiis Occidental.* 22. *April.* 1719. ci.

FIDEI Professionem esse emittendam a Canonicis Cathedralis, & non Collegiatarum, rescripsit Sacra Congregatio in *Cathacen.* 9. *Februar.* 1726. *ad* I. *Dubium.* ccccl xxxix. *Fidei* Professio emitti nequit per Procuratorem. *ibid. ad* II. *Dub. Fidei* Professio a Canonicis Cathedralis emittenda est coram Episcopo, vel ejus Vicario, & etiam coram Canonicis capitulariter congregatis; sufficit tamen si emittatur coram Capitulo, cui Episcopus, vel Vicarius Generalis interfit. *ibid. ad* III. *Dub. Fidei* Professionem omittentes non faciunt fructus suos; lucrantur tamen distributiones pro horis, quibus interfunt. *ibid. ad* IV. *Dub. Fidei* professionem bona fide Canonico non emittenti deberi fructus, nec eos ullo modo accrevisse mensæ Capitulari, sive Canonicis, respondit S. Congreg. in *Tolet.* 17. *Apr.* 1728. dxciii.

FILIUS esse potest Judex in Causa Patris. ccccl x. §. *Excipit. Filii* procreati ex Matrimonio inito, vivente prima Conjuge, sunt legitimi, si secunda Uxor ignoret impedimentum ligaminis, quo Vir obstringitur. dxviii. §. *Obvia circa med. Filii* legitimi dicuntur, si ex Matrimonio putative valido procreati sunt, licet concurrat bona fides ex parte unius tantum Conjugis. *ibid. Filii* dicuntur Legitimi, si procreati sunt ex Matrimonio publice, & bona fide contracto, licet ob latens aliquod impedimentum postea deprehendatur, Matrimonium esse invalidum. *ibid. Filii* legitimi dicuntur, si fuerint concepti ante Sententiam Divortii a Parentibus, qui ignorabant impedimentum. *ibid.* Procedit etiam quoad Liberos natos post litem contestatam, qua valor Matrimonii impugnatur. *ibid. Filii* procreati ex Matrimonio invalido, & contracto absque denunciationibus sunt illegitimi, etiamsi Conjuges impedimentum ignoraverint. *ibid.* Limita, si denunciationes omissæ non potuissent ullo modo conferre ad detegendum impedimentum, uti si Matrimonium clandestine contractum fuisset invalidum ex defectu consensus interni alterius Conjugis, vel ex defectu Parochi communiter talis reputati, quamvis nullum haberet titulum, sed esset intrusus, *ibid. Filii* nati ex Matrimonio invalido sunt legitimi, etiamsi nati sint ante dispensationem in radice Matrimonii. dxxvii. §. *Excipit, & §. Et in eo. Filii* sunt illegitimi, si Conjugatus, vivente sua Uxore, ducat aliam, & hæc sciat, illum esse conjugatum. dxviii. §. *Obvia.*

FONTES Baptismales debent in omnibus Parochialibus Ecclesiis esse, nisi illi extent in aliquibus Ecclesiis, quæ Matrices, vel Baptismales vocantur. cxlvii. §. *Episcopus. Fontis* Baptismalis erectionem in Ecclesia Parochiali S. Mariæ Novæ Castri Seronis sustineri, relicta libertate Parochianis Sanctæ Mariæ ejusdem Castri deferendi juxta solitum Filios Baptizandos etiam ad alias Parochias, respondit Sacra Congregatio in *Fulginaten. Fontis Baptismalis* 22. *Junii* 1720. *ibidem.*

FRATRES, qui in communi nequeunt possidere, nullam possunt habere securitatem, sed debent ab incerto pendere. cxvi. §. *Pro negativa in princ. Fratres* prædicti nequeunt judicialiter agere, aut Judicis Officium implorare pro evictione, damni emendatione, seu pro supplemento adversus Hæredes. *ibid. Fratres* Minores tam de Familia, quam Reformati sunt incapaces annuorum Legatorum, quæ fiunt, adjecto Missarum onere, nec possunt pro illis agere, vel Judicis Officium implorare. cxxvii. §. *Et quia. Fratres* Min. Obser. non esse capaces Legati relicti cum onere celebrationis Missarum, resolutum fuit. *ibid.* §. *Cum quibus. Fratres* emittere debent solemnem protestationem subsignatam sigillo Conventus, & in ejus libris inserendam, & ad Hæredes, sive Executores transmittendam, in qua declarent, se nullum jus sibi vindicare, aut asserere ex Legatis sub onere celebrationis Missarum relictis juxta monitum S. Bonaventuræ. cxvi. §. *Statutum fuit. Fratribus*, qui Bona in communi possidere non possunt, Cappuccinis, & Minoribus strictioris observantiæ si Bona relicta sint, ea Fabricæ S. Petri juxta ejus Privilegia applicantur. *ibid.* §. *Quoad dispositiones. Fratribus* dare, aut non dare Hæredes possunt annuos reditus, si isti relicti sint sub onere celebrationis Missarum, & sic Missas celebrari facere possunt per alios Sacerdotes sibi benevisos. *ibid.* §. *Firma in princ. Fratribus* Min. Obser. relictum Legatum sub his verbis --- *Item dice d'avere a censo ducati cent' ottanta, lascia di vagione di Legato, che l' infrascritto Erede, e Successori in infinitum debbano coi frutti di quelli fame celebrare quattro Anniversarj l' anno nella Chiesa di S. Maria de' Lumi dei Frati Zoccolanti* sustinetur. *ibid.* §. *Facit in princ. Fratres* Prædicatores SS. Xisti, & Clementis teneri Missam unam, non autem duas celebrare, resolvit Sacra Congregatio in *Romana Legati* 23. *Julii* 1718. xliii. *Fratres* Minores Observantiæ sunt capaces Legati Missarum in *Brundusina adimplementi* 26. *Augusti.* 1719. *ad* I. *Dub.* cxvi. *Fratrum* Minorum Conventualium in Ecclesia si Cadavera tumulentur, pro iis debetur Parocho Quarta funeralis, in *Spoletana Quartæ funeralis* 13. *Aprilis* 1720. *ad* I. *Dub.* lxvii. *Fratres* Min. Obser. possunt retinere Legarum Sylvæ, quæ in clausuram redacta est, cxcvii. §. *Transeundo. Fratribus* S. Francisci de Observantia concessum fuit Iudultum acceptandi Legatum cum perpetuo Missarum onere, cclxxxiii. §. *Transeundo. Fratres* Minores incapaces sunt Legati annui, etiamsi eidem Legato adjectum fuerit onus celebrationis Missarum. ccccl xxvii. §. *Quoad incapacitatem.*

Fratres Minoritæ de Obſervantia ſunt incapaces legatorum annuorum, ſi Capitalia, & Mobilia, ſive eorum dominium deferatur ad Synodum Apoſtolicam, idque ſive Syndicus conſideretur talis, ſive uti tertia perſona. DXXXIII. §. *Quod etiam*.

FRUCTUS Capitalium aſſignatorum pro celebratione Miſſarum pro Cappellaniis, vel pro Eccleſiis, aliiſque Locis piis erigendis ſi non fuerint erogati in cauſas prædictas, debentur Fabricæ S. Petri, nec cedunt in beneficium Piorum Locorum, CXII. §. *Abſque eo quod in fin. Fructus* Cenſuum nequeunt a Locis Piis abſque Apoſtolico Beneplacito reduci, v. gr. a ſcutis quinque ad ſcuta quatuor pro centenario. I. §. *Leopardus circa med.* Procedit in Cenſibus reſervativis, ſecus in conſignativis. *ibid.* Si vero reducantur abſque Beneplacito Apoſtolico, reductio ſolet, prævia abſolutione ad cautelam eorum, qui reductionem fecerunt, revalidari, quatenus aliud inveſtimentum magis utile, & idoneum non ſuppetat. *ibid. Fructuum* reductio quoad Cenſus ad Locæ Pia ſpectantes a ſcutis quinque ad rationem quatuor pro centenario indiget Apoſtolico Beneplacito. *ibid. Fructus*, & diſtributiones pro tempore, quo Canonicus abfuit condemnatus ad tiremes Pontificias, non deberi, reſpondit Sacra Congregatio, in *Ferentina Diſtributionum* 24. *Septemb.* 1718. LXIII. *Fructuum* Cenſus reductionem ſine Beneplacito Apoſtolico irritam eſſe, reſcripſit Sacra Congregatio in *Senogallien. Cenſuum* 2. *Jul.* 1718. *ad* I. *Dub.* XXXVIII. *Fructuum* Cenſus reductionem ſine Beneplacito Apoſtolico peraclam quoad præteritum non eſſe revalidandam, cenſuit Sacra Congregatio. *ibid. ad* II. *Dubium. Fructuum* cenſus reductionem Beneplacito Apoſtolico deſtituram quoad futurum revalidandam eſſe arbitrio Epiſcopi, reſpondit Sacra Congregatio. *ibid. Fructuum* cenſus reductionem ſuſtineri, præſtita fidejuſſione ad formam Reſolutionis Congregationis Conſratrum de anno 1685. reſpondit S. Congregatio in *Romana Cenſus* II. *Maii* 1720. CLXIV. *Fructus* debent a Poſſeſſore reſtitui a die celebrati contractus alienationis rei Eccleſiaſticæ. CCCXIV. §. *Ad primam in fin. Fructuum* participatione, non vero participatione diſtributionum gaudent Canonici abſentes a Choro, ut ſui Epiſcopi ſervitio vacent. CCCXXV. §. *Quoad Canonicos abſentes a Choro. Fructuum* cenſus ad Locum Pium ſpectantis reductio an ſuſtineatur, ſi Apoſtolico Beneplacito reperiatur deſtituta, referuntur Sententiæ. CCLXXI. §. *Nonnulli, & ſeq. Fructuum* cenſus reductio ſine Beneplacito Apoſtolico facta invalida fuit declarata, ejuſque revalidatio fuit denegata *in Senogallien. Cenſuum*. CCLXXI. §. *Bis actum in princ. Fructuum* cenſus reductio ſine Beneplacito Apoſtolico peracta fuit declarata valida *in Rom. Cenſus. ibid. Fructus* Canonicatus decurſi in vita Canonici debentur illius Hæredibus *in Moguntina Conſignationis Fructuum* 15. *Maii* 1723. CCCXXIV. *Fructus* deberi uſque ad diem 23. Julii 1718., & diſtributiones deberi per quatuor menſes anni 1712., & per unum menſem anni 1718. Canonico, qui abfuit cauſa negotiorum Diœceſis, in *Monaſterien.* 15. *Maii* 1723. CCCXXV. *Fructus* perceptos non teneri reſtituere Cappellanos, Canonicos nuncupatos, reſpondit Sacra Congregatio *in Savonen.* 23. *Maii* 1722. *ad* II. *Dub.* CCLXI. *Fructus* quando non ſunt veri fructus, ſed tamquam acceſſiones rei, fundi, aut juris alicujus in lite cadentis debenrur uſque ab initio præciſive a bona, vel mala fide. CCCCXXI. §. *Scribens. Fructus* Canonicatus a Capitulo perceptos non eſſe reſtituendos, reſolutum fuit, *in Calaritana* 28. *Novembris* 1724. *ad* II. *Dub.* CCCCII. *Fructus* ſuos non faciunt omittentes Fidei Profeſſionem; lucrantur tamen diſtributiones pro horis, quibus interſunt, *in Cathacen.* 9. *Februar.* 1720. *ad* IV. *Dub.* CCCLXXXIX. *Fructus* Beneficii vacantis debent ab Æconomo percipi, iique in Eccleſiæ utilitatem expendi, aut futuris Rectoribus fideliter reſervari. DXXXII. §. *Promotor. Fructus* Eccleſiarum vacantium poſſunt alicui ex Privilegio, vel præſcripta conſuetudine competere. *ibid.* §. *Capitulum*, & §. *Propoſita. Fructus* Mediæ annatæ non debent expendi in muſicas, aut in ſtipendia Organiſtarum, vel aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ inſervientium. DLXXXIII. §. *Eoque magis. Fructus* male percepti ob non emiſſam Fidei profeſſionem non poſſunt ab Ordinario condonari, ſed a Sede Apoſtolica. DXCIII. §. *Quo demum. Fructus* male percepti ob non factam Fidei Profeſſionem fuerunt ſemper a Gregorio XIII. condonati, quando abfuerat malitia. *ibid. Fructuum* male perceptorum ob non emiſſam Fidei profeſſionem remiſſio ſoler indulgeri a S. Pœnitentiaria, & a Sac. Congregatione Concilii, injuncta aliqua eleemoſyna arbitrio Confeſſarii. *ibid, Fructus* male percepti ob non emiſſam Fidei profeſſionem, ſi ſint diſtincti a Maſſa Capitulari, debent applicari Fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco: ſi vero ſint fructus Maſſæ Capitularis, dividi debent inter cæteros Canonicos. *ibid.* §. *Sacrum Concilium. Fructus* Eccleſiarum Parochialium percipiendi jus pertinet Capitulo Illerden. rempore illarum vacationis per integrum annum a die vacationis, in *Illerden.* II. *Januarii* 1727. *ad* I. & II. *Dub.* DXXXII. *Fructus* Canonico, qui Fidei profeſſionem bona fide non emiſerat, deberi, nec eos ullo modo accreviſſe menſæ Capitulari, ſive Canonicis, reſpondit Sac. Congregatio in *Toletana* 17. *Aprilis* 1728. DXCIII.

FUNCTIONUM, & Præeminentiarum inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, eorumque Officiales, necnon jurium Parochialium Decreta, ubi ſint impreſſa. LVI. §. *Adnotaſſe. Functiones* Parochiales ſicuti etiam Matrimoniorum, & Ordinandorum denunciationes fieri poſſunt arbitrio Parochi in celebratione Miſſæ Parochialis vel Miſſæ Conventualis, contradicente etiam Capitulo, *in Novarien.* 8. *Jul.* 1724. *ad* I. *Dub.* CCCLXXXIII.

FUNDATOR ſi voluit, quod nominetur Sacerdos, vel quod Beneficium, ſeu Cappellania Sacerdoti conferatur, tunc qualitas Sacerdotii dicitur requiſita reſpectu actus. LXXXII. §. *Abſque eo quod*.

FUNDUM favore Cappellaniæ Hæredem non potuiſſe aſſignare, & aſſignationem non ſuſtineri, reſpondit Sacra Congregatio in *Viterbien.* 20. *Septembris* 1727. *ad* I. *Dubium*. DLXV.

FUNERALIUM Quarta debet Epiſcopo perſolvi, *in Anglonen. Cathedrat. Decimarum, & Quartæ Funeral.* 30. *Januar.* 1723. *ad* III. *Dub.* CCCVI.

G

GABELLÆ adminiſtrationem, & exactionem Quartutii Piſcationis cum onere erogandi, & reddendi rationem Epiſcopo committendam eſſe Deputatis Cappellæ, ad quam dictæ Gabellæ reditus ſpectat, reſpondit S. Congregat. XXXIX. *ad* IV. *Dub.*

GRADUS remotior in Diſpenſationibus imbibit, & trahit ad ſe propinquiorem. CLXXXIII. §. *Putant. Gradus* remotior in Diſpenſationibus attendi debet, & trahit ſecum propinquiorem, itaut ſufficiat exprimere gradum remotiorem, obtentis tamen ſuper gradu propinquiori Literis Apoſtolicis, in quibus declaretur, non obſtare reticentiam propinquioris gradus. *ibid.* §. *Hanc*.

GRATIARUM expectativarum natutam habent nominationes ad Canonicatus in futurum vacaturos, quæ fiunt interdum ab Epiſcopis favore alicujus in primo eorum ingreſſu. XCIV. §. *Excipiunt*.

GRANCIARUM Cappellæ, & Eccleſiæ, ſi in eis nullus degit Converſus, viſitari poſſunt ab Epiſcopo jure delegato. CCCLXVII. §. *Quando in fin. Granciæ*, & Conventus Monaſteriorum, in quibus non aluntur ſex Religioſi, ſubduntur viſitationi, & correctioni Ordinarii uti Sedis Apoſtolicæ delegati. *ibid.*

H

HABITARE non tenetur Parochus in Domo Eccleſiæ contigua, ſed ſufficit, ſi vel in Parochia, vel in Domo Parochiæ vicina habitet. XXXVI. §. *Et in eo*.

HABITUS delatio per annum in Religione tacitam Profeſſionis emiſſionem inducit. CCXVIII. §. *Inter. Habitus* delatio, ut tacitam inducat Profeſſionem, opus eſt, ut annus 16., & Novitiatus fuerit completus. *ibid. Habitus* inter plures infimul congregatos debet eſſe uniformis, ne ſcandala oriantur. DLXV. §. *Ab hoc, & ſeq. Tom.* 2. *pag.* 173. *Habitus*, quem Canonici Sæculares geſtant, deferre etiam debent in Cathedralibus Canonici Regulares ad Canonicatus Sæculares aſſumpti. *ibid.* §. *Et quidem. T.* 2. *p.* 173. *Habitum* ejuſdem coloris, & formæ, quo uruntur Epiſcopi Sæculares tam in Sacello Pontificio, quam extra, Canonici Regulares Lateranenſes ad Epiſcopatus evecti deferunt. *ibid.* §. *Quo ad Canonicos, circa med. Tom.* 2. *p.* 173. *Habitum* juxta ſolitum a Regularibus Canonicis Lateranenſibus eſſe deferendum, reſpondit *S.* Congregatio in *Firmana. ibid. Habitum* Presbyteri Sæcularis Beneficium Curatum Sæculare expoſcit. *ibid. Tom.* 2. *p.* 173.

HÆREDES ſi eleemoſynam pro Miſſis perſolvant in executionem oneris a Teſtatore relicti, eam recipere poſſunt Fratres Min. Obſ. CXXVII. §. *Hinc eſt. Hæredes* nequeunt ſe eximere ab onere adimplementi Miſſarum ſub obtentu incapacitatis Fratrum. CXVI. §. *Quia vero. Hæredes* non teneri ad augmentum eleemoſynæ Miſſarum, reſcriptum fuit. XXI. §. *Prætendente. Hæredes* remanent in libertate dandi, aut non dandi Fratribus annuos reditus, iſtis relictis ſub onere celebrationis Miſſarum, & ſic Miſſas celebrari facere poſſunt per alios Sacerdotes ſibi beneviſos. CXVI. §. *Firma in princ. Hæredes* eorum, quorum Cadavera in Eccleſiis Regularium ſunt tumulanda, nequeunt obſtringi ad celebrandas prius exequias in Parochiali. L. §. *Propter. Hæredem* non teneri ſupplere, ſed locum eſſe reductioni, reſpondit Sacra Congregatio in *Mediolanen. Oneris Miſſarum* I. *Aprilis* 1719. XL. *Hæres* poteſt adimplere Miſſarum onus creando Cenſus, & eos aſſignando cum authoritate Epiſcopi pro onere Miſſarum, in *Brunduſina Adimplementi* 26. *Auguſti* 1719. *ad* III. *Dub.* CXVI. *Hæres* Legatum, ſeu onus celebrationis Miſſarum nequit ab Altari S. Franciſci de Paula ad Eccleſiam Collegiatam transferre. *ibid. ad* II. *Dub. Hæres* an teneretur ſupplere, ſeu potius locus eſſet Miſſarum reductioni, cum diſceptatum fuerit, S. Congregatio præcepit exhiberi Teſtamentum in *Mediolanen. Oneris Miſſarum* 7. *Jul.* 1718. XL. *Hæredes* non debere amplius Parocho conſignare pannum, ſeu Sudariolum anteæ ſolitum ei conſignari, præcepit Sacra Congregatio in *Tudertina Funerum* 13. *Auguſti* 1718. I. *Hæredibus*, & Executoribus aſſignandum eſſe terminum trium annorum decurrendorum a die, quo Hoſpitale eos interpellavit pro adimplemento in Curia Epiſcopali, antequam Legata Pia non adimpleta applicentur Hoſpitali Expoſitorum Elboræ, ſtatuit Sacra Congregatio.

XXIX. *ad* II. *Dub. Hæres* tenetur ad ſupplementum, quando fuit legata quantitas, vel quando fuit legata res in ſpecie, quæ remanet penes Hæredem habentem onus curandi celebrationem Miſſarum, ſecus autem, quando Teſtator hæredem gravavit ad tradendum Legatario rem legatam, & Legatario injunxit onus curandi celebrationem. CCLXIV. §. *Mandatum*, *& ſeq. Hæres* non tenetur ſupplere, ſi Teſtator reliquit v. g. fructus decem Locorum Montium pro Miſſarum celebratione, & tam Loca Montium, quam Miſſarum onus in una, eademque ratione complexus fuit. CCXXIX. §. *Vel quia in princ. Hæres*, qui rem legatam tradidit, ſupplere non tenetur, ſi Teſtator non incepit ab onere, ſed a deſignatione ſummæ, & rei. *ibid. Hæredem* non potuiſſe fundum favore Cappellaniæ aſſignare, & aſſignationem non ſuſtineri, reſpondit Sac. Congregatio in *Viterbien.* 20. *Septemb.* 1727. *ad* I. *Dub.* DLXV. *Hæredem* teneri ſubminiſtrare annua ſcuta quadraginta favore Cappellaniæ, ejuſque Rectoris, reſpondit Sac. Congregatio. *ibid. ad* II. *Dub.*

HÆREDITATEM non eſſe adjudicandam Syndico Apoſtolico PP. Min. Obſervantium Monris Barocci, ſed Patribus S. Marci ejuſdem Loci, reſpondit S. Congreg. in *Piſaur. Hæreditat.* 25. *Jan.* 1727. DXXXIII.

HÆRETICORUM Filii irregulares ſunt. XXX. §. *Rurſus*. Limita, ſi nati fuerint ex Parentibus hæreticis, qui poſtmodum Fidem Catholicam amplexi ſunt. *ibid. Hæreticorum* Filii ſunt incapaces Beneficiorum. XLIX. §. *Quoad. Hæretici* tenentur pro validitate Matrimonii ſervare formam præſcriptam a Tridentino, ſi ejus decretum fuerit in loco publicatum. DLXXXIX. §. *Devoniendo*.

HEBDOMADARIATUS Metropolitanæ Eccleſiæ Amalphitanæ eſſe Beneficia Eccleſiaſtica, reſcripſit Sacra Congregatio *in Amalphitana* 30. *Septembris* 1724. *ad* I. *Dub.* CCCCI.

HERMAFRODITUS judicandus eſt Vir, vel Fœmina juxta ſexum in eo prævalentem. CCXXXVI. §. *Plura in princ. Hermafroditus*, in quo prævalet ſexus Fœmineus, nequit licire in Monaſterio Fœminarum Profeſſionem emittere. *ibid. Hermafroditus*, ſi in ſexu virili prævaleat, valida eſt Profeſſio, ſi ab eodem fuerit inter Viros emiſſa, ſecus ſi inter Mulieres; & e contra, ſi prævaleat ſexus Fœmineus, valida eſt Profeſſio ab eodem emiſſa, ſi fuerit emiſſa inter Mulieres, ſecus ſi inter Viros. CCXLV. §. *Plura circa med. Hermafroditus*, etiamſi prævaleat ſexus virilis, non poteſt licite Ordinibus initiari, neque Profeſſionem in Monaſterio Virorum emittere. CCXXXVI. §. *Plura in princ. Hermafroditus* eſt irregularis tantummodo, quando publicum, & notum eſt, eum eſſe hermafroditum, juxta unam opinionem; juxta communiorem vero Sententiam eſt irregularis, etiamſi id occultum ſit. *ibid. Hermafroditum* eſſe Perſonam aliquam, debent judicare Medici, ſi de Viris agatur; ſi vero de Mulieribus, judicium eſt Matronarum. *ibid. Hermafroditi* in utroque ſexu perfecti nequeunt nec in Religione Virorum, nec in Religione Mulierum Profeſſionem valide emittere. CCXLV. §. *Plura in fin. Hermafroditi* reperiuntur adeo perfecti in utroque Sexu, ut poſſint agere, & pati in Veneteis, licet non poſſint cum aliis generare, & in ſe ipſis concipere. *ibid. De Hermafroditis* plura tradunt Authores relati. *ibid.*

HOMICIDIUM Furis nocturni permiſſum eſſe, probatur, IX. §. *Contendit. Homicidium* Furis licet nocturni eſt culpabile, & ob illud contrahitur irregularitas, ſi occidens poterat ſibi, vitæque ſuæ cavere, aut ſi Fur poterat comprehendi. *ibid.* §. *In eoque. Homicidium* an, & quando dicatur voluntarium, vel caſuale, itaut Epiſcopus poſſit, vel non poſſit in irregularitate inde contracta diſpenſare, vide deducta. XXXIII. §. *Adverſus. Homicidium* non dicitur voluntarium, ac nullam inducit irregularitatem in eo, qui illud prævidit. CCCCXXX. §. *Hæc ſunt*. Per *Homicidium* jam antea parratum non contrahitur irregularitas ab eo, qui illum ratum habet. *ibid.* §. *Alterum eſt*.

HONOR Eccleſiæ Matrici præſervari debet ſuper Eccleſia recens fundata, ſed pendet ab arbitrio Ordinarii. CLXVIII. §. *Et honor*.

HOSPITALIA Confraternitatum, Eccleſias, aliaque Locæ pia exiſtentia ſub immediata protectione ſublimium Principum, ſi non ſint Reges, viſitare poteſt Epiſcopus. DX. §. *Quoad Hoſpitalia circa fin.*

I

JESUITÆ non tenantur præſtare congruam Religioſo ad titulum paupertatis ordinato, ſi a Societate poſtmodum dimittatur, & Sacro Patrimonio ſit deſtitutus. CCXLVI. §. *Multoque magis. Jeſuitæ* poſſunt Ordines Sacros ad titulum Religioſæ paupertatis ſuſcipere poſt biennium, & poſt emiſſionem trium votorum ſimplicium, licet ante ſolemnem Profeſſionem. *ibid.* §. *Fundamenta. Jeſuitæ*, quod non teneantur congruam ſubminiſtare ordinato ad titulum Religioſæ paupertatis in eorum Societate, ab eaque deinde dimiſſo, reſpondit Sacra Congregatio *in Neapolitana Congruæ*. CCXLVI. §. *Nicolaus. Jeſuitæ* nec in particulari, nec eorum Collegia, aut domus recipiunt Eleemoſynas pro Miſſis. DXIII. §. *Quoad punctum*.

IGNORANTIA nullitatis Profeſſionis probabiliter concurrente, nequit eadem tacite ex actibus ſubſequentibus induci. CCII. §. *Momentum. Ignorantiæ* nullitatis Profeſſionis allegatio non ſatis excludit ratificationem ejuſdem Profeſſionis, niſi dicta ignorantia circumſtantiis, conjecturis, validiſque adminiculis munita ſit. *ibid.*

ILLEGITIMI ſunt Filii, ſi Conjugatus, vivente ſua Uxore, ducat aliam, & hæc ſciat, illum eſſe conjugatum. DXVII. §. *Obvia*.

IMMISSIO ad omnia Bona Paterna, Materna, & Avita, quæ occaſione Profeſſionis renunciaverat, addito pacto reverſivo in caſu egreſſus a Religione, fuit Canonico Regulari Lateranenſi poſt aſſecutionem Parochiæ conceſſa. CCLX. §. *Prætendit circa fin.*

IMPEDIMENTUM dirimens Matrimonii juxta antiquiores Theologos non eſt impotentia reſpectiva naturalis, & perpetua. XIX. §. *Videtur. Impedimentum* publicæ honeſtatis eſt propinquitas orta aut ex Sponſalibus validis, dirimitque Matrimonium cum conſanguineis Sponſi, ac Sponſæ in primo gradu tantum, aut ex Matrimonio rato, ſed non conſummato, & Matrimonium dirimit uſque ad quartum gradum inclusive. CLXVI. §. *Honeſtas. Tom.* I. *pag.* 100. *Impedimentum* publicæ honeſtatis deſcendens a ſecundo Affinitatis genere, ſublato impedimento ſecundi generis Affinitatis, ſublatum quoque dici debet. *ibid.* §. *Multoque T.* I. *pag.* 99. *Impedimentum* publicæ honeſtatis ſublatum cenſetur eo ipſo, quod Affinitas quoad ſecundum, & tertium genus ſublata fuit. *ibid.* §. *His verbis. T.* I. *p.* 101. *Impedimentum* habens principium clandeſtinum, & occultum, ut probetur, admirtuntur quicumque Teſtes, etiamſi non ſint omni exceptione majores. CCXXVI. §. *Quæ omnia in fin. Impedimentum* affinitatis ex copula illicita proveniens eſt difficilis probationis, & ad illud probandum non ſolum præſumptiones, & Teſtium depoſitiones conjungi debent, ſed non ſunt recipiendi Teſtes licet aliquas paterentur exceptiones. *ibid. Impedimentum* affinitatis ex copula illicita ut probetur, an magis credendum ſit Notario, quam Teſtibus. *ibid.* §. *In quo verum. Impedimentum* publicæ honeſtatis, quod olim ex Sponſalibus invalidis alio capite, quam ex defectu conſenſus oriebatur, hodie vero ejuſmodi impedimentum ex Sponſalibus irritis non contrahitur. CCXCI. §. *Primum eſt. Impedimentum* publicæ honeſtatis ex Sponſalibus ortum ducat, etiamſi Sponſalia mutuo deinde conſenſu diſſolvantur. *ibid. Impedimentum* publicæ honeſtatis ex Sponſalibus promanans primum gradum non excedit. *ibid. Impedimentum* publicæ honeſtatis ex Matrimonio ortum ad primum gradum non reſtringitur, ſed ad quartum extendirur. *ibid.* §. *Secundum eſt, & ſeq. Impedimentum* publicæ honeſtatis ex Matrimonio ſine Parochi præſentia inito inducitur uſque ad quartum gradum. *ibid.* §. *Ultimum eſt. Impedimentum* publicæ honeſtatis non inducitur ex Matrimonio nullo ex defectu conſenſus, licet in Foro exteriori pro valido habitum fuerit. CCCXVII. §. *At quatenus in fin. Impedimentum* publicæ honeſtatis oritur ex Matrimonio, quod aliquando fuit in implicito ſtatu validitatis in Foro exteriori. *ibid.* §. *At quatenus circa fin. Impedimentum* publicæ honeſtatis oritur ex Matrimonio etiam invalido, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu conſenſus, & uſque ad quartum gradum extenditur. CCXCI. §. *Quartum eſt. Impedimentum* publicæ honeſtatis non inducitur ex Matrimonio per vim, & metum inito. CCCXVII. §. *At quatenus in fin. Impedimentum* cognationis ſpiritualis Procuratoris, qui Infantem ad Baptiſmum ſuſcepit, non obſtare, quo minus Matrimonium contrahere valeat eum Puella ſuſcepta, reſponſum fuit *in Theatina Matrimonii* 13. *Septemb.* 1721. CCXXVII. *Impedimentum* juſtitiæ publicæ honeſtatis oriens ex Matrimonio puro, & non conditionato, rato, & non conſummato, ſed nullo, non tamen ex defectu conſenſus, cum diſceptatum fuerit, an non excedat primum gradum, ſeu potius extendatur ad quartum *S.* Congregatio reſcripſit --- *Ad mentem --- Dubium Matrimon.* 5. *Decemb.* 1722. CCXCI. *Impedimentum* Criminis Matrimonii dirimens oritur ex Adulterio, vivente prima Uxore, patrato una cum promiſſione Adulteram ducendi in Uxorem poſt obitum Conjugis tunc viventis. CCCCII. §. *Impedimentum in princ.* Procedit, ſive Adulterium promiſſionem præcedat, ſive promiſſio præcedat Adulterium, dummodo promiſſio ſit vera, ſeria, & ab altera parte acceptata. CCCCII. §. *Impedimentum in fin. Impedimentum* Criminis Matrimonium dirimens inducitur etiam ex machinatione mortis Conjugis, ſed debet concurrere Adulterium, ſi machinatio mortis ab altero tantum proceſſit; ſufficit vero ſola machinatio abſque Adulterio, ſi ea ab utroque proceſſit. *ibid.* §. *Item. Impedimentum* Criminis Matrimonium dirimens an, & quando ex Adulterio, & homicidio oriatur. *Vid. deducta.* DXXVI. §. *Hæc quoad ſimplex. Impedimentum* Matrimonii dirimens per unicum Teſtem probatur, quando agitur de Matrimonio ineundo. CCCCII. §. *Adeoque*. Procedit tamen, ſi Teſtis ſit bonæ fumæ, & non pariatur exceptionem in perſona. *ibid.* Procedit præterea, dummodo Teſtis afferat cum juramento, ſe certo ſcire impedimentum. *ibid. Impedimentum* Matrimonii, quod ex uxoricidio contrahitur, an adhuc vigeat, & an ſuper eo diſpenſare poſſit Epiſcopus. *Vid. Authores relatos.* DXXVI. §. *Quoad ſimplex*.

IMPOTENTIA reſpectiva naturalis, & perpetua juxta antiquiores Theologos non eſt Matrimonii impedimentum dirimens. XIX. §. *Videtur. Impotentia* ſi Contrahenti ante initum Matrimonium innotuerit, Eccleſia non ſolet Conjuges ſeparare. CCXXV. §. *Quod nullatenus in fin. Impotentia* reſpectiva eſt Matrimonii impedimentum dirimens. CCCXCI. §. *Hæc quoad*.

INCAPACITAS Regularium nequit eximere Hæredes ab onere adimplementi Miſſarum. CXVI. §. *Quia vero*.

INCOMPATIBILIS est Præpositura ad Scalas Sanctas cum Episcopatu, in *Romana Præpositurae* 1. *Aprilis* 1719. XCVI.

INCORRIGIBILES an, & quando Religiosi dicantur? *ccccxxxii. §. Tempore.*

INDULGENTIIS, & Privilegiis Archiconfraternitatis aggregantis gaudet Confraternitas aggregata, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.* 1718. *ad* I. *Dub.* LVI. *Indulgentia*, ut acquiratur, sufficit status Gratiæ sine Confessione, si Confessio in Bulla non exprimatur. CCCXLIV. §. *Ultimum*. *Indulgentia Portiunculæ* an, quomodo, & quando acquiri possit. CCCLXII. *Indulgentia* Portiunculæ cum disceptatum fuerit, an acquiri possit a Fidelibus a Vesperis Kalendarum Augusti ad Vesperas diei sequentis non semel, licet pluries, debitis intercedentibus requisitis, Ecclesias Ordinum S. Francisci visitaverint, sed toties, quoties easdem Ecclesias dicta die, debitis intercedentibus requisitis, visitaverint, Sacra Congregatio rescripsit --- *Servetur solitum* --- *In Ordinis S. Francisci* 4. *Decembris* 1723. CCCLXII. *Indulgentia* Altaribus concessa ut lucrifiat, an celebrari debeat Missa de *Requiem*, aut sufficiat aliam Missam celebrare, disputant DD. relati. CCCCXCI. §. *Controversia*. Procedit, ubi in Privilegio expresse non injungatur Celebratio Missæ *de Requiem*; tunc enim cessat omnis controversia. *ibid.*

INDULTUM absendi licet a Sacra Congregatione facile concedatur Canonicis Coadjutis, illi tenentur residere. LVII. §. *Superest in fin. Indultum* subrogationis Missarum loco 125. Anniversariorum annuatim celebrandorum concessum fuit Capitulo Cathedralis Bracharensis ex motivo, quod Anniversaria erant Canonicis nimis onerosa. CLXV. §. *Pro faciliori in fin. Indultum* subrogationis Missarum loco Anniversariorum per Moniales celebrandorum cum cantu, addito aliquali earum numero ex motivo incommodi, quod Moniales subire tenebantur in adimplemento dictorum Anniversariorum, concessit Sacra Congregatio in *Neapolitana*. *ibid. Indultum* retinendi pensionem una cum Officio Custodiæ Corporis Pontificii Equitum levis armaturæ denegatum fuit *in Romana Indulti* 7. *Decembris* 1720. *ad* II. *Dub.* CXCII. *Indultum* concessum fuit Ducissæ Carlottæ, quod posset Monasterium Monialium per sex vices quolibet anno cum comitatu sex Matronarum ingredi, aliis vero in Ducatu succedentibus tribus vicibus quolibet anno, & cum tribus Matronis, servata in reliquis forma aliarum clausularum, quæ in similibus Brevibus pro ingressu in Monasterium solent apponi in *Magdalunen.* 22. *Aprilis* 1719. CII. *Indultum* Peruccham gestandi fuit sub pluribus conditionibus concessum. CCLXXVII. *& seq.* §. *Quoad circa med. Indultum* acceptandi Legatum cum perpetuo Missarum onere fuit Fratribus Sancti Francisci de Observantia concessum. CCLXXXIII. §. *Transeundo*. *Indultum*, quod Confirmationis Sacramentum posset a simplicibus Presbyteris administrari, fuit petitum, sed a S. C. denegatum, ut constat ex Resolutionibus relatis. CCLXVII. §. *Ultimum*, *& duob. seq. Indultum* suscipiendi gradum Doctoris in jure Canonico concessum fuit Canonico Theologo, ita tamen, ut Theologiam Moralem docendo, & Sacram Scripturam explicando incumberet. CCC. §. *Plana in fin. Indultum* obtinendi Parochialem Secularem concessum fuit Canonico Regulari Lateranensi, in *Placentina* relata. CCCXLVII. §. *Celebris*. *Indultum* celebrandi pluries eadem die noluit a Regno Aragoniæ ad totam Hispaniam extendere Urbanus VIII. CCLVI. §. *Ultimum circa fin. Indultum* celebrandi Missam pluries die Commemorationis Defunctorum esse conveniens, & ab Apostolica Sede esse concedendum, ostendit Author relatus. *ibid. Indultum* pluries celebrandi die Commemorationis Defunctorum fuit a Clem. XI. denegatum Archiepiscopo Bracharensi. *ibid. Indultum* pluries celebrandi die Defunctorum exoptandum esset, ut extenderetur ad alia Regna præter Regnum Aragoniæ. *ibid. Indultum* concessum Canonicis Cathedralis Montis Politiani recitandi Matutinum cum laudibus de sero post Vesperas sustineri, ad formam Decreti Sacræ Congregationis anni 1716., rescripsit eadem Sacra Congregatio *in Montis Politiani* 26. *Junii* 1723. *ad* I. *Dub.* CCCXXXIV. *Indulta* retinendi plura Beneficia incompatibilia solent quandoque, justa urgente causa, ab Apostolica Sede concedi. CCCLXXI. *Indultum* satisfaciendi Missæ de *Requiem* cum celebratione Missarum votivarum B. V. diebus Sabbati, & cum celebratione Missarum votivarum de S. Josepho singulis quartis feriis, concessum fuit, *in Romana* 9. *Februarii* 1726. CCCCXCI. *Indultum* distribuendi medietatem Dotium Puellis in Urbe degentibus, & aliam medietatem Puellis in Civitate Bononiæ commorantibus denegatum fuit Hæredi, *in Romana seu Bononien.* 22. *Septemb.* 1725. *ad* II. *Dub.* CCCCLXVII. *Indultum* inserviendi alternative, & facta divisione per Turnum cum solitis clausulis concessum fuit Canonicis, & Clero Ecclesiæ S. Severinæ, *in S. Severinæ* 13. *Julii* 1725. CCCCLV. *Indultum* Jubilationis concessum fuit Canonico, licet ei opponeretur, quod spatio 28. annorum ob dissonantiam vocis abstinuerit a canenda Missa per Turnum, sed alium suppleverit, *in Camerinen.* 1. *Decemb.* 1725. CCCCLXII. *Indultum* Jubilationis concessum Canonico suffragari eidem etiam post obtentam in eadem Ecclesia Dignitatem Decanatus, dummodo in solemnioribus inserviat, respondit Sacra Congregatio *in Senen.* 16. *Martii* 1726. CCCCXCV. *Indultum* Missam celebrandi cum assistentia alterius Sacerdotis concessum fuit Sacerdoti omnino cæco, in *Florentina* 23. *Aug.* 1723. DLXX. *Indultum* conferendi una, eademque die Ordines Minores, & Subdiaconatum iisdem personis fuit denegatum in *Calaritana* 21. *Februarii* 1728. *ad* I. *Dub.* DXCII. *Indultum* abessendi ex causa infirmitatis fuit Canonico prorogatum ad annum, & demandatum, ut interim coram Ordinario conficeretur Processus super qualitate infirmitatis, in *Ostiabrugen.* 20. *Septemb.* 1727. *ad* II. *Dub.* DLXXIV.

INFAMES infamia juris ex genere pœnæ, & consequenter irregulares sunt ii, qui ad triremes damnati fuerunt juxta unam Sententiam, secundum aliam vero, quæ hodie recepta est, non sunt infames, nisi damnati fuerint ob delictum infamiam de jure adnexam habens. DXVI. §. *Aliqui &* §. *At opinio*. *Infamiam* an, & quando contrahat is, qui Bonis cesserit? CCCCXLIX. *Infamiam* tam de jure Civili, quam Canonico adnexam habet Crimen nefandum, dummodo sit notorium notorietate Juris, vel facti. DXVI. §. *His positis*.

INFIDELES si plures uxores in infidelitate habuerit, & ipse ad fidem convertatur, debet cum prima uxore remanere. DXLVI. §. 20. *Quod autem*.

INFIRMITATIS causa absens Canonicus, lucratur distributiones quotidianas. CXXII. §. *Porro in fin.*

INHABILES ad Matrimonium cum aliis contrahendum declarati fuerunt plures Consanguinei ex eo quod super gradibus Consanguinitatis Apostolicam dispensationem legitime non obtinuerint, ut videre est ex resolutionibus Sacræ Congr. relatis. CLXXXIII. §. *Inter alias*.

INHIBITIONES A. C. non obstant, quin executioni demandentur Decreta S. Congregat. concernentia Processiones. CCCXCVIII. §. *Demum*.

INSTITUTIONEM ad Cappellaniam concedendam esse ei, qui ad eam fuerat præsentatus, non obstante, quod de tempore præsentationis non esset Sacerdos, respondit S. Congregatio in *Romana Cappellaniæ* 4. *Februarii* 1719. *ad* I. *Dub.* LXXXII. *Institutio* Beneficii debet Episcopo, vel habenti jurisdictionem Ordinariam, & non alteri inferiori in limine fundationis reservari. CCXLVIII. §. *Difficultas*. Beneficii tamen institutio debet Episcopo, vel habenti jurisdictionem Ordinariam, & non alteri Inferiori in limine fundationis reservari. *ibid.* §. *Difficultas*. *Institutionis* reservatio favore Capituli Sanctæ Mariæ in Via lata de Urbe fuit, se opponente Archiepiscopo Firmano, denegata a Sacra Congregatione. *ibid.*

INTERDICTUM fertur ob Populi nequitiam. CCCLI. §. *Quoad Interdictum*. *Interdictum*, atque suspensionem a Divinis non sustineri, respondit S. Congr. *in Savonen.* 9. *Septemb.* 1724. CCCLXXXIX.

INTERSTITIA, seu intervalla temporis inter unum, & alium Ordinem fuerunt ab Ecclesia instituta, ut per ea fides, morum probitas, constantia, & moderatio Ordinandorum deprehendatur. DXCII. §. 15. *His positis*. *Interstitia* requirunt ad Ordines suscipiendos. *ibid.* §. 1. *Inter cætera*. *Interstitiis* non servatis, si Ordines conferantur, Ordinans, & Ordinatus peccant, neuter tamen ullam in Foro exteriori pœnam incurrit. *ibidem* §. 2. *Si non servetur*. *Interstitiis* non servatis, fas est Episcopo Ordines conferre, & accedente Ecclesiæ necessitate, & commodo super illis dispensare. *ibid.*

IRREGULARIS est, qui Baptismum ab Hæretico recipit. XXX. §. *In hoc*. *Irregularis* efficitur is, qui Furantes non insequitur, sed alteri mandat, ut eos insequatur, si capti a Judicibus ultimo afficiantur supplicio. C. §. *Additur*. *Irregularis* est Hæreticus, hæresi etiam abjurata. XXX. §. *Rursus*. *Irregularer* sunt Hæreticorum Filii. *ibid.* Limita, si nati fuerint ex Parentibus hæreticis, qui postmodum Fidem Catholicam amplexi sunt. *ibid. Irregularem* non esse eum, qui natus est a Parentibus Hæreticis, si Parentes Fidem Catholicam amplexi sint, rescripsit Sac. Congregatio in *Romana* 21. *Maii* 1718. *ad* II. *Dub. ibid. Irregularem* non esse eum, qui in infantili ætate Baptismum ab Hæretico recepit, respondit Sacra Congregatio. *ibid. ad* I. *Dub. Irregularem* non esse Novitium, qui Hermafroditus asserebatur, responsum fuit in causa, cui titulus -- *Dubium Ordinationis* relata. CCXXXVI. §. *Plura circa fin. Irregulares* non sunt Homines parvæ staturæ. CCXVII. §. *Facit*. Exempla Hominum parvæ staturæ, qui ad Sacros Ordines fuerunt promoti referuntur. *ibid. Irregularis* efficitur Oculens, aut mutilans membrum. CCCCLXXXIII. §. *Occidens*. *Irregularis* non efficitur, qui sævit in Cadaver Inimici. CCCCXXX. §. *Ultimum*. *Irregularis* non est is, qui suum Invasorem occiderit, cum fugere non possit, aut clamare, seu alia via vitam tueri. DIX. §. *Quoad eum*. *Irregularis* est Occidens Invasorem, non servato moderamine inculpatæ Tutelæ. *ibid.* §. *Hæc quoad*, & §. *Scribentis*. *Irregularis* est Occidens Invasorem rerum suarum, si istæ sint viles. *ibid.* §. *Ponderari*. *Irregularis* an sit privans aliquem visu in oculo absque eo quod illum eruat? *Vid. Authores relatos*. CCCCLXXXIII. §. *Præscindendo*. *Irregularis* non est, qui membrum debilitat. *ibid.* §. *Vis major*. *Irregularis* non est, qui, licet a Judice Laico condemnatus fuit uti parriceps homicidii, a Sacra Congregatione fuit innocens declaratus. CCCCLXXXIV. §. *Scribens*, & *seq. Irregularis* est ille, qui vel carer membro, vel illud habet ineptum ad Opus perficiendum, CCCCLIII. §. *Quoad punctum in princ. Irregularis* est, & ad Missam celebrandam non est admittendus, qui habet manum impeditam. *ibid.* §. *Sacerdos*. *Irregularis* est Energumenus, seu is, qui a Dæmone fuit obsessus. CCCLXXXV. §. *Scribentes*. Num autem a vexatione liberatus possit ad Ordines promoveri, variant Authores relati. §. *Scribentes*, & *seq. Irregularis* an sit is, qui Bonorum cessionem emiserit? late discutitur. CCCCXLIX. §. *Pro Michaele*, & *seq. Irregularis* non fuit declaratus

ratus Presbyter, qui ob armorum delationem fuerat quidem ad Triremes condemnatus, sed nunquam remigraverat, sed obtinuit habilitatem ad exercitium suorum Ordinum, ut constat ex Resolutione edita *in Comen. Dispensationis* DXVI. §. *At opinio in fin. Irregulares* sunt Presbyteri sæculares, & Regulares cujuscumque Ordinis ad Triremes perpetuo, vel ad tempus damnati, si fuerunt in Triremibus Remiges, & nunquam ex Decreto Urbani VIII. habilitantur ad exercitium suorum Ordinum. *ibid.* §. *Sanctæ mem. Irregularem* esse Sacerdotem, qui Sacram Hostiam, & Sanguinem sumere nequit, nisi auxilio manus sinistræ, respondit Sacra Congregatio *in Consentina* 13. *Julii* 1725. *ad* I. *Dub.* CCCCLIII. *Irregularem* esse eum, qui causam dedit rixæ, ex qua secutum fuit homicidium, respondit S. Congregatio *in Caputaquen.* 24. *Mart.* 1725. *ad* I. *Dub.* CCCCXXX. *Irregularis* est ille, qui ære alieno gravatus Bonorum cessionem emisit, proindeque Ordines sacros suscipere prohibetur *in Atrien.* 23. *Jun.* 1725. CCCCLIX. *Irregularis* declaratus fuit Energumenus quoad Ordines suscipiendos, *in Mediolanen.* 2. *Decembris* 1724. *ad* I. *Dubium*. CCCLXXXV.

IRREGULARITAS contrahitur ob homicidium Furis licet nocturni, quod est culpabile, si occidens poterat sibi, vitæque suæ cavere, aut si Fur poterat comprehendi. IX. §. *In eoque*. *Irregularitas* non contrahitur ab eo, qui clamorem extulit adversus Fures, prævidendo, quod si caperentur, ultimo poterant supplicio mulctari, licet deinde Fures a Judice, vel Circumstantibus occidantur. C. §. *Pro affirmativa*. *Irregularitas* descendens a Neophytatu sibi vindicat locum in eo, qui fuit in adulta ætate baptizatus, & in Baptismate novus est, XLIX. §. *Præterquamquod*. Non vero applicatur iis, qui in infantili ætate constituti Baptismum receperunt. *ibid.* Sicuti neque procedit in iis, qui Baptismum quidem in adulta ætate receperunt, sed post aliquod temporis intervallum, & experimentum ab Ordinario idonei ad Ordines suscipiendos reputantur. *ibid. Irregularitas* ex homicidio contrahitur aut facto, aut præcepto, aut consilio. C. §. *Pro negativa in princ. Irregularitas*, ut ex homicidio contrahatur, sufficiens reputatur quodcumque dictum, vel factum, quod dirigatur, sive ordinetur ad homicidium inde secutum. *ibid. Irregularitas* ex homicidio ad propriæ vitæ defensionem patrato non incurritur. IX. §. *Tum quia*. *Irregularitas* contrahitur ab eo, qui, licet a Divinis suspensus, in Ordinibus sacris ministrat. CL. §. *Demum*. *Irregularitatem* non incurrit ministrans, nec est suspensus, qui fuit ordinatus sine titulo sufficienti. CXIII. §. *Licet*. *Irregularitatem* incurrit is, qui, licet a Divinis fuerit suspensus, Missam celebrat. LIV. §. *Factum*. *Irregularitatem* contraxisse, qui contra Fures clamavit, & ifti capti fuerunt capite damnati, respondit S. C. in *Casalen. Irregularitat.* 24. *Sept.* 1718. IX. *Irregularitatem* causat ille corporis defectus, qui impedit congruum, & decens Ordinis exercitium, aut qui notabilem deformitatem, & sic horrorem, vel risum affert, CCXVII. §. *Facit vero*. *Irregularitatem* an inducat corporis defectus, an scilicet ille impediat Ordinis exercitium, aut risum, vel horrorem afferat, judicare debet Episcopus, ejusque judicio remittitur. *ibid. Irregularitatem* non incurrisse Clericum deprehensum a Marito cum sua Uxore, licet Maritus Uxorem interfecerit, respondit Sacra Congregatio *in Palentina*. CCCLIII. §. *In hac*. *Irregularitatem* contrahit Armasius, si Mulierem periculo temere exposuit, & re ipsa ea fuerit a Marito occisa, secus vero, si ille cum sufficienti cautela se gessit. *ibid.* §. *Auctores*. *Irregularitas* non contrahitur ab eo, qui ratum habet Homicidium jam antea patratum. CCCCXXX. §. *Alterum est*. *Irregularitatem* non inducit homicidium, nec dicitur voluntarium in eo, qui illud non prævidit. *ibid.* §. *Hæc sunt*. *Irregularitatis* exceptio cum opposita fuerit in executione Literarum Apostolicarum de Ecclesiastico Beneficio, responsum fuit, *dandam esse novam provisionem ad cautelam in Hispalen. Archidiaconatus* 30. *Martii* 1726. CCCCLXXXIV. *Irregularitatis*, qua laborabat Sacerdos non valens sacram Hostiam, & Sanguinem sumere nisi auxilio manus sinistræ, dispensatio remissa fuit arbitrio Archiepiscopi, *in Cosentina* 13. *Jul.* 1725. *ad* II. *Dub.* CCCCLIII.

JUBILARI debere Canonicos, sive Beneficiatos, qui spatio annorum 40. continuo, & laudabiliter Ecclesiæ inserverunt, ac proinde frui debere exemptionem a Choro, & ad fructuum participationem admitti, nullo canone statutum legitur. CXCV. §. *Nullus*.

JUBILATIO Canonico, seu Beneficiato, qui intra spatium 40. annorum absuit causa Studiorum, debet denegari, & nulla habenda est ratio de tempore, quo ex præmissa causa absuit. LVII. §. *In terminis abstinentiæ*. *Jubilatio* ei, qui spatio 40. annorum causa infirmitatis absuit, denegari non debet, si modo infirmitatis causa fuit ab Ordinario approbata, & accesserit Sacræ Congregationis Indultum. *ibid. Jubilatio* ei, qui spatio 40. annorum Ecclesiæ inservivit, primum in qualitate Coadjutoris, & deinde tamquam Principalis concedi debet, & tempora sunt conjungenda. *ibid.* §. *In termine ejus*. *Jubilatio* concessa fuit Præposito Cathedralis Brictinorien., non attenta oppositione Capituli reclamantis, quod tredecim erant Canonici, & quatuor Mansionarii, & quod tres ex Canonicis erant cura animarum præoccupati, duo mala valetudine præpediti, & alter jubilationis jam fruens Indulto. LVII. §. *Succedit*. *Jubilatio* itidem concessa fuit, licet novem essent Canonici, comprehento Præposito, & dempto uno, qui ad organum, altero, qui ad Confessionarium adstare debebat, demptisque aliis tribus, qui Altari celebrando assistere tenebantur, & diceretur, tres tantummodo in Choro esse mansuros. *ibid.* A jubilatione non est excludendus is, qui spatio 40. annorum Ecclesiæ inservivit, licet quandoque abfuerit propter officium aliquod, munitus tamen Indulto vacandi a servitio Chori pro diebus, & horis. *ibid.* §. *In terminis absentiæ*. *Jubilationi* non obstat, quod quis servitium eidem Ecclesiæ partim tamquam Clericus Beneficiatus, partim tamquam Beneficiatus præstiterit. *ibid.* §. *Terminis ejus*. *Jubilationis* Indultum olim concedebatur solum eis Canonicis Cathedralium, vel Collegiatarum, in quibus extant Statuta illud concedentia. *ibid.* §. *In Cathedralibus*. Hodie vero conceditur, etiamsi non adsint Ecclesiæ Statuta, ne Canonici videantur deterioris conditionis Militibus militiæ Secularis. *ibid.* §. *Et quod*. Necesse tamen est, ut servitium spatio quadraginta annorum continuo, & laudabiliter fuerit præstitum, alias jubilatio non conceditur, & concessa tamquam subreptitie extorta revocatur. *ibid. Jubilationis* Indultum non reperitur Canonicis, & Beneficiatis in Jure Canonico elargitum, sed solum iis infirmis tribuitur, durante infirmitate, Indultum vacandi a Choro, aut eis succurritur remedio Coadjutoris. *ibid.* §. *Licet*. *Jubilatio* est elargienda illis, qui in una, eademque Ecclesia per totum tempus inservierunt, sed partim tamquam Clerici Beneficiati, partim tamquam Beneficiati, partim tamquam Canonici, vel partim tamquam Coadjutores, & partim tamquam Principales, & Titulares, in *Dubia Jubilationum*. *ibid. ad* II. *Dub. Jubilatio* indulgenda est Canonicis, & beneficiatis, qui spatio 40. annorum Ecclesiis inservierunt, si dicto tempore cum debitis licentiis, & indultis abfuerint ab Ecclesiis, vel ex causa infirmitatis, vel pro suæ Ecclesiæ servitio, vel cum Indultis absendi pro diebus, & horis, *Dubia Jubilationum*. *ibid. ad* I. *Dub. Jubilatio* cum quæreretur, num esset concedenda illis, qui inservierunt spatio annorum 40., non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio, & quis esset parvus numerus Inservientium, Sacra Congregatio respondit -- *Dabitur Resolutio in casibus particularibus* --. *ibid. ad* III. *Dub. Jubilatio* non est concedenda illis, qui inservierunt spatio 40. annorum, sed partim in una Ecclesia, partim in alia, aut tamquam Canonici in ambabus, aut tamquam Beneficiati in una, & Canonici in alia. *ibid. ad* II. *Dub. Jubilatio* non est concedenda Canonicis, & Beneficiatis, qui spatio 40. annorum Ecclesiis inservierunt, sed dicto temporis spatio abfuerunt ab Ecclesiis studiorum causa, vel habentes Indulta absendi absolute, durante Officio. *ibid. ad* I. *Dub. Jubilatio* cum quæreretur, num esset concedenda illis, qui inservierunt spatio annorum 40., non obstante parvo numero aliorum, qui remanent addicti Ecclesiæ servitio, & quis esset censendus ad hunc effectum parvus Canonicorum, & Inservientium numerus, responsum fuit -- *Dandam esse resolutionem in casibus particularibus* -- CXCV. §. *In Congregatione*. *Jubilationis* Indultum passim ex consuetudine conceditur Canonicis, & Beneficiatis post servitium spatio 40. annorum continuo, & laudabiliter præstitum exemplo ducto, aut a Collegio Levitarum Legis Mosaicæ, aut a Lege Civili, quæ Miliribus Veteranis vacationem liberaliter concessit. *ibid.* §. *Porro*. *Jubilationis* Indultum Canonico suffragatur etiam respectu Dignitatis, quam post impetratam jubilationem assequitur. CCCCXCV. §. *Super hoc*. *Jubilationis* Indultum concessum fuit Canonico, licet ei opponeretur, quod spatio 28. annorum ob dissonantiam vocis abstinuerit a canenda Missa per Turnum, sed per alium suppleverit, *in Camerinen.* 1. *Decemb.* 1725. CCCCLXII. *Jubilationis* Indultum concessum Canonico suffragari eidem etiam post obtentam in eadem Ecclesia Dignitatem Decanatus, dummodo in solemnioribus inserviat, respondit S. C. *in Senen.* 16. *Mart.* 1726. CCCCXCV.

JUBILATO Canonico debentur fallentiæ Canonicorum absentium, dummodo non obstent Constitutiones Capitulares, vel consuetudo Ecclesiæ. XCIII. §. *Pro adæquata*, & §. *Invenio in fin. Jubilatus* Canonicus non tenetur residere. LVII. §. *Denum*. *Jubilatus* cogi potest ab Episcopo ad inserviendum, si Ecclesiæ servitium, & Cultus Divinus detrimentum patiantur. *ibid.* §. *Superest circa med. Jubilatus* abesse potest a servitio Chori, & interim frui fructibus, & distributionibus. *ibid. Jubilatus* Canonicus tenetur facere depositum tertiæ partis fructuum Præbendæ pro distributionibus quotidianis, sicuti faciunt alii Canonici. XCIII. §. *Invenio circa fin. Jubilatus* Canonicus non tenetur Missam Conventualem per Turnum, neque per se, neque per alium celebrare. *ibid. Jubilati* Canonici præter quotidianas distributiones lucrantur alia emolumenta certa, & fixa, nisi aliter cautum fuerit a Testatoribus, vel aliter statuto, vel consuetudine fuerit introductum. *ibid.* §. *Quoad Anniversaria*. *Jubilatis* Canonicis non debentur punctaturæ, seu fallentiæ aliorum Canonicorum Choro non interessentium. *ibid.* §. *Quoad punctaturas*. *Jubilatis* Canonicis, licet non interfint, debentur emolumenta Anniversariorum, quæ fiunt intra annum, & sunt fixa, nisi aliter a Testatoribus cautum fuerit. *ibid.* §. *Quoad alium*. *Jubilatus* non tenetur residere. LVII. *ad V. Dub. Jubilatus*, non obstante Jubilationis Indulto, cogi potest ad inserviendum, si Divinus cultus detrimentum patiatur. *ibid. ad IV. Dub. Jubilatus* Canonicus, licet Choro non interfit, participat de punctaturis, & fallentiis aliorum Canonicorum non inservientium, in *Aquipend. Indulti* 1. *April.* 1719. *ad I. Dub.* XCIII.

JUDICIS Officium pro assequendis Legatis annuis, quæ fiunt, adjecto Missarum onere, nequeunt implorare Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati tamquam ejusmodi Legatorum incapaces. CXXVII. §. *Et quia*.

JUDICIUM Episcopi, si contendat fuisse irrationabile, qui fuit examinatus in Concursu ad Parochialem, debet de irrationabilitate, & gravamine concludenter docere. CXXXV. §. *Excipit denique*. *Judicium* Episcopi fuisse irrationabile circa

collationem Parochialis, responsum fuit in *Uxentina Paroch.* 11. *Maii* 1720. clix.

JURAMENTUM, quod vere, & realiter quis habuerit animum contrahendi domicilium, requiritur ad effectum, ut volens promoveri ad Ordines Sacros dicatur Subditus ratione domicilii, tam in casu, quo in aliquo loco stabiliter constituerit domicilium per decennium inhabitando, quam in casu, quo majorem rerum, ac Bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum aliquem transtulerit, ibi per aliquod considerabile tempus commorando. VIII. §. *Episcopus*.

JURISDICTIO Ordinaria in Monasterio S. Mariæ Angelorum Civitatis Prænestinæ competit Eminentissimo Protectori, delegata vero Eminentissimo Episcopo, in *Prænestina Jurisdictionis* 8. *Junii* 1720. cliv. *Jurisdictio* Ordinaria non potest ab Archiepiscopo Firmano exerceri contra Personam, & Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ S. Victoriæ subjectæ Abbatiæ Farfen. in casu contractuum, & delictorum factorum, & commissorum extra septa dictæ Collegiatæ in *Firmana Jurisdictionis* 13. *Aprilis* 1720. cli. *Jurisdictioni*, & directioni Episcopi non subjacent Beneficia erecta in Altaribus Parochialium Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo, in *Nullius seu S. Severini Jurisdictionis* 4. *Februar.* 1719. *ad* IV. *Dub.* lxxx. *Jurisdictio* activa in Clerum, & Populum una cum Territorio separato, an acquiratur post Tridentinum ex Quadragenaria cum titulo colorato, late discutitur. cccxlv. *Tom.* 1. *p.* 228. *Jurisdictionis* potestas spectat, ad quem spectat facultas exercendi potestatem Ordinis. ccxix. §. *Alterum*.

JUS Canonicum, non autem Civile attendendum est in Materia Matrimoniali, vel alia Ecclesiastica. clxvi. §. *Absque eo quod*.

JUSPATRONATUS acquiritur ex augmento dotis, quando illud ad medietatem valoris redituum ascendat. cxi. §. *Putat in fin. Juspatronatus* acquisitum ex simplici privilegio fuit a Tridentino sublatum. *ibid.* §. *Franciscus*. *Juspatronatus* ex dotis augmento ut acquiratur, oportet, quod dos assignata fuerit penitus deperdita. *ibid. Juspatronatus* donare possunt Laici Loco Pio sine consensu Episcopi; donare autem nequeunt sine d. consensu Ecclesiam, ejus Fabricam, titulum, seu proprietatem. lxiv. §. *Dicitur*. *De Jure* patronatus constare dummodo intra terminum trium mensium persolvantur ab Universitate annualitates huc usque decursæ, & dummodo intra eumdem terminum fiat reintegratio in forma valida assignamenti usque ab initio facti, elapsoque termino, & non adimpletis dictis conditionibus cessare Juspatronatus, respondit Sacra Congregatio, in *Amalphitana Præposituræ* 24. *Febr.* 1720. cxviii. *Juspatronatus* nequit principaliter cum Bonorum universitate vendi, nec pretium Universitatis Bonorum propter illud augeri, cccxxviii. §. *Et præmisso circa fin. Juspatronatus* Universitati Bonorum adnexum transit cum Universitate in Emptorem. *ibid. Juspatronatus* in se non est quid spirituale, sed spiritualibus annexum dicitur, itaut Simonia in eo cadens sit de jure positivo Ecclesiastico, non Divino. *ibid.* §. *Urget circa fin. In Juspatronatus* materia prohibentur emptiones, conventiones, & alia quæcumque pacta consimilia. *ibid.* §. *Transactio in princ.* Limita, quando Apostolica intercedit authoritas, & approbatio. *ibid. Juspatronatus* a Personis suspectis de usurpatione probari debet, per Instrumentum fundationis, vel dotationis, aut per immemorabilem cum præsentationibus continuatis, & effectuatis spatio 59. ann. ccccl vii. §. *Absque eo*.

JUS præsentandi ad parochiam noviter institutam competit Parocho Matricis Ecclesiæ. clxviii. *& seq.* §. *Hæc sunt*. Procedit, si Ecclesia antiqua, & Matrix de sua contulit pro ædificatione, aut fundatione novæ Ecclesiæ, secus quando sumptibus alterius fuit fundata, & ædificata; huic enim, & non Matrici Ecclesiæ reservandum est Jus ad ipsam præsentandi. *ibid.*

L

LÆSIO, ut excludatur, debet sterilitas annorum subsequentium cum fertilitate præcedentium compensari. lxxiii. §. *Facit in fin.*

LAICIS negotiatoribus quomodo communio frequens sit permittenda, *V. Decretum Sacræ Congregation.* ccccxxiv. §. *Decretum*.

LAUREOLA, & Aureola Martyrum quid sint, & in quo differant. ccexliv. §. *Secundum*.

LEGATUM pium, & præsertim Missarum relictum cum verbis -- *In perpetuum* -- non restringitur ad centum annos, sed ad quodcumque tempus extenditur. lxxv. §. *Pro oneris*. *Legatum* Fratribus Min. Obser. relictum sub his verbis -- *lascio, che detti miei Eredi faccino celebrare quaranta Messe l' anno all' altare di S. Maria Maddalena nella Chiesa di S. Maria delle Grazie de' Frati Minori Osservanti da quelli Padri* -- sustinetur, & tenentur hæredes eis persolvere eleemosynam pro celebratione Missarum ad rationem Manualis. cxvi. §. *Facit in fin. Legatum* Fratribus Min. Obser. relictum sub his verbis -- *Item dico di avere a Censo ducati cent' ottanta, lascia di vagione di Legato che l' infrascritto Erede, o Successori in infinitum debbano con i frutti di quelli fanne celebrare quattro Anniversarj l' anno nella Chiesa di S. Maria de' lumi da i Frati Zoccolanti*, sustinetur. *ibid.* Legati relicti cum onere celebrationis Missarum non esse capaces Fratres Min. Obser. resolutum fuit in Brundusina. cxxvii. §. *Cum quibus*. *Legatorum* quæ sunt, adjecto onere celebrationis Missarum, sunt incapaces Regulares, qui nequeunt in communi possidere. cxvi. §. *Quoad reditus*. *Legatorum* annuorum, quæ sunt, adjecto Missarum onere, sunt incapaces tam Fratres de Familia, quam Reformati, nec possunt pro illis agere, vel Judicis Officium implorare. cxxvii. §. *Et quia*. *Legati* pro Dotali subsidio relicti suspensio per sexennium fuit denegata Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Reatis, in *Reatina Legati* 2. *Decembris* 1719. cxxxii. *Legati* applicationi favore Seminarii locum esse, respondit Sacra Congregatio. cli. *Legatæ* Missarum sunt capaces Fratres Minores Observantes, in *Brundusina Adimplementi* 26. *Augusti* 1719. *ad* I. *Dub.* cxvi. *Legatum* Missarum esse temporaneum, non autem perpetuum, respondit Sacra Congregatio in *Romana Legati* 18. *Novembris* 1719. cxxi. *Legatum*, seu onus celebrationis Missarum nequit hæres ab Altari S. Francisci de Paula ad Ecclesiam Collegiatam transferre, in *Brundusina Adimplementi* 26. *Augusti* 1729. *ad* II. *Dub.* cxvi. *Legata* Missarum tam perpetuarum, quam Manualium comprehendi in Indulto, seu Brevi Apostolico respondit Sacra Congregatio in *Elboren. Declarationis Indulti* 21. *Januarii* 1719. *ad* I. *Dub.* xxix. *Legatorum* applicationi in scutis tribus quolibet mense locum esse, resolutum fuit in *Romana, seu Januen. Applicationis Legatorum* 27. *Aprilis* 1720. xlvii. *Legatorum* solutionem, pendente multiplico super dotibus, non esse suspendendam, sed eadem Legata, pendente, & adhuc non completo pro dotibus multiplico, persolvenda esse, respondit Sacra Congregatio in *Romana Legatorum* 13. *Augusti* 1718. xlvii. *Legati* relicti sub perpetuo Missarum onere incapaces sunt Fratres Min. Obser. cxcvii. §. *Initio*. *Legati* ducatorum 300. cum onere reparationis Ecclesiæ, & nonnullarum Missarum sunt incapaces Fratres Min. Obser. *ibid.* §. *Facit secundo*. *Legati* conspicuæ, & magnæ quantitatis sunt incapaces Fratres Observantes. *ib. Legati* relicti cum onere, ut certa portio Panis, Vini ematur pro servitio Infirmorum de Ara Cæli, & cum onere Fratribus imposito celebrandi Missas 200. quolibet anno sunt capaces dicti Fratres. *ibid. Legati* relicti Altari sito in Ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci cum conditione, ut Syndicus pro tempore medietatem ergot pro manutentione Cappellæ, & aliam medietatem pro celebratione Missarum a Fratribus facienda sunt incapaces Fratres Reformati. *ibid. Legati* sunt incapaces Fratres, si eis relictum, & ab illis administrandum fuerit, nulla facta Syndici mentione. *ibid. Legati* situs pro Viridario annexo Clausuræ sunt capaces Fratres Obser. *ibid. Legati* situs pro Viridario relicti sub onere unius Missæ qualiber hebdomada capaces sunt Fratres Observantes. *ibid. De Legato* Marchionis Vincentii Justiniani non posse participare Justinianos Chienses, firmavit *Rot.* ccvi. §. *E contra*. Contrariam Sententiam tenuit Sac. Congregatio. *ibid.* §. *Ad tollendam*. *Legatum* annui reditus factum Fabricæ, Sacrario, vel Ecclesiæ Fratrum Min. Obser. valet, dummodo non adsit excessus in quantitate, & dummodo simile Legatum non a Fratribus, sed a Syndico dumtaxat Apostolico exigatur. cxcvii. §. *Tandem*. *Legatum* annui reditus factum Sacristiæ, vel Fabricæ Ecclesiæ, vel Conventus Fratrum Minorum tam de Familia, quam de Reformatione valet, nisi adsit excessus in quantitate. *ibid.* §. *Hæc sunt*. *Legatum* factum Sacristiæ, vel Fabricæ Ecclesiæ, aut Conventus nequit exigi in judicio a Fratribus Minor. Obser., sed id licitum est dumtaxat Syndico Apostolico. *ibid. Legatum*, quod sub onere Missarum fuit relictum Regularibus Min. Obser., non substituitur, *ibid.* §. *Quoad Legata*. *Limita*, ubi Hæredes gravati fuissent ad celebrari faciendum a dictis Fratribus Missas. *ibid.* §. *Et multo magis*. *Legatum*, quod concernit decorem suarum Ecclesiarum, & certum usum cultus Divini, consequi possunt Fratres Observantes, & Reformati. *ibid.* §. *Facit secundo circa med. Legatum* a Patre relictum Filio non censetur revocatum, ex quo Pater pretium deponat in Banco. ccxxix. §. *Secundo in fin.* Intellige, quando Pater dictum pretium, seu pecuniam a Debitore oblatam recepit, *ibid. Legatum* non censetur revocatum ex eo, quod Testator pretium rei legatæ penes Sacram ædem deposuit. *ibid. Legatum* ex alienatione voluntaria rei legatæ ad differentiam alienationis necessariæ extinguitur, aut minuitur. *ibid.* §. *Porro*. Procedit de Lagato prophano, secus in Legatis Piis. *ibid.* Contrariam sententiam esse veriorem, & receptiorem, quod scilicet etiam Legata pia ex alienatione voluntaria rei legatæ censeantur adempta, tradunt Authores relati. *ibid.* §. *Alia e contra*. *Legati* annui incapaces sunt Fratres Minores, etiamsi eidem Legato adjectum fuerit onus celebrationis Missarum. ccccl xxvii. §. *Quoad incapacitatem*. *Legatum* annuum, si relinquatur Sacristiæ, Fabricæ Ecclesiæ, aut Conventui Fratrum Minorum est validum, modo non adsit excessus in quantitate, & exactio non fiat a Fratribus, sed tantum per Syndicum Apostolicum. *ibid. Legatum* annui Census relictum Syndico Fratrum Minorum pro Fabrica Ecclesiæ, cum ejusdem Census dominium fuisset translatum in eumdem Syndicum, declaratum fuit invalidum, & Censum a Syndico esse dimittendum, respondit Sacra Congregatio, *ibid.* §. *Concordant*. *Legatum* si indefinite sit factum Pauperibus, distributio facienda est Pauperibus illius Loci, in quo Testator testamentum condidit, & domiciliium habuit. *ibid.* §. *Testator*. *Legati* distributio denegata fuit *in Veneta, seu Januen. Legati* 23. *Februar.* 1726. ccccl xvi. *Legatum* Missarum non esse perpetuum, sed temporale ad vitam Hæredum testamentariorum, respondit Sacra Congregatio *in Montis Falisci* 16. *Decembris* 1723. *ad* I. *Dub.* ccccv iii. *Legata* relicta, seu donationes factæ Fratribus Minoribus Obser. declarate fuerunt invalide, *in Vicen. Relicti annui* 15. *Decembris* 1725. ccccl xxvii. *Legata* absque Ordinarii licentia acceptare Confratres nequeunt; Legata vero mere lucrativa possunt acceptare, eaque in usus a Testatoribus destinatos erogare cum participatione Episcopi, *in Aretulana* 24. *Martii* 1725. *ad VI. Dub.* ccccxxvi. *Legatum* relictum esse favore tantum filiarum natarum in Urbe ex pauperibus Advocatis pariter natis in Urbe, respondit S. Congr. in *Romana* 20. *Sept.* 1727. *ad I. Dub.* dlxxi.

LEGITIMI sunt Filii nati ex Matrimonio putative valido, licet concurrat bona fides ex parte unius tantum Conjugis. dxviii. §. *Obvia circa med. Legitimi* sunt Filii procreati ex Matrimonio inito, vivente prima Conjuge, si secunda Uxor ignoret impedimentum ligaminis, quo Vir laborat. *ibid. Legitimi* dicuntur Filii nati ex Matrimonio publice, & bona fide contracto, licet ob latens aliquod impedimentum postea deprehendatur, Matrimonium esse invalidum. *ibid. Legitimi* sunt Filii concepti ante Sententiam Divortii a Parentibus, qui ignorabant impedimentum. *ibid.* Procedit etiam quoad Liberos natos post litem contestatam, qua valor Matrimonii impugnatur. *ibid. Legitimi* sunt Filii nati ex Matrimonio invalido, etiamsi nati sint ante dispensationem in radice Matrimonii. dxxvii. §. *Excipit*, & §. *Et in eo*.

LEX respicit ad id, quod frequentius accidit, & non ad id, quod raro contingit. cclxxxi. §. *Secundum in fin. To.* 1. *p.* 188. *Legem* Ecclesiasticam potest Pontifex irritare, & revocare, non tantum quoad effectus imposterum secutures, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos. clxxiv. §. *Potest*.

LICENTIA Parochi non requiritur, ut quis possit alieno Sacerdoti confiteri tempore Paschatis. ccccxxix. §. *Quoad punctum*. *Licentiam* Parochi adfuisse in Matrimonio probari potest per Testes, vel alias æquipollentes probationes, licet illud in libris Parochialibus non fuerit adnotatum. cxci. §. *Ut vero*.

LITERARUM dimissoriarum concessio fuit per *Trident. Sess.* 23. *cap.* 10. *de Ref.* reservata Episcopis, intra quorum Dioecesum fines Abbatiæ sitæ sunt, licet eædem fruantur Territorio separato. lxxvi. §. *Pendet in fin. Literas* dimissorias Archiepiscopi Hydruntini, non autem Episcopi Ugentini a Clerico Francisco Grassi obtinendas esse ad effectum recipiendi Sacros Ordines, præstito tamen juramento ad tramites Bullæ *Speculatores*, respondit Sacra Congregatio in *Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis* 1. *April.* 1719. xlv. *Literas* dimissorias non posse concedi a Capitulo Basilicæ S. Petri, etiamsi potiretur Territorio separato, resolutum fuit in *Nullius, seu Britlinorien., & Policastren.* 21. *Januarii* 1719. lxxvi. *Literas* dimissoriales, & testimoniales dandas esse ab Eminentissimo Urbis Vicario ad normam Taxæ Urbis, respondit Sacra Congregatio in *Romana, seu Sypontina* 23. *Julii* 1718. *ad II. Dub.* xlvi. *Literæ* dimissoriales Archiepiscopi Hydruntini, vel Episcopi Ugentini an essent necessariæ, ut Clericus Franciscus Grassi posset ad Ordines promoveri, cum disputatum fuerit, dilata fuit resolutio, & demandatum, ut coadjuvarentur probationes per Instrumenta emptionis, & venditionis, in *Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis* 23. *Julii* 1718. xlv. *Literas* dimissorias Subditis Exclusivis concedere nequeunt Abbates, etiam constito de Territorio separato cum plena jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, & Populum. ccl. §. *Non impugnat*. *Literas* dimissoriales, secluso particulari Privilegio Apostolico, nequeunt Abbates concedere Subditis Sæcularibus, etiam constito de Territorio separato cum plena jurisdictione quasi Episcopali in Clerum, & Populum. *ibidem*.

LIVELLUM, & alimenta ambulant pari passu. cvi. §. *Parum*.

LOCA omnia, ad quæ mittuntur Concionatores a P. Generali Ordinis non sunt consideranda, & connumeranda inter principaliores Italiæ Civitates ad effectum assequendi Magisterium, in *Ordinis S. Augustt. Magisterii* 16. *Decemb.* 1719. *ad II. Dub.* cxxxiv.

M

AD MAGISTERIUM arbitrio P. Generalis admittendi sunt PP. Regentes, qui exploverunt quinquennium, & Concionatores, transacto decennio, *in Ordinis S. Augustt. Magisterii* 16. *Decembris* 1719. *ad I. Dub.* cxxxiv.

MANSIONARIUS tenetur residere, & interesse Choro, licet reperiatur addictus servitio Ducis, vel alterius Baronis, alias neque de Distributionibus, neque de aliis quibuscumque emolumentis participat, *in Comen. Distributionum* 9. *Maii* 1719. *ad III. IV. & VI. Dub.* civ. *Mansionarius*, si negligat residere, & Choro interesse, amittit distributiones, quæ aliis accrescunt juxta Fundatoris dispositionem. *ibid. ad VII. Dub. Mansionarii* duo fundati per Jacobum Gallium debent residere, Choro, cæteris que Ecclesiasticis functionibus interesse instar aliorum Mansionariorum. *ibid. ad I. Dub.*

MANUS tremulas, cum habeat Sacerdos, an ei permitti queat Missæ celebratio cum alterius Sacerdotis assistentia. xxxii. §. *Pro negativa, & seqq. Manus* tremulas, cum habeat Sacerdos, contrahit suspensionem ab Ordinis Sacerdotalis administratione propter periculum subversionis Sanguinis. *ib.* §. *De justitia*.

MANUTENTIO, & reaptamentum Parochialis Ecclesiæ spectat ad Parochum, non autem ad Communitatem, *in Auximana Restaur. Ecclesiæ* 26. *Aug.* 1719. cxvii.

MARITUS ante initum Matrimonium habens votum simplex castitatis nequit debitum Conjugale exigere, licet reddere teneatur. xx. §. *Post in fin. Maritus* ingredi valet Religionem, & in ea valide profiteri, si Mulier consentiat, & ipsam Religionem ingrediatur, si est Juvenis, vel si non caret periculo incontinentiæ, aut votum perpetuæ continentiæ in sæculo emittat in manibus Ordinarii, si est senex, & extra periculum incontinentiæ. clxxxvi. §. *Ad hoc in princip. Mariti* professio valida est, & ad sæculum nequit revocari a Muliere, si ipsa consentit, & votum simplex continentiæ emisit, sive ea sit senex, sive juvenis. *ibid. Maritus* invalide Professionem emittit & potest ad sæculum ab Uxore revocari, si ipsa consensum per metum præstitit, & votum continentiæ emisit. *ibid.* §. *Adeoque*. *Maritus* conversus ad Fidem, si Uxor in infidelitate repudiata in statu Infidelitatis transeat ad alia vota, & deinde convertatur ad Fidem, antequam Maritus aliam duxerit Uxorem, non potest Maritus ei objicere, quod contrahendo Matrimonium mœchata fuerit, sed tantum objicere poterit Adulterium, si cum alio vero sibi per Matrimonium non copulate rem habuerit. dxlvi. §. 14. *E contra circa fin.*

MARTYRES dici nequeunt Milites Catholici in Bello pugnantes adversus Infideles, si mortem illatam voluntarie acceperint. ccexliv. §. *Tertium est*.

MATRICI Ecclesiæ præservari debet honor super Ecclesia recens fundata, sed pendet ab arbitrio Ordinarii. clxviii. §. *Et honor*. *Matricis* Ecclesiæ Parocho competit jus præsentandi ad Parochiam noviter institutam, si Ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione Ecclesiæ, secus quando eadem aliorum sumptibus fuit ædificata. *ibid.* §. *Non omissa*.

MATRIMONIUM ante legitimam ætatem initum est validum, si malitia suppleat ætatem, clxxxvii. §. *Porro in fin. Matrimonium* est validum, si ultima dies anni duodecimi in fœmina, & decimiquarti in masculo sit incepta. *ibid. Matrimonium*, ut contrahatur, requiritur ætas annorum 14. in masculo, & duodecim in fœmina. *ibid. Matrimonium* contrahentes, omissis denunciationibus, incurrunt excommunicationem in Constitutionibus Synodalibus propositam. cv. §. *Quoad punctum*. *Matrimonium*, omissis denunciationibus initum non dicitur clandestinum. *ibid.* Limita, si denunciationes cum culpa, & dolo omittantur. *ibid.* §. *Porro*. *Matrimonii* denunciationes fieri etiam debent in loco Originis. *ibid.* §. *Quoad necessitatem*. Limita in casu, quo aliquis per longum tempus in loco, ubi Matrimonium contrahit, habitaverit. *ibid.* §. *Quoad calum*. *Matrimonii* denunciationum omissio a Tridentino remissa fuit prudentiæ, & judicio Ordinarii. clxxxii. §. *Ac licet circa fin. Matrimonium* est validum, licet omissæ fuerint denunciationes. *ibid. Matrimonium* initi potest a Filio Vitrici cum Filia Novercæ, quamvis Filii Vitrici vulgo dicatur Frater Filiæ Novercæ. clxvi. §. *Quidquid*. *Tom.* 1. *p.* 101. *Matrimonium* potest a Vitrico absque ullo impedimento, vel affinitatis, vel publicæ honestatis iniri cum Uxore Privigni sui prædefuncti. *ibidem*. §. *Videtur & pluribus seqq. Matrimonium* inter Vitricum, & Uxorem Privigni videtur esse invalidum. *ibid.* §. *Ex alia vero, & §. Nec est dicendum*. *T.* 1. *p.* 99. *Matrimonium* inter Vitricum, & Uxorem Privigni de jure civili prohibitum est. *ibid.* §. *Absque eo quod in prine. Matrimonium* initum a Vitrico cum Uxore Privigni sui est validum, quia inter Vitricum, & Uxorem Privigni sui non intercedit affinitas primi generis, sed solum affinitas secundi generis, quæ Matrimonium non dirimit. *ibid.* §. *Jam vero*. *T.* 1. *p.* 100. *Matrimonium* iniri potest a Filio Vitrici cum Filia Novercæ, quamvis Filius Vitrici vulgo dicatur Frater Filiæ Novercæ. *ibid.* §. *Quidquid*. *Tom.* 1. *p.* 101. *Matrimonium* cum Affine in primo gradu lineæ rectæ gravem continet indecentiam, & omnes gentes bene institutæ talia Matrimonia tamquam gravissima scelera semper sunt valde detestatæ. *ibid.* §. *Obtemperando circa med. Tom.* 1. *p.* 100. Secus vero Matrimonium cum Affine per lineam transversam contractum non continet adeo gravem indecentiam. *ibidem*. *Matrimonium* contrahens cum dispensatione in solo quarto gradu, non expresso de industria tertio, inhabilitatur ad contrahendum cum aliis Mulieribus Matrimonium. clxxxiii. §. *A primo in princ. Matrimonium* initum cum dispensatione super gradu remotiore, reticto propinquiore, illicitum, sed validum esse, tuentur Authores relati. *ibid.* §. *Putant*. Contrariam vero sententiam sustinent alii plures adducti. *ibid.* §. *Alii e contra*. *Ad Matrimonium* cum aliis ineundum plures Consanguinei declarati fuerunt inhabiles ex eo, quod super gradibus Consanguinitatis Apostolicam dispensationem legitime non obtinuerint, ut videre est ex resolutionibus S. Congregationis relatis. *ibid.* §. *Inter alias & seq. Matrimonium* initum fuisse coram alio Presbytero de licentia Parochi probari potest per Testes, vel alias æquipollentes probationes, licet illud in libris Parochialibus non fuerit adnotatum. cxci. §. *Ut vero*. *Matrimonio* assistens Vicarius Generalis, vel alteri facultatem tribuens, ut illi assistat, venit Episcopi nomine. xcviii. *Matrimonio*, ut assistat Vicarius Generalis, sub nomine Ordinarii venit. clxxxii. §. *At licet circa finem*. *Matrimonium* ut contrahatur, dicitur Parochus proprius ille dumtaxat in cujus Parochia alter ex Contrahentibus habet do-

domicilium. clxxxii. §. *In nihilum in fin. Matrimonium*, ut contrahatur, Parochus non dicitur proprius ille, in cujus Parochia Mulier poſſidet quidem aliqua Bona, ſed ibi non habet habitationem, neque domicilium. *ibid. Matrimonium* poſſunt Vagi contrahere coram Parocho illius loci, in quo actu verſantur, *ibid.* §. *Secus autem in princ.* Procedit non ſolum, ſi uterque Conjux ſit vagus, ſed etiamſi alter ex ipſis tantum vagus ſit. *ibid. Matrimonium* a Vagis initum, non ſervatis iis, quæ Tridentinum præſcribit *cap. 7. ſeſſ. 24. de Ref. Matr.* adhuc eſt validum. *ibid.* §. *Ac licet circa finem. Matrimonium* inire poſſunt Vagi coram quocumque Parocho, quamvis in fraudem proprii Parochi facti eſſent Vagi. *ibid.* §. *Verum. Matrimonium* contrahere volentes Vagi non ita facile admittendi ſunt. *ibid.* §. *Ac licet. Matrimonium* ut contrahant Vagi, quilibet Parochus eſt eorum proprius. *ibid.* §. *Secus autem in fin. Matrimonium* coram Parocho novæ Parochiæ poſſunt contrahere mutantes Parochiam in fraudem proprii Parochi. *ibid.* §. *Verum. Matrimoniis* Vagorum aſſiſtere non debent Parochi, niſi præmiſſa diligenti inquiſitione, & niſi re ad Ordinarium delata, licentiam ab eo obtinuerint. *ibid.* §. *Ac licet. Matrimonium* contrahere poſſunt Milites in Caſtris exiſtentes coram Parocho Loci, ubi pro tempore exiſtunt, & Vagi dicuntur. *ibid.* §. *Alia. Matrimonium* initum a Milite coram Parocho non proprio eſt invalidum, niſi Miles pro Vago habeatur, aut niſi Parochus ſit proprius Sponſæ. *ibid.* §. *Quocirca. Matrimoniis*, quæ a Militibus contrahuntur, nequit aſſiſtere Cappellanus Caſtrenſis, ſive hi degant in Præſidiis, ſive in Caſtris, & Stationibus hybernis, aut æſtivis, ſeu etiam ſint in actuali expeditione poſiti, niſi idem Cappellanus habeat ſpecialem facultatem a Sede Apoſtolica, vel expreſſam licentiam ab Ordinario. *ibid.* §. *Præmiſſo. Matrimonium* ab initio irritum olim ex cohabitatione convaleſcebat. cxx. §. *Pro validitate. Matrimonii* impedimentum dirimens, juxta antiquiores Theologos, non eſt impotentia reſpectiva naturalis, & perpetua. xix. §. *Videtur. Matrimonii* impedimentum dirimens eſt votum ſolemne in Religione approbata emiſſum. §. *Poſt.* Limita in votis ſimplicibus, quæ poſt biennium Novitiatus in Societate Jeſu emittuntur. *ibid. Matrimonium* ſi fuerit initum ſub conditione, ſi Sponſa ſit Virgo, defectus hujus qualitatis plene non deducitur ex editione Prolis poſt ſextum Menſem a die contracti Matrimonii. cxli. §. *In re. Matrimonio* impoſita conditio, ut liceat Religionem ingredi, ibique ante Matrimonii conſummationem profiteri, non vitiat Matrimonium. cxlviii. §. *Quoad conditionem in princ. Matrimonium* eſt validum, etiamſi contrahatur poſt conventionem initam abſtinendi a quocumque actu conjugali. cxlviii. §. *Abſque eo quod in fin.* Contrariam Sententiam ſuſtinent plures Authores. *ibid.* §. *Alii e contra. Matrimonium* non vitiant conditiones turpes, quæ Matrimonii Bonis non adverſentur, ſed tantum illæ vitiantur. *ibid.* §. *Conditiones. Matrimonium* ratum, & non conſummatum per ingreſſum in Religionem, ſecuta Profeſſione, diſſolvitur. xcix. §. *Quoad obſervantiam in fin. Matrimonium* contrahere an teneatur alter ex Sponſis, antequam Religionem ingrediatur, ſi ſponſalia ſint jurata. *ibid.* §. *Abſque eo quod in princ. Matrimonii* rati, & non conſummati diſpenſatio conceſſa fuit Sigiſmundo Tranſilvaniæ Principi, & Mariæ Auſtriæ tempore Clementis Octavi. cviii. §. *Celebris. Matrimonii* diſpenſatio non conceditur, niſi concludenter probetur, illud non fuiſſe conſummatum. xxiv. §. *De Summi. Matrimonii* diſpenſatio in radice ſi concedatur, non eſt neceſſaria expreſſa, vel tacita conſenſus renovatio. clxxiv. §. *Abſque eo quod. Matrimonii* diſpenſatio in radice, ut concedatur, ſatis eſt, quod Matrimonium de facto fuerit contractum, & quod interceſſerit affectus maritalis una cum conſenſu naturali, etiamſi adſit impedimentum Juris Eccleſiaſtici. *ibid.* §. *Cumque. Matrimonium* in radice diſpenſare poteſt Pontifex, & revocare impedimentum dirimens, & ſimul, & ſemel abrogando Legem Eccleſiaſticam, quæ dictum ſtatuit impedimentum, efficere, ut diſpenſatio ad initium Matrimonii retrotrahatur, & ſic quod Proles quoad omnes effectus etiam civiles indirecte legitima ſit, & habeatur. *ibid.* §. *Poteſt in fin. &* §. *Ita communiter. Matrimonii* rati, & non conſummati diſpenſatio ut concedatur, eſt juſta cauſa odium implacabile cum periculo vitæ juxta aliquos Authores, ſecus vero ſecundum opinionem Fagnani. xxiv. §. *Loquendo. Matrimonium* tamquam ratum, & non conſummatum fuit a Papa ad amputandam omnem controverſiam exortam ſuper illius reſtauratione diſſolutum in caſu, quo illud antea diſſolutum fuerat propter perpetuum impedimentum arctitudinis fœminæ, Vir aliud Matrimonium contraxerat, & fœmina antea arcta reputata fuerat deflorata ab alio, qui paratus erat eam in Uxorem ducere. xix. §. *Conſimilis. Matrimonium* per vim, & metum contractum non convalidatur, niſi iterum contrahatur, adhibita forma Concilii, licet interceſſerit cohabitatio cum copula. cxx. §. *Pro nullitate. Matrimonium* non irritat, nec impedit reverentia illa ſimilitudinaria, quæ Vitrico inſtar Patris præſtanda eſt ab Uxore Privigni tamquam Filia. clxvi. §. *Non inquam. Tom.* I. *p.* 101. *Matrimonium* non fuiſſe conſummatum, non probatur ex depoſitione, & aſſertione Conjugum. cxli. §. *Sola. Matrimonium* an fuerit conſummatum non eſt deferendum Obſtetricibus, ſi plures patiantur exceptiones, & recognitio Mulieris facta fuerit abſque balneo contra cautelam Hoſtienſis. cxlv. §. *In eoque. Matrimonium* ſi prætendatur invalidum ex capite impotentiæ, ſolet injungi experimentum triennalis cohabitationis, quod non computatur a die copulæ intentatæ, ſed a die decreti Judicis, & Judici vix permiſſum eſt triennale tempus abbreviare in hypotheſi, in qua Conjuges per plures annos cohabitaverunt, & copulæ vacaverunt. cxlv. §. *Et in eo. Matrimonium* ſi prætendatur nullum ex capite impotentiæ, & ſigna impotentiæ ſint dubia, præcipitur experimentum triennalis cohabitationis, ſecus vero, ſi impotentiam evidenter concludant, aut ſint verſimiliter evidentia. *ibid.* §. *Excluſa. Matrimonium* propter impotentiam ſolutum, ſi Conjux poſtea potens deprehendatur, debet reintegrari. *ibid.* Procedit, etiamſi poſt diſſolutionem alter ex Conjugibus, qui erat potens, aliud Matrimonium contraxerit. *ibid.* Rurſus procedit, licet Matrimonium fuerit Eccleſiæ Sententia diſſolutum poſt experimentum triennalis cohabitationis. *ibid.* Limita vero, ſi impotentia fuerit reſpectiva non quoad ſpeciem, ſed quoad individuum. *ibid.* §. *E contra.* Limita rurſus, ſi eadem impotentia ex maleficio provenerit. *ibid. Matrimonii* denunciationes non ſunt neceſſariæ in loco originis, *in Vercellen. 9. Maii 1719. ad I. Dub.* cv. *Matrimonii* diſſolutio, cum peteretur ex capite impotentiæ, reſcriptum fuit -- *Dilata, & fiat experimentum triennalis cohabitationis, vel alterius brevioris temporis arbitrio Sac. Congregationis, & ad mentem in Ariminen. Nullitatis Matrimonii 16. Martii* 1720. cxlv. *Matrimonium*, quod invalidum prætendebatur ob vim, & metum Mulieri incuſſum, fuit declaratum validum, & de illius nullitate non conſtare, in *Friſingen. 7. Maii* 1718. xxiv. *Matrimonium* cum prætenderetur invalidum ex metu illato, metum non ſatis probatum fuiſſe, nec de invaliditate ſatis conſtare, reſponſum fuit in *Aquinat. Nullitatis Matrimonii* 12. *Febr.* 1718. v. *Matrimonium* cum prætenderetur invalidum, de ejus invaliditate non conſtare, reſponſum fuit in *Novarien. Matrimonii* 24. *Februar.* 1720. cxli. *Matrimonium* eſſe validum, reſpondit Sacra Congregatio in *Piſtorien. Matrimon.* 22. *Apr.* 1719. *ad I. Dub.* xcviii. *Matrimonium* eſſe validum, ſed illicitum, reſpondit S. Congregatio in *Canarien. 9. Apr.* 1718. xx. *Matrimonium* eſſe validum, & de illius nullitate non conſtare, reſpondit Sacra Congregatio in *Neapolitana Matrimon.* 17. *Jun.* 1719. cx. *Matrimonium* non eſſe invalidum, reſpondit Sacra Congregatio in *Taurinen. Matrimonii* 16. *Novemb.* 1720. cxci. *Matrimonium* primum eſſe nullum, & ſecundum validum, reſpondit Sacra Congregatio *in Panormitana Nullitatis Matrimon.* 8. *Jun.* 1720. *ad I. & II. Dubium*. cxx. *Matrimonium* primum non eſſe inſtaurandum, nec dandam eſſe licentiam contrahendi ſecundum, ſed cauſam proponi debere, citata prima Uxore, reſponſum fuit in *Abul. Matrimon. 9. April.* 1718. *ad I. Dub.* xix. *Matrimonium* cum prætenderetur invalidum, Sacra Congregatio juſſit, aſſertos Conjuges ſeparari, & interim coadjuvari probationes juxta inſtructionem, *in Panormitana Nullitatis Matrim.* 18. *Novemb.* 1719. cxx. *Matrimonii* denunciationes dimittere non licet ulli Inferioti etiam Epiſcopalem juriſdictionem habenti, ac nullius etiam Diœceſis exiſtenti. ccl. §. *Non impugnat circa fin. Matrimonii* jura ſi læſa fuerunt, & diminuta propter Sententiam divortii, poteſt Conjux innocens in ſæculo remanere, & alter ad Religionem tranſire, ſi Conjux innocens eidem præſtet licentiam. ccciii. §. *Duo autem. Matrimonii* jura ex Sententia divortii propter ſævitiam ſic læſa dicuntur, ut Conjux valeat ad Religionem tranſire, altero in ſæculo remanente, quando Sententia ad aliquod tempus non eſt limitata, & reconciliatio per diuturnum temporis intervallum ſecuta fuit. *ibid.* §. *Quoad primum. Matrimonii* jura ita læſa dici nequeunt propter ſævitiam, ut permiſſum ſit alteri Conjugi in Religione profiteri, altero eorum in ſæculo permanente. *ibid.* §. *Primum. Ex Matrimonio* etiam invalido oritur impedimentum publicæ honeſtatis, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu conſenſus, & uſque ad quartum gradum extenditur. cxci. §. *Quartum eſt. Ex Matrimonio* ſine Parochi licentia inito inducitur impedimentum publicæ honeſtatis uſque ad quartum gradum. *ibid.* §. *Ultimum eſt. Matrimonium* inter Puberes abſque Parochi præſentia initum non reſolvitur in Sponſalia. *ibid. Matrimonium* initum coram alieno Parocho in fraudem proprii Parochi non ſuſtineri, ſed Epiſcopum curare debere, ut illud renovaretur coram proprio Parocho, reſcripſit Sacra Congregatio. cccviii. §. *Bovimen. Tom.* I. *p.* 205. *Matrimonium* initum coram Parocho Loci, ubi per triduum Vir, & Mulier commorati fuerant, & ad quem ſe contulerant majorem experturi facilitatem contrahendi Matrimonium, non ſuſtineri, reſpondit Sacra Congregatio. *ibid.* §. *Theatina. Matrimonium* eſſe nullum, ſi Vir, & Mulier a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedentes ad locum alterius Parochiæ ſolo animo illic Matrimonium ineundi, non autem domicilium contrahendi, ſe transferunt, ibique Matrimonium coram Parocho illius Loci ineunt, reſpondit Sac. Congregatio *in Romana. ibid.* §. *Romana. Matrimonium* contractum coram Parocho Loci, ubi Contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi, non valere, reſpondit Sac. Congregatio. *ibid.* §. *In una Albulen. Matrimonium*, ut poſſit valide celebrari coram Parocho Rurali, is non eſt proprius, & verus Parochus, ſi rus itur cauſa recreationis, vel pro ruſticanis negociis, uti reſpondit Sacra Congregatio in *Florentina. ibid.* §. *In una. Matrimonium*, ut diſſolvatur. & Conjux Fidelis poſſit ad fecunda vota tranſire, debet ille Conjugem infidelem interpellare, ſi velit cohabitare ſine contumelia Creatoris. ccxli. §. *Ita infertur. Matrimonium*, ut diſſolvatur, & Conjux converſus ad fidem poſſit ad ſecundas nuptias tranſire, non eſt neceſſaria interpellatio Conjugis Infidelis, ſi iſte latitet, *ibid.* §. *Concurrentibus. Matrimonium* ſi velit contrahere Conjux ad fidem converſus cum Fideli, & interpellatio

tio Conjugis Infidelis nequeat præmitti, Papa ſoler ab interpellatione diſpenſare. ccxli. §. *E contra. Matrimonium* per converſionem unius ex Conjugibus tunc tantum ſolvitur quoad vinculum, quando alter remanens in infidelitate non vult converti, vel non vult ſine contumelia Creatoris cohabitare. *ibid.* §. *A quibus. Matrimonium* prævia diſpenſatione ſuper gradu prohibito initum an ſit validum, ſi diſpenſatio impetrata fuit, allegata falſa cauſa, v.g. incompetentia dotis, examinatur. cclxxii. §. *Pro validitate, & ſeq. Matrimonium*, non obſtante diſpenſatione, fuit invalidum declaratum, in *Salernitana Matrimonii*. clxxxiii. §. *Allegatæ in fin. Matrimonium* ſi prævia diſpenſatione ſuper gradu prohibito impetrata ſub falſa cauſa initum fuerit, & Conjuges ſint in bona fide, & probabilem habeant ignorantiam de ſubreptione diſpenſationis, licet eam Epiſcopus noverit, non debet invalidum declarari, ſed ipſi Conjuges ſunt in ejuſmodi Conjugio relinquendi, ſi ex ſeparatione grave immineat ſcandalum. cclxvii. §. *Pro validitate. Matrimonium* ratum, & non conſummatum ſolvitur per Profeſſionem inter Milites Hieroſolymitanos emiſſam. cccxiii. §. *Alterum in fin. Matrimonium* ratum, & non conſummatum ſolvitur per Religioſam Profeſſionem in ordine Monaſtico, aut Regulari emiſſam. *ibid. Matrimonium* in ejus radice poteſt Pontifex diſpenſare, & revocare impedimentum, & ſimul & ſemel Legem Eccleſiaſticam, quæ dictum impedimentum ſtatuit. clxxxiii. §. *Abſque eo quod. Tom.* I. *p.* 103. *Matrimonium* quando in radice diſpenſatur, non requiritur novus conſenſus. *ibid. Matrimonium* ſi contrahatur per Procuratorem, omiſſis denunciationibus, eſt validum, licet mandati procuræ traditione præceptum fuerit, ut Matrimonium deberet contrahi juxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ. ccx. §. *Spreta. Matrimonium* per Procuratorem initum eſt invalidum, ſi tempore initi Matrimonii mandatum Procuræ fuerat reſciſſum, vel tacite revocatum, etiamſi notitia revocationis ad Procuratorem non devenerit. *ibid.* §. *Joannes. Matrimonium*, quod aliquando fuit in implicito ſtatu validitatis in Foro exteriori inducit impedimentum publicæ honeſtatis. ccxxvii. §. *At quatenus circa fin. Matrimonium* nullum ex defectu conſenſus, licet in Foro exteriori pro valido habitum fuerit, nequit impedimentum publicæ honeſtatis inducere. *ibid. Matrimonium* initum inter Hæreticos, vel inter Hæreticum, & Catholicum coram Miniſtro hæretico in Locis, ubi Concilium Tridentinum receptum fuit, & publicatum, validum eſt juxta opinionem, quam tuentur Authores relati. ccxxxiv. §. *Autumant. Matrimonium* inter Hæreticum, & Catholicum contractum, illicitum eſt, ſed validum, ccxxxiv. §. *Quoad Matrimonia. Matrimonium* ex metu initum nequit ex copula, aliiſque actibus ſubſequentibus revalidatum dici, deficiente novi conſenſus præſtatione coram Parocho, & Teſtibus. ccxvii. §. *At quatenus circa med. Matrimonium* ex metu initum, ſi metus fuit occultus, revalidatur per copulam animo Maritali habitam, ſi ſignum conſenſus is, qui merum paſſus eſt, præbeat, neque neceſſe eſt, ut alter renovet conſenſum, niſi priorem retractaverit. *ibid.* §. *Ut autem in fin. Matrimonium* ex metu initum non eſt invalidum ſi metus, aut non ſit cadens in conſtantem Virum, aut ſit juſte incuſſus. *ibid. Matrimonium* per vim, & merum initum non inducit impedimentum publicæ honeſtatis. *ibid.* §. *At quatenus in fin. Matrimonium* initum per vim, & merum juſte incuſſum v. g. ob ſtuprum patratum eſt validum. ccix. §. *Fuerunt circa fin. Matrimonium*, ſervata forma Concilii, initum non eſt revalidandum, repetitis ſolemnitatibus, ſi impedimentum ſit occultum. ccxvii. §. *Excluſa, & §. Et dubitantibus. Matrimonii* impedimentum, ut probetur, urgentiores requiruntur probationes, quando agitur de Matrimonio contracto ad differiendam cauſa, in quo de Matrimonio ineundo ageretur. ccxxvi. §. *Quæ omnia. Matrimonium* ſi dubitetur, num fuerit conſummatum, debet Mulier in Balneo reponi juxta cautelam Hoſtienſis, & debet corporis inſpectio fieri. cccxlix. §. *Appellatione. Matrimonium* ineundi inhabilitatem non fuiſſe a Muliere contractam, eo quia cum ignorantia impedimenti Matrimonium in vim diſpenſationis obtentæ a non habente facultatem inierat, reſpondit Sacra Congregatio in una *Pragen.* clxxxiii. §. *Allegatæ circa med. To.* I. *p.* 120. *Matrimonium* diſſolvi ſi petat Uxor ob Viri impotentiam, inſpectio Viri eſt decernenda, & nihil eſt omittendum pro invenienda veritate. cccxxiii. §. *Verba. Matrimonium* ſi Mulier petat diſſolvi, debet audiri, licet initio Matrimonii non reclamaverit, quando ea copulam negat, & eſt parata ad ſui Corporis recognitionem, *ibid.* §. *Præterquam quod. Matrimonium* non diſſolvitur, ſed cohabitatio triennalis præcipitur, ſi evidenter non conſtet de impotentia. ccxxv. §. *Pretendit in fin. Matrimonium* dirimit impotentia, quando fuit ab altero Contrahente ignorata. ccxxv. *Quoad nullitatem in princ. Matrimonium* ſi Mulier ob Viri impotentiam contendat diſſolvere, & Vir affirmet, a ſe cognitam fuiſſe Uxorem ſuam, Uxor vero neget, præſtanda eſt fides Viro affirmanti, & juranti. ccxxiii. §. *Quoad jur.* Si vero Mulier Virum de mendacio, & perjurio arguat, & ſe virginem per experimentum Matronarum juratarum probare velit, inſpectio eſt decernenda, & creditur Mulieri. *ibid.* §. *At ſi. Matrimonium* non poſſe cum alia Muliere inire eum, qui Matrimonium cum Conſanguinea, non obſtante diſpenſatione invalide contraxerat, ſed ad illud factum fuiſſe inhabilem, reſpondit Sacra Congregatio in *Salernitana Matrim.* clxxxiii. §. *Allegatæ in fin. Matrimonium* contrahendi inhabilis ſit is, qui ſcienter Conſanguineam duxit, atque cum ea inceſtum patravit. *ibid.* §. *Scribentes. Matrimonium* cum alia Muliere inire non prohibetur is, qui inceſtum in figura, vel extra figuram Matrimonii commiſerit, niſi inceſtuoſi adeo inſimul convixerint, ut alter eorum occubuerit, durante adhuc inceſtu. *ibid. Matrimonium* cum alia Muliere inire non poſſe Virum, qui propter inceſtum in figura Matrimonii patratum factus fuerat inhabilis, reſcripſit Sacra Congregatio in *Papien.* relata. *ibid.* §. *Allegatæ in princ. Matrimonium* a Stupratore initum ex metu incuſſo a Conſanguineis Stupratæ eſt invalidum. cccxvii. §. *At quatenus in princ. Matrimonium* an eſſet irritum ex impedimento affinitatis ex copula illicita provenientis, diſcuſſum fuit *in Baron. Matrimon. 9. Apr.* 1731. relata. ccxxvi. §. *Hujuſce. Matrimonium* an a Vitrico cum ea, quæ fuit Uxor Privigni ſui, poſſit contrahi, late diſcutitur. clxvi. *a* §. *In Congregatione. Tom.* I. *pag.* 104. *Matrimonium* in primo, & ſecundo gradu dumtaxat dirimit Affinitas ex copula illicita contracta. cccxvii. §. *At quatenus circa fin. Matrimonium* contractum inter Conſanguineos tertio, & quarto Conſanguinitatis gradibus, prævia Apoſtolica Diſpenſatione ſuper quarto, & non obſtantibus literis declaratoriis ſuper tertio juxta Bullam 13. S. Pii V. Bull. T. 2. an ſit nullum, vel validum, late diſſeritur. clxxxiii. *Tom.* I. *pag.* 120. *& ſeqq. Matrimonium* ubi fuit contractum, Penſio Eccleſiaſtica ipſo jure, abſque ulla præcedenti monitione vacat. cclxxxiv. §. *Præmiſſo in princ.* Procedit, etiamſi Matrimonium ſit nullum, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu conſenſus, & licet illud non fuerit conſummatum, *ibid. Matrimonium* ut Diaconi poſſent contrahere, pluries diſpenſavit Summus Pontifex. cc. §. *Inſignis. Matrimonium* Judæorum per repudium hodie non ſolvitur, & Judæis non licet Uxores ſuas repudiare. ccxli. §. *Haud urgente. Matrimonium* hodie etiam ſcientibus, & tolerantibus Superioribus Eccleſiaſticis Judæi per repudium diſſolvunt. *ibid.* §. *Et licet in princ.* Intellige de repudio inter Fideles miſſo, & iiſdem in infidelitate permanentibus, ſecus autem quoties alter ex eis ad fidem converſus eſt. *ibid. Matrimoniis* Militum intereſſe nequit Cappellanus Caſtrenſis, niſi ſpecialem facultatem a Sede, vel expreſſam licentiam ab Ordinario obtinuerit. ccclix. §. *Juxta. Matrimoniis* Militum aſſiſtendi Indultum quomodo intelligendum ſit, diſcutitur. *ibid.* §. *Expirato & ſeq. Matrimoniis* Militum aſſiſtere unquam nequit Cappellanus Caſtrenſis, ſi non habet ſpecialem facultatem a Sede Apoſtolica. *ibid.* §. *Juxta. Matrimonii* promiſſio facta a Viro Mulieri longe diſparis conditionis non obligat, ſed cenſetur ea emiſſa ad extorquendum Stuprum. ccccxlvi. *Matrimonium* licet ratum, & non conſummatum non diſſolvitur quoad vinculum per ſuſceptionem Ordinis Sacri, bene vero per Religioſam Profeſſionem. cccxci. §. *Quoad diſpenſationem. Matrimonium* cum alio inire nequit Mulier poſt obitum primi Viri, qui de ejus licentia Ordines Sacros ſuſcepit, etiamſi ea votum ſimplex Caſtitatis emiſerit, alias Matrimonium eſſet irritum non ratione Voti, ſed ex Conſtitutione Eccleſiæ, quæ propter reverentiam Ordinis Sacri tale impedimentum conſtituit. cccxci. §. *Et quidem. Matrimonium* non conſummatum dirimitur per ſolemnem Religionis Profeſſionem alterius Conjugum. ccccxx. §. *Contendit. Matrimonium* eſt validum, ſi in actu, quo celebratum fuit, non fuit expoſita conditio illius ſubſtantiæ contraria. ccclxxxvi. §. *Haud urgente.* Limita, quando tenor proteſtationis antea devenerat ad notitiam alterius ex Contrahentibus. *ibid. Matrimonium* initum ſub conditione ejus ſubſtantiæ contraria eſt invalidum, niſi probetur receſſus a conditione. *ibid. Matrimonium* eſt invalidum, ſi ſub conditione illius ſubſtantiæ contraria initum fuerit, licet Vir Copulam cum muliere habuerit. *ibid.* §. *Minus. Matrimonium* ſub conditione contraria ejus ſubſtantiæ eſt invalidum, ſecus ſi fuerit contractum ſub conditione ſimpliciter turpi, & impoſſibili. *ibid.* §. *Præterea. Matrimonium* initum ſub pacto, & conditione ingrediendi Religionem, & in ea profitendi, abſtinendi inſuper ab uſu Matrimonii una cum renunciatione cuicumque juri, quod Mulieri poſſet ſuper viri corpore competere, eſt invalidum. *ibid. Matrimonium* primo initum quoad ejus validitatem, vel invaliditatem ſolet examinari in Sacra Congregatione, antequam in Tribunali Inquiſitionis definiatur, an conſtet de polygamia. ccccli. *Matrimonium* eſt invalidum, ſi Vir, & Mulier diſcedant a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi, ſed animo illic Matrimonium celebrandi, non autem domicilium contrahendi, ibique coram Parocho illius Loci illud contrahant. ccccli. §. *Hæc ſunt. Matrimonium* contractum a Vagis eſt validum, licet Parochus non præmiſerit diligentem inquiſitionem, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam non petierit. *ibid.* §. *Concluſio. Matrimonium* inire poſſunt vagi coram Parocho illius Loci, in quo actu verſantur, & ſufficit, ſi alter eorum ſit vagus. *ib. Matrimonium* Vagorum eſt validum, licet ſervata non fuerint ea, quæ ſtatuta fuerunt a Tridentino *Cap. 7. ſeſſ. 24. ibid. Matrimonium* initum coram Prædicante in Locis, ubi Decretum Tridentini non fuit publicatum, eſt validum. ccclxxiii. §. *Demum. Matrimonium* eſt invalidum, ſi ex juſta cauſa fiĉte initum fuerit. *ibid.* §. *Addunt. Matrimonium*, ſi invalidum ex capite impotentiæ prætendatur, triennalis cohabitatio præcedere debet. cccxci. §. *Hæc quoad in fin. Matrimonium* initum cum Muliere nimis arcta eſt validum, ſi arctitudo tolli poſſit ſine periculo vitæ, vel ſine peccato, ſecus ſi cum peccato, aut cum periculo vitæ. *ib. Matrimonium* eſt invalidum, ſi contrahatur ex metu, etiamſi quis culpa ſua in metum inciderit. ccccivii. §. *Pro hac. Matrimonium* initum ab eo, qui a Conſanguineis Mulieris deprehenſus ſe obtulit in uxorem ducturum, ut minas mortis evaderet ſibi etiam illatas ad effectum ulciſcendi injuriam in praxi cenſetur invalidum. ccccxlvi. §. *Et in eo. Matrimonium* ex metu juſte in-

cuſſo initum eſt validum ut reſpondit Sacra Congregatio, in *Albinganen. Matrimonii* relata. ccclxxviii. §. *Conſimilis*. *Matrimonium* invalide initum ex capite metus non convalidatur ex ſubſequentibus actibus, neque etiam ex cohabitatione, & conſummatione, niſi novus accedat conſenſus, adhibita forma a Concilio præſcripta, ccccxlvi. §. *Et in eo in fin. Matrimonium* quoad ejus libertatem læditur, illudque idcirco nullum eſt, ſive quis compellatur ad illud contrahendum cum una determinata perſona, ſive abſolute, & ſimpliciter adigatur ad illud ineundum, relicta libertate illud contrahendi cum indeterminata Perſona, cccxcii. §. *Fundamento*. *Matrimonium* ex impotentia reſpectiva eſt invalidum. cccxci. §. *Hæc quoad*. *Matrimonium* invalidum ex impedimento publico debet, renovato conſenſu coram Parocho, & Teſtibus, convalidari, ſecus vero ſi impedimentum eſſet occultum. cccclii. §. *Quatenus*. *Matrimonium* ex impedimento publico invalidum debet coram Parocho, & Teſtibus revalidari, licet forma hæc in primo Matrimonio nulliter contracto fuerit adhibita, dxxvii. §. *Deveniendo*, & §. *Et dubitantibus*. Secus vero, ſi illud invalidum fuerit ex impedimento occulto; tunc enim ſufficit renovatio Conſenſus, *ibid. Matrimonii* impedimentum, per unicum Teſtem probatur, quando agitur de Matrimonio ineundo, cccclii. §. *Adeoque*. Procedit tamen, ſi Teſtis ſit bonæ famæ, & non patiatur exceptionem in perſona, *ibid.* Procedit præterea, dummodo Teſtis aſſerat cum juramento, ſe certo ſcire impedimentum. *ibid. Matrimonium* cum alia inire prohibetur Maritus, qui Uxorem interemit, licet eam in Adulterio deprehenderit. dxxvi. §. *Quoad ſimplex*. *Matrimonii* impedimentum ex homicidio promanans, an adhuc vigeat, & an ſuper eo diſpenſare poſſit Epiſcopus, *Vide Authores relatos*. *ibid. Matrimonium*, quod non fuerit conſummatum, non probatur ex ſola Conjugum aſſertione, ſed alia requiruntur, & ſignanter experimentum inſpectionis. cccxci. §. *Quoad diſpenſationem*, *Matrimonium* tatum, & non conſummatum, ut Apoſtolica diſpenſatione diſſolvatur, requiritur cauſa magni momenti, certaque eſſe debet non conſummatio. *ibid. Matrimonium* propter Adulterium non diſſolvitur, & neutri Conjugi licet altero ſuperſtite ad ſecundas nuptias tranſire, ccclxxiii. §. *Quod ejus*, *Matrimonium* etiam quoad vinculum diſſolvi ratione Adulterii ab Uxore patrati, docuerunt tres ex Theologis relatis. *ibid. Matrimonium* an juxta Græcorum praxim quoad vinculum diſſolvatur propter Adulterium, examinatur. *ibid.* §. *Et in eo*, *Matrimonium* per Procuratorem initum eſt validum, & indiſſolubile, & ſolum de conſilio, & ad tollendos ſcrupulos ab utroque Conjuge poteſt renovari conſenſus coram Parocho, & Teſtibus, cum primum ſimul convenit. cccclxxix. §. *Ad rem*. *Matrimonium* initum a Judæo cum Nepte hoc eſt Filia Fratris, aut Sororis eſt validum. dxlv. §. *Haud urgente*. *Tom. 2. p. 131. Matrimonium* inter Hebræos iniri nequit cum Amita, ſed cum ejus Filia, dxlvi. §. *Haud urgente in fin. Matrimonium* cum alia Muliere Hebræa an poſſit inire Maritus Hebræus, ſi ejus Uxor ad fidem converſa ad ſecundas nuptias tranſierit. *ibid.* §. *Additur*. *Tom. 2. p. 131. Matrimonium* ſi contrahat Hebræus cum alia Muliere, poſtquam prima Uxor ad fidem converſa fuerit, ſed innupta remanſerit, an primum Matrimonium diſſolvi poſſit a Papa quoad vinculum, diſſerunt Authores relati. *ibid.* §. *In hac Controverſia*. *Matrimonium* nequit Infidelis converſus ad Fidem cum alia Muliere contrahere, ſi ejus Uxor antea converſa ad ſecunda vota non tranſierit. *ibid.* §. *Adeoque*, *Matrimonium* ab Infideli initum eſt invalidum, ſi illud contractum fuit, antequam Uxor fidelis ad alia vota tranſierit. *ibid.* §. *Additur*, *Matrimonium* ab Infideli initum in ſecundo, vel tertio, aut ulteriori gradu Conſanguinitatis non diſſolvitur, ſed permanet etiam poſt ſuſceptum Baptiſmum, *ibid.* §. *Haud urgente*. *Matrimonium* initum inter Catholicum, & Hæreticum eſt validum, ſed illicitum, ccclxxiii. §. *Quoad punctum*, *Matrimonium* an, & quando quoad vinculum diſſolvatur per converſionem alterius ex Conjugibus ad Fidem Catholicam? late diſcutitur, dxlvi. *T. 2. a pag. 130. ad pag. 132. Matrimonia*, quæ dicuntur *Conſcientiæ*, an licita, & valida ſint? late diſcutitur. cccxcvii. *T. 2. a p. 25. uſque ad 27. Matrimoniorum*, dierum feſtivorum, vigiliarum, ſeu jejuniorum denunciationes, & hujuſmodi Parochialia Officia præſtari poſſunt intra Miſſæ Conventualis Solemnia, ubi Collegiatæ Eccleſiæ ſunt Parochiales. ccclxxxiii. §. *Succedunt*, *Matrimonium* initum coram Parocho, in cujus Parochia mulier per decem Menſes ante initum Matrimonium habitaverat, fuit validum declaratum juxta votum Rotale *in Leopolien. Matrimon. 9. Junii* 1725, ccccxxxix. *Matrimonium*, quod prætendebatur validum, eo quod initum fuerit coram Parocho Mulieris vagæ, declaratum fuit irritum, *in Lauretana 13. Julii* 1725. ccccli. *Matrimonium* initum a Græco cum Muliere Lutherana in Civitate de Wiburgo coram duobus Teſtibus, & Prædicante Lutherano, declaratum fuit validum, viroque prædicto prohibitum ad alias nuptias tranſire, licet ob adulterium Mulieris diſſolutum illud fuerat juxta Græcorum praxim, *in Cauſa*, cui titulus *Dubium Matrimon. 15. Januar.* 1724. ccclxxiii. *Matrimonium* initum ſub ea conditione, quod Mulier deberet Profeſſionem emittere, & renunciare cuicumque juri ſibi competenti in vim Matrimonii, declaratum fuit invalidum, *in Ulixbonen. Occidentalis 8. Julii* 1724. ccclxxxvi. *Matrimonium*, quod ex metu initum prætendebatur, validum declaratum fuit, *in Gravinen. 1. Septembris* 1725. cccclxii. *Matrimonium* initum ex metu Viro incuſſo a Fratribus Mulieris, ut illud ad vindicandam injuriam ſibi factam celebraret, declaratum fuit invalidum, *in Vigilien. Matrimon. 13. Julii* 1725. ccccxlvi. *Matrimonium* ex metu, & ſimulate initum invalidum declaratum fuit, *in Mutinen. Matrimonii 9. Junii* 1725. ccccxiii. *Matrimoniorum*, & Ordinandorum denunciationes, aliæque ſimiles functiones Parochiales fieri poſſunt arbitrio Parochi in celebratione Miſſæ Parochialis, vel Miſſæ Conventualis, contradicente etiam Capitulo, *in Novarien. 8. Julii* 1724. *ad I. Dub.* ccclxxxiii. *Matrimonium* eſſe validum, licet illud abſque præviis denunciationibus initum fuiſſet reſponſum fuit in *Placentina 3. Februarii* 1725. *ad I. Dub.* cccxx. *Matrimonium* eſſe contrahendum, non obſtante repugnantia Matris ob aſſertam conditionis diſparitatem inter Sponſum, & Sponſam, reſpondit Sacra Congregatio *in Florentina 12. Januarii* 1726. ccccixxviii. *Matrimonium* ex publico impedimento irritum iterum eſt ineundum, renovato conſenſu coram Parocho, & Teſtibus, *in Reatina 13. Julii* 1725. *ad II. Dubium*. ccccli. *Matrimonia* ſecreta, ſeu conſcientiæ an ſint licita, cum diſceptatum fuerit, Sacra Congregatio reſcripſit *ad mentem* -- in cauſa cui titulus -- *Dubium Matrimonii* -- 2. *Decembris* 1724. cccxcvii. *Matrimonium* initum non eſſe ex metu, reſolvit Sac. Congreg. *in Cæſenaten. ſeu Forolivien. Matrimon.* dlxxxi. §. *Dominus*. *Matrimonium* contractum abſque Parochi, & Teſtium præſentia in locis, ubi Tridentin. non fuit publicatum, eſt validum. dlxxxix. §. *Hæc ſunt*. *Matrimonium* non contractum coram Parocho vel mulieris, vel viri eſt invalidum. dxxxvii. §. *Addit in fin. Matrimonia* inita ſine Parocho in loco, ubi nec Epiſcopus, nec Parochus adſit, ſunt valida, dummodo tamen adhibiti fuerint duo, vel tres teſtes. dlxxxix. §. *Deveniendo*. *Matrimonia* contracta abſque præſentia Parochi in locis, ubi Parochi non ſunt, vel eſt moraliter impoſſibile eos reperire, valida ſunt. *ibid.* §. *Hæc ſunt in fin. Matrimonium* ab hæreticis initum, ut ſit validum, ſervari debet forma a Trident. præſcripta, ſi ejus decretum fuerit in loco publicatum. *ibidem*. *Matrimonia* ab Hæreticis inita coram Miniſtro Acatholico, & ſic ſine vero Paroco, & Teſtibus valida eſſe, affirmant nonnulli Authores, alii vero negant. *ibid.* §. *Hæc ſunt*. *Matrimonia* ab Hæreticis contracta coram Miniſtro Acatholico invalida eſſe, pluries reſpondit Sac. Congregatio, *ibid.* §. *At quia*, *Matrimonium* initum contra Pontificis interdictum eſt invalidum, dummodo interdictum fuerit munitum Decreto irritante. dxlv. §. *Ad ornatum*. *Matrimonium* initum contra interdictum Prælatorum inferiorum eſt validum, niſi interdictum innixum ſit impedimento dirimenti. *ibid.* §. *Et in eo in princ. Matrimonium* initum coram Parocho, cui Ordinarius interdixerat, ne ejus celebrationi intereſſet, validum eſt. *ibid.* §. *Contendunt in princ. Matrimonium* num inter Fideles validum, & indiſſolubile dari poſſet, licet non ſit Sacramentum. dxlvi. §. 30. *Neque his in fin. Matrimonium* ratum inter Fideles non diſſolvitur per ſubſequens Matrimonium conſummatum. *ibid.* §. 32. *Additur*. *Matrimonium* ratum ſolvitur per Religioſam Profeſſionem. *ibid.* §. 36. *Ceſſat*. *Matrimonium* etiam conſummatum Infidelium ſolvitur per Profeſſionem Religioſam. *ibid.* §. 7. *Et in eo in fin.* Contrarium ſuſtinent Authores relati. *ibid. Matrimonium* conſummatum unico dumtaxat caſu diſſolvi poteſt, quando ſcilicet Conjux Infidelis non vult cohabitare, vel ſi vult id facere, non vult id exequi ſine contumelia Creatoris. *ibid.* §. 28. *Poſito*, *Matrimonium* in Infidelitate initum non diſſolvitur, niſi per novum Matrimonium, quod Conjux ad Fidem converſus celebraverit. *ibid.* §. 12. *Communis*. *Matrimonium* aliud nequit Infidelis inire, niſi poſtquam Conjux converſus ad Fidem ad alia vota tranſierit, & ſic primum Matrimonium fuerit diſſolutum. *ibidem*. *Matrimonium* initum a Puella conſtituta in ætate impubere pendente interdicto declaratum fuit invalidum. dxliv. §. *Et in eo circa med. Matrimonium* ratum Fidelium, an conſtituat vinculum ſortius Matrimonio conſummato Infidelium. dxlvi. §. 30. *Neque circa med. Matrimonii* indiſſolubilitas unde provenit? *ibid.* §. *Neque his*. *Matrimonium* ſuam obtinuit indiſſolubilitatem in ipſo mundi principio ex jure naturali, Divino, & deinde ex Evangelio. *ibid.* §. 27. *Alii e contra*. Procedit id ſaltem de Matrimonio conſummato. *ibid. Matrimonium*, ſi contrahatur ſub conditione, quæ ſit contraria ſubſtantiæ Matrimonii, conditio non vitiatur, ſed ea Matrimonium vitiat. *ibid.* §. 43. *Regula*. *Matrimonium* initum cum pacto diſſolubilitatis, & Repudii eſt invalidum. *ibid.* §. 44. *Adeoque*. Procedit etiam de Matrimonio inito inter Judæos cum pacto expreſſo Repudii, vel cum intentione non obſervandi perpetuitatem, *ibid. Matrimonia* inita inter Infideles, apud quos viget uſus Repudii, ſed abſque eo, quod facultas repudiandi deducatur in pactum, nec interne intendatur tamquam conditio contractus, ita ut iidem intendant Matrimonium, uti poſſunt valide contrahere, licet ſint in opinione, quod poſſint valide repudiare, valida eſſe, docent Authores relati. *ibid. Matrimonium* Infidelium quid ſignificet? *ibid.* §. 31. *Secundo*. *Matrimonium* ratum ſignificat unionem Chriſti cum anima juſta, & Matrimonium conſummatum ſignificat unionem inter Chriſtum, & Eccleſiam per carnem aſſumptam. *ibid. Matrimonium* in Infidelitate contractum, & conſummatum, an poſſit a Summo Pontifice diſſolvi, ſi Conjux ad Fidem converſus altero in ſtatu infidelitatis permanente, inſtet pro illius diſſolutione, late examinatur. *ibid.* §. 16, *Ne autem*. *Matrimonium* cum a Sponſa prætenderetur invalidum, eo quod Mandatum Procuræ revocaverat, Sacra Congregatio reſpondit *Dilata*, *& Puella caute tranſportetur ad aliquod Monaſterium Civitatis Caſtelli*, *in quo exploretur ejus voluntas ab Epiſcopo juxta inſtructionem in Eugubina*, *ſeu Peruſi-*

ſina Matrimon. 25. Januar. 1727. dxxxvii. *Matrimonium*, quod initum prætendebatur per vim, & metum, & contra interdictum Epiſcopi, declaratum fuit validum, in *Agrigentina Matrim. 15. Mart.* 1727. *ad I. Dub.* dxliv. *Matrimonii* diſſolutio per viam gratiosæ diſpenſationis denegata fuit, *ibid. ad II. Dub. Matrimonium*, quod prætendebatur invalidum, eo quia mandatum Procuræ ante illius celebrationem fuiſſet revocatum, validum declaravit S. Congregatio *in Eugubina*, *ſeu Perſiſina Matrimon. 5. Jul.* 1717. dxxxvii.

METUS licet cadens in conſtantem Virum, & licet proveniat ab extrinſeco, & a Cauſis liberis non irritat Profeſſionem, niſi conſtet, quod fuerit iucuſſus ad effectum illam exorquendi. cxxxix. §. *Scriptura in fin. Metus*, quo initum fuit Matrimonium, quando dicatur ex cohabitatione ſatis purgatus. cxx. §. *Pro validitate in fin. Metus* gravis non eſt juſta cauſa Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi. clx. §. *Ad tertium*. *Metum*, quem allegavit non probans Subdiaconus nequivit diſpenſationem a voto continentiæ aſſequi. §. *Abſque eo quod*. *Metus* gravis juſtam Summo Pontifici cauſam præſtat diſpenſandi a voto continentiæ, ccxciv. §. *Hermannus*. *Metus*, licet conditionalis, juſtam præſtat Pontifici cauſam diſpenſandi a voto continentiæ Sacro Ordini adnexo. cc. §. *At quidquid*.

MILES habens Stationes hybernas ſibi aſſignatas ibi dicitur habere domicilium, quod non eſt compatibile cum indole, & natura Vagi. clxxxii. §. *Suppoſito in fin. Miles* præſidiarius dicitur habere domicilium, ſecus Miles in Caſtris hybernis, ſeu Stationibus degens. *ibid.* §. *Neque*, & §. *Videlicet in prin. Milites* in Caſtris exiſtentes ſunt Vagi, & poſſunt Matrimonium coram Parocho Loci, ubi pro tempore exiſtunt, contrahere. *ibid.* §. *Alia*. *Milites* Hieroſolymitani ſunt veri, & proprii Religioſi. cccxiii. §. *Alterum*.

MINISTRIS Fabricæ, & Commiſſariis facta fuit prohibitio admittendi compoſitiones ſuper Legatis Fratribus factis cum onere Miſſarum, & Officiorum, præterquam quoad annuas præſtationes duorum annorum decurſorum a die obitus Teſtatorum, quas integre etiam recipere debent, & Fabricæ applicare, ſalvo ſemper Capitali, ut hæredes, qui primis duobus annis non adimpleverunt, poſſint, ſi velint futuris temporibus dare Fratribus annua Legata titulo eleemoſynæ. cxvi. §. *Factaque*. *Miniſtros* Rev. Fabricæ S. Petri audiendos eſſe, antequam definiatur controverſia eorum intereſſe concernens, reſcripſit Sacra Congregatio in *Etboren. declarationis Iaduli* 21. *Maii* 1718. xxix.

MISSA debet a Sacerdotibus debitis horis celebrari. clxxvi. §. *Porro circa med. Miſſa* nequit de fero celebrari, non obſtantibus quibuſcumque Privilegiis, Indultis, & conſuetudinibus. *ibid. Miſſa* nocte Nativitatis Domini in Cappella Pontificia celebratur ante mediam noctem abſque expeditione Brevis pro Miſſæ celebratione dicta hora facienda. *ibid.* §. *Ex alia in princ. Miſſam* ante mediam noctem celebrare prohibitum fuit in *Synodo Venera* ſub pœna ſuſpenſionis. *ibid.* §. *Diſcurſu in fin. Miſſa* nocte Nativitatis Domini celebrari debet poſt mediam noctem ex praxi Eccleſiæ, cui derogari poteſt, vel ex conſuetudine legitima præſcripta, vel ex Privilegio Apoſtolico. *ibid.* §. *Porro circa med. Miſſa* antiquitus celebrari debebat hora tertia diebus feſtis, hora ſexta diebus ferialibus, hora nona diebus jejuniorum per annum, & hora veſpertina diebus Quadrageſimalibus. *ibid. Miſſa* nocte Nativitatis in Civitate Venetiarum ante mediam noctem a Primicerio celebratur in Eccleſia S. Marci, & eam audientes ſatisfaciunt præceptо audiendi Miſſam die Nativitatis Domini. *ibid.* §. *Ex alia circa fin. Miſſa* non debet applicari, ſi illius celebratio dumtaxat injuncta fuerit pro commoditate aliquorum, & pro cultu Eccleſiæ. lxviii. §. *Facit e contra*. *Miſſa* debet pro Fundatore applicari, licet ipſe applicationem non expreſſerit. lxxix. §. *Pro applicatione*. *Miſſa* celebranda, ſed non applicanda eſt in caſu, quo illius celebratio demandata ſit, *accidi molti occupati da negozi poſſino andare a ſentirla*, *ed in ſpecie gli Scolari quando eſcono dalla Scuola*. *ibid.* §. *Putant*. *Miſſa* Conventualis ultra Parochialem debet a Canonicis, quibus incumbit Cura Animarum, applicari, itaut Canonici applicando Miſſam pro Populo diebus Dominicis, & Feſtis, non ſatisfaciant oneri Miſſæ Conventualis. iii. §. *Adverſus*. *Miſſa* Conventualis, non obſtante quacumque conſuetudine, pro Beneficioribus applicari debet. *ibid.*, & xciii. §. *Adverſus*. *Miſſam* Conventualem per turnum non tenentur celebrare, neque per ſe, neque per alium Canonici jubilari. xciii. §. *Invenio circa fin. Miſſa* Conventualis expoſcit Diaconum, & Subdiaconum, & in caſu ſolum deficientiæ Miniſtrorum neceſſariorum cani poteſt cum uno Miniſtro, qui præter ſolitas funciones cantat Epiſtolam, cantante Sacerdote Evangelium. lxxviii. §. *Quoad Miſſam in fin. Miſſa* Conventualis eſt in Cathedralibus, & Collegiatis primo intenta, & horæ Canonicæ tamquam diſpoſitiones ad eam ordinantur. *ibid. Miſſa* Conventualis debet quotidie, nulla ſuffragante contraria conſuetudine, in Cathedrali Eccleſia celebrari. *ibid.* Procedit etiam in Collegiatis. *ibid. Miſſa* Conventualis comprehenditur ſub nomine Divinorum Officiorum. *ibid. Miſſa* Conventualis eleemoſyna debet a Celebrantibus perſolvi per modum diſtributionis ex reditibus Capituli. xcii. §. *Adverſus in fin. Miſſæ* Conventualis onus impoſitum eſt Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis. iii. §. *Hiſce in fin. Miſſa* Parochialis debet applicari a Parochis congruam non habentibus, xcii. §. *Adverſus*. *Miſſa* Parochialis debet etiam a Curatis amovibilibus pro Populo applicari. *ibid. Miſſa* a Parocho ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto debet pro Populo applicari. *ibid. Miſſæ* Sacrificium non eſſe pro Anima Teſtatoris applicandum, reſpondit Sacra Congregatio in caſu, quo Cappellania inſtituta fuerat cum onere Miſſam quotidie celebrandi hora determinata, poſt terminatum ſcilicet Officium in Cathedrali, ut Mercatores, & Scholarum Diſcipuli intereſſe poſſent. vii. §. *Cohærenter*, & lxxxix. §. *Putant in princ. Miſſam* qui celebrat, licet a Divinis fuerit ſuſpenſus, irregularitatem incurrit. liv. §. *Factum*. *Miſſa* celebranda eſt, ſed non applicanda, ſi Cappellania fundata fuerit eum onere celebrationis Miſſæ quotidianæ pro *ſatisfactione*, *& voto Monialium*. §. *Putant*. *Miſſam* celebrare interdicitur Presbyter habens tremulas manus propter periculum ſubverſionis ſanguinis. xxxii. §. *De Juſtitia*. *Miſſæ* celebratio cum alterius Sacerdotis aſſiſtentia, an permitti queat Sacerdoti tremulas manus habenti. *ibid.* §. *Pro negativa*. *Miſſæ* Sacrificium non eſſe pro Teſtatore applicandum, excepta feria ſecunda non impedita, cenſuit Sacra Congregatio in caſu, quo Cappellania erecta fuerat cum obligatione celebrandi quotidie hora determinata pro commoditate nonnullarum Monialium, & applicandi qualibet Feria ſecunda non impedita Miſſam Mortuorum pro Anima Teſtatoris. vii. §. *Cohærenter circa finem*, & lxxxix. §. *Putant circa fin. Miſſæ* Sacrificium, quando ex verbis, aut mente Teſtatoris non colligitur, quod ipſe reliquerit libertatem Sacrificii, debet pro illius anima applicari. vii. §. *Et concordant*, & lxxxix. §. *Pro applicatione*. *Miſſæ* celebratio in Navibus Hiſpanorum & in Triremibus Claſſis Pontificiæ conceſſa fuit ſub hac clauſula. -- *Dummodo celebratio Miſſæ eo dumtaxat tempore*, *quo Mare tranquillum*, & *Cæli ſerenum reperiatur*, *& cum aſſiſtentia Sacerdotis*, *ſeu Diaconi fiat*, *itaut periculum effuſionis ſanguinis in dicta celebratione minime adſit*. xxxii. §. *Additur*. *Miſſarum* reductio non ſolet fieri, ſi alia onera poſſunt reduci, itaut ea poſtremum locum obtineat. lv. §. *Potiſſimum*. *Miſſarum* reductio locum ſibi vindicat etiam in Miſſis per contractum acceptatis, quando tractu temporis contractus reducitur ad iniquitatem, & ad læſionem. lxxiii. §. *Facit*. *Miſſarum* celebrandarum ſuſpenſio an, & quando concedatur, ſi Miſſæ plures fuerint anticipate celebratæ. xxvii. §. *In Congregatione habita* die 18. *Miſſarum*, quæ ultra debitum numerum celebratæ ſunt, an, & quando admittatur, vel denegetur compenſatio cum Miſſis deinceps celebrandis. xxviii. §. *In Congregatione habita die 5. & ſeq. Miſſarum* Legatum pium relictum cum verbis in perpetuum, non reſtringitur ad centum annos, ſed ad quodcumque tempus extenditur. lxxv. §. *Pro oneris*. *Miſſarum* Manualium eleemoſynæ capaces ſunt Regulares, qui Bona in communi poſſidere prohibentur. cxvi. §. *Procedentibus*. *Miſſarum* eleemoſynam an petere poſſit is, qui eas celebravit, putans, ſe ad earum celebrationem teneri, examinatur. xxviii. §. *Hæc & alia*. *Miſſarum* eleemoſynæ ad augmentum non teneri Hæredem, reſcriptum fuit. xxi. §. *Prætendente*. *Miſſarum* ſubrogationem loco Anniverſariorum per Moniales celebrandorum cum cantu, addito aliquali earum numero ex motivo magni incommodi, quod Moniales ſubire tenebantur in adimplemento dictorum Anniverſariorum indulſit Sacra Congregatio. clxvi. §. *Pro faciliori in princ. Miſſarum* itidem celebratio loco 145. Anniverſariorum annuatim celebrandorum indultum fuit Capitulo Cathedralis Bracharenſis ex motivo, quod Anniverſaria erant Canonicis nimis onerosa. clxv. §. *Pro faciliori*. *Miſſas* celebrari facere poſſunt Hæredes per alios Sacerdotes ſibi benevisos, & remanent in libertate dandi, aut non dandi Fratribus annuos reditus, iſtis relictis ſub onere celebrationis Miſſarum. cxvi. §. *Firma in princ. Miſſas* tres de Mortuis, & non alias applicandas eſſe pro Teſtatoris anima, cenſuit Sacra Congregatio in caſu, quo idem Teſtator demandaverat, ut Cappellanus pro tempore Miſſam celebraret omnibus diebus hebdomadæ, præter unum, cum hoc quod tres Miſſæ qualibet hebdomada celebrarentur de Mortuis pro Anima Fundatoris. vii. §. *Cohærenter*. *Miſſam* prima hora noctis Nativitatis Domini celebrari non eſt permittendum, *in Veneta 13. Julii* 1720. clxxvi. *Miſſam* unam, non autem duas eſſe a Fratribus celebrandas, reſcripſit Sacra Congregatio *in Romana Legati 3. Septembris* 1718. xlii. *Miſſam* unam, non autem duas teneri celebrare Fratres Prædicatores SS. Xiſti, & Clementis, reſolvit Sacra Congregatio in *Romana Legati 23. Julii* 1718. *ibid. Miſſam* non teneri Cappellanum pro Suffragio Animæ Teſtatoris applicare, ſed ſolum eam celebrare, reſpondit Sacra Congregatio in *Mantuana Applicationis Sacrificii 19. Novembris* 1718. lxviii. *Miſſam* celebrare teneri Fratres Min. Obſ. in Eccleſia S. Dionyſii ad formam Inſtrumenti anni 1633, reſpondit Sacra Congregatio in *Juſtinopolitana Miſſarum* 18. *Novembris* 1719. cxxvii. *Miſſam* pro Populo diebus Dominicis, & Feſtis applicare teneri Cappellanos Curatos amovibiliter a Capitulo deputatos pro exercitio Curæ animarum, reſcripſit Sacra Congregatio *ad V. Dub.* xci. *Miſſam* applicari debere a Patribus Congregationis Somaſchæ, reſpondit Sacr. Congr. lxxxix. *Miſſam* Conventualem debere in Collegiata quolibet die cantari, & in ſolemnioribus ab Epiſcopo deſignandis debere celebrari cum aſſiſtentia Diaconi, & Subdiaconi, declaravit Sacra Congregatio in *Verulana Viſitationis Sacrorum liminum 21. Januarii* 1719. *ad* II. *Dub.* lxxviii. *Miſſam* Conventualem in Cathedrali cantandam eſſe omnibus diebus Dominicis, & aliis Feſtis de præcepto cum Diacono, & Subdiacono, & non eſſe permittendum, quod ea celebretur ſine dictis Miniſtris, reſcripſit Sacra Congregatio in *Verulana Viſitationis Sacrorum liminum 21. Januarii* 1719. *ad* I. *Dub. ibid. Miſſam* Conventualem celebrari non debere a Canonicis nuncupatis Eccleſiæ San-

Ctæ

Æ Mariæ Terræ Mortæ, respondit Sacra Congregatio in *Montis Falisci Missæ Conventualis* 12. *Februarii* 1718. III. *Missæ* Conventualis eleemosyna est eam celebrantibus persolvenda in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad* II. *Dub.* XCII. *Missæ*, quæ a Cappellanis a Capitulo pro exercitio Curæ Animarum deputatis celebratur, eleemosynam ab eodem Capitulo esse persolvendam, respondit Sacra Congregatio in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad VI. Dub. ibid. Missæ* Conventualis eleemosyna detrahi, & solvi debet ex Massa Distributionum quotidianarum, in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad* III. *Dub. ibid. Missæ* Parochialis eleemosyna persolvenda Cappellanis per Capitulum deputatis pro exercitio Curæ Animarum debet detrahi a Massa Distributionum, in *Ferrarien.* 8. *Martii* 1719. *ad* VII. *Dub. ibid. Missæ* planæ onus durare ultra spatium centum annorum, transactoque dicto termino, non remanere extinctum, resolvit Sac. Congreg. in *Bononien.* 17. *Dec.* 1718. LXXV. *Missæ* quotidianæ celebrationem pro Anima Ægidii Ursini de Vivariis intermittendam esse, quousque fructus Locorum Montium pro hujusmodi celebratione assignatorum per eorum continuum investimentum in alia Loca Montium in totum ascendant ad annua scuta sexaginta, resolutum fuit in *Romana suspensionis oneris, & reintegrationis eleemosynæ Missarum* 21. *Martii* 1718. *ad* I. *Dub.* XXVIII. *Missarum* onus potest hæres adimplere, creando census, & eos assignando cum authoritate Episcopi pro onere Missarum, in *Brunduſina adimplementi* 26. *Aug.* 1719. *ad* III. *Dub.* CXVI. *Missarum* onus esse temporaneum, & pro una vice, non autem perpetuum, respondit Sacra Congregatio in *Romana Legati* 18. *Novembris* 1719. CXXI. *Missarum* onera esse repartienda inter antiquos, & novos Canonicos, respondit Sacra Congregatio, *in Cremanen. Erectionis Collegiatæ* 7. *Decembris* 1720. CXII. *Missarum* Legatum, seu onus celebrationis nequit hæres ab Altari S. Francisci de Paula ad Ecclesiam Collegiatam transferre, in *Brunduſina adimplementi* 26. *Augusti* 1719. *ad* II. *Dub.* CXVI. *Missarum* tam perpetuarum, quam Manualium Legata comprehendi in Indulto, seu Apostolico Brevi, respondit Sacra Congregatio in *Elboren. declarationis Indulti* 21. *Januarii* 1719. *ad I. Dub.* XXIX. *Missarum* Legati sunt capaces Fratres Minores Observantiæ, *in Brunduſina adimplementi* 26. *Augusti* 1719. *ad I. Dub.* CXVI. *Missarum* solemnium celebrationem in Oratorio, sive pro vivis, sive pro Defunctis etiam post Missam Parochialem potest Parochus impedire, nisi accedat Episcopi licentia, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septembris* 1719. *ad IV. Dub.* LVI. *Missarum* reductioni locum esse, deleta Missa solemni, & deleto Officio Mortuorum, respondit Sacra Congregatio in *Fanen. Reductionis Missarum* 27. *Aprilis* 1720. CLIII. *Missarum* reductioni locum esse, supposito, quod nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum 300. a Testatore præscripta, in *Mediolanen. Reductionis Missarum* 9. *Aprilis* 1718. XXI. *Missarum* reductioni an locus esset, sive potius hæres supplere teneretur, cum disceptatum fuerit, Sacra Congregatio præcepit exhiberi Testamentum, in *Mediolanen. Oneris Missarum* 2. *Julii* 1718. XL. *Missarum* reductioni an esset locus cum fuerit disceptatum, Sacra Congregatio rescripsit: *Pro transmissione consuetæ instructionis & Ordinarius ad tramites ejusdem conficiat reductionem, quam ad Sacram Congregationem pro approbatione transmittere teneatur una cum reformatione, & ad mentem* in *Bracharen. Reductionis Missarum* 24. *Septembris* 1718. LV. *Missæ* Conventuales debent a Dignitatibus, Canonicis, Mansionariis, & Cappellanis Capituli applicari pro Benefactoribus, in *Ferrarien.* 18. *Martii* 1719. *ad I. Dub.* XCII. *Missa* sive lecta, sive cantata non potest in Ecclesiis intra Parochiæ limites sitis celebrari ante Missam Parochialem sive lectam, sive cantatam, nisi aliter Episcopus disponat. CCLIII. §. *Quia vero circa fin. Missa* Conventualis non debet in Ecclesia, quæ probet, se non esse Collegiatam, applicari, sed ea ab hoc onere est immunis, CCXXXI. §. *Quoad Missam in fin. Missa* Conventualis quotidie pro Benefactoribus, & Parochialis diebus festis pro Populo debet applicari a Canonicis, quibus adnexa sit Cura Animarum. *ibid. Missæ* Conventualis in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis debet singulis diebus pro Benefactoribus applicari. *ibid. Missa* Conventualis est diebus tantum festis, attenta redituum tenuitate celebranda, & pro Benefactoribus applicanda ab omnibus Capitularibus, uti respondit Sacra Congregatio *in Camerinen. ad II. Dub., & III., & Namien.* CCXVII. §. *Fuit alias, & §. Confimilis, Missa* Parochialis est celebranda, & applicanda pro Populo ab Archipresbytero Collegiatæ, cui adnexa est Animarum Cura, uti resolutum fuit *in Camerinen. ad I. Dub. ibid. Missa* nequit cum Peruccha celebrari, licet ea modesta sit. CCLXXVII. §. *Anno quoque in princ. Missa* potest a Sacerdotibus etiam cum peruccha celebrari, præsertim si hæc facit unum moraliter cum capite, nec a coma nativa internoscitur. *ibid.* §. *Hæc quoad circa princ. Missam* celebrandi ficto capillitio propter falsi humoris labem, qua caput laborabat, Indultum denegavit Sac. Congregatio. *ibid.* §. *Anno in fin. Missam* celebranti nequit licentiam utendi pileolo, seu peruccha Episcopus concedere. *ibid.* §. *Promotor in fin. Missam* Conventualem quotidie celebrare Canonici tenentur, & horas Canonicas in Choro psallere. CCCLIV. §. *Capitulum. Missam* Populo singulis diebus Festis applicare Parochi tenentur, licet congruam non habeant. CCXXXI. §. *Multæ. Missam*, ubi Cappellanus sit obligatus per se ipsum celebrare, tenetur per alium in casu diuturnæ infirmitatis celebrare, secus vero si infirmitas fuerit brevis. CCLXXXI. §. *Nulla.* T. I. *p.* 188. *Missam* per se ipsum celebrare obligatus non tenetur tempore infirmitatis, vel alterius justi impedimenti onus adimplere per alium, *ibid.* §. *Cumque. Tom.* I. *p.* 187. *Missam*, ubi sit obligatus Cappellanus quotidie celebrare absque tamen onere celebrandi per se ipsum, nequit aliquando a celebratione vacare. *ibid.* §. *Tertium. Tom.* I. *p.* 188. *Missam* per se ipsum celebrare non tenetur Cappellanus, nisi Fundator claris, & rotundis literis dixerit, eum debere per se ipsum celebrare. *ibid.* §. *Quartum. Missarum* onus perpetuum si relinquatur, & pro eo adimplendo relinquantur Cappellis, Ecclesiis, Capitulis, vel Collegiis pecunia, aut mobilia; pecunia ejusmodi debet penes ædem Sacram deponi, & mobilia vendi debent, & fieri debet depositum investiendum in Bonis immobilibus fructiferis cum expressa mentione oneris illis adnexi, CXCVII. §. *Facit tertio. Missarum* onera detrahenda non esse a Beneficio, ad cujus titulum quis ordinari intendit, etiamsi eidem Beneficio adjecta sint, nisi in fundatione cautum sit, ut in casu impedimenti teneatur per alium celebrare, & donec ascendat ad Sacerdotium, pro rata Missarum aliunde habeat, quo vivere possit, resolvit Sacra Congregatio *in Tiburtina.* CCLXXXI. §. *Anno* 1690., & §. *Anno* 1694. *Tom.* I. *p.* 187. *Missarum* onera a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, non sunt deducenda, si Beneficiatus teneatur eas per se ipsum celebrare, & ad titulum ejusdem Beneficii potest ordinari, secus vero, si Beneficiatus possit per alium celebrare. *ibid.* §. *Quarum. Missarum* onera non sunt a valore Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur deducenda, sive Beneficiatus teneatur per se ipsum, sive per alium possit celebrare. *ibid.* §. *Cumque in fin. T.* I. *p.* 187. *Missarum* onera an detrahenda sint e valore Beneficii, seu Cappellaniæ, ad cujus titulum quis ordinandus est, referuntur variæ sententiæ. *ibid.* §. *Prima & seq. Tom.* I. *p.* 186. *Missarum* onera non sunt reducenda, sed prius debent cætera pia onera reduci. CXCVIII. §. *In voto. Missarum*, servitii Chori, aliorumque onerum reductio cum petita fuerit a Cappellanis S. Hilarii Basilicæ Lateranensis Sac. Congregatio ita rescripsit -- *Firmis remanentibus oneribus Missarum, necnon omnibus aliis oneribus a Testatore indictis pro deletione, arbitrio Eminentissimi Archipresbyteri, oneris assistendi Vesperis, quæ tamen non sint solemnes, necnon altevius oneris assistendi* 115. *Officiis, seu functionibus vulgo dictis Communi præservatis communibus, in quibus Oratores præstare debent assistentiam, & servitium pro diebus, & horis a Capitulo designandis* -- CCLI. §. *Actum. Missarum* onus perpetuum debet Fundum fructiferum habere. CXCVII. §. *Facit tertio. Missarum* applicatio injuncta censetur, nisi aliter ex circumstantiis desumatur. CCXXXI. §. *Quoad reliqua. Missarum* eleemosyna cedit in sustentationem Sacerdotis. CCLXXXI. §. *Cumque. Tom.* I. *p.* 188. *Missas* plures eadem die celebranti impositæ sunt plures pœnæ. CCLVI. §. *Ad rem in fin. Missæ* tres possunt a quolibet Sacerdote celebrari in die Nativitatis Domini. *ibid. Missæ* duæ a Sacerdotibus Sæcularibus, & tres a Regularibus die Commemorationis Defunctorum celebrantur in Aragonia, Valentia, & Catalaunia. *ibid.* §. *Tertium. Missæ* plures eadem die Commemorationis Defunctorum celebrantur etiam in Regno Majoricæ, utpote de appendicibus Regni Aragoniæ. *ibid.* §. *Quartum. Missæ* plures die Commemorationis Defunctorum celebrantur ab unoquoque Sacerdote in Ecclesia PP. Dominicanorum Civitatis Pampilonen. *ibid. Missæ* duæ, nempe una pro Defunctis, & altera de die celebrari non improbatur *in Can. sufficit de Consecr. dist.* I. *ibid.* §. *Quintum est circa med. Missæ* plures, quod celebrari possint die Commemorationis Defunctorum conveniens esse, & ab Apostolica Sede concedendum, ostendit Author relatus. *ibid.* §. *Ultimum in fin. Missæ* plures nequeunt ab unoquoque Sacerdote, sed una dumtaxat potest quolibet die celebrari. *ibid.* §. *Ad rem in princip. Missæ* plures, quod possint uno, eodemque die celebrari, a Concilio Toletano 12. non reprobatur, sed tantum, quod Sacerdos non communicet in omnibus Missis, quas celebrat. *ibid.* §. *Quintum est in princ. Missæ* plures, quod possint eadem die in Regno Aragoniæ celebrari quoad Sacerdotes Sæculares, consuetudine inductum est, & quoad Regulares a quodam vivæ vocis Oraculo, vel Julii III., & Pauli III. promanavit. §. *Quintum in fin. Missæ* plures antiquioribus temporibus, & etiam post auctum numerum Sacerdotum laudabiliter eadem die ab unoquoque Sacerdote celebrabantur. *ibid.* §. *Secundum. Missæ* conventuales non applicatæ fuerunt ex parte condonatæ, & Sacra Congregatio consuevit Episcopis præcipere, ut Canonici non ad integram mensuram Missarum, quæ erant applicandæ, & applicatæ non sunt, celebrare faciat, & applicare, sed cum aliqua æquitate, & diminutione. CCXXXI. §. *Rursus. Missa* pro Fundatore est applicanda, licet ipse applicationem non expresserit, sed solum celebrationem. CCCCL. §. *Hæc sunt. Missam* esse applicandam an, & quando non dicatur a Testatore injunctum, constat ex Resolutionibus relatis. *ibid.* §. *Quoad punctum & seq. Missam* quotidie pro Populo applicare non tenentur Parochi habentes pingues reditus, uti resolvit Sacra Congregatio, *in Foro Sempronien.*, CCCLXXIV. §. *Ita ut sola. Missam* singulis diebus festis de præcepto pro Populo applicare tenentur Parochi. *ibid.* §. *Quoad Parochorum.* Procedit, sive habeant Congruam, sive non, & sive sint amovibiles, sive perpetui. *ibid.* §. *Quoad applicationem. Missam* qui suscepit celebrandam pro certa Eleemosyna, nequit eamdem Missam celebrandam alteri committere, parte ejusdem eleemosynæ retenta. DXXI. §. *Addunter. Missæ* eleemosyna ea justa non dicitur, quæ requiritur ad diurnam Sacerdotis celebrantis sustentationem. DVI. §. *Tertium. Missæ* eleemosyna taxari debet juxta consuetudinem, quæ in Diœ-

Diœcesi viget, vel ea præstanda est, quæ a Lege Synodali, aut a Decreto Episcopi taxatur. *ibid.* §. *Quartum. Tom.* 2. *p.* 99. *Missæ* eleemosyna si per consuetudinem localem, vel Legem Synodalem taxata fuerit, id operatur, ut Sacerdotes plus exigere nequeant, sed non efficit, ut ampliorem eleemosynam sibi sponte oblatam acceptare non possint. *ibid.* §. *Taxatæque. Missæ* eleemosyna potest in integro julio taxari imposita pœna Sacerdotibus, qui pro minori quantitate celebrent. *ibid. Missæ* eleemosyna ut juste taxetur, habenda est ratio circumstantiarum, & temporis, & signanter caritatis, vel vilitatis Annonæ. *ibid.* §. *Ultimum. Missarum* celebratio per Testes, ejus vero applicatio attestatione celebrantis probatur. CCCCXC. §. *Hæc sunt. Missarum* celebratio non solum ex Libris, in quibus solet adnotari, sed aliunde etiam probari solet, ut constat ex Resolutione relata. *ibid. Missæ* de Requiem nequeunt in Festis duplicibus etiam in Basilicis Urbis celebrari. CCCCXCI. §. *Quia vero. Missæ* tres an die Nativitatis Domini celebrari possint in illis Oratoriis privatis, in quibus dicta die Missa ex Indulto Apostolico celebrari potest? late discutitur. CCCCXV. *To.* 2. *p.* 37. *& seq. Missam* canere die Festo Sanctissimi Corporis Christi in Ecclesia S. Mariæ de Populo non competit Archipresbytero SS. Hippolyti, & Cassini de Saliceto, postquam dicta Ecclesia S. Mariæ in Collegiatam erecta fuit, *in Lunen. Sarzanen. Præeminentiarum* 9. *Junii* 1725. *ad I. Dub.* CCCCXLII. *Missam* celebrare permissum non fuit Presbytero, qui in Tribunalibus fuit condemnatus ex supposito crimine nefando, licet non remigaverit, *in Lavellana, seu Romana* 6. *Julii* 1726. DXVI. *Missam* pro Populo applicare Parochi tenentur diebus Dominicis, & Festis de Præcepto, *in Ostien.* 29. *Januarii* 1724. CCCLXXIV. *Missam* pro Populo diebus Dominicis, & Festis de Præcepto applicare Parochos teneri, ita tamen, ut liberam habeant applicationem tot aliarum Missarum ex illis, quas celebrant, & applicant pro Baronibus, dummodo Barones non teneantur ad eas celebrari, & applicari faciendum ex aliqua fundatione, aut Legato, rescriptum fuit. *ibid. Missam* esse in suffragationem animæ Testatoris applicandam, respondit Sacra Congregatio *in Cornetana* 23. *Junii* 1725. CCCCI. *Missæ* eleemosynam manualem non esse in Urbe augendam, sed servari debere solitum, respondit Sacra Congregatio *in Urbis* 13. *April.* 1726. DVI. *Missæ* eleemosynam manualem possunt Cappellani pro aliqua die cujuslibet hebdomadæ impediti Missas per se ipsos celebrare tradere Presbyteris vices suas supplentibus, *in Neapolitana Cappellaniarum* 14. *Apr.* 1725. *ad* II. *Dubium.* CCCCXXXIII. *Missarum* Legatum non esse perpetuum, sed temporale ad vitam Hæredum testamentariorum, respondit S. Congregatio *in Montis Falisci* 16. *Decemb.* 1724. *ad* I. *Dub.* CCCCVIII. *Missas* adventitias non tenetur Rector Ecclesiæ admittere, nisi solutis utensilibus per celebrantes, *in Dertbon.* 6. *Julii* 1726. *ad* II. *Dub.* DXIV. *Missas* solemnes, & Vesperas possunt canere Presbyteri Missionis in Festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli ejusdem Sancti contradicente Parocho, *in Florentina* 30. *Martii* 1726. *ad* I. *Dub.* CCCCXCVII. *Missas* celebrandas esse in Oratorio arbitrio Episcopi, respondit Sacra Congregatio *in Lucana Cappellaniæ* 9. *Febr.* 1726. CCLXXXVII. *Missæ* tres celebrari possunt die Nativitatis in Oratorio privato, *in quo* ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur, ut Missa die Nativitatis celebretur, in Causa, cui titulus *Dubium Oratorii privati* 13. *Januar.* 1725. CCCCXV. *Missam* celebrandi facultas concessa fuit Hinomato Episcopo, qui cæcus evaserat. DLXX. §. *In synodo. Missam* ex Pontificia dispensatione celebravit in Synodo Tridentina Episcopus quidam, licet omnino cæcus esset. *ibid.* §. *De Episcopo in princ. Missam*, ut celebrarent cum assistentia alterius Sacerdotis, Sacerdotibus cæcis pluries indulsisse Summum Pontificem, testantur Authores relati. *ibid. Missam* si Presbyter cæcutiens sciat memoriter recitare, & sufficienter possit Hostiam, & Calicem videre, non debet ab illius celebratione arceri juxta plurium Theologorum sententiam relatam. *ibid.* §. *Sacerdos.* Sacra tamen Congreg. in formula consueta pro cæcutientibus apponit clausulam *dummodo memoriter recitent*, *ibid. Missæ* Conventualis celebrationem spectare ad solos Canonicos, respondit Sac. Congregat. in *Squillacen.* DXC. §. *Plures. Missæ* Sacrificium non teneri Cappellanum sustragio animæ Fundatoris applicare, sed solum pro eodem Fundatore orare, respondit Sacra Congregatio in *Novarien.* 22. *Novembris* 1727. *ad I. Dub.* DLXXVI. *Missas* centum quolibet mense per tres menses esse celebrandas, & Missam Cantatam celebrandam esse juxta Testamentum, respondit S. Congregatio in *Amerina* 15. *Mart.* 1727. *ad I. Dub.* DXLV. *Missam* celebrandi cum assistentia alterius Sacerdotis Indultum concessum fuit Sacerdoti omnino cæco, in *Florentina* 23. *Augusti* 1727. DLXX.

MONACHI sunt incapaces Parochialium Ecclesiarum, & sine Apostolica dispensatione, & Indulto nequeunt illas obtinere. CCCCLXXXII. §. *Antiqua.*

MONASTERIUM Monialium ingredi posse Ducissam Carlottam per sex vices quolibet anno cum comitatu sex Matronarum, alias vero in Ducatu succedentes tribus vicibus quolibet anno, & cum tribus Matronis, servata in reliquis forma aliarum clausularum, quæ in similibus Brevibus pro ingressu in Monasterium solent apponi, indultum fuit in *Magdalunen.* 22. *Aprilis* 1719. CII. *Monasteriis* Monialium, sive Religiosorum debent apponi tubæ lignæ, ne Moniales possint respicere in ædes Vicinorum, & ne Vicini in Monasterium prospectum habeant. CCLVIII. §. *Bon. mem. Monialibus* non potest committi clavis Custodiæ Sanctissimi Sacramenti, sed ea esse debet penes Sacerdotem, ad quem spectat Cura illud administrandi. CCCCXXIV. §. *Hæc quoad. Monialium* quomodo frequens communio sit permitteuda? *Vid. Decretum S. C. ibid.* §. *Exhibitus. Moniales*, quæ Sacram Eucharistiam volunt recipere ultra consuetos dies, debent id facere de licentia Confessarii Ordinarii, & non Directorum prævia participatione Prælati Ordinarii, *in Januen.* 14. *April.* 1725. *ad I. Dub. ibid. Monialos* saltem semel singulis mensibus Confessionem peccatorum facere, & Sacrosanctam Eucharistiam suscipere tenentur. DLXIV. §. *Item in fin. Monialium* Monasteria an, & quando possint Confessarii pro Sacramentalibus Monialium Confessionibus excipiendis ingredi. DLI. §. *Quoad ingressum. Monialium* Monasteria qui auctoritate sui officii ingrediuntur, non possunt id facere, nisi in casibus necessitatis, & cum comitatu paucorum, & quidem Seniorum, & Religiosorum. *ibid.* §. *Præscindendo. Monialium* Monasterium, si Prælatus, cui illæ subsunt, ingrederetur, & secum duceret Laicum, transgredieretur Gregorianam Constitutionem, & illius pœnis esset obnoxius, excepto casu, in quo ejus opera tamquam periti indigeret. *ibid.*

MONTIS Pietatis Administratoribus solet S. Congregatio impertiri licentiam accipiendi pecunias ad rationem interusurii trium pro centenario, & exigendi a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario sub clausulis tamen, quod interusurium non exigatur, nisi ad rationem quinque, quodque intra certum tempus fiat restitutio summæ ad usuram acceptæ. XVI. §. *Pauperum. Montis* Pietatis Administratores exigunt a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario; duo enim sunt pro Ministrorum salariis, & reliqua tria exiguntur pro emendatione damni emergentis, cui Mons est subjectus summam recipiendo ad rationem trium pro centenario. *ibid.* §. *Absque eo quod. Montes* Pietatis possunt aliquid moderatum ultra sortem exigere pro salariis, aliisque necessariis impensis. *ibid.* §. *Concessioni. Montis* Pietatis Statutum esse observandum juxta modum ut sub eodem Statuto comprehendantur omnes duodecim Præsidentes, respondit S. Congr. *in Bononien.* 1. *Septemb.* 1725. CCCCLX.

MOZZETTÆ, & Rocchetti usus concessionem expediendam esse per Datariam, & locum esse erectioni Collegiatæ juxta numerum petitum Canonicorum, respondit Sacra Congregatio in *Syracusana Erectionis Collegiatæ* 24. *Februar.* 1720. CXXXI.

MULIER dicitur indotata, aut minus sufficienter dotata, si Bona in actu Matrimonii assignanda non sint sufficientia, vel sint intricata, aut assignatio post obitum Parentum suum effectum sit habitura. CCLXXIII. §. *Aptabilis. Mulieri*, quæ adulterium commiserat, Religionem ingredi, remanente Viro in sæculo, indulsit Sac. Congregatio. CCLIV. §. *Rursus. Mulieri* adulteræ Religionem esse ingrediendam, ibique Professionem esse emittendam, Marito in sæculo manente, solo voto continentiæ emisso, statuit Sac. Congregatio. *ibid.* §. *Acciti.*

MUTUANS potest licite Mutuatario apponere pœnam solvendam, *si non solverit termino constituto*, dummodo pœna non apponatur in fraudem usuræ, ac Mutuatarius sit in mora culpabili solvendi, & pœna sit moderata. CCXXXVII. §. *Admittunt in princ. Mutuans* si licite pœnam Mutuatario apposuerit, si termino præfixo non solvat, non potest exigi, nisi quatenus interest Creditori, *ibid. Mutuans* censetur pœnam Mutuatario in fraudem usuræ apposuisse, si sciebat, impossibile esse, quod Debitor mutuum sibi redderet termino præfixo. *ibid. Mutuans* potest aliquid supra sortem exigere ratione periculi admittendi sortem, aut inveniendi difficultates in exactione dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, & probabilitatis ejusdem. *ibid.* §. *Demum*, *Mutuanti* licitum esse aliquid supra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus, est propositio inter proscriptas ab *Alex. VII. in ordine 1a 42. Innoc. in ord. 1a 41. ibid.* §. *Ad rem*.

MUTUUM dare est de consilio, ex mutuo autem lucrum non accipere cadit sub ratione præcepti, CCCCXCIV. §. *Adest*.

N

NEGOTIATORIBUS Laicis quomodo Communio frequens fit permittenda? *Vid. Decretum S. C.* CCCCXXIV. §. *Decretum*.

NEOPHYTUS, si fuerit dispensatus quoad Ordines, videtur non indigere dispensatione quoad consequenda Beneficia, XLIX. §. *Quoad*.

NEOPHYTATUS, ad effectum inducendi irregularitatem, sibi vindicat locum in eo, qui fuit in adulta ætate baptizatus, & in Baptismate novus est. XLIX. §. *Præterquamquod*. Non vero applicatur iis, qui in infantili ætate constituti Baptismum, neque iis, qui in adulta quidem ætate Baptismum recoperunt, sed post aliquod temporis intervallum, & experimentum, ab Ordinario idonei ad Sacros Ordines suscipiendos reputantur. *ibid.*

NEPOS tenetur alimenta præstare Patruo, & Patruus Nepoti. CCLXV. §. *Quod Patruus*.

NOMINATIO Concionatoris potest ad unum spectare, & Communitati incumbere onus elemosynam solvendi, si concurrat immemorabilis consuetudo, CXLIV. §. *Communitas*, *Nominationes* ad Canonicatus in futurum vacaturos contendunt quidam Episcopi a se in primo ingressu fieri posse, sed ejusmodi nominationes habent naturam gratiarum expectativarum. XCIV. §. *Excipiunt in fin. Nominationem* factam in personam Nicolai Bartolini non esse exequendam, sed esse manutenendum Durellum in possessione ejusdem Cappellaniæ, donec vixerit, in *Æsina Cappellaniæ 26. Augusti 1719. ad II. Dub.* CIII.

NOVITIA, si careat dote, potest a Monialibus ejici, ac ad Professionem non admitti, licet eam Episcopus nominaverit sub obtentu, quod ipse in primo ingressu possit Novitiam sine dote ad Professionem emittendam nominare. XCIV. §. *Excipiunt*.

NOVITIATUS dicitur interruptus ex fuga, licet hæc ad breve tempus fuerit. DXII. §. *Secundum*.

NOVITIUS reticens impedimentum occultum potest a Religione post emissam Professionem expelli, sed servata forma S. Concilii Tridentini *cap. 19. sess. 25. de Ref.* cl. §. *In una*, *Novitiorum* in admissionem non videtur æquum, quod Papa suppleat Consensum Superioris, CXXVI. §. *Adversus*. *Novitium*, qui Hermafroditus asserebatur, irregularem non esse, responsum fuit in causa, cui titulus *Dubium Ordinationis* relata. CCXXXVI. §. *Plura circa fin. Novitiorum* receptio quando fieri debeat, & in quibus Conventibus, vid. Constitutiones Apostolicas relatas, CCXX. §. *Summus Pontifex*. *Novitios* recipere non possunt, aliosque ad Professionem admittere absque licentia Magni Prioris Alemaniæ Commendatarius, & Conventuales Præceptoriæ ad S. Joannem, & Cordulam Coloniæ, *in Colonien. 17. Aprilis 1728. ad I. Dubium*. CCCCLXIII.

NUNTIIS Apostolicis non licet exercere Pontificalia absque licentia Episcopi Loci, CCLXIII. §. *Quoad exercitium in fine*.

O

OBLATIONUM, vel eleemosynarum in Oratorio collectarum nequit Parochus administrationem exercere, vel clavem capsulæ pro illis recipiendis expositæ retinere, in *Novarien. Aggregationis 24. Septembris 1718. ad VII. Dub.* LVI. *Oblationem* nonnullorum, qui se offerebant Conventui Fratrum Observantium S. Francisci Terræ S. Archangeli, non valere ex defectu requisitorum, respondit Sacra Congregatio. CCCLXXII. §. *Novæ*. *De Oblatione* legitima Conventui Ordinis Cisterciensis per quosdam Presbyteros facta ad effectum fruendi exemptione non constare, rescriptum fuit *in Anglon. 29. Januar. 1724. ad I. Dub. ibid.*

OBLATI si habeant alia omnia requisita, sed actuali servitio Religionis non vacent, jurisdictio super eis pertinet ad Episcopum, sed cumulative cum Superioribus Regularibus, CCCLXXII. §. *Hæc respiciunt*. *Oblati* an, & quando dicantur frui privilegio Fori, & immunitate a Sæcularibus exactionibus, & tandem exemptione a jurisdictione Diœcesani. *ibid.* §. *Ad effectum*, *& seq.*

OBSERVANTIA quadragenaria sufficit ad probandam Decimarum pertinentiam, vel ad probandos fines Ecclesiarum. CCXIV. §. *Hujusce*.

OFFICIALES Sedis Apostolicæ sunt ab Ordinaria Episcopi jurisdictione exempti. CCXLIII. §. *De Spoliorum*. *Officiales* eligendi privativum jus competit Confraternitati, in *Sancti Marci 13. Aprilis 1726. ad I. Dub.* DII. *Officiales*, & Ministros a Confraternitate electos removere Episcopo licet, quatenus non sint idonei, & graves exceptiones patiantur, *in Asculana 24. Martii 1725. ad IV. Dub.* CCCCXXVI. *Officiales* cum eligere negligeret Confraternitas, S. Congregatio jussit, præfigi ab Episcopo terminum ad eligendum, & quatenus in termino non concordarent in Scrutinio, ipse deveniret ad eamdem Officialium electionem, qui durarent ad quatuor Menses, *in S. Marci 13. Aprilis 1726. ad II. Dub.* DII. *Officialibus* Confraternitatis competit facultas nominandi Cappellanos, *in Savonen. 4. Aug. 1725.* CCCCLV.

OFFICIUM Judicis pro assequendis Legatis annuis, quæ fiunt, adjecto Missarum onere, nequeunt implorare Fratres Minores, tam de Familia, quam Reformati, tamquam ejusmodi incapaces. CXXVII. §. *Et quia*,

OFFICIUM funebre peragere super Cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, & Oratoriis publicis Confraternitatum spectat ad Parochum, si tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium, DLXIII. §. *Parochus in fin. Officium* super Cadaveribus in Ecclesiis Monialium spectat ad earumdem Monialium Confessarium. *ibid.* §. *Quoad primum circa fin. Officium* funebre explere super Cadaveribus Defunctorum in Ecclesiis Regularium subjectorum Jurisdictioni Episcopi pertinet ad Parochum. *ibid.* §. *Parochus circa med. Officium* super Cadaveribus in Ecclesiis Regularibus spectat ad ipsos Regulares, & non ad Defunctorum Parochos. *ibid.* §. *Quoad primum*,

OLEA Sacra sunt singulis annis Feria V. in Cœna Domini ab Episcopo conficienda. CCCCXXII. §. *Juxta*. *Olearum* Sacrorum confectioni quot, & quales debeant assistere Ministri? *ibid. Olei* Sancti consecrationi intervenire debent feria quinta in Cœna Domini Præpositus Collegiatæ S. Justæ, & Archipresbyteri Collegiatarum S. Mariæ de Paganica, & S. Petri de Popleto, *in Aquilana 3. Martii* 1725. CCCCXII. *Olea* sancta non tenetur Parochus Collegiatæ e manibus Archipresbyteri alterius Ecclesiæ recipere, nec viceversa illa recipere tenetur Archipresbyter e manibus Præpositi, *in Lucana. Sarzan. Præeminent. 9. Jun. 1725. ad III. Dub.* CCCCXLII.

ONERI Missarum per Substitutum satisfacere tenentur Cappellani durante infirmitate, *in Neapol. Cappellan. 14. Apr. 1725. ad IV. Dub.* CCCCXXXIII.

ORATORIA publica, ac Ecclesias de novo erigi, dum concedit Episcopus, debet summopere animadvertere, ne Populus nimium abstrahatur ab Ecclesia Parochiali, & sic incidat in ignorantiam circa credenda, & observanda. CCLXXXVII. §. *Pro persistentia*, *Oratorii* erectio, dissentientibus Episcopo & Parocho, non debet permitti, si inde deriventur spiritualia damna in Populum, *ibid.* §. *Proposito*. *Oratorii* planta judicialis demandata fuit, ut illud judicari posset privatum, aut publicum *in Savonen. 28. Julii 1724.* CCCLXXXIX. *Oratorium* non esse publicum, facta tamen per Senatorem Imperialem in publico Instrumento declaratione, se nullum jus habere in Area sita ante Ecclesiam, nec non, quod Claves tam Ecclesiæ, quam Areæ retineantur a Cappellano, & quod dicta Area non gaudeat immunitate, rescripsit S. Cong., *in Savonen. 9. Septemb. 1724. ibid.*

ORDINANDUS nullus est, qui illi Ecclesiæ, aut Pio Loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur. XLV. §. *Adversus*, *Ordinandi* proprius Episcopus dicitur etiam ille, ex cujus Diœcesi Ordinandus trahit originem. CLXXXII. §. *In nihilum in fin.*

ORDINANS aliquem sine sufficienti titulo tenetur alimenta subministrare, donec ille Ecclesiasticum Beneficium assequatur. CXIII. §. *Licet*, *Ordinans*, neque Ordinati suspensionem contrahunt, ubi consuetudo viget Ordines Minores cum Subdiaconatu eadem die conferendi. DXCII. §. 14. *At alii circa med.*

ORDINARE qui potest, potest etiam judicare, & omnes actus jurisdictionales exercere. CCXIX. §. *Alterum*. *Ordinare* non potest Episcopus alienæ Diœcesis Subditum Familiarem triennalem ad titulum Patrimonii ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, nullo collato Ecclesiastico beneficio. CCXXIII. §. *Item juxta*. *Ordinare* potest Episcopus Familiarem suum non Subditum, dummodo post ordinationem ei conferat Beneficium, vel Pensionem. *ibid.* §. *Additur*. *Ordinare* non potest Episcopus alienæ Diœcesis Subditum Familiarem suum, nisi ultra triennale servitium eidem conferat Beneficium sufficiens pro vitæ sustentatione. *ibid.* §. *Item juxta*. *Ordinare* nequit Episcopus alienæ Diœcesis Subditum Familiarem suum ad titulum pensionis, *ibid.*

ORDINARI non debet is, qui ex propria industria, aut honesto labore habet tantum lucrum, quantum satis est ad vitæ sustentationem. XCIII. §. *Licet*. *Ordinari* potest Cappellanus ad titulum Cappellaniæ, superaddito ex Bonis patrimonialibus alio annuo reditu scutorum decem, in *Tudertina Cappellaniæ 12. Martii 1718. ad II. Dub.* X. *Ordinari* quis nequit

nequit ad titulum Cappellaniarum erectarum ante tempus Sedis Vacantis, & Dimissoriæ non sunt a Vicario Capitulari concedendæ nisi fuerint ab Episcopo prædecessore approbatæ, & sufficiant pro congrua Synodali, *in Legionen. Visitat. Sacrorum Liminum 15. Decembr. 1725.* CCCCLXXVI. *Ordinari* quis non potest ad titulum Cappellaniarum, quæ fundatæ fuerunt Sede vacante, nisi ab Episcopo Successore fuerint approbatæ, *in Legionen. Visitat. Sacrorum Liminum 15. Decembris 1725. ibid.*

ORDINARII nomine venit Vicarius Generalis Episcopi ad effectum assistendi Matrimonio vel dandi licentiam alteri, ut illi assistat, XCVIII. §. *Putant*. *Ordinarii* arbitrio suspensus remanet ab executione Ordinum susceptorum Ordinatus absque literis dimissoriis ejusdem Ordinarii. XXX. §. *Orator*. *Ordinarii* prudentiæ, & judicio remissa fuit a Tridentino omissio Denunciationum Matrimonii. CLXXXII. §. *Ac licet circa fin.*

ORDINATIONEM spectare ad Episcopum Vici Æquen. cum testimonialibus Eminentissimi Archiepiscopi Neapolitani, decisum fuit in *Neapolitana*, *seu Vici Æquen. Ordination. 12. Mart. 1718*, VIII. *Ordinationes* factæ ratione Cappellaniarum, quarum erectio destituta erat Episcopi authoritate, & dos in dominium Ecclesiæ non transivit, illicitæ declaratæ sunt, & sic Ordinati suspensi, & per exercitium Ordinum Irregulares. CCLXVI. §. *I. An illicitæ*. *Ordinationis* generalis peragendæ causa Cæremoniale Episcoporum observari debere, respondit Sacra Congregatio *in Gennen. Celebrat. Ordinum 2. Aug. 1727. ad IV. & V. Dub.* DXXXIV. *Ordinationis* generalis occasione Episcopus potest ad Altare majus Ecclesiæ Cathedralis Pontificaliter celebrare Missam Conventualem ad Sabbatum designatum loco illius, quæ celebrari a Capitulo deberet cum assistentia omnium Præbendatorum, & aliorum de Choro, *ibid. ad II. Dub. Ordinationum* functionis in Altari majori Cathedralis explendæ occasione Episcopus potest cogere Capitulum, ut anticipet, vel postponat horam consuetam pro horis Canonicis, & Missa Conventuali, dummodo non excedatur spatium unius horæ ultra horas consuetas. *ibid. ad III. Dubium*.

ORDINATO sine sufficienti titulo Ordinans tenetur submistrare alimenta, donec ille Ecclesiasticum Beneficium assequatur. CXIII. §. *Licet*. *Ordinatus* sine titulo sufficienti non est suspensus, & ideo ministrando, non incurrit irregularitatem, *ibid. Ordinatus* absque Literis dimissoriis sui Ordinarii remanet suspensus ab executione Ordinum susceptorum, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire. XXX. §. *Orator*. *Ordinati* absque titulo subjiciuntur pœnis antiquorum Canonum innovatis a Tridentino *sess. 21. c. 2. de Ref.* cl. §. *Absque eo quod*. Intellige tamen non quoad Canones a Gratiano relatos in *Can. Neminem*, & *in Can. Sanctorum dist. 70.*, in quibus Ordinatis sine titulo imponitur pœna suspensionis, sed quoad Decretalem Innoc. III. *in Cap. cum secundum de Præben.*, ubi decernitur, quod ordinato ad Sacros Ordines sine titulo Episcopus, qui ordinavit, aut ejus successor in Episcopatu teneatur in necessariis providere, usquequo titulum obtineat. *ibid.* Limita in iis, qui Episcopum deceperunt, confingendo titulum, quando illo carebant. *ibidem*. *Ordinatum* licite non fuisse prima Tonsura, minoribus, & Majoribus Ordinibus Franciscum, respondit Sacra Congregatio in *Romana seu Tusculana 27. Aprilis* 1720. CLVI. *Ordinato* ad titulum Beneficii non tenetur Episcopus quidquam contribuere pro illius sustentatione, si dictum Beneficium fuerit ab alio subinde evictum, CCXLVI. §. *Secundo*. *Ordinato* ad titulum Religiosæ paupertatis si a Societate Jesu postmodum dimittatur, & Sacro patrimonio sit destitutus, PP. Jesuitæ congruam præstare non tenentur. *ibid.* §. *Multoque magis*. *Ordinatus* ad titulum Beneficii tenetur in illius resignatione individualiter exprimere, se fuisse ad ejus titulum ordinatum, & hæc individua expressio non suppletur per assertionem -- *Forsan ordinatus -- in Lancianen. 9. Februar. 1726. ad I. & II. Dubium*. CCCCXC.

ORDINEM Subdiaconatus recipiens per coactionem causativam, & conditionalem, an teneatur ad votum continentiæ, remissive. CXIV. §. *Supplicationis in princ.* *Ordines* Minores nequeunt conferri post prandium ante diem Sabbathi, sed de mane tantum. CXIX. §. *Quoad minores*. *Ordines* Minores potest Episcopus uni, aut duobus, extra jejunia Quatuor temporum, Dominicis, aut aliis Festis diebus conferre. *ibid. Ordines* Minores an conferri possint post prandium ante diem Sabbati in Locis, ubi viget antiqua, & immemorabilis consuetudo, vide deducta. *ibid.* §. *Admittitur*, *& seqq.* *Ordines* Sacros, ut possint Clerici obtinere absque sufficienti titulo Beneficii, vel Patrimonii Sacri, Privilegia a Pontificibus elargita referuntur. CXIII. §. *Exempla*. *Ordines* Sacros nemo suscipere potest, nisi prius legitime constet, eum habere Beneficium Ecclesiasticum ad honestam sustentationem sufficiens, vel ad minus patrimonium, vel pensionem. *ibid.* §. *Licet*. *Ordines*, ut recipiantur ab Episcopo ratione domicilii, quænam requisita debeant concurrere. XXX. §. *Orator in fin. Ordines* conferri debent ab eo Episcopo, in cujus Diœcesi Ordinandus, vel ejus Pater contraxit domicilium. CLVI. §. *Prima*, *& seqq.* Procedit dummodo Pater Ordinandi, qui per decennium ibi habitavit, jurejurando affirmet, se ab initio habuisse animum, & intentionem contrahendi domicilium. *ibid.* §. *Absque eo quod*. *Ordines* suscipere quis volens dicitur Subditus ratione domicilii ad talem effectum, si in aliquo loco stabiliter constituerit domicilium, per decennium inhabitando, vel majorem rerum, ac Bonorum suorum partem cum instru-

/

ctis ædibus in locum illum transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando. VIII. §. *Episcopus*. Requiritur tamen præter hæc, ut jurejurando in utroque casu affirmet, se vere, & realiter animum habere domicilium contrahendi. *ibid. Ordines* suscipere desiderans in ea Diœcesi, in qua naturaliter quis natus est, is ratione originis subditus est. *ibid.* Procedit, dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, & cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in eo loco. *ibid. Ordines* quando suscipere quis possit ab Episcopo illius Diœcesis, in qua habitat sine literis dimissoriis, aut Testimonialibus alterius Episcopi, & quando domicilium ad hunc effectum contractum dicatur, videnda deducta in *Romana*, *seu Tusculana*. CLVI. §. *Prima usque ad fin. Ordines* suscipere quis potest, ab Episcopo illius Diœcesis, in qua Beneficium pro Ordinatione sufficiens possidet. CLXI. §. *Non primum*. *Ordines* suscipiendo, ut quis Subditus esse censeatur, attenditur domicilium legitime per Patrem Ordinandi contractum, non autem ejusdem Patris origo. VIII. §. *Ita ut*. *Ordines* minores, si adsit consuetudo immemorabilis, possunt conferri Feria sexta post Prandium ante diem Sabbati Quatuor temporum in *Portalegren. 13. Aprilis* 1720. CXLIX. Expedit tamen, ut Episcopus in collatione dictorum Ordinum se conformet Pontificali Romano circa Minoribus Ordinibus. *ibid. Ordines* Minores cum prima Tonsura, an licite suscepisset Augustinus ab Episcopo Massæ Lubren., & an initiandus esset Sacris Ordinibus ab Episcopo Caven., cum quæsitum fuerit, prodit Rescriptum -- *Dilata*, *& transmittatur Processiculus Testium ab Episcopo Massæ Lubren.*, *& Testes*, *qui fecerunt attestationes extrajudiciales Cavæ examinentur formiter ab Episcopo Caven. in Caven.*, *seu Massæ Lubren. 16. Decemb. 1719. ad I. & II. Dub.* CXXXIII. *Ordines* Sacri suscipi possunt ad titulum Mansionariæ una cum supplemento ex Bonis patrimonialibus, in *Romana*, *seu Syppontina 23. Julii 1718. ad I. Dubium*. XLVI. *Ordines* Sacros ut valeat conferre Episcopus S. Crucis de la Sierra in Civitate Sancti Laurentii della Baranca eis, quos necessarios judicaverit, licet nec Beneficium, nec Pensionem, nec Patrimonium obtineant, indultum fuit eidem Episcopo, in *S. Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus 18. Julii 1719.* CXIII. *Ordines* a Clerico Francisco Grassi recipiendos esse cum litteris dimissoriis Archiepiscopi Hydruntini, non autem Episcopi Ugentini, præstito tamen juramento ad tramites Bullæ *Speculatores*, respondit Sacra Congregatio in *Ugentina*, *seu Hydruntina Ordinationis 1. April. 1719.* XLV. *Ordines* suscipiendo ab Episcopo Uxentino, Marcum Antonium Marci oriundum Jemini censuras non incurrisse, censuit Sacra Congregatio in *Uxentina seu Neritonen. Ordinationis 17. Julii 1719.* CVII. *Ordinem* Sacrum possunt ad titulum Religiosæ paupertatis suscipere Patres Societatis Jesu post biennium, & post semestrem trium votorum simplicium, licet ante solemnem Professionem. CCXLVI. §. *Fundamenta*. *Ordinem* Sacrum qui per vim, & coactionem non absolutam, sed conditionalem suscipit, vere characterem recipit. CC. §. *At quidquid*. *Ordinem* Sacrum qui per vim conditionalem suscepit, an teneatur ad votum continentiæ, disputant Doctores. *ibid. Ordini* Subdiaconatus adnexum est votum Continentiæ ex Statuto Ecclesiæ, libaramque requirit voluntatem, qua cessante, non obligat. CCXCIV. §. *Hermannus*. *Ordines* Sacri suscipi nequeunt ad titulum Coadjutoriæ etiam cum futura successione. CCXXIII. §. *Pro parte*. Intellige tamen, ubi nulla fuerit Coadjutori assignata congrua portio, secus si ea fuerit constituta, tunc enim ad titulum pensionis ordinari diceretur. *ibid. Ordines* Sacros suscipere posse Cappellanum ad titulum Cappellaniæ absque patrimonii supplemento, licet ille non haberet onus celebrandi per se ipsum, & detractis oneribus Missarum, non remaneret summa sufficiens pro Sacris Ordinibus suscipiendis juxta taxam Synodalem, rescriptum fuit *in Firmana*. CCLXXXI. §. *Anno* 1708. *T. 1. p.* 187. *Ordines* si Episcopus conferat Clerico ratione Cappellaniarum, quæ non fuerint legitima Superioris Authoritate in Ecclesiastica Beneficia erectæ, remanet obnoxius pœnis impositis a Sacro Concilio Tridentino, & a Bulla *Speculatores*. CCLVI. §. *Quibus pœnis*. *Ordines*, ut recipi possint ab Episcopo, in cujus Diœcesi obtinetur Beneficium, necesse est, ut Beneficium ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ substentationem juxta taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Ordines Sacros, detractis oneribus, per se sufficiat, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret, ad fructus ejusdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, vel alia quavis Diœcesi obtineret. CCXXXII. §. *At S. M.* *Ordines* Sacros suscipere nemo potest, nisi Beneficium Ecclesiasticum ad commodam ejus sustentationem possideat; Ecclesia etenim maximopere a Clericorum mendicitate abhorret. CCLXXXI. §. *Secundum T. 1. p.* 187. *Ad Ordines* Sacros suscipiendos subjectionem nemo acquirit ratione, seu titulo Beneficii, nisi Beneficium ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinato pacifice possideatur, ibid. §. *Anno* 1694. *Ordinibus* Mendicantium adnumeratur Societas Jesu. CCCXXXVIII. §. *Additur*. *Ordines* Sacros nequit Maritus suscipere, nisi adsit Uxoris licentia, & nisi eadem Uxor continentiam profiteatur. CCCXCI. §. *Et quidem*. *Ordines* Minores, vel primam Tonsuram non licet Abbatibus intra fines alicujus Diœcesis conferre cuiquam, qui Regularis Subditus non sit, etiamsi

iamsi nullius Diœcesis, vel exempti sint . ccccxxxvi. §. *Ad rem*. *T. 2. p.* 52. *Ordines* Minores, & primam Tonsuram suis Subditis Regularibus conferre an, & quando possint Abbates, qui benedictionem Apostolicam, vel Episcopalem non receperunt, late examinatur. ccclxxvii. *T. 2. p. 7. Ordines* Minores, & primam Tonsuram suis Subditis conferre possunt Abbates, si eis Episcopus ter requisitus noluerit benedictionem impertiri, vel si a Sede Apostolica habeant privilegium, ut, etiamsi non sint benedicti, facere possint ea, quæ fiunt ab Abbatibus benedictis . ccccxxxvi. §. *Attentaque*. *To. 2. p.* 52. *Ordines* Minores, & primam Tonsuram possunt Abbates Regulares, si sint Presbyteri, & solemniter benedicti, suis Subditis conferre. *ibid. Ordines* Sacros suscipere prohibetur is, qui æræ alieno gravatus Bonorum cessionem emisit, *in Arvien. 23. Junii* 1725. ccccxlix. *Ordines* Minores, & Tonsuram suis Subditis Regularibus possunt Abbas Lubens, cæterique ejusdem Provinciæ Abbates Presbyteri non benedicti ab Episcopo, sed a suo Patre Generali, vel ejus Subdelegatis conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstet canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines Majores, *in Uratislavien.* 12. *Februar.* 1724. ccclxxvii. *Ordinis* Presbyteratus executionem amittit Presbyter, si cæcus fiat, quoad ea, quæ visum requirunt, sicque a celebrando ille se debet abstinere. dlxx. §. *De promoto in princ. Ordines* conferendi sunt per temporum interstitia . dxcii. §. 1. *Inter cætera*. *Ordinum* Sacrorum collationes statutis a jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia vocatis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis publice celebrari debent, si autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. dxxxiv. §. *Scribentes*. *Ordines* Majores nedum non omnes, sed neque duo eadem die conferri possunt, non obstantibus quibuscumque Indultis, aut Privilegiis. dxcii. §. 6. *Si loquimur*. *Ordines* absque Interstitiis suscipientes olim ex Bulla Sixti Quinti suspensionem incurrebant, & casu, quo in Ordinibus ita receptis ministrarent, irregularitatem contrahebant, sed Clemens Octavus Bullam Sixtinam, exceptis iis, quæ ad Simoniacam pertinent ordinationem, revocavit ad terminos Tridentini. *ibid.* §. 2. *Si non serventur circa med. Ordines* Sacros si duos conferat eadem die, Episcopus remanet suspensus a collatione illorum Ordinum, quos sic contulit, & recipiens illos, remanet suspensus ab exercitio ordinis posterius recepti. *ibid. Ordines* Minores recipiens una cum Subdiaconatu in minoribus tantum potest ministrare, & in Subdiaconatu, si domum religiosam ingrediatur juxta unam sententiam, juxta alteram vero nullam incurrit suspensionem. *ibid.* §. 7. *Si vero*, *& seqq. Ordines* Majores omnes Monachi S. Benedicti poterant olim eadem die a quocumque Catholico Episcopo suscipere. *ibid.* §. 6. *Si loquimur*. *Ordines* si non servatis Interstitiis conferantur, peccant tam Ordinans, quam Ordinatus, sed neuter pœnam ullam in foro exteriori incurrit. *ibid.* §. 2. *Si non serventur*. *Ordines* conferre potest Episcopus non servatis Interstitiis, & super iisdem Interstitiis dispensare, concurrentibus necessitate, aut utilitate Ecclesiæ. *ibid. Ordines* Minores possunt omnes eadem die eidem personæ conferri, ubi consuetudo invaluit, vel quando, secluſa consuetudine, aliqua concurrit legitima causa fundamentum præbens Episcopo dispensandi. *ibid.* §. 5. *Si agitur*. *Ordinum* generalium functionem Episcopus debet temporibus a jure statutis ad Altare majus Ecclesiæ Cathedralis peragere, nisi adsit rationabilis causa arbitrio Episcopi judicanda, *in Gemmen. Celebration. Ordinum* 2. *Augusti* 1727. *ad I. Dub.* dxxxiv.

ORIGO Patris Ordinandi non attenditur, ut quis **ad** effectum suscipiendi Ordines Subditus esse censeatur, sed attenditur domicilium per ipsum legitime contractum . viii. §. *Ita ut*.

ORNAMENTA cultui Divino necessaria veniunt sub nomine Fabricæ Ecclesiæ, dlxxxiii. §. *Affirmativa*.

P

PACTA super Cappellaniis laicalibus sunt quidem illicita, & irreligiosa, sed non simoniaca . ccc. §. *Plana circa med. Pacta*, & conditiones cujusvis generis pro Missis celebrandis a Sacro Concilio Tridentino *Sess.* 22. *Decr. de Observ. & evit. in Celebr. Miss.* prohibentur. dvi. §. *Secundum*. *T. 2. p.* 98.

PANNUM, & Sudariolum antea solitum cum Cadavere afferri, & ab Hæredibus Parocho consignari, Sacra Congregatio mandavit amplius non afferri, nec ab Hæredibus consignari Parocho, in *Tudertina Funerum* 13. *Augusti* 1718. 1.

PAPA quod suppleat consensum Superioris Religionis circa Novitii admissionem, non videtur esse congruum . cxxvi. §. *Adversus*. *Papa* potest legem Ecclesiasticam irritare, & revocare non tantum quoad effectus imposterum secuturos, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos. clxxiv. §. *Potest*. *Papa*, ut in radice Matrimonii dispenset, non requiritur ulla novi consensus præstatio, *ibid.* §. *Absque eo quod*. *Papa*, concurrente magna, & urgentissima causa, si Proles suscepta non fuerit ex copula manifeste fornicaria, sed ex copula putative Matrimoniali, & si Matrimonium non fuerit invalidum ex impedimento juris Naturalis, vel Divini, sed propter impedimentum juris Ecclesiastici, potest in radice Matrimonii dispensare, & sic prolem illegitimam indirecte quoad temporalia legitimare. *ibid.* §. *Potest*. *Papa* potest in radice Matrimonii dispensare, & revocare impedimentum, & simul, & semel Legem Ecclesiasticam, quæ dictum impedimentum statuit. clxxxiii. §. *Absque eo quod*. *Tom.* 1. *pag.* 123. *Papa* potest filios illegitimos etiam quoad Successiones, & alios Civiles effectus indirecte ubique Terrarum legitimare, dispensando in radice Matrimonii. clxxiv. §. *Potest*. *Papa* potest Simplici Sacerdoti committere facultatem conferendi Sacramentum Confirmationis in aliquibus Locis . cclxvii. §. *Porro*, *&* §. *Ad hoc*, *& seq. Papa*, ut committat simplici Sacerdoti facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis, requiritur causa magna, & urgens, non tamen oportet, quod simpliciter, & absolute sit necessaria. *ibid.* §. *Tertium*. Vid. *Indultum*. *Papa* concessit in aliquibus casibus simplici Sacerdoti facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis ob defectum Episcoporum. *ibidem*. *Papa* concessit in aliquibus casibus simplici Sacerdoti facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis ob defectum Episcoporum . *ibid.* §. *Secundum est*.

PAROCHIAM mutantes in fraudem Parochi possunt in Matrimonio copulari a Parocho novæ Parochiæ. clxxxii. §. *Verum in fin. Parochiæ* novæ erectioni locus est, attenta distantia, & magna Populi incommoditate quoad receptionem Sacramentorum. clxxxviii. §. *Communitas*. *Parochiæ* novæ erectioni locus est, concurrentibus justis causis, distantiæ videlicet, & incommoditatis percipiendi Sacramenta, non obstante existentia Coadjutoris, & Vice-Curati, seu oblatione eum retinendi in aliqua Ecclesia ad effectum, ut ille Populo Sacramenta ministret. *ibid.* §. *Adeoque*. *Parochiæ* novæ erectio est remedium subsidiarium non adhibendum, quando per Constitutionem Vicarii satis consultum est Spirituali Animarum saluti. *ibid.* §. *Porro*. *Parochias* antiquas dismembrare, aut novas erigere de jure permissum non est, nisi concurrentibus requisitis -- *Textus in cap. ad audientiam in* 1. *de Eccl. ædific.*, *& Trident. sess.* 1. *cap.* 4. *de Refor.* -- xxxvi. §. *Subdit*. *Parochiæ* in domo vicina sufficit, quod habitet Parochus, nec habet obligationem habitandi in domo Ecclesiæ contigua. *ibid.* §. *Et in eo*. *Parochiæ* dismembrationi locum non esse, respondit Sacra Congregatio in *Sedunen.* 11. *Junii* 1718. *ibid. Parochia* debet certis finibus distingui, & separari, distinctumque habere Populum, cui peculiaris Parochus Sacramenta administret. ccxxx. §. *Parochus in fin. Parochia*, quæ est de Jurepatronatus Laicorum, aut exigui reditus, non confertur per Concursum, sed per examen . cccxxix. §. *Quoad provisionem in fin. Parochiæ* aliquæ Regularibus collatæ ob defectum Presbyterorum sæcularium debent ab eis auferri, & Sacerdotibus sæcularibus conferri, si istorum numerus auctus fuerit, cclxxvi. §. *Refert*. *Parochiæ* translationi locum non esse, respondit S. Congr., in *Januen. Translat. Parochiæ* 29. *Jan.* 1724. ecclxxv.

PAROCHIALIS ut juste alicui conferatur, non sufficit, quod sit magis doctus, sed necesse est, ut cæteris polleat qualitatibus pro regimine Animarum. clviii. §. *Quoad dispositionem*. *T.* 1. *p.* 94. *Parochialium* Jurium, Functionum, & Præeminentiarum inter Parochos, & Confraternitates Laicorum, eorumque Officiales Decreta ubi sint impressa. lvi. §. *Advertasse*. *Parochialis* Ecclesiæ manutentio, & reaptamentum spectat ad Parochum, non autem ad Communitatem, in *Auximana Restaurationis Ecclesiæ* 26. *Augusti* 1719. cxvii. *Parochialis* translationem non sustineri, & factam revocari debere, resolvit Sacra Congregatio in *Parmen. Translationis Parochiæ* 2. *Decembris* 1719. cxxviii. *Parochialium* Ecclesiarum Abbatiæ Sancti Laurentii in Dogliolo, cum quæreretur, ad quem collatio spectaret, Sacra Congregatio rescripsit *Dilata*, *& videatur particularitèr de unaquaque Ecclesia*, in *Nullius*, *seu Sancti Severini jurisdictionis* 4. *Februar.* 1719. *ad I. Dubium*. lxx. *Parochialis* Ecclesia reaptari debet a Parocho, cæterisque Beneficia habentibus in eadem Parochiali . ccv. §. *Quod Parochus*. *Parochialis* Ecclesiæ reparatio spectat ad Abbatem Commendatarium, non autem ad Vicarium perpetuum, nisi ei fuerit assignata portio sufficiens nedum pro alimentis, sed etiam pro reparatione Ecclesiæ. ccclxviii. §. *Simile est*. *Parochialis* Ecclesia ne conseratur Diffamato, non requiruntur probationes concludentes delicti, sed leviores sufficiunt. ccxlix. §. *Appellatione*. *Parochialis* dismembrationi locum non esse, sed Parochum pro tempore esse obligatum ad retinendum propriis sumptibus Coadjutorem ab Episcopo approbandum in altera ex Ecclesiis ab eodem Episcopo designandis . clxxviii. §. *Oppidani*. *Parochialium* unio, ut rite, valideque fiat, an sit necessarius Capituli consensus, dissident Authores relati . cccxl. §. *Ordinarius*. *Parochialium* unio fieri potest absque Populi consensu, sed iste tantummodo audiendus est, quatenus aliquid relevans contra unionem adducat. *ibid. Parochialium* unio, si Apostolica authoritate ab Episcopo fiat, non est necessarius Capituli consensus. *ibid. Parochiales* prohibentur Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, sive Dignitatibus, vel Præbendis Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, vel Militiis uniri . cccxxviii. §. *Verum*. *Parochiales* sæculares nequeunt a Canonicis Regularibus Lateranensibus obtineri, nisi cum licentia Abbatis Generalis accesserit Apostolicum Beneplacitum . cccxlvii. §. *Celebris*. *Parochiales* pluribus casibus absque concursu conferri possunt. cccxxix. §. *Quoad provisionem in princ. Parochialibus* Ecclesiis utilius servitium præstatur a Vicariis perpetuis, quam a temporalibus, & expediret, ut Sedes Apostolica decerneret, quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Curam Animarum habentium, eamque per

per Vicarios exercentium cogerentur ad deputandos Vicarios perpetuos, qui Animarum Curæ incumberent. ccxciii. §. *E contra in fin. Parochialium* uniones fieri possunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum Piorum Locorum ad Fidei Catholicæ defensionem, & propagationem. cccxx. §. *Sacrum*. *Parochialis* Ecclesia est reparanda sumptibus Monasterii, cui illius bona fuerunt incorporata, *in Clusina Reparationis Ecclesiæ* 22. *Septembris* 1725. ccclxviii. *Parochialium* unio facienda Fabricæ Ecclesiæ Cathedralis denegata fuit, *in Aurien. Unionis* 16. *Decemb.* 1724. cccxx. *Parochialium* Ecclesiarum etiam Sæcularium sunt capaces Canonici Regulares. dlxv. §. *Juxta in princ. T.* 2. *p.* 173. *Parochialem* esse adjudicandum Bucciatello, respondit S. Congregatio *in Asculana* 27. *Januarii* 1728. *ibid.*

PAROCHIANORUM uniones fieri possunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione Collegiorum, & aliorum Piorum Locorum ad Fidei Catholicæ defensionem, & propagationem. cccxx. §. *Sacrum*.

PAROCHO non competit jus deputandi Concionatorem in sua Parochia, sed Episcopo . cxliv. §. *Postquam*. *Parocho* Matricis Ecclesiæ competit jus præsentandi ad Parochiam noviter institutam, si Ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione Ecclesiæ, secus, quando eadem aliorum sumptibus fuit ædificata, & fundata. clxviii. §. *Non omissa*. *Parochus* non habet obligationem habitandi in domo Ecclesiæ contigua, sed sufficit, si vel in Parochia, vel in Domo Parochiæ vicina habitet. xxxvii. §. *Et in eo*. Intellige tamen de Parocho, qui Parochiali Domo caret, *ibid. Parochus*, non obstante Coadjutore sibi ab Episcopo dato, residere tenetur. lvii. §. *Superest in fin. Parochus* quicumque potest adiri a Vagis ad Matrimonium contrahendum, quamvis in fraudem proprii Parochi facti essent Vagi. clxxxii. §. *Verum in fin. Parochus* ejus Loci, in quo Vagi actu versantur, adiri potest ab eis, ut Matrimonium contrahant. *ibid.* §. *Secus autem in princ. Parochus* quilibet est proprius Vagi ad effectum contrahendi Matrimonium. *ibid. Parochi* Matrimoniis Vagorum non debent assistere, nisi, præmissa diligenti inquisitione, & nisi, re ad Ordinarium delata, licentiam ab eo obtinuerint. *ibid.* §. *Ac licet*. *Parochus* non dicitur proprius ad effectum Matrimonium ineundi ille, in cujus Parochia Mulier possidet quidem aliqua Bona, sed ibi non habet habitationem, neque domicilium. clxxxii. §. *In nihilum in prin. Parochus* proprius ad effectum contrahendi Matrimonium dicitur ille dumtaxat, in cujus Parochia alter ex Contrahentibus habet domicilium. *ibid. Parochus* nequit Clericos suæ Parochiæ cogere ad se coadjuvandum in docendo Pueros Doctrinam Christianam, sed eos tantum hortari, & excitare potest. cxix. §. *Fundamenta circa fin. Parochus* instar omnium aliorum Beneficiatorum tenetur ad suæ Ecclesiæ reſtaurationem, si ultra congruam sustentationem alios ex Parochia percipiat reditus. cxvii. §. *Ecclesia*. *Parochi* licentiam adfuisse in Matrimonio probari potest per Testes, vel per alias æquipollentes probationes, licet in libris Parochialibus non fuerit adnotatum. cxcr. §. *Ut vero*. *Parochis* imponitur onus docendi Doctrinam Christianam. cxix. §. *Fundamenta in princ. Parocho* non amplius, ut antea consuetum erat, consignanda esse ab Hæredibus pannum, vel Sudariolum, præcepit Sacra Congregatio in *Tudertina Funerum* 13. *Augusti* 1718. 1. *Parocho* renuente Pauperum defunctorum, vel Occisorum cadavera tumulare, potest Confraternitas mortis ea sepelire, & Parochialis Ecclesiæ januam per vim aperire, lvi. *ad X. Dub. Parocho* debetur Quarta funeralis pro Cadaveribus, quæ tumulantur in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium, in *Spoletana Quartæ Funeralis* 13. *Aprilis* 1720. *ad I. Dub.* lxvii. *Parocbus* pro Cadaveribus, quæ tumulantur in Ecclesia Parochiali præstare debet Fratribus Minoribus Conventualibus Quartam Funeralem. *ibid. Parochus*, si est paratus ad sepeliendā Cadavera Pauperum defunctorum, seu Occisorum, nequit Confraternitas mortis ea sepelire. lvi. *ad X. Dub. Parochus* nequit se ingerere in distributione subsidii dotalis dari soliti quolibet anno a Confraternitate . *ibid. ad VIII. Dub. Parochus* nequit se ingerere in administrationem oblationum, vel eleemosynarum in Oratorio collectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere. *ibid. ad VII. Dub. Parochus* potest impedire Missarum solemnium celebrationem in Oratorio sive pro vivis, sive pro Defunctis etiam post Missam Parochialem, nisi accedat licentia Episcopi. *ibid. ad IV. Dub. Parochus* tenetur manutenere, & reaptare Ecclesiam Parochialem, non autem Communitas, in *Auximana Restaurationis Ecclesiæ* 26. *Augusti* 1719. cxvii. *Parochis* non deberur Quarta funeralis de candelis, intortitiis, ac de omnibus aliis, quæ offeruntur die humationis Cadaverum, sed servari debet solitum, in *Spoletana Quartæ Funeralis* 30. *Septembris* 1719. *ad I. Dub.* lxvii. *Parochi* jurisdictioni, ut non subjiciantur Famuli Regularium, debent tria requisita copulative concurrere, quod scilicet Regularibus inserviant, quod intra eorum Septa, ac Domos retineant, & demum, quod sub illorum obedientia vivant. cxxxix. §. *Nec mirum*. *Parocho* Matricis Ecclesiæ competit jus præsentandi ad Parochiam noviter institutam. clxviii. §. *Hæc sunt*. Procedit, si Ecclesia antiqua, & Matrix de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione novæ Parochiæ, secus quando sumptibus alterius fuit fundata, & ædificata, huic enim, & non Matrici Ecclesiæ reservandum est jus ad ipsam præsentandi. *ibid. Parochus* ruralis non est proprius, & verus Parochus ad effectum, ut possit coram eo valide Matrimonium celebrari, si rus itur causa recreationis, vel pro rusticariis negociis, uti respondit

Sacra Congregatio *in Florentina*. ccclvii. §. *In una*. *Parochus*, nec Episcopus ad Parochi instantiam potest impedire, quo minus Missæ celebrentur in Ecclesiis sitis in Districtu Parochiæ, nisi post absolutam Missam Parochialem, cclii. §. *Quia vero in princ. Parochus*, cæterique Beneficia habentes in Parochiali Ecclesia debent ad ejus reaptationem adstringi. ccv. §. *Quoad Parochus*. *Parochus* nequit invitis Confratribus Doctrinam Christianam docere in eorum Ecclesiis, & Oratoriis publicis, & privatis a Parochiali divisis, & separatis. cclxxx. §. *Addunt*. *Parochi* tenentur Missam pro Populo singulis diebus Festis applicare, licet congruam non habeant. ccxxxi. §. *Multæ*. *Parochor* Sæculares, non autem Regulares debere ab Abbate Monasterii, ad quod Parochiæ spectant, eligi, resolutum fuit *in Herbipolen. Ecclesiarum Parochialium* 17. *Septembris* 1722. clvii. *Parochi* licentia non requiritur, ut quis possit alieno Sacerdoti conferri tempore Paschatis. ccccxxix. §. *Quoad præsentem*. *Parocho* competit deferre Venerabile, & benedictionem Populo elargiri in Ecclesiis Confraternitatum. dvii. §. *Parochus*. *Parochum*, sive Præpositum Collegiatæ Sancti Columbani Oppidi Blandrati posse Evangelium Populo explicare tempore Missæ Conventualis, respondit Sacra Congregatio. cccixxxiii. §. *In eoque*. *Parochi* tenentur diebus festum Dominicis, & Festis solemnibus Plebes sibi commissas salutaribus Verbis pascere. ccccixxxviii. §. *Quidquid*. *Parochis* præcipit Sacrum Concilium Sacrorum Eloquiorum explanationem singulis diebus festis, vel solemnibus inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem. cccixxxiii. §. *In eoque*. *Parochi* an teneantur formiter prædicare? Vid. *Fagnan. relat.* ccccixxxviii. §. *Quidquid*. *Parochi* tenentur Missam singulis diebus festis de præcepto pro Populo applicare. cclxxiv. §. *Quoad Parochorum*. Procedit, sive habeant congruam, sive non, & sive sint amovibiles, sive perpetui. *ibid.* §. *Quoad applicationem*. *Parochi* habentes pingues reditus non tenentur quotidie pro Populo Missam applicare, uti resolvit Sacra Congregatio *in Foroſempronen. relata*. cccixxiv. §. *Ita ut sola*. *Parochig* illiteratis, aut imperitis possunt Coadjutores ab Episcopo, quacumque appellatione, & exemptione remota, deputari, ac partem fructuum pro sufficienti eorundem Coadjutorum victu assignari. ccccixxvi. §. *Sacrum*. *Parochos* ad novum examen revocare potest Episcopus, ut constat ex pluribus Resolutionibus relatis. *ibid. Parochi* suspensionem ab exercitio Parochialis sustineri, respondit Sacra Congregatio *in Ratisbonen.* 4. *Aug.* 1725. ccccxxix. *Parochi* arbitrio fieri possunt Denunciationes Matrimoniorum, ac Ordinandorum, in celebratione Missæ Parochialis, vel Missæ Conventualis, contradicente etiam Capitulo, *in Novarien.* 8. *Julii* 1724. *ad I. Dub.* ccclxxxiii. *Parocho* licet habere Conciones ad Populum diebus Dominicis, & Festivis inter celebrationem Missæ Conventualis absque consensu Capituli, dummodo fiant ex suggestu, & non excedant medietatem horæ. *ibid. ad II. Dub. Parocho* competit jus administrandi Sacramenta, & alia jura Parochialia exercendi in Domo Commendæ Ordinis Theutonici quoad illius Inquilinos, *in Viennen. Jurium Parochialium* 13. *Julii* 1725. *ad I. Dub.* ccccxliv. *Parochus* non tenetur petere licentiam a Commendatario ad effectum ingrediendi Domum, & septa Commendæ Ordinis Theutonici, ibique Sacramenta administrare, *in Viennen. Jurium Parochialium* 13. *Julii* 1725. *ibid. ad II. Dub. Parochus* Collegiatæ non tenetur Olea Sacra e manibus Archipresbyteri alterius Ecclesiæ recipere, nec vice versa illa recipere tenetur Archipresbyter e manibus Præpositi, *in Lunen. Savzamen. Præeminentiarum* 9. *Junii* 1725. *ad III. Dub.* ccccxlii. *Parochi* possunt ab Episcopo novo subjici examini, *in Legionen. Visitationis Sacrorum Liminum* 15. *Decembris* 1725. ccccixxvi. *Parochi* tenentur Missam applicare pro Populo diebus Dominicis, & Festis de Præcepto, *in Ostien.* 29. *Januarii* 1724. ccclxxiv. *Parochos* teneri Missam pro Populo diebus Dominicis, & Festis de Præcepto applicare, ita tamen, ut liberam habeant applicationem tot aliarum Missarum ex illis, quas celebrant, & applicant pro Baronibus, dummodo Barones non teneantur ad eas celebrari, & applicari faciendum ex aliqua fundatione, aut Legato pio, rescriptum fuit, *ibid. Parochus* non potest in Ecclesia Monialium assistere Matrimoniis, vel eorum denunciationes facere, aut benedictiones Mulierum post partum, vel similes impartiri, *ibid. Parochum* posse explere Anniversarium cum Officio, & Missam cantatam in Ecclesia Monialium, respondit Sacra Congregatio. *ibid. ad II. Dub. Parocho* non licere in Sabbato Sancto benedicere collocutoriis, aut Januæ Monasterii Monialium, respondit Sacra Congregatio. *ibid. ad III. Dub. Parocho* jus Funerum cum Cruce, & Stola non competit, sed privative ad Confessarium Monialium pertinet occasione delationis Cadaverum ad Ecclesiam exteriorem earumdem Monialium. *ibid. ad I. Dub. Parochos*, qui sustinuerunt totum pondus Procurationis in retroactis visitationibus, esse pro ultimis procurationibus reintegrandos, respondit Sacra Congregatio *in Auximana Procurationis* 15. *Martii* 1727. *ad II. Dub.* dxl.

PARTUS legitimus, & vitalis censetur, nedum editus sexto, sed etiam quinto mense. cxli. §. *In re*.

PATRIS loco habetur Vitricus, eique eadem debetur reverentia, quæ Parentibus exhibenda est. clxvi. §. *Nec refert*. *T.* 1. *p.* 101. *Patris* Ordinandi domicilium per ipsum legitime contractum attenditur, ut quis, ad effectum suscipiendi Ordines, Subditus esse censeatur, non autem attenditur ejusdem Patris origo. viii. §. *Itaut*.

PATRIMONII Sacri taxa attenditur ea, quæ præfinita est in loco Beneficii residentialis, non ea, quæ constituta est in

loco originis. xlvi. §. *Pro instantia circa med.* Procedit, quando Beneficium nedum est residentiale, sed etiam sufficit pro congrua ordinandi sustentatione, alias enim approbatio Supplementi ad constituendum cum Beneficio sufficiens Patrimonium pertinet ad Episcopum originis. *ibid.* §. *Facit*. *Patrimonium* Sacrum potest partim ex Bonis patrimonialibus, & partim ex Beneficiis constitui. *ibid.* §. *Pro instantia*. *Patrimonium*, vel Pensionem, vel Beneficium Ecclesiasticum ad honestam sustentationem sufficiens habere debet, qui vult Ordines Sacros suscipere. cxiii. §. *Licet*. *Patrimonium*, ad cujus titulum aliquis est promotus, potest utique de licentia Episcopi permutari cum aliis bonis liberis non minoris reditus, aut valoris, sed Episcopus debet declarare bona ex permutatione acquisita esse subrogata in locum prioris Patrimonii, itaut deinceps alienari nequeant, nisi servata forma a Concilio præscripta. ccccxc. §. *In terminis*. *Patrimonium* constitutum cum Clausula *Donec, & quousque Clericus non fuerit de aliquo Beneficio provisus, aut aliunde habeat, quo vivere possit*, ad Constituentem redit, statim ac Clericus aliquod Beneficium assequatur, aut alia bona in locum Patrimonii subroget. *ibid.*

PATRONI culpam, & negligentiam inexcusabilem supponit Beneficii devolutio. cxl. §. *Putant in med.* *Patroni* prohibentur se ingerere in administratione Bonorum Ecclesiæ Patronatæ. lxxiv. §. *Absque eo quod*. *Patroni* jura a devolutione Beneficii ad Superiorem præservat quodlibet non improbabile impedimentum. cxl. §. *Putant in fin.* *Patronus* ad erectionem Beneficii deveniens potest novum residentiæ onus, & duarum aliarum Missarum eidem Beneficio apponere, præsertim si Episcopus id oneris approbaverit. cci. §. *Montis Falisci*. *Patroni*, deficientibus Ecclesiæ reditibus, tenentur ad ejus restaurationem, licet tantum percipiant fructum præsentationis. ccelxviii. §. *Alias*. *Patronis* etiam extraneis debent alimenta ex fructibus Beneficii subministrari. cvi. §. *In eo quod*. *Patronis* prohibitum est onera non expressa in fundatione superaddere. cci. §. *Fundamentum in fin.* *Patrono* Professionem emissuro reservari debere pensionem sc. 12. super Beneficio de jurepatronatus, non autem Livellum in summa scut. 20. respondit S. Congregatio *in Comen.* 22. *Novembris* 1721. *ibid.*

PATRUUS tenetur alimenta præstare Nepoti, & Nepos Patruo. cclxv. §. *Quod patruus in princ.*

PENSIONEM, vel Beneficium Ecclesiasticum ad honestam sustentationem, vel ad minus Patrimonium habere debet, qui vult Ordines Sacros suscipere. cxiii. §. *Licet*. *Pensio*, vel Beneficium Ecclesiasticum est incompatibile cum quacumque Militia, etiamsi sit Militia Summi Pontificis. cxcii. §. *Absque eo quod*. *Pensionis* extinctio, ut incurratur ob assumptam Militiam Secularem, requiritur trina monitio. *ibid.* §. *Haud urgente*. *Pensionis* retentioni an obstet Officium Equitis levis armaturæ ad simplicem custodiam corporis Pontificii destinati. *ibid.* §. *Quoad primam, & seqq.* *Pensionem* retinendi indultum, non obstante Officio Custodiæ Corporis Pontificii Equitum levis armaturæ, denegatum fuit, in *Romana Indulti* 7. *Decembris* 1720. *ad* II. *Dub.* cxcii. *Pensionis* retentioni obstat Officium custodiæ Corporis Pontificii Equitum levis armaturæ. *ibid. ad* I. *Dub.* *Pensio* Ecclesiastica est titulus sufficiens, ut quis possit Sacros Ordines suscipere. ccxxiii. §. *Titulusque*. *Pensio*, sive detur in stipendium, sive in titulum, nunquam venit appellatione Beneficii. *ibid.* §. *Pro parte vero*. *Pensio* annullatur, si probetur exacta ante Literarum expeditionem. ccix. §. *De annullatione*. *Pensio* Ecclesiastica vacat ipso jure per contractum Matrimonii absque ulla præcedenti monitione. cclxxxiv. §. *Præmisso in princ.* Procedit, etiamsi Matrimonium sit nullum, dummodo invaliditas non proveniat ex defectu consensus, & licet illud non fuerit consummatum. *ibid.* *Pensio* per assumptionem militiæ sive Principum Sæcularium, sive Summi Pontificis ipso jure vacare dicitur, licet miles sævis se non exercuerit, & licet monitus non fuerit. cxcii. §. *Quoad*. *Pensionis* vacatio, ut inducatur per admissionem Pensionarii in numerum Equitum levis armaturæ Summi Pontificis, an requiratur monitio. cxcii. §. *Impetrata*. *Pensionis* sanatio, seu revalidatio sine consensu Titularis non conceditur, nisi Summus Pontifex motu proprio, & derogando regulæ de præstando consensu, & quodammodo de plenitudine potestatis procedat. cclxxxiv. §. *Contendit in fin.* *Pensiones* in statu inhabili retineri non conceditur post secutam illarum extinctionem, *ibid.* *Pensiones* plures possunt retineri, & istæ non comprehenduntur sub prohibitione Concilii prohibentis pluralitatem Beneficiorum. ccxxxv. §. *Transitum*. *Pensionem* scutorum 12. reservari debere Patrono Professionem emissuro super Beneficio de jurepatronatus, non autem Livellum in summa scut. 20., respondit Sacra Congregatio *in Comen.* 22. *Novembris* 1721. cvi. *Pensionis* sanatio, seu gratia *perinde valere* fuit denegata *in Regien. Pensionis* 17. *Septemb.* 1721. cclxxxiv.

PERUCCHÆ gestatio pluribus Synodalibus Constitutionibus interdicitur. cclxxvii. §. *Hæc quoad in fin.* *Perucchæ* gestatio est Clericis prohibita. *ibid.* §. *Quoad subsistentiam in princ.* *Perucchæ* gestatio fuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibita Clericis Beneficiatis, & in Ordinibus Sacris constitutis; Clericis vero primæ Tonsuræ, & Ordinum Minorum sub pœnis Sacrorum Canonum, & Tridentini *cap.* 6. *sess.* 23. *de ref. ibid.* *Perucchæ* gestatio, concurrente necessitate, debet Clerico licet Beneficiato permitti, dummodo illa sit modesta, & a luxu aliena. *ibid.* §. *Hæc quoad in princ.* *Perucchæ* gestandi licentia fuit sub pluribus conditionibus concessa. *ibid.* *Perucchæ* gestationem cum Episcopus Melphiten. prohibuerit Clericis in Sacris Ordinibus constitutis sub pœna excommunicationis, & Clericis primæ Tonsuræ, & Minorum Ordinum sub pœnis arbitrariis, ad tramites Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini, Sacra Congregatio respondit, prohibitionem, & illius Edictum sustineri in *Melphiten.* 8. *Augusti* 1722. cclxxvii. *Perucchæ* gestationem non esse tolerandam, respondit S. Congr. *in Melphiten.* 8. *Augusti* 1722. *ad* II. *Dub. ibid.*

PIETATIS Montes possunt aliquid moderatum ultra sortem exigere pro salariis, aliisque necessariis impensis. xvi. §. *Concessioni*. *Pietatis* Montis Administratores exigunt a Pignorantibus ad rationem quinque pro centenario; duo enim sunt pro Ministrorum salariis, & reliqua tria exigunt pro emendatione damni emergentis, cui Mons subjectus est, summam recipiendo ad rationem trium pro centenario. *ibid.* §. *Absque eo*.

PILEOLO, seu Perruccha utendi in celebratione Missarum nequit Episcopus licentiam Presbytero concedere. cclxxvii. §. *Promotor in fin.*

PLANTÆ judicialem confectionem quandoque solet demandare Sacra Congregatio, eamque fieri præcepit cum personali Episcopi assistentia *in Verulana Domus* 23. *Maii* 1722. cclviii. *Planta* judicialis Oratorii demandata fuit ut illud judicari posset privatum, aut publicum, *in Savonen.* 28. *Julii* 1724. ccclxxxix.

PŒNIS antiquorum Canonum innovatis a Tridentino *sess.* 24. *Cap. de Ref.* subjiciuntur Ordinati absque titulo. cl. §. *Absque eo quod*. Intellige quod non quoad Canones a Gratiano relatos *in Can. Neminem, & in Can. Sanctorum dist.* 70. in quibus Ordinatis sine titulo imponitur pœna suspensionis, sed quoad Decretalem Innocentii Tertii *in Cap. cum secundum de præbend.*, ubi decernitur, quod Ordinato ad Sacros Ordines sine titulo Episcopus, qui ordinavit, aut ejus Successor in Episcopatu teneatur in necessariis providere, usque quo titulum obtineat. *ibid.* Limita in iis, qui Episcopum deceperunt confingendo titulum, quando illo carebant. *ibid.* §. *Absque eo quod*.

PŒNITENTIÆ Sacramentum posse Patres Cappuccinos administrare Personis, quæ vivunt in Triremibus Pontificiis tantum in Darsena, Portu, & Hospitio in Darsena existente cum approbatione tantum Eminentissimi Cardinalis Urbis Vicarii; Extra tamen dicta loca non posse dictum Sacramentum ministrare sine approbatione Eminentissimi Episcopi Viterbiensis, decretum fuit ab Auditore Sanctissimi. ccxxxviii. §. *Ultimum*.

PŒNITENTIARIÆ Brevia quoad legitimationem Prolis prosunt tantummodo in Foro Conscientiæ, & post factam legitimationem lacerantur. clxxiv. §. *Cumque*.

PŒNITENTIARII officium est titulus Ecclesiasticus per se stans, & juxta Decretum Tridentini *sess.* 24. *cap.* 8. institui debet ante vacationem Præbendæ. ccclxxi. §. *Quod vero*. *Pœnitentiario*, & Theologo Canonico habenti tenuem Præbendam Sacra Congregatio indulsit posse optare, donec ad aliquam ex pinguioribus Præbendis ascenderent, quæ perpetuo affectæ Pœnitentiario, & Theologo pro tempore intelligerentur. ccccxciii. §. *Anno*. *Pœnitentiarius* Canonicus habens tenuem Præbendam potest Præbendam vacantem pinguioris reditus optare, & illam subrogare in locum suæ Præbendæ, & dimittere antiquam liberam, retento onere Pœnitentiarii. *ibid.* §. *Regula hæc*. *Pœnitentiarius* Canonicus nequit habere Pœnitentiariam Præbendam una cum Dignitate, cum triplicitas in eadem Ecclesia admitti nequeat etiam dependenter a quacumque consuetudine. ccclxxi. §. *Quod vero*. *Pœnitentiarius* Canonicus aliquando ex gratia, & dispensatione Apostolica, obtinet simul Dignitatem in eadem Ecclesia, ut contingit in Ecclesia *Salamantina*. *ibid.* §. *Ultimum*.

PONTIFEX potest in radice Matrimonii dispensare, & revocare impedimentum dirimens Matrimonium, & simul, & semel abrogando Legem Ecclesiasticam, quæ dictum statuit impedimentum, efficere, ut dispensatio ad initium Matrimonii retrotrahatur, & sic, quod Proles quoad omnes effectus etiam Civiles indirecte legitima sit, & habeatur. clxxiv. §. *Potest in fin.*, & §. *Ita communiter*. *Pontifex* potest Ecclesiasticam Legem irritare, & revocare non tantum effectus imposterum secuturos, ne incurrantur, sed etiam quoad effectus antea productos. *ibid.* *Pontifex* dispensare potest Sacerdotem utraque manu obtruncatum ad Missam celebrandam, ita tamen ut per manum alterius Sacerdotis Hostiam elevet, frangat, & ab ejus manu sumat. ccccliii. §. *Transeundo in fin.* *Pontifex* derogare dicitur Concilio Tridentino, si aliquid ei contrarium statuit, etiamsi illius expressam mentionem non faciat. ccccxxxvi. §. *Ad hoc*.

PONTIFICALIA exercere non licet Nuntiis Apostolicis absque licentia Episcopi. cclxiii. §. *Quoad exercitium in fin.* *Pontificalia* nequit Episcopus exercere in loco exempto, nisi ultra licentiam Inferioris, cui locus ille subjectus est, adsit licentia Episcopi, intra cujus Diœcesis fines locus ille reperitur, quamvis Inferior ratione exemptionis prætenderet, se posse Episcopum sibi magis benevisum vocare ad exercenda Pontificalia. *ibid.* §. *Nec promotor in fin.* Limita, si locus exemptus situs non sit intra fines Diœcesis, sed habeat suum Territorium separatum cum facultate vocandi quemcumque Antestitem sibi benevisum. *ibid.* §. *Promotor*. *Pontificalia* in alterius Diœcesi exercere non licet Episcopo cujusvis Privilegii prætextu, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in Personas eidem subjectas tantum. *ibid.* §. *Quoad exercitium*.

POSI-

POSITIONES de jure Canonico admitti debent clausæ. ccclxxx. §. *Principis in fin.* *Positiones* clausas non esse admittendas, & remissoriam esse denegandam juxta votum rotale, rescriptum fuit *in Leopolien. Matrimonii* 10. *Junii* 1724. *ibid.*

PRÆBENDA Theologalis an conferri debeat Doctori in Sacra Theologia, vel an etiam possit conferri Doctori in Jure Canonico, late discutitur. cccxxx. *Tom.* 1. *p.* 217. *Præbenda* Theologalis potest conferri Doctori in Jure Canonico. ccciii. §. *Flora*. *Præbenda* Theologalis si conferatur Doctori in Jure Canonico, potest ille super Sacra Scriptura examinari, nec ei conceditur facultas, ut, omissa Sacra Scriptura, possit legere jus Canonicum. *ibid.* *Præbenda* Theologalis potest obtineri a Theologo non Doctore, si non adsit Doctor æqualis idoneitatis. *ibid.* *Præbendæ* partim, & partim distributionibus quotidianis destinatus censetur reditus annuus per Testatorem relictus pro Mansionariis, in *Comen. Distribut.* 9. *Maii* 1719. *ad II. Dub.* civ.

PRÆCEPTO Paschali in Parochiali Ecclesia satisfacere tenentur Famuli Monialibus inservientes. dlxiii. §. *Quoad exempla*. Procedit, etiam si dicti Famuli sint Tertiarii. *ibid. in fin.*

PRÆDICARE formiter Parochi non tenentur. V. *Fagn. relat.* ccccl xxxviii. §. *Quidquid*.

PRÆEMINENTIAS nonnullas, quæ Ecclesiæ antea non competebant, & quæ forte ante erectionem ad alias pertinebant, eadem Ecclesia acquirit ex erectione in Collegiatam. xxvi. §. *Folia*. *Præeminentiæ* cum in controversiam deductæ fuissent, Sacra Congregatio respondit sumendam esse circa eas providentiam juxta votum Eminentiss. Præfecti, in *Theatina* 15. *Martii* 1727. *ad II. Dub.* cccclvii.

PRÆLATIO majori Oblatori in alienationibus rerum Ecclesiæ conceditur, donec Beneplacitum non fuit executum. dxxix. §. *De hac re*.

PRÆPOSITURA ad Scalas Sanctas est incompatibilis cum Episcopatu, in *Romana Præposit.* 1. *Apr.* 1719. xcvi.

PRÆSENTANDI tempus Regibus non currit, quia supponitur, eos esse probabili impedimento detentos. cxl. §. *Aliique*. *Præsentandi* ad Parochiam noviter institutam jus competit Parocho Matricis Ecclesiæ, si Ecclesia antiqua de suo contulit pro ædificatione, aut fundatione Ecclesiæ, secus quando eadem aliorum sumptibus fuit ædificata, & fundata. clxviii. §. *Non omissa*.

PRÆSENTATIO quando fit ad Beneficium, ad quod eligendus est Presbyter, qui Missas omni hebdomada celebrare teneatur, est necessaria qualitas Sacerdotalis. lxxxii. §. *Absque eo quod*. *Præsentationem* esse admittendam, respondit Sacra Congregatio in *Mantuana* 24. *Februarii* 1720. cxl. *Præsentationem*, seu nominationem factam favore Nicolai Leandri Paterni sustineri, respondit Sacra Congregatio, in *Narnien. Jurispatronatus* 9. *Maii* 1719. lxiv. *Præsentationem*, seu nominationem Concionatoris in loco Castri S. Marcelli spectare ad Priorem Ecclesiæ Cathedralis Æsinæ, & non ad Communitatem, resolutum fuit in *Æsina Juris eligendi Concion.* 16. *Mart.* 1720. *ad I. Dub.* cxliv.

PRÆSENTATO ad Cappellaniam concedendam esse institutionem ad eamdem, non obstante, quod de tempore præsentationis non esset Sacerdos, respondit S. Congr. in *Romana Cappell.* 4. *Febr.* 1718. *ad I. Dub.* lxxxii.

PRESBYTER habens tremulas manus contrahit suspensionem ab Ordinis Sacerdotalis administratione propter periculum subversionis sanguinis. xxii. §. *De justitia*. *Presbytero* tremulas manus habenti an permitti queat Missæ celebratio cum alterius Sacerdotis assistentia. *ibid.* §. *Pro negativa, & seqq.* *Presbytero*, qui morbo paralytico laborat, non esse impertiendam facultatem celebrandi Missam cum assistentia alterius Sacerdotis, censuit Sacra Congreg. in *Civitatis Castellanæ* 21. *Maii* 1718. xxxii. *Presbyteros* posse independenter ab eleemosyna Missarum vivere exoptabile est. cclxxxi. §. *Nonnulla*. *Tom.* 1. *p.* 187. *Presbytero* licet pecuniam pro Missa celebranda recipere, non quasi pretium, sed in causam suæ sustentationis. dvi. §. *Secundum*. *T.* 2. *p.* 98. *Presbyteri* Sæculares ad audiendas Confessiones approbati possunt absque ulla Parochorum licentia excipere Confessiones per Diœcesim. ccccxxix. §. *Et quoad Presbyteros*. Limita in casu, quo in approbatione adesset limitatio excludens tempus Quadragesimæ ex. gr. *Salvo jure Parochorum*; tunc enim sic approbatus confessiones excipere nequiret tempore Paschali sine Parochi licentia. *ibid.* §. *Dictum est*. *Presbyteri* Canonicis celebrantibus Missam Conventualem non tenentur in munere Diaconi, & Subdiaconi assistere, ut respondit Sacra Congregatio, in *Squillacen.* dxc. §. *Resolutio*. *Presbyteros* Participantes teneri intervenire Choro, aliisque functionibus juxta solitum, respondit S. Congreg. *ibid.*

PRETIUM Argentorum, aliorumque mobilium non esse erogandum in emptione Candelabrorum, aliorumque Utensilium Ecclesiæ, respondit S. Congr. *in Amerina* 15. *Mart.* 1727. *ad II. Dub.* dxlv.

PRIMA Tonsura conferri potest ante diem Sabbati quatuor Temporum, & post Prandium. cxlix. §. *Quoad primam*. *Primam* Tonsuram, & Ordines Minores suis Subditis Regularibus conferre, & quando possint Abbates, qui Benedictionem Apostolicam, vel Episcopalem non receperunt? late examinatur. ccclxxvii. *T.* 2. *p.* 7. *& seqq.*

PRIORATUI Cathedralis Fulginei annexam esse Animarum Curam, respondit S. Congr. *in Fulginat. Prioratus quoad Curam Animar.* 2. *Octobris* 1721. ccxxxiii.

PRIVATIO Canonici de Canonicatu ob ipsius absentiam a residentia, ut valida sit, expectandus est lapsus trium annorum, & transacto tertio anno, trina citatio per Edictum est adversus eum absentem expedienda, & deinde expectari debet per alios sex menses, antequam deveniri valeat ad privationem. lxx. §. *A nullitate circa med.* *Privationis* Canonicatus Sententiam non sustineri, respondit S. Congr. *in Romana Canonic.* 3. *Decemb.* 1718. *ad I. Dub. ibid.*

PRIVATUS valide Canonicatu dicitur Canonicus a residentia absens, si a die ultimæ citationis usque ad diem latæ sententiæ elapsi fuerint sex Menses. lxx. §. *Pro parte circa fin.*

PRIVIGNI Uxor Affinis est Vitrico, non autem primo, sed secundo affinitatis genere. clxvi. §. *Porro*. *Tom.* 1. *p.* 99. *Privigni* Uxor habetur tamquam Nurus Vitrici, adeoque reputanda est tamquam Filia. *ibid.* §. *Nec refert*. *Tom.* 1. *p.* 101.

PRIVILEGIO Canonis privatur Clericus Conjugatus, si non deferat habitum, & tonsuram. lxxii. §. *Adeoque in fin.* *Privilegium* Fori ipso jure amittit, sed non Privilegium Canonis Clericus cœlebs non incedens in habitu, & tonsura, & non servans requisita Tridentini *sess.* 23. *cap.* 6. *de Ref. ibid.* §. *Clericus*. *Privilegium* Canonis non amittit, sed tantum amittit ipso jure Privilegium Fori Clericus cælebs non incedens in habitu, & tonsura, & non servans requisita Tridentini. *sess.* 23. *cap.* 6. *de Reformat. ibid.* *Privilegia* Pontificia elargita, ut Clerici possint absque sufficienti titulo Beneficii, vel Patrimonii Sacri ad Sacros Ordines promoveri referuntur. xciii. §. *Exempla*. *Privilegia* omnia celebrandi ante mediam noctem antecedentia Bullam quartam Sancti Pii V. sunt revocata. clxxvi. §. *Discursu in princ.* *Privilegia* Archiconfraternitatis Orationis, & Mortis in Urbe institutæ enarrantur in *Constit.* 22. *Pii IV. Bullar. Tom.* 2. lvi. §. *Adnotasse*. *Privilegia* Regularium absolvendi a peccatis Episcopo reservatis fuerunt per Tridentinum sublata. cxc. §. *Concilium*. *Privilegiorum* communicatio non suffragatur pro exemptione a Quarta funerali. li. §. *Addit*. Immo neque suffragatur proprium Privilegium, nisi sit munitum expressa derogatione Clementinæ *Dudum de sepult. ibid.* *Privilegium* Fori quorumcumque Privilegiatorum vulgo *Patentati* suffragatur tantummodo in causis, & negociis tam Civilibus, quam Criminalibus, & mixtis eorum Officium, & Ministerium quomodolibet concernentibus, & non in aliis. ccxliii. §. *Hæc quoad Subcollectores*. *Privilegia* Doctoratus non recepta in publica Universitate utpote sine examine concessa non attenduntur. cccxxxiii. §. *At licet*. *Privilegium* Speciale concessum post Tridentinum requiritur, ut quis possit se eximere a publicis Processionibus. cccxcviii. §. *Ad tramites*. *Privilegium* conferendi primam Tonsuram, & Minores Ordines fuit a Tridentino *sess.* 23. *cap.* 10. præservatum Abbatibus Subditos Regulares habentibus, illud vero fuit ademptum Abbatibus Sæcularibus nullos habentibus Subditos Regulares. cccxxxvi. §. *Quoad primum*. *Tom.* 2. *p.* 54. Intellige de Privilegio ante Concilium concesso, secus vero de Privilegio posteriori. *ibid.* *Privilegia* Societatis Jesu exemptiva a solutione Decimarum videri possunt. dxiii. §. *Quoad Privilegia*.

PROCESSIONES facere licet Confraternitati intra ambitum Oratorii, non autem extra illud absque licentia Parochi, per cujus Parochiam transeundum est, nisi accedat Episcopi licentia, in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.* 1718. *ad V. Dubium*. lvi. *Processionem* absque licentia Parochi, & illo renuente, facere possunt Confratres intra ambitum proprii Oratorii, in *Cremonen.* 5. *Junii* 1723. *ad I. Dub.* cccxxxii. *Processionem* intra ambitum sui Oratorii facere possunt Confratres cum interventu Cappellani, seu alterius Sacerdotis per ipsos, non autem per Parochum destinandi. *ibid.* *Processiones*, & Orationes debent, defuncto Pontifice, a Clero, & Populo fieri, donec novus Pontifex fuerit electus. cccxcviii. §. *Statim*. *Processiones* publicas adire tenentur etiam Exempti. *ibid.* §. *Quoad exemptionem*. *Processiones* quænam publicæ dici valeant, constat ex Decreto Sacræ Congregationis relato. *ibid.* §. *Quoad Processiones*. *Processiones* permissum est Regularibus, & Confraternitatibus in Regularium Ecclesiis erectis facere intra eorum Ecclesias, & Claustra tantum, & non extra; si vero Ecclesiæ Claustro careant, eis licet Processiones facere intra ambitum dumtaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiæ, sive exeundo a Janua Ecclesiæ, & intrando per aliam, sive per eamdem, & semper prope Muros Ecclesiæ, & non extra dictum ambitum, nisi de licentia, consensu, vel Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque Consuetudinibus, vel præscriptionibus etiam immemorabilibus, Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus. cccclxxxi. §. *Nota*. *Processiones* facere possunt Regulares, accedente solius Episcopi licentia, licet Parochus contradicat, & consentire recuset. *ibid.* §. *Post multi*. *Processiones* si facere velint Regulares, easque per alienas Parochias ducere juxta solitum, debent ab Episcopo licentiam petere, & si ea denegetur, ad Sacram Congregationem recurrere, quæ solet Episcopo rescribere, ut licentiam concedat. *ibid.* *Processio* facienda cum Venerabili die festo Corporis Christi non competit Archipresbytero SS. Hippolyti, & Cassiani, illam inchoando ab Ecclesia Collegiata S. Mariæ de Populo, sed id pertinet ad ejusdem Collegiatæ Præpositum, & Capitulum, *in Lunen. Sarzanen. Præeminentiarum* 9. *Junii* 1725. *ad II. Dub.* ccccxlii. *Processiones* Generales nuncupatas *della Centura*, peragere possunt PP. Augustiniani, petita licentia a Parocho,

vel

vel ab Episcopo, *in Ceremonien. Processionis* 12. *Januarii* 1726. CCCCLXXXI. *Processiones* adire tenetur Rector, seu Sacrista Ecclesiæ S. Angeli ad Nidum, & ad id compelli potest, *in Neapolit.* 18. *Novemb.* 1724. *ad I. Dub.* CCCXCVIII.

PROCURATOREM, qui in Capitulo suffragetur, constituere potest jure suo Canonicus, non obstante, quod per se ipsum interesse possit. CXXII. §. *Præter hæc. Procuratorem* an constituere valeat Canonicus, qui sit magnæ authoritatis, & non sit impeditus, & an cogi valeat ad interessendum Capitulo per se. *ibid. Procurator* valide explet actum sibi commissum, licet tunc temporis fuisset a suo Principali revocatus, dummodo revocatio ad ejus notitiam non devenisset. DXXXVI. §. *Licet*. Limita in Procuratore constituto ad Matrimonium ineundum; Matrimonium quippe initum est nullum, si Mandatum Procuræ fuerat revocatum, licet revocatio Procuratori non innotuerit. *ibid.*

PROCURATIONEM solvere tenetur Confraternitas, *in Asculana* 24. *Martii* 1725. *ad VII. Dub.* CCCCXXVI. *Procuratio* si prohibita sit, interdicta quoque est visitatio. DXLI. §. *Loquendo in fin. Procurationem* contribuere teneri Beneficiatos una cum Parochis Episcopo visitanti Diœcesim, respondit Sacra Congregatio. *ibid. Procurationem* pro rata contribuere tenentur obtinentes Beneficia etiam simplicia, seu Cappellanias in titulum collativas, uti responsum fuit, *in Bojanen.* relata. *ibid. Procurationem* pro rata contribuere teneri Confraternitates visitatas, respondit Sacra Congregatio. *ibid. Procurationem* contribuere teneri Beneficiatos, & Confraternitates Terræ Vallis Montanæ, nec illis suffragari consuetudinem, quod hujusmodi Procuratio solvi consueverit a Capitulo, & Canonicis Collegiatæ dictæ Terræ, respondit S. Congregatio. *ibid.* §. *In simili. Procuratio* non debetur Episcopo visitanti a Monialibus, Confraternitatibus, & Beneficiatis, si paupertate laborent. *ibid.* §. *Verum in princ. Procurationem* a Monialibus S. Claræ non potest Episcopus parvum earum Conventum visitans exigere. *ibid. Procurationem* non teneri Monachos Camaldulenses Episcopo visitanti Ecclesiam Parochialem, seu Vicariam S. Joannis Baptistæ eorum Monasterio unitam respondit Sac. Congregatio, *in Brictinorien.*, & *in Tusculana* relatis. DLX. §. *Adversus*, *Procurationem* nequit Episcopus exigere ab Oratoriis, quæ intra limites Granciarum Monasteriorum existunt. DXL. §. *Loquendo in fin. Procuratio* non debetur Episcopo visitanti Monasteria, seu Ecclesias Monialium, nisi in illis erectum reperiatur aliquod Beneficium, cujus ratione ea debeatur, uti resolutum fuit *in Volaterrana* relata. DXLI. §. *Plures in princ. Procuratio* olim de jure communi nequibat a Subdito præscribi. DXL. §. *Sacrum*. *Procuratio* si ab Episcopo occasione visitationis exigi non consuevit, consuetudo hæc nihil accipiendi debet observari. *ibid. Procuratio* est Episcopo visitanti per contributum præstanda ab omnibus Parochis, Beneficiatis, Ecclesiis, Monasteriis, & Confraternitatibus Montis Philoptrani, *in Auximana Procurationis* 15. *Martii* 1727. *ad I. Dub. ibid. Procuratio* nequit ab Episcopo visitante Ecclesias Monasterio Cassinensium subjectas exigi, *in Floreutina* 7. *Junii* 1727. *ad I. Dub.* DLX. *Procurationes* exactas, sed solum pecunias depositatas pro illis solvendis esse ab Episcopo restituendas, respondit Sac. Congregatio, *ibid. ad II. Dub.*

PROFESSIONEM valide emittere potest Maritus in Religione, si Mulier consentiat, & ipsa Religionem ingrediatur, si est juvenis, vel si non caret periculo incontinentiæ, aut votum perpetuæ continentiæ in Sæculo emittat in manibus Ordinarii, si est Senex & extra periculum incontinentiæ. CLXXXVI. §. *Ad hoc in princ. Professione* secuta, dissolvitur Matrimonium ratum, & non consummatum. XCIX. §. *Quoad observantiam*. *Professio* a Marito emissa est valida, & ad sæculum nequit revocari, si ipsa consensit, & votum simplex continentiæ emisit, sive ea sit juvenis, sive sit senex. CLXXXVI. §. *Ad hoc*. *Professio* a Marito emissa est invalida, & potest ad sæculum revocari, si Uxor consensum per metum præstitit, & votum continentiæ emisit. *ibid.* §. *Adeoque*. *Professio* emissa, non completo anno 16., est valida. LXXXIII. §. *Frater*. *Professio* nulla ex defectu ætatis, si ratificata fuerit, nequit amplius impugnari. *ibid. Professio*, quod ratificata fuerit, desumitur ex actibus incompatibilibus cum suppositio Professionis per vim, & metum emissæ. CXLVII. §. *Ab hisce*. *Professio*, ut ratificetur, requiritur novus Capituli consensus una cum scientia nullitatis Professionis. CXXVI. §. *Cresciusque*. *Ad Professionem* non admitti, ac ejici a Monialibus potest Novitia, si careat dote, licet eam Episcopus nominaverit sub obtentu, quod ipse in primo ingressu possit Novitiam sine dote ad Professionem emittendam nominare. XCIV. §. *Excipiunt*. *Professio* non dicitur per vim, & metum emissa, itaut pro nulla sit habenda, si Filia naturalis Professa instituta fuerit hæres universalis hac lege, ut Monialis fieret, sin minus, quod haberet 24. aureos, & hæreditas ad Monasterium pertineret. CXLVII. §. *Porro in fin. Professionem* non irritat metus licet cadens in constantem Virum, & licet proveniat ab extrinseco, & a causis liberis, nisi constet, quod fuerit incussus ad effectum illam extorquendi. CXXXIX. §. *Scriptura*. *Professio*, ut valide ratificetur, requiritur consensus Vocalium, qui debet a Papa suppleri, *in Sicula* 18. *Novembris* 1719. *ad II. Dubium*. CXXVI. *Professio*, ut valide ratificetur, requiritur novus Vocalium consensus. *ibid. ad I. Dub. Professionem* non esse invalidam, respondit Sacra Congregatio in *Lugdunen. Nullitatis Professionis* 7. *Septembris* 1720. CLXXXV. De Professionis nullitate cum disceptaretur rescriptum fuit -- *Dilata, & examinentur Testes formiter juxta institutionem* in *Romana Nullitatis Professionis* 16. *Martii* 1720. CXLVII. *Professio* emissa ante decimum sextum annum completum est invalida. CCCXIX. §. *Notissimæ in princ. Professio* in quacumque Religione fieri nequit ante decimum sextum annum completum, alias professio est nulla, nullamque inducit obligationem. CCII. §. *Petitionis*. *Professio* non dicitur ratificata ex annua votorum renovatione, & hac non obstante, potest Professionis invaliditas proponi. *ibid.* §. *Et in eo*. *Professio* ex defectu ætatis nulla ut cognoscatur, num tacite fuerit ratificata, inspiciendum est, an ignorantia veræ ætatis tam tempore Professionis, quam tempore subsequenti usque ad reclamationem sit nec ne verisimilis. CCCXIX. §. *Notissimæ circa med. Professionis* ratificatio ex actibus subsequenter gestis non inducitur, si adfuerit ignorantia nullitatis Professionis. *ibid. Professionis* ratificatio ex actibus subsecutis derivans non satis excluditur ex simplici allegatione ignorantiæ nullitatis Professionis, nisi dicta ignorantia circumstantiis, conjecturis, validisque probationibus, & adminiculis munita sit. CCII. §. *Momentum in fin. Professio* non potest dici ratificata, ubi concurrit ignorantia nullitatis præcedentis Professionis. *ibid.* §. *Hinc est*. *Professio* tacite emissa censetur ex delatione habitus per annum in Religione. CCXVIII. §. *Inter*. *Professio* tacita promanans ex delatione habitus non valet, nisi completo anno 16., & anno Novitiarus. *ibid. Professio* tacita censetur inducta in Ordine Fratrum Prædicatorum in ipso temporis momento, quo absoluto Novitiatus anno Novitius complet ætatis suæ annum 16. *ibid.* §. *Quidquid*. Procedit quoad Fratres S. Dominici, non autem quoad Sorores. *ibid.* §. *Margaritas*. *Professio* tacita nequit ex actibus subsequentibus induci, occurrente probabili nullitatis ignorantia. CCII. §. *Momentum*. *Professio* emissa ab eo, qui morbo laborat, licet sit valida, potest tamen Religiosus ita professus a Religione expelli. CCCXII. §. *Addi posset*. *Professio* emissa ab eo, qui morbo aliquo gravissimo, puta epileptico laborat, juxta veriorem Doctorum Sententiam de jure communi est valida, irrita autem est, si in Constitutionibus Ordinis a S. Sede approbatis invalida declaretur. CCCXII. §. *Quæstio*. *Professio* emissa ab eo, qui morbo aliquo laborat, non est invalida, si in Constitutionibus Ordinis non adsit Decretum irritans, sed simplex Decretum Professionem interdicens. *ibid.* §. *Addi posset*. *Professio* nequit a Conjuge, altero in sæculo manente, emitti, si Matrimonium integrum, & illæsum perseverat, secus si fuit patratum Adulterium. CCLIV. §. *Addunt in princ. Professio* Mulierum ad differentiam Professionis Virorum debet fieri per Scripturam a Professente subscriptam, aut saltem signatam. CCXVIII. §. *Margarita*. *Professio* nec in Religione Virorum, nec in Religione Mulierum valide emitti potest ab Hermafroditis in utroque sexu perfectis. CCXLV. §. *Plura in fin. Professio* Hermafroditi, si ea emissa fuerit inter Viros, & sexus Virilis prævaleat, valida est, secus si inter Mulieres, & e contra si prævaleat sexus fœmineus, valida est Professio ab eodem emissa, si fuerit emissa inter Mulieres, secus si inter viros. *ibid. Professio* per Simoniam emissa non est irrita. CCXX. §. *Excipit*. *Per Professionem* inter Milites Hierosolymitanos emissam solvitur Matrimonium ratum, & non consummatum. CCCXIII. §. *Alterum in fin.* Per *Professionem* Religiosam in Ordine Monastico, aut Regulari emissam solvitur Matrimonium ratum, & non consummatum. *ibid. Professionis* invaliditas ut post quinquennium proponi possit coram Ordinario, & Superiore Locali, obtineri debet restitutio in integrum, cujus cognitio est Apostolicæ Sedi reservata, & quinquennium computatur a die Professionis emissæ, non autem a die cessantis, vel sublati impedimenti, aut impotentiæ reclamandi. CCCXXVI. §. *Et merito*. *Professio* emissa a Moniali, quæ deinde fuit recognita Hermaphrodita, declarata fuit invalida. *in Spoletana* 14. *Martii* 1722. CCXLV. *Professio* declarata fuit invalida eo quia per vim, & metum emissa, *in Romana Nullitatis Professionis* 11. *Januarii* 1721. CXCVI. *Professionem*, quæ nulla prætendebatur, tamquam emissa in Monasterio ad id non designato, validam fuisse, respondit Sacra Congregatio *in Leodien. Professionis* 13. *Junii* 1722. *ad I. Dub.* CCXX. *Professio* Fidei debet a Canonicis Cathedralium emitti non solum in Capitulo, sed etiam coram Episcopo, vel ejus Vicario. CCCCLXXXIX. §. *Transeundo*. *Professio* Fidei si emittatur in Capitulo, in quo sit præsens Episcopus, vel ejus Vicarius, dicitur satisfactum obligationi Fidei professionem emittendi. *ibid.* Procedit, etiamsi ea emissa fuerit in Capitulo, in quo præsens erat Vicarius, qui erat etiam Canonicus, & in suo Stallo Canonicali, non autem Vicarii sedebat. *ibid. Professio* Fidei debet a Canonicis, & Dignitatibus emitti cum aliis Canonicis Collegialiter congregatis. *ibid. Professionem* Fidei non tenentur emittere Provisi de Dignitatibus, seu Canonicatibus in Ecclesiis Collegiatis. *ibid.* §. *Quia vero*. *Professio* Fidei emitti potest per Procuratorem juxta aliquam sententiam, contrarium vero resolvit Sacra Congregatio. *ibid.* §. *Quoad punctum in princ. Professio* Fidei debet a Dignitatibus, & Canonicis Cathedralium emitti intra duos menses a die captæ possessionis. *ibid.* §. *Sacram*. *Professionem* Fidei si Canonici non emittant intra duos Menses, amittunt fructus, non autem quotidianas distributiones. *ibid.* §. *Demum*. *Professionem* Fidei si intra duos menses emittere non possint Provisi in Urbe, ibique commorantes, obtinent facultatem eam emittendi in manibus Eminentissimi Vicarii cum clausula, ut, postquam ad residentiam accesserint, eam personaliter repetant. *ibid.* §. *Quoad punctum in fin. Professionis* Fidei forma statuta fuit a Pio IV. *in Bulla* 89. *Bullar. Tom.* 2. *ibid. Professio* emissa ab eo, qui incurabili morbo laborabat, non est invalida, si in Constitutionibus

nibus adsit simplex interdictum absque Decreto irritante. CCCCLIX. §. *Ponderatum*. *Professio* a Religioso morbo incurabili laborante emissa est invalida favore dumtaxat Religionis juxta sententiam *Navarri* relatam. *ibid. Professio*, si a Religioso incurabili morbo laborante emissa fuit, est invalida favore etiam Religioni. *ibid. Professio* emissa ab eo, qui morbo comitiali laborabat, fuit, assentiente Religione, declarata invalida. CCCCIX. §. *Actum*. *Professio* emissa ab eo, qui epileptico morbo laborabat in Ordine Cappuccinorum, est invalida. CCCCLII. §. *Allegantur*. *Professio* emissa ex metu justæ ob delictum a Professente patratum authoritate privata incusso an sit valida, examinant DD. relati, CCCCLVIII. §. *In hac et seq. Professio* non validatur per susceptionem Sacrorum Ordinum, quando durat Causa metus, propter quem Professio emissa fuit. DXXIV. §. *Frater*. *Professio* quod fuerit ratificata, minus deducitur ex Sacrorum Ordinum susceptione, quam ab Habitus gestatione, aut suffragii præstatione. *ibid. Professio* simoniace emissa est valida, licet ita Professus damnetur ad serviendum Domino in alio Monasterio in habitu Monachi, CCCCLVIII. §. *In Scriptura*. *Professio* emitti debet ab Uxore, si de incontinentia, licet senex, suspecta sit, quando Maritus ituit Ordines Sacros, prævia illius licentia, suscipere; si vero Uxor sit juvenis, debet semper Professionem emittere, sive sit suspecta, sive non de incontinentia. CCCXCI. §. *Et quidem*. *Professio* Religiosa, quæ ob reticitum morbum, quo Professus laborabat, prætendebatur invalida, declarata fuit valida *in Romana Nullitatis Professionis* 16. *Decemb.* 1724. CCCCIX. *Professio* fuit declarata valida *in Corduben.* 1. *Decembris* 1725. CCCCLVIII. *Professio* Fidei emitti nequit per Procuratorem, *in Cathacen.* 9. *Februarii* 1726. *ad II. Dub.* CCCCLXXXIX. *Professionem* Fidei esse emittendam a Canonicis Cathedralis, & non Collegiatarum, reseripsit Sacra Congregatio. *ibid. Professio* Fidei a Canonicis Cathedralis emittenda est coram Episcopo, vel ejus Vicario, & etiam coram Canonicis capitulariter congregatis, sufficit tamen, si emittatur coram Capitulo, cui Episcopus, vel Vicarius Generalis interfit. *ibid. Professionem* Fidei non emittentes non faciunt fructus suos; lucrantur tamen distributiones pro horis, quibus interfunt. *ibid. ad IV. Dub. Professio* Fidei nequit valide per Procuratorem emitti. DXCIII. §. *Quoad punctum*. *Professionem* Fidei non emittentes Canonici Ecclesiæ Cathedralium tam in Capitulo, quam coram Episcopo, vel ejus Vicario ad minus intra duos menses a die captæ possessionis non faciunt fructus suos, nec illis possessio suffragatur. *ibid.* §. *Quoad obligationem*. *Professio* ante decimum sextum annum completum emissa est invalida, nullamque inducit obligationem. DXXXI. §. *Lavinen. in fin. Professio* emissa in Conventu non designato ad receptionem Novitiorum, & ad admittendum Novitios ad Professionem est invalida. DXLII. §. *Primum*. Limita in casu, quo impetrata fuerit a Sancta Sede licentia Novitiatum faciendi, & professionem emittendi in Conventu ad id non designato. *ibid.* §. *Et quia in princ. Professionis* invaliditas ex capite, quod ea emissa fuerit in Conventu ad id non designato, nequit allegari, postquam quinquennium elapsum est. *ibid. Professionem* in Monasterio nequit emittere uxor, consummato Matrimonio, nisi vir consentiat. DLXXVIII. §. *Prima est*. *Professio* in Monasterio, ut possit ab uxore post consummatum Matrimonium emitti, liber viri consensus, & non metu, dolore extortus accedere debet. *ibid.* §. *Secunda est*. *Professionem* in Religione, si Conjux consummato Matrimonio emittat, alter ad Religionem transire, ibique profiteri debet, si sit juvenis, & si fuerit senex, tolerari potest, ut in sæculo cum voto simplici castitatis remaneat. *ibid.* §. *Tertia est*. Secus vero esset, si Matrimonii jura per adulterium fuerint læsa, nam tunc Conjux adulter potest in Religione profiteri, & si innocens in sæculo remaneat, nec solemnem Professionem emittat, si sit juvenis, neque simplici castitatis voto innodetur, si sit senex. *ibid. Professio* tacita nequit ex actibus subsequenter gestis induci, si concurrat probabilis ignorantia invaliditatis Professionis. DXXXI. §. *Plures circa fin.* Procedit tamen, dummodo ignoratia invaliditatis Professionis sit verisimilis, & non deducatur ex solo dicto Professi, sed munita sit circumstantiis, conjecturis, & variis aliis adminiculis. *ibid.*

PROFESSORUM ejectiones e Religione factas ex capite illegitimitatis, vel ex alio defectu fieri debere conjunctim coram Ordinario, & Superiore Regulari Loci, easque aliter factas non sustineri, resolvit Sacra Congregatio. CL. §. *Solemnis*.

PROTESTATIONEM solemnem emittere debent Fratres subsignatam sigillo Conventus in ejus libris inferendam, & ad Hæredes, sive Executores transmittendam, in qua declarent, se nullum jus sibi vindicare, aut asserere ex Legatis sub onere celebrationis Missarum relictis juxta monitum Sancti Bonaventuræ. CXVI. §. *Statutum fuit*.

PUBLICÆ honestatis impedimentum est propinquitas orta ex Sponsalibus validis, dirimitque Matrimonium cum Consanguineis Sponsi, vel Sponsæ in primo gradu tantum, aut ex Matrimonio rato, sed non consummato, & Matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive. CLXVI. §. *Honestas*. *Tom.* 1. *p.* 100. *Publicæ* honestatis impedimentum descendens a secundo Affinitatis genere, sublato impedimento secundi generis Affinitatis sublatum quoque dici debet. *ibid.* §. *Multoque*. *Tom.* 1. *p.* 99. *Publicæ* honestatis impedimentum sublatum censetur eo ipso, quod Affinitas quoad secundum, & tertium genus sublata fuit. *ibid.* §. *His verbis*. T. 1. p. 101.

PUNCTATURÆ, seu fallentiæ aliorum Canonicorum Chori. *Quæst. Canonicæ Tom. II.*

ro non inservientium non debentur Canonicis jubilatis. XCIII. §. *Quoad punctaturas*. *Punctaturarum* repartitionem faciendam esse ad tramites Decreti R. P. D. Blasii, respondit Sac. Congregatio in *Hortana Punctaturarum* 24. *Sept.* 1718. CXIV. *Punctaturas*, & fallentias aliorum Canonicorum non inservientium lucrantur etiam Canonici jubilati, licet Choro non interfint, *in Aquipenden. Indulti* 1. *Aprilis* 1719. *ad I. Dubium*. XCIII.

Q

QUALITAS Sacerdotii requisita in Beneficio, vel Cappellania satis est, ut intra unius anni spatium valeat obtineri. LXXXII. §. *Suppositio*. Procedit, quando dicta qualitas requisita fuit respectu aptitudinis, secus, si annexio Sacerdotii est facta respectu actus, tunc enim ea qualitas debet concurrere tempore præsentationis, vel collationis. *ibid.* §. *E contra*. *Qualitas* Sacerdotii dicitur requisita respectu actus, quando Fundator voluit, quod nominetur Sacerdos, vel quod Beneficium, seu Cappellania Sacerdoti conferatur. LXXXII. §. *Absque eo quod*. *Qualitas* Sacerdotalis est necessaria tempore præsentationis ad Beneficium, ad quod eligendus est Presbyter, qui Missas omni hebdomada celebrare teneatur. *ibid. Qualitatis* error non facit Matrimonium invalidum. CXLI. §. *Error in princ.*

QUARTA funeralis debetur ex eis, quæ occasione funeris sive ante, sive post humatum Cadaver obveniunt. I. §. *De hoc*. *Quarta* funeralis debetur Parocho pro Cadaveribus, quæ tumulantur in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium, in *Spoletana Quartæ funeralis* 13. *Apr.* 1720. *ad* I. *Dub.* LXVII. *Quarta* funeralis debetur Parocho a Fratribus Min. Conventualibus pro Cadaveribus, quæ tumulantur in Ecclesia Parochiali. *ibid. ad II. Dub. Quarta* funeralis comprehendit frumentum, & ceram, quæ accenditur, & extinguitur extra Ecclesiam Fratrum, non autem pannum, & sudariolum, quod antea consueverat cum Cadavere asferri, & ab Hæredibus Parocho consignari, in *Tudertina Funerum* 13. *Aug.* 1718. I. *Quartam* funeralem non deberi, respondit Sacra Congregatio, *in Fanen. Quartæ funeralis* 9. *Maii* 1719. *ad II. Dub.* II. *Quartam* funeralem solvere debent Fratres Augustiniani, in *Aston. Jurium Parochialium* 13. *Febr.* 1718. II. *Quarta* Decimarum, & Funeralium inter jura Episcopalia numeratur. CCCVI. §. *Inter*. *Quartæ* Decimarum, & Funeralium Episcopo debitæ non fuit a Tridentino *sess.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* derogatum. *ibid. Quarta* Funeralium debet Episcopo persolvi *in Anglon. Cathedratici*, *Decimarum*, *& Quartæ funeralis* 30. *Jan.* 1723. *ad III. Dub.* CCCVI. *Quartum* Decimarum debetur Episcopo. *ibid. ad II. Dub. Quarta* ex quatuor libris ceræ, quæ superfunt post absolutum funus, non debetur Parocho ultra id, quod ipse recipit in pecunia numerata ab Hæredibus Defunctorum pro funere cujuslibet Defuncti, *in S. Marci* 9. *Februarii* 1726. CCCCLXXXVII. *Quartam* Funeralem esse a Regularibus solvendam in medietate tam Grecorum, quæ per viam deferuntur, quam aliorum, quæ accenduntur in Ecclesia circa Cadavera, & Castrum Doloris, & Altaria, respondit Sacra Congregatio *in Mantuana* 8. *Febr.* 1727. DXXXIX.

R

RATIONE originis subditus est is, qui naturaliter natus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat. VIII. §. *Episcopus*. *Rationis* redditio fieri debet, non obstantibus in contrarium quibuscumque consuetudinibus, & privilegiis. LXXIV. §. *Fundamentum*. *Rationem* reddendam esse Episcopo de reditibus, quibus est aliquod onus annexum, secus vero de reditibus, qui libere inter Presbyteros dividuntur, respondit Sacra Congregatio in *Aliphana Redditionis Rationis* 17. *Decembris* 1718. *ad I. Dub. ibid. Rationis* redditio facta a Rectoribus de administratione Seminarii, quod debeat substineri, & Rectores non sint molestandi, respondit Sacra Congregatio *in Spoletana* 20. *Februar.* 1723. *ad I. & II. Dub.* CCCIX.

RECURRENTES ad Judices Laicos incurrunt ipso jure excommunicationem. DXXVIII. §. *Subsequitur*. *Recurrentes* ad Judices Laicos incurrunt Beneficii privationem, & jus quodcumque ad illud amittunt. *ibid.* Limita, quando Judex Laicus præstat assistentiam possessioni habitæ a Judice Ecclesiastico, donec ab eodem Judice Ecclesiastico aliter provideatur. *ibid.* §. *Et quia*.

REDDERE rationem, cogente Episcopo, tenentur Deputati, & Gubernatores Cappellæ de pecunia ad eos perventa ex reditibus legatis eidem Cappellæ, nec non ex Gabellis, & aliis Bonis dictæ Cappellæ assignatis per Consilium Civitatis, in *Cajetana* 2. *Julii* 1718. *ad III. Dub.* XXXIX.

REDDITIO rationis fieri debet, non obstantibus in contrarium quibuscumque consuetudinibus, & privilegiis. LXXIV. §. *Fundamentum*.

REDITUS annuus per Testatorem relictus pro Mansionariis destinatus censetur partim pro Præbenda, & partim pro dis-

tributionibus quotidianis, in *Comen. Distributionum 9. Maii 1719. ad II. Dub.* CIV.

REDUCTIO fructuum censuum nequit fieri a Locis Piis absque Beneplacito Apostolico v. g. a scutis quinque ad scuta quatuor pro centenario. I. §. *Leopardus*, & XXXVIII. §. *Negative in fin. Reductio* fructuum Census ad Loca Pia spectantis a scutis quinque ad rationem quatuor pro centenario indiget Apostolico Beneplacito. *ibid.* Procedit in Censu reservativo, secus in consignativo. *ibid.* Si vero reductio prædicta absque Beneplacito Apostolico fuerit facta, solet, prævia absolutione ad cautelam eorum, qui reductionem fecerunt, revalidari, & confirmari, quatenus aliud investimentum magis utile, & idoneum non adsit. *ibid. Reductio* Missarum non solet fieri, si alia onera possunt reduci, itaut ea postremum locum obtineat. lv. §. *Potissimum*. Limita, si æque Missarum celebratio, & cætera pia onera fuerunt a Testatore demandata, & exoptata, tunc enim reductio facienda est proportionabiliter quoad Missas, & quoad alia opera pia, *ibid. Reductio* locum sibi vindicat etiam in Missis per contractum acceptatis, quando tractu temporis Contractus reducitur ad iniquitatem, & ad læsionem. LXIII. §. *Facit. Reductioni* locus non est, sed debet supplementum tradi, quoties Testator incæpit ab onere, & deinde quantitatem designavit, secus si inceperit a designatione summæ, & postmodum onus injunxit. LXXV. §. *Si de*. Limita, si ex Testamento, aliisque circumstantiis colligatur, supplementum sibi locum vindicare non posse. *ibid.* §. *At punctus*. *Reductionem* fructuum Census sine Beneplacito Apostolico peractam quoad præteritum non esse revalidandam, censuit S. Congr. in *Senogallien. Censuum 2. Junii 1718. ad II. Dub.* XXXVIII. *Reductionem* fructuum census Beneplacito Apostolico destitutam quoad futurum revalidandam esse arbitrio Episcopi, respondit Sacra Congregatio. *ibid. Reductionem* fructuum census sine Beneplacito Apostolico irritam esse, rescripsit Sacra Congregatio. *ibid. ad II. Dub. Reductioni* Missarum locum esse, supposito, quod nullus inveniatur Sacerdos, qui velit Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna librarum 300. a Testatore præscripta, respondit Sacra Congregatio in *Mediolan. Reductionis Missarum 9. April.* 1718. XXI. *Reductioni* locum esse, respondit Sacra Congreg. in *Mediolanen. Oneris Missarum 1. April.* 1719. XI. *Reductioni* Missarum locum esse, deleta Missa solemni, & delero Officio Mortuorum, respondit Sac. Congregat. in *Fanen. Reductionis Missarum 27. Aprilis* 1720. CLIII. *Reductioni* ad Manualem locum esse, rescripsit Sacra Congregatio quoad quædam Legata Missarum, quo vero ad alia, censuit locum non esse petitæ reductioni, in *Cremen. Reductionis Missarum 4. Febr.* 1719. CLXXXIV. *Reductioni* locum non esse, sed servandam esse dispositionem Cardinalis Ancherii, respondit Sacra Congregatio in *Romana 4. Martii* 1719. LXVI. *Reductioni* locum non esse, responsum fuit in *Venet. Reductionis Missarum 4. Februarii* 1719. *Reductioni* factæ ab Episcopo locum non esse, & eam esse cassandam, resolvit Sacra Congregatio in *Asten. Beneplaciti 19. Novembris* 1718. LXIX. *Reductioni* locum non esse, sed servandam esse dispositionem Testatoris, censuit S. Cong. in *Romana 19. Novemb.* 1718. LXVI. *Reductioni* Missarum an locus esset, sive potius hæres supplere teneretur, cum disceptatum fuerit, S. Congr. præcepit, exhiberi Testamentum in *Mediolanen. Oneris Missarum 2. Julii* 1718. XI. *Reductioni*, cum quæreretur, num esset locus, Sacra Congreg. rescripsit -- *Dilata, & scribatur Eminentissimo Episcopo, ut exprimat tempus, quo reditus investimenti decrevere cæperunt, & quo eleemosyna Missæ fuit aucta, & an Confraternitas habeat Bona Legatis, aut oneribus obligata, & non habeat argenta* -- in *Bergomen.* 3. *Decembris* 1718. LXXIII. *Reductioni* Missarum, an esset locus, cum disceptatum fuerit, S. Congr. rescripsit -- *Pro transmissione consuetæ justructionis, & Ordinarius ad promotes ejusdem conficiat reductionem, quam ad Sacram Congregationem pro approbatione transmittere teneatur cum informatione & ad mentem* in *Brachaven. Reductionis Missarum 24. Sept.* 1718. LV. *Reductionis* Instrumentum exhibendum esse, antequam reductio censuum facta a Loco Pio valida, aut irrita declaretur, rescriptum fuit in *Senogallien.* 15. *Jan.* 1718. *ibid. Reductiones* fructuum Census sustineri, præstita fidejussione ad formam Resolutionis Congregationis Confratrum de anno 1685. respondit Sac. Congreg. in *Romana Census* 11. *Maii* 1720. CLXIV. *Reductio* Fructuum Census sine Beneplacito Apostolico peracta fuit declarata valida in *Romana Census*, CCLXXI. §. *Bis actum*. *Reductio* fructuum Census sine Beneplacito Apostolico facta invalida fuit declarata, ejusque revalidatio fuit denegata in *Senogall. Censuum. ibid. Reductio* fructuum Census ad Locum Pium spectantis an sustineatur, si Apostolico Beneplacito reperitur destituta, referuntur duæ Sententiæ. CCLXXI. §. *Nonnulli, & seq. Reductio* oneris Missarum non est concedenda, sed prius debent cætera pia onera reduci. CXCVIII. §. *In voto*. *Reductio* servitii Chori, Missarum, aliorumque onerum cum petita fuerit a Cappellanis S. Hilarii Basilicæ Lateranensis, S. Congregatio ita rescripsit: *Firmis remanentibus oneribus Missarum, necnon aliis oneribus a Testatore inditis pro deletione arbitrio Eminentissimi Archipresbyteri*, oneris assistendi Vesperis, quæ tamen non sint solemnes, nec non alterius oneris assistendi 115. Officiis, seu Functionibus vulgo dictis Communi, præservatis communibus, in quibus Oratores præstare debeant assistentiam, & servitium pro diebus, & horis a Capitulo designandis. CCLI. §. *Actum*. *Reductioni*, non autem supplemento locus est, si Testator mandet assignari Ecclesiæ Capitale, ex quo singulis annis talis pecuniarum summa retrahatur in Missarum celebratione eroganda, & dictum Capitale per Hæredem assignetur, illud in Ecclesiæ dominium transferat. CCLXIV. §. *Inter cætera*. Secus si demandet hæredi, ut solvat quotannis certam determinatam summam. *ibid. Reductio* Missarum facta ab Episcopo cum disceptatum fuerit, an sustineretur, rescriptum fuit, Hæredes quoad præteritum non esse molestandos, *in Vaden. Reductionis Missarum 4. Julii* 1722. CCLXXIV. *Reductioni* Cappellanorum locum non esse, sed potius supplemento redituum respondit S. Congreg. *in Romana Dotis Cappellaniarum 13. Junii* 1722. CCLXIV. *Reductiones* obtentæ, postquam Fabrica manus apposuit, non suffragantur. CCCCLXI. §. *Et in eo*. *Reductioni* non esse locum, sed hæredem teneri ad supplementum, *in Fanen. 6. Decembris* 1727. DLXXX.

REGIBUS non currit præsentandi tempus, quia supponitur eos esse probabili impedimento detentos. CXL. §. *Aliique*.

REGRESSUS ad Jura renunciata non competit Canonico Regulari Lateranensi, postquam Parochialem est affectus, licet pactum regressus in renunciatione apposuerit. CCCXXXIX. §. *Hæc quoad*. *Regressus* ad Bona renunciata quoad usum competit Religioso ad Episcopatum promoto, quo vero ad proprietatem ea Ecclesiæ, vel cui de jure acquiruntur. *ibidem*. §. *Gregoriana*.

REGULARES sive intra, sive extra Italiam degentes non potiuntur facultate absolvendi a peccatis Episcopo reservatis, CXC. §. *Concilium, & §. In primo*. *Regulares* ad Confessiones Sæcularium excipiendas approbati non tenentur interesse conferentiis casuum conscientiæ. XVII. §. *Negativæ, & §. Episcopus*. *Regulares* præfici non possunt Curæ Animarum ab Episcopo sine Apostolica Dispensatione. CLVII. §. *Contendit*. *Regulares*, qui nequeunt in communi possidere, sunt incapaces Legatorum, etiam adjecto Missarum celebrationis onere relictorum. CXVI. §. *Quoad reditus*. *Regulares* non esse capaces Legati relicti cum onere celebrationis Missarum, resolutum fuit in *Brundusina*. CXXVII. §. *Cum quibus*. *Regulares* uti incapaces annuorum Legatorum, quæ sunt adjecto Missarum onere, nequeunt Officium Judicis implorare pro ejusmodi Legatis assequendis, nec pro illis agere. CXXVII. §. *Et quia*. *Regulares*, qui Bona in communi possidere prohibentur, sunt capaces eleemosynarum manualium Missarum. CXVI. §. *Procedentibus*. *Regulares* emittere debent solemnem protestationem subsignatam sigillo Conventus, in ejus libris inferendam, & ad Hæredes, sive Executores transmittendam, in qua declarent, se nullum jus vindicare, aut asserere ex Legatis sub onere celebrationis Missarum relictis juxta monitum S. Bonaventuræ, *ibid.* §. *Statutum fuit*. *Regulares* ad Confessiones Sæcularium excipiendas approbati non tenentur conferentiis Casuum Conscientiæ interesse. XVII. §. *Negative*. *Regularium* incapacitas eximere nequit Hæredes ab onere adimplementi Missarum. CXVI. §. *Quia vero*. *Regularibus* ex jure positivo tantum interdictum est de Bonis inter Vivos, vel causa mortis disponere. XXVII. §. *Ut autem*. Quando autem illis concedatur dispensatio ad effectum disponendi, videnda sunt exempla. *ibid.* §. *In quadam causa*. *Regularibus*, qui Bona in communi possidere non possunt, Cappuccinis, & Minoribus strictioris Observantiæ, si Bona relicta sint, ea Fabricæ S. Petri juxta ejus Privilegia applicantur. CXVI. §. *Quoad dispensationes*. *Regulares* Confessarii non tenentur interesse conferentiis casuum conscientiæ, in *Aquipendii Visit. Sacrorum liminum* 12. *Februarii* 1718. XVII. *Regularis* in una Diœcesi approbatus pro excipiendis Confessionibus sæcularium eas excipere nequit in alia Diœcesi, in qua approbatus non est, etiamsi Pœnitens sit subditus illius Episcopi, a quo Regularis approbationem reportavit. CCXXXVIII. §. *Porro*. *Regulares* Ordinum Mendicantium semel approbatos ad Confessiones audiendas in una Diœcesi haberi pro approbatis in aliis Diœcesibus, itaut nova Episcoporum approbatione non indigeant, est propositio falsa, & saluti Animarum perniciosa. *ibid. Regulares* Professi incapaces Bonorum ad Episcopatum promoti recuperant jus succedendi ad Hæreditates post adeptum Episcopatum ad utilitatem suæ Ecclesiæ sibi delatas, quoad proprietatem, & ad proprium commodum quoad usumfructum. CCCXXXIX. §. *Juxta*. Procedit hoc idem de Canonico Regulari ad Ecclesiam Cathedralem assumpto. §. *Ea quæ*, *Regulares* nequeunt excipere Confessiones Mulierum Tertii Ordinis, nisi fuerint ab Ordinario approbati pro excipiendis Confessionibus sæcularium, CCCV. §. *Alia*. *Regulares* Superiores habentes facultatem a Sede Apostolica possunt libere Mulieres admittere ad Habitum Tertiarium, dummodo sint bonis moribus præditæ, & constitutæ saltem in ætate annorum 40. *ibid.* Intellige tamen de Mulieribus collegialiter non viventibus, collegialiter enim viventes subjacent dispositioni Constitutionis Sancti Pii V. incip. *Cura Pastoralis*. *ibid. Regulares* delinquentes circa Clausuram Monialium licet sibi subjectarum puniri possunt ab Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. CCCXLI. §. *Sacrum Concilium*. *Regulares* Professi Ordinum Mendicantium licite transeunt ad non Mendicantes, sed sunt incapaces Curæ Animarum. §. *Additur*. *Regulares*, qui in Regno Aragoniæ habent Conventus, & sic ter celebrant, possunt hoc ipsum facere extra Regnum Aragoniæ, & signanter in Regno Castellæ propter communicationem Privilegiorum. CCLVI. §. *Ultimum*. *Regulares* habentes Confervatorem, si rei sint, conveniri nequeunt coram illo, sed coram Ordinario conveniendi sunt in causis Civilibus judicialem discussionem postulantibus. CCCVII. §. *Cohærenter*. *Regulares* possunt retinere Legatum Sylvæ, quæ in Clausuram redacta est. CXCVII. §. *Transeundo*. *Regulares* sunt capaces Legatorum, quæ concernunt decorem suarum Ecclesia-

clesiarum, & certum usum Cultus Divini. *ibid.* §. *Facit secundo*. *Regulares* capaces sunt Legati litus pro Viridario adnexo Clausuræ. *ibid. Regulares* incapaces sunt Legati conspicui, & magnæ quantitatis. *ibid. Regulares* incapaces sunt Legati ducatorum 200. cum onere reparationis Ecclesiæ, & nonnullarum Missarum. *ibid. Regulares* Min. Obs. non sunt capaces Legatorum, quæ sub onere Missarum fuerunt illis relicta. *ibid.* §. *Quoad Legata*. Limita, ubi Hæredes gravati fuissent ad celebrari faciendum a dictis Fratribus Missas. *ibid.* §. *Et multo magis*. *Regulares* incapaces sunt Legati relicti super perpetuo Missarum onere. *ibid.* §. *Latius*. *Regulares* sunt incapaces Legati eis relicti, & ab ipsis administrandi nulla facta Syndici mentione. *ibid.* §. *Facit secundo*. *Regulares* sunt incapaces Legati relicti Altari sito in eorum Ecclesia cum conditione, ut Syndicus pro tempore medietatem eroget pro manutentione Cappellæ, & aliam medietatem pro celebratione Missarum a Fratribus faciendi. *ibid. Regulares* sunt incapaces donationis Bonorum factæ Syndico Conventus cum pacto, quod vendantur, & ex eis constituatur Capitale certam annuam summam reddens convertendam partim in ornatum Cappellæ, partim in emptionem Lanæ pro indumentis Fratrum, & partim in celebrationem Missarum ab ipsis explendam. *ibid. Regulares* incapaces sunt Legati litus pro Viridario relicti sub onere unius Missæ quolibet hebdomada. *ibid. Regulares* Ordinis Minorum S. Francisci habent Privilegia Clementis IV., & Sixti IV. Sacramenta suis Famulis administrandi, eosque in suis Cœmeteriis sepeliendi. CCXXXIX. §. *At in eo*. *Regularium* Famuli, ut eximantur a Parochi Jurisdictione, debent tria requisita copulative concurrere, quod scilicet actu Regularibus inserviant, quod intra eorum Septa, ac domos resideant, & demum, quod sub illorum obedientia vivant. CCXXXIX. §. *Nec mirum*. *Regularium* Bona alienari nequeunt absque Beneplacito Apostolico, & hoc conceditur a S. Congr. Concilii. CCCLXVI. §. *Juxta*. *Regularium* Superiores, quibus incumbit Cura, & Regimen Monialium, nequeunt Monasteria ingredi nisi ex causa visitationis Localis, & hoc semel in anno, & casu quo necessitas urgeat, pluries eodem anno ingrediendi, nequeunt ingredi, nisi cum præsentia Episcopi Diœcesani, vel alterius personæ Ecclesiasticæ ab eo deputatæ. CCCXLI. §. *Sacrum Concilium*. *Regularibus* debet victum, & vestitum præbere incerta mendicitas. CXCVII. §. *Transeundo*. *Regularem* Ecclesiæ Parochiali ob penuriam Sacerdotum Sæcularium posse præfici, ita ut, deducto victu, reliqui reditus in utilitatem Ecclesiæ, & Pauperum convertantur, & magis expedire, si idem Regularis fuisset deputatus ad tempus, & donec Episcopus providisset de Clerico Sæculari, respondit Sacra Congregatio. CCCCLXXII. §. *Adsint*, & *segq. Regularis* nequit Curæ Animarum ab Episcopo sine Apostolica Auctoritate, & Dispensatione præfici, quæ non solet concedi, nisi instante Episcopo pro necessitate, & utilitate Ecclesiæ. *ibid.* §. *Adsint*. *Regulares* simpliciter approbati Confessiones excipere possunt absque ulla Parochorum licentia tempore Paschali. CCCCXXIX. §. *Adeoque*. *Regulares* condemnati ad Triremes, explera pœna, debent ad Religionem redire, & hæc debet eos recipere. CCCCXXXII. §. *Doctores*. *Regulares* ad triremes damnati tenantur etiam tempore pœnæ obtervare vota Religionis, quantum tamen patitur eorum Status infelix. *ibid. Regulares* an, & quando, & ex quibus delictis possint ad triremes damnari. *ibid.* §. *Horum*. *Regularibus* non est prohibitum a Tridentino docere Doctrinam Christianam in suis Ecclesiis, & annunciare Populo Festa, & Jejunia inter Missarum solemnia. CCCCXCVII. §. *In factionibus circa med. Regularibus*, & Confraternitatibus in Regularium Ecclesiis erectis permissum est facere intra eorum Ecclesias, & Claustra Processiones, non tamen extra eadem Claustra: Si vero Ecclesiæ Claustro careant, eis licet Processiones facere intra ambitum duntaxat earumdem Ecclesiarum, hoc est prope muros Ecclesiæ, sive exeundo a janua Ecclesiæ, & intrando per aliam, sive per eandem, & semper prope Muros Ecclesiæ, & non extra dictum ambitum, nisi de licentia, consensu, vel Cruce Parochi, non obstantibus quibuscumque Consuetudinibus vel præscriptionibus etiam immemorabilibus, Privilegiis tantum Apostolicis Sacro Concilio Tridentino posterioribus in suo robore permanentibus. CCCCLXXXI. §. *Nota*. *Regulares* habent ex privilegio facultatem admittendi fœminas ad habitum Tertiarium, modo sint probatæ vitæ, ac bonis moribus præditæ, in ætate saltem 40. ann. constitutæ, sufficienti Patrimonio, unde vivere possint, provisæ, & non cum aliis viris, quam cum Consanguineis, vel Affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent. DII. §. *Verum*. *Regulares* tenentur Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, & usque ad præfinitum tempus expectare, si declaraverit se velle etiam facultate interessendi, & præsidendi per se, vel per aliam. DXLVII. §. *Plerique*. *Regulares* Minoritæ de Observantia ex vi suæ regulæ sunt prorsus incapaces hæreditariæ successionis. DXXXIII. §. *Quod Fratres*. Procedit, sive hæreditas eis relinquatur jure directæ institutionis, aut per viam substitutionis, & fideicommissi. *ibid. Regulares* Minoritæ si instituantur hæredes, testamentum non valet, sed sit locus successioni venientium ab intestato, si nullus adsit substitutus, aut Cohæres, qui hæreditatem adeat, locus vero, si adsit cohæres, vel datus fuerit substitutus. *ibid.* §. *Suppositis*. *Regularium* Minoritarum Ecclesiæ ab possint hæredes instituti, hinc sunt inter se oppositæ sententiæ, quæ referuntur. §. *Quoad Ecclesias*. *Regulares* Minoritæ de Observantia instituti nequeunt hæredes cum hoc, ut bona hæreditaria per executores a Testatore nominatos vendantur, & pretium erogetur in reparationem Ecclesiæ, constructionem Cappellæ, & Sacram Suppellectilem, & quod quatenus hæredis constitutio non valeat ex aliqua causa in corpore Juris clausa, tunc valeat jure legati. *ibid.* §. *Quod pariter*.

RELIGIONEM ingredi valet Maritus, & in ea valide profiteri, si Mulier consentiat, & ipsa Religionem ingrediatur, si est juvenis, si non caret periculo incontinentiæ, aut votum perpetuæ continentiæ in Sæculo emittat in manibus Ordinarii, si est senex, & extra periculum incontinentiæ. CLXXXVI. §. *Ad hoc*. *Religionem* ingredi potest Conjux innocens etiam invito Adultero. CCLIV. §. *Addunt*. *Religionem*, ut ingrediatur Adulter, licentiam concedere potest Conjux innocens. *ibid. Religionem* ingredi, ibique Professionem emittere tenetur Mulier adultera Marito in sæculo manente solo voto continentiæ emisso. *ibid.* §. *Accisi*. *Religionem* ingredi, remanente Viro in sæculo, indulsit Sacra Congregatio Mulieri, quæ adulterium commiserat. *ibid.* §. *Rursus*. *Religionem* potest Conjux intra bimestre ante consummationem Matrimonii ingredi. CCCCXX. §. *Contendit*. *Religionem* ingredi potest Conjux non solum intra bimestre, sed etiam post illud, & terminum a Judice prorogatum, & per Professionem Matrimonium dirimitur. *ibid.* §. *Contendit*.

RELIGIOSUM Cappuccinum non fuisse rite, valideque e Religione ejectum per sententiam Superioris Regularis, rescripsit Sacra Congregatio. CL. §. *Item in una*. *Religiosi* ejectio, seu dimissio e Religione fieri debet servatis servandis a Superiore Regulari una cum Episcopo. *ibid.* §. *Hæc dicta*. *Religiosi* ejectionem fieri debere, servatis servandis, a Superiore Regulari una cum Ordinario, responsum fuit in *Burgen.* 13. *Apr.* 1720. *ibid. Religiosi* ad Episcopatum promoti Bona in locis, ubi jus Spolii viget, acquiruntur Cameræ Apostolicæ quoad eorum proprietatem. CCCXXXIX. §. *Hæc quoad*. Procedit, sive Bona ex causa testatæ, sive intestatæ Successionis acquirantur. *ibid.* §. *Gregoriana*. *Religioso* ad Episcopatum promoto comperit regressus ad Bona renunciata quoad usum, quo vero ad proprietatem, ea Ecclesiæ, vel cui de jure acquiruntur. *ibid. Religioso* professo ad Episcopatum promoto non obstat cessio, & renunciatio quoad hæreditates, quæ non sunt alteri ante adeptum Episcopatum acquisitæ. *ibid.* §. *Juxta*. *Religiosus* ad Episcopatum promotus paternam hæreditatem, aliaque Bona sibi quoad usum vindicat, Ecclesiæque acquirit quoad proprietatem, & dominium. *ibid. Religiosus* ad Episcopatum promotus paternam vindicat hæreditatem. *ibid.* Intellige tamen quoad usum, non quoad proprietatem, & dominium. *ibid. Religiosus* ad Episcopatum promotus remanet obstrictus voto paupertatis, & nihil proprii habet. *ibid. Religiosus* per Simoniam in Monasterium receptus damnetur ad serviendum Domino in alio Monasterio in habitu Monastico. CCXX. §. *Excipit in fin. Religiosus* deputari debet in Vicarium pro exercitio Curæ Animarum in Parochiali Monasterio subjective unita, dummodo alius Regularis Socius superaddatur. CCXXII. §. *Excipit*. *Religiosus* translatus incapax efficitur Beneficiorum Sæcularium etiam Curatorum, quamvis Canonicorum Regularium fuerit. §. *Sola*. *Religiosi* strictissimam paupertatem profitentes, ut Cappucini, sunt incapaces juris præsentandi, & pias dispositiones exequendi. CCXCII. §. *Quoad incapacitatem*. *Religiosi* S. Francisci de Familia, & de Reformatione debet victum, & vestitum præstare incerta mendicitas. CXCVII. §. *Facit secundo*. *Religiosos* S. Francisci Minoris Observantiæ esse absolvendos ab onere Missarum pro Legatis relictis a qq. Podamia Marinangeli, & Francisco Rullio, respondit Sacra Congregatio *in Firmana Legatorum* 31. *Maii* 1721. *ad I. Dub. ibid. A Religiosis* S. Francisci Min. Observantiæ Murri Vallium non posse retineri Legatum relictum a qu. Ludovica Moretti. *ibid. Religiosi* ejecti, si dederint signa pœnitentiæ, non possunt a Religione arceri, nisi aliter decernatur in Constitutionibus Ordinis. CCCCXXXII. §. *Apud*. *Religiosi* an, & quando ejici possint? *ibid.* §. *Tempore*. *Religiosi* an, & quando dicantur incorrigibiles. *ibid. Religiosi* an, & quando, & ex quibus delictis possint ad triremes damnari. *ibid.* §. *Horum*. *Religiosi* Ordinis Minorum Reformatorum redeuntes e Triremibus amplius ad Ordinem admittuntur. *ibid.* §. *Apud*. *Religiosi* condemnati ad Triremes, explera pœna, debent ad Religionem redire, & hæc debet eos recipere. *ibid.* §. *Doctores*. *Religiosi* ad Triremes damnati tenentur etiam tempore pœnæ ad observantiam Vororum Religionis, quantum tamen patitur eorum status infelix. *ibidem*. *Religiosos* duos, aut tres pro Fabrica perficienda manutenere licet Conventui S. Caroli, in *Tusculana* 3. *Martii* 1725. CCCCXIX.

REMISSORIAM esse denegandam, & Postiones clausas non esse admittendas juxta votum Rotale, rescriptum fuit in *Leopolien. Matrim.* 10. *Junii* 1724. CCCLXXX.

RENUNCIARE Episcopus potest Episcopatui ad terminos Textus in Cap. Nisi cum pridem §. Alia vero caus. de renunciat. XIV. §. *Ob hoc*.

AD RENUNCIATIONEM emittendam fuit admissa Margarita Victoria, quæ Monialis professa ex habitus delatione prætendebatur, *in Camerinen. Renunciationis 2. Augusti* 1721. CCXVIII.

REPUDII libellus a Moyse permissus fuit a Christo Domino sublatus. DXLVI. §. 14. *E contra in princ. & §. 41. Secundum*.

RESERVATIO Institutionis favore Capituli Sanctæ Mariæ in Via lata de Urbe fuit, se opponente Archiepiscopo Firmano, denegata a Sacra Congregatione. CCXLVIII. §. *In hac Sacra*. *Reservatio*, seu affectio Beneficii potest in limine fundatio-

dationis excludi . *ibid.* §. *Quoad exclusionem . Reservationem* Beneficiorum posse excludi in eorum fundatione, non autem illorum institutionem posse alteri Inferiori , quam Episcopo reservari, respondit Sac. Congregatio in *Taurinen.* 14. *Martii* 1722. *ibid.*

RESIDENTIA , sive servitium personale tolli potest per contrariam consuetudinem, quamvis illud in fundatione fit præscriptum . xcvi. §. *Putat . Residentiam* non adeuntes Episcopi juxta Constit. Urbani VIII. sed tempore habili supplicantes pro Indulto , nullas incurrunt censuras, licet eorum preces non fuerint ob Sanctitatis suæ, vel Secretarii impedimentum relatæ . xi. §. *De incursu . Residentiam* adire debent Episcopi post mensem a die eorum promotionis , hoc est a die pronunciationis factæ per Papam in Consistorio, & se itineri committere . *ibid.* §. *In Constitutione . Residentiam* omittens Canonicus , ut valide privetur de Canonicatu , expectandus est lapsus trium annorum , & transacto tertio anno , trina citatio per edictum est adversus eum absentem expedienda , & deinde expectari debet per alios sex menses, antequam deveniri valeat ad privationem . lxx. §. *A nullitate . Residentiæ* onus non habere Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ Oppidi Lu nominatos per Familiam de Bellardinis, resolvit Sacra Congregat. *in Casalen. Residentiæ* 18. *Martii* 1719. xci. *Residentiæ*, ac duarum aliarum Missarum onus apponere potest Patronus ad erectionem Beneficii deveniens, præsertim si Episcopus id oneris approbavit . cci. §. *Montis Falisci* .

RESIDERE omittens Canonicus nequit , nisi post triennium , Canonicatu privari . lxx. §. *A nullitate . Residere* tenentur Canonici Coadjuti , licet soleat eis a Sacra Congregatione facile concedi Indultum absendi . lvii. §. *Superest in fin. Residere* tenetur Mansionarius , & Choro interesse , licet reperiatur addictus servitio Ducis , vel alterius Baronis , alias neque de distributionibus , neque de aliis quibuscumque emolumentis participat , in *Comen. Destributionum 9. Maji* 1719. *ad III. IV. V. & VI. Dub.* civ. *Residere* , & Choro interesse si negligat Mansionarius , amittit distributiones, quæ aliis accrescunt juxta Fundatoris dispositionem , in *Comen. Distributionum 9. Maii* 1719. *ad VIII. Dub.* civ. *Residere* , & Choro, cæterisque Ecclesiasticis functionibus interesse tenentur duo Mansionarii fundati per Jacobum Gallium instar aliorum Mansionariorum . *ibid. ad I. Dub. Residere* in Parochiali tenetur Canonicus obtinens Parochialem ex Dispensatione Apostolica, & residendo in Parochiali lucratur fructus sui Canonicatus, exceptis distributionibus quotidianis . ccccxxiii. §. *Contendit* .

RESIGNANTI Beneficium , ad cujus titulum fuit ordinatus, non præstatur fides , quod aliunde vivere possit , licet id juramento affirmet . ccccxc. §. *Supposito . Resignans* Beneficium , ad cujus titulum fuerat ordinatus, tenetur in actu resignationis individualiter exprimere , se fuisse ad ejus titulum ordinatum , & hæc individua expressio non suppletur per assertivam *Forsan ordinatus --, in Lancianen. 9. Februar.* 1726. *ad I. & II. Dub.* ccccxc. *Resignans* tenetur aliud Beneficium habitum , vel alia Bona subrogare in locum Beneficii resignati , ad cujus titulum fuit ordinatus . *ibid. ad V. Dub. Resignantem* Beneficium , ad cujus titulum quis fuit ordinatus , habere , quo commode vivere possit , per probationes concludentes constare debet . *ibid. ad III. Dub.*

RESIGNATIO Beneficii , ut sit valida , requiritur individua expressio , quod Resignans fuit ad illius titulum ordinatus . ccccxc. §. *In eo* . *Resignationes* Beneficiorum , quæ admitti possunt per Episcopos , aliosque Collatores , enumerantur, *in Constitut. Piana* 58. *Pall. Tom.* 2. *ibidem* . §. *Sacrum* .

RESTITUTIO *in integrum* non conceditur ei , qui ante annum 16. completum Professionem emisit , si ipse sciens nullitatem Professionis non reclamavit , sed tacite eam ratificavit . lxxxiii. §. *Frater* . *Restitutio* in integrum , concessa fuit in *Sagonen. Nullitatis Professionis* 13. *Aprilis* 1720. *ibid. Restitutio* in integrum , denegata fuit in *Neocastren. Restitutionis in integrum* 7. *Decembris* 1720. xxv. *Restitutionem* in integrum non esse concedendam , respondit Sacra Congregatio in *Virdunen. Restitutionis in integrum* 24. *Februarii* 1720. cxxxix. *Restitutioni* in integrum locum non esse , respondit Sacra Congregatio in *Bisuntina Restitutionis in integrum* 12. *Februar.* 1718. iv. *Restitutioni* in integrum locum non esse responsum fuit in *Bisuntina restitutionis in integrum* 12. *Martii* 1718. iv. *Restitutioni* in integrum locum non esse , respondit Sacra Congregatio in *Comen. Nullitatis Professionis* 13. *Januar.* 1720. cxxxviii. *Restitutioni* in integrum adversus Professionem non esse locum , respondit Sacra Congregatio in *Fesulana Restitutionis in integrum* 21. *Januarii* 1719. lxxix. *Restitutioni* in integrum , cum quæreretur, num esset locus , Sacra Congregatio rescripsit -- *Dilata , & coadjuventur probationes , & Episcopus procedat , prout de jure contra Laurentium Fratrem Oratoris , in Sagonen. Nullitatis Professionis* 4. *Febr.* 1719. lxxxiii. *Restitutioni* in integrum cum quæreretur, num esset locus, rescriptum fuit -- *Dilata , & coadjuventur probationes , & interim Episcopus procedat ad formam Concilii contra Parentes -- In Neocastren. Restitutionis in integrum* 7. *Maii* 1718. xxv. *Restitutio* in integrum cum petita fuerit , Sacra Congregatio rescripsit -- *Dilata , & audiatur Procurator Generalis Ordinis , & scribatur Eminentissimo Archiepiscopo Januen. pro Informatione, an Conventus de quo in præsenti esset tempore Professionis emissæ ab Oratore destinatus pro Novitiatu , in Januen. Nullitatis Professionis* 2. *Decembris* 1719. cxxix. *Restitutio* in integrum adversus professionem , quæ nulla ex defectu ætatis contendebatur , fuit denegata sub fundamento, quo ignorantia veræ ætatis fuisset inverisimilis , quodque professio fuisset subinde tacite ratificata . ccxviii. §. *Notissimæ in fin. Restitutio* in integrum obtineri debet , & ejus cognitio est Apostolicæ Sedi reservata , ad hoc ut post quinquennium proponi possit Professionis invaliditas coram Ordinario , & Superiore Locali , & quinquennium computatur a die Professionis emissæ , non autem a die cessantis , vel sublati impedimenti , aut potentiæ reclamandi . cccxxvi. §. *Et merito . Restitutionis* in integrum cognitio adversus lapsum quinquennii non competit Ordinario Loci , & Superiori Locali , vel potius est reservata Sedi Apostolicæ . *ibid.* §. *Secundo . Restitutio* in integrum concessa fuit Moniali adversus Professionem per vim , & metum emissam , *in Pacen. Restitutionis in integrum* 19. *Decembris* 1722. ccxcvi. *Restitutio* in integrum adversus Professionem , quæ ob vim , & metum invalida prætendebatur , fuit Moniali concessa , in *Malacitana Nullitatis Professionis* 15. *Maii* 1723. cccxxvi. *Restitutio* in integrum adversus Professionem , quæ invalida prætendebatur ob vim , & metum incussum , fuit Moniali denegata *in Guadixen. Restitutionis in integrum* 15. *Maii* 1723. cccxxvii. *Restitutioni* locum esse adversus Professionem , quæ contendebatur irrita ob ætatis defectum , respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana Restitutionis in integrum* 10. *Aprilis* 1723. xxxix. *Restitutioni* in integrum adversus Professionem locum non esse, respondit Sacra Congregatio *in Viennen. Nullitatis Professionis* 13. *Septembris* 1721. cc11. *Restitutioni* in integrum ex deductis locum non esse , respondit Sacra Congregatio *in Viennen. Nullitatis Professionis* 8. *Februarii* 1721. *ibid. Restitutio* in integrum adversus Professionem denegata fuit *in Romana seu Albinganen.* 1. *Septembris* 1725. cccclix. *Restitutio* in integrum adversus Professionem fuit denegata , *in Ordinis Cappuccinorum 6. Julii* 1726. cccxlii. *Restitutio* in integrum adversus Professionem denegata fuit , *in Neapolitana Nullitatis Professionis 9. Septembris* 1724. cccxcvi. *Restitutio* in integrum cum petita fuerit adversus Professionem emissam a Cappuccino , qui laborabat morbo incurabili , Sacra Congregatio rescripsit -- *Ad Eminentissimum Protectorem juxta Mentem -- In Provincia Romanæ Cappuccinorum Nullitatis Professionis* 8. *Julii* 1724. cccxlii. *Restitutio* in integrum fuit concessa , *in Lavinen. Restitutionis in integrum* 11. *Januar.* 1727. dxxxi. *Restitutio* in integrum adversus Professionem fuit denegata , *ibid.*

ROCCHETTI , & Mozzettæ usus concessionem expediendam esse per Datariam , & locum esse erectioni Collegiatæ juxta numerum petitum Canonicorum , respondit Sacra Congregatio in *Syracusana Erectionis Collegiatæ* 24. *Februar.* 1720. cxxxi.

S

SACERDOS simplex non potest conferre Sacramentum Confirmationis . ccccxxxvi. §. *Et in tantum . T.* 2. *p.* 54. *Sacerdoti* tremulas manus habenti , an permitti queat Missæ celebratio cum alterius Sacerdotis assistentia . xxxii. §. *Pro negativa , & seqq.*

SACERDOTALIS qualitas est necessaria tempore præsentationis ad Beneficium , ad quod eligendus est Presbyter , qui Missas omni hebdomada celebrare teneatur . clxxxii. §. *Absque eo quod . Sacerdotale* judicatum fuit Beneficium , *in Lauretana* 16. *Decembris* 1724. *ad I. Dub.* cccxii. *Sacerdotalis* habitu tantum declarata fuit Cappellania , *in Ulixbonen. Cappell.* 17. *Nov.* 1725. ccccl xviii.

SACERDOTII qualitas dicitur requisita respectu actus , quando Fundator voluit , quod nominetur Sacerdos , vel quod Beneficium , seu Cappellania Sacerdoti conferatur . lxxxii. §. *Absque eo quod . Sacerdotii* qualitas requisita in Beneficio , vel Cappellania satis est , ut intra unius anni spatium valeat obtineri . *ibid.* §. *Supposito circa med.* Procedit , quando dicta qualitas requisita fuit respectu aptitudinis , secus si annexio Sacerdotii est facta respectu actus , tunc enim ea qualitas debet concurrere tempore præsentationis , vel Collationis . *ibid.* §. *E contra* .

SACRAMENTUM non debet in Orationem 40. horarum exponi feria v. in Cœna Domini . lxxviii. §. *Quoad Expositionem . Sacramentorum* administrationem simulandi non est justa causa metus gravis . clx. §. *Ad tertium . Sacramenti* expositio in forma 40. horarum nequit fieri in Cathedrali Feria quinta Hebdomadæ Sanctæ , in *Verulana Visitationis Sacrorum liminum* 21. *Januarii* 1719. *ad IV. Dub.* lxxviii. *Sacramenti* expositionem fieri debere qualibet prima Dominica Mensis in Altari Confraternitatis , & non in Altari majori Ecclesiæ S. Pauli , & Episcopum prohibere debere , ne sequantur inconvenientia , respondit Sacra Congregatio in *Molevitana Expositionis Sanctissimi Sacramenti* 4. *Februarii* 1719. lxxxvi. *Sacramentum* Eucharistiæ retineri posse in Oratorio Confraternitatis , respondit Sacra Congregatio in *Novarien. Aggregationis* 24. *Septemb.* 1718. *ad II. Dub.* lvi. *Sacramentum* Eucharistiæ, ut in aliis Ecclesiis etiam non Parochialibus retineatur , si ab immemorabili fuerit in eisdem asservatum , approbavit Sacra Congregatio . ccliii. §. *Operæ . Sacramentum* Eucharistiæ retineri posse in Ecclesiis intra Parochiæ limites existentibus sine præjudicio jurium Rectorum indulsit aliquando Sac. Congregatio . *ibid. Sacramentum* Eucharistiæ nequit in Ecclesiis Con-

fessis . ccclxxvi. §. *Fundamentum . Seminaria* debent prope Cathedralem Ecclesiam erigi . cccxl. §. *Capitulum . Seminarii* translatio ad locum , seu Oppidum distitum a Cathedrali facta ab Episcopo ex facultate sibi a Sacra Congregatione impertita fuit declarata valida , *in Melevitana Seminarii 9. Junii* 1725. cccxl. *Seminario* contribuere tenentur Regulares omnes, nisi pro Beneficiis illis , quorum ratione ipsis Apostolica Sedes directe, & expresse , & ex causa vere , ac proprie onerosa indulsit , ut ab onere taxæ Seminarii essent exempti , juxta Constitutionem Benedictinam , quæ tamen restricta est ad Ordinarios Locorum Italiæ , & insularum adjacentium . dlii. §. *Quoad bonum jus circa med. Seminario* contribuere tenentur etiam Abbatiæ , & Prioratus cujuscumque Ordinis etiam Regularis . *ibid. Seminario* contribuere non tenentur Carthusiani ratione Privilegii exemptivi approbati a Sacra Congregatione . *ibid. Seminario* contribuere tenentur Fratres Mendicantes ex reditibus Beneficiorum Monasteriis annexorum . *ibid. Seminario* contribuere non tenentur Monasteria Mendicantium , nec Fratres S. Joannis Hierosolymitani . *ibid.*

SENTENTIAM privationis Canonicatus non sustineri , respondit Sacra Congregatio in *Romana Canonicatus* 3. *Decemb.* 1718. *ad I. Dub.* lxx. *Sententiam* non sustineri ex defectu citationis , & transportationis Actorum , respondit S. Congr. in *Lucana Præposituræ* 16. *Decemb.* 1719. cxxx.

SEPELIRE nequit Confraternitas mortis Cadavera Pauperum defunctorum , vel occisorum , si Parochus ad ea sepelienda paratus est , in *Novarien. Aggregat.* 24. *Septemb.* 1718. *ad X. Dub.* lvi. *Sepelire* potest Confraternitas mortis Pauperum defunctorum , vel occisorum Cadavera , renuente Parocho ea tumulare , immo potest Ecclesiæ Parochialis januam per vim aperire . *ibid. Sepelire* Cadavera suorum Famulorum in propriis Cœmeteriis concessum est Regularibus Ordinis Minorum S. Francisci per Privilegia Clementis IV. , & Sixti IV. , cxxxix. §. *At in eo . Sepelivi* debent in Parochia Cadavera Famulorum inservientium Monialibus .. dlxiii. §. *Quoad exemplum* .

SEPULTURÆ erectionem factam pro tota alicujus Familia sustineri , responsum fuit in *Fanen. Sepulturæ* , & *Quæstæ funeralis 9. Maii* 1719. *ad I. Dub.* li. *Sepulturæ* electio ex duorum Testium depositione satis probata dicitur . cccxxi. §. *Redacta , Sepulturæ* electio facta a Defuncto ad suggestionem alicujus non sustinetur . cclxxv. §. *Archipresbyter* . De Sepulturæ electione constare , respondit Sacra Congregatio in *Tudertina* . *ibid.* §. *Francisca . De Sepulturæ* electione constare , respondit Sacra Congregatio in *Tudertina Sepulturæ* 4. *Julii* 1722. *ad I. Dub.* cclxxv. *De Sepulturæ* electione satis constare , responsum fuit *in Sorana Funerum* 24. *Aprilis* 1723. *ad I. Dub.* cccxxi. *Sepulturam* dare in Ecclesiis etiam exterioribus Monialium prohibitum est . dlxiii. §. *Parochus* .

SEQUENTIA *Dies iræ* recitari debet die Commemorationis omnium Defunctorum , depositionis Defuncti , & quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio . ccciv. §. *Quoad sequentiam . Sequentia Dies iræ* nequit ex industria sine peccato omitti . *ibid. Sequentiam Dies iræ* canendam esse in Missis Anniversariis pro Defunctis , rescripsit Sacra Congregatio *in Montis Marani Servitii Ecclesiæ* 30. *Januarii* 1723. *ad II. Dub. ibid.*

SIMONIA ut patrata cognoscatur , videndum est , an res, quæ fuit in contractum deducta, sit nec ne spiritualis , sive Ecclesiastica , non aurem an ingressus fuerit titulo Institutionis , vel titulo administrationis . lii. §. *Absque* . *Simoniam* confidentialem patrasse dicitur is , qui antequam ad Beneficium præsentaretur donavit Patronis rem , quæ erat de juribus ejusdem Beneficii , & remisit , quod ab illis solvendum est pro jure Sacristiæ , Missarum cantatarum . *ibid.* §. *Ab hac Simoniæ* crimine infectus nequit adversus Correum restificari . *ibid.* §. *Ad partes . De Simonia* non constare , sed donationem fuisse illicitam , respondit Sacra Congregatio in *Neapolitana pretensæ Simoniæ* 26. *Augusti* 1719. *ad I. Dub. ibid. Simoniæ* cadens in Jurepatronatus est de jure positivo Ecclesiastico non Divino , cum Juspatronatus in se non sit quid spirituale , sed annexum spiritualibus dicatur . cccxxviii. §. *Urget circa fin. Simonia* committitur in collatione Beneficii facta ei, qui Bona sua patrimonialia pro illius dote contulit , & quidem cum præcedenti pacto , ut illud sibi Dotanti conferatur . cccxxix. §. *Quoad collationem . Simonia* juris positivi , accedente Apostolica authoritate , evitatur . cccxxviii. §. *Urget in fin. Simonia* si in receptione ad Religiosum habitum fuit patrata , an id , quod traditum est , possit a Monasterio retineri , examinatur . ccxx. §. *Hæc quoad validitatem . Simonia* locum habere potest in Cappellaniis Laicalibus juxta unam opinionem ; secundum vero alteram Sententiam veriorem Cappellaniæ Laicales non sunt capaces Simoniæ . ccc. §. *Plana circa prine. Simoniam* non fuisse commissam ex pactionibus super Cappellania Laicali adjectis , & paciscentem pœnas Simoniæ non incurrisse , licet dictæ pactiones essent illicitæ , respondit Sacra Congregatio in *Neapolitana* relata . *ibidem* . §. *Plana in fin. Simoniam* committit is , qui temporale aliquid donat , ut Juspatronatus acquirat . cccxxviii. §. *Et præmisso* . *Simonia* , quæ committitur ab eo , qui bona sua largitur , appositio pacto , ut vel ipse , vel alius ab eo nominandus Beneficium obineat , est Juris Ecclesiastici , & proinde funabilis , intercedente authoritate , præsertim si agatur de Beneficio *simplici* . cccxxi. §. *Certum . Simonia* ab eo committitur , qui bona sua largitur appositio pacto ut , vel ipse , vel *alius* ab eo nominandus Beneficium obineat . *ibid. Simonia* non est recipere dotem solvendam pro victu , amictu , *supellectili* , & aliis

necessariis ad sustentationem Puellæ volentis ingredi Monasterium. cccxxxv. §. *De hoc articulo. Simonia* an committatur in casu *Dotium*, quæ a Monialibus occasione Professionis persolvuntur Monasteriis, est articulus intricatissimus. *ibid.* §. *Hæc sunt. Simoniæ*, & avaritiæ speciem redolet exactio Doris, quæ a Monialibus persolvitur Monasterio opulento, secus quando Monasterium est inops, *ibid. Simoniam* non esse recipere dotem Monialis, & Monasterium agere posse pro illius consecutione, respondit Sacra Congregatio *in Bononien.* 14. *Aprilis* 1725. cccxxxv.

SIMONIACÆ non sunt, licet illicitæ, Conventiones initæ super Cappellania Laicali. lii. §. *Ad jus. Simoniacæ* sunt quæcumque solutiones factæ occasione possessionis Canonicatus, & Præbendæ, & consuetudo licet immemorabilis circa eas est irrationabilis, & a jure reprobata, si id, quod exigitur, vel persolvitur, cedat in utiliratem particularem aliorum Canonicorum, secus autem si in usus pios erogetur. lxxi. §. *Porro. Simoniaca* non sunt pacta super Cappellaniis laicalibus, sunt vero illicita, & irreligiosa. ccc. §. *Plana circa med. Simoniacæ* labes cessat, intercedente Apostolica authoritate, ac plura Apostolicæ beneficentiæ exempla referuntur. cccxxix. §. *Intercedente. Simoniacum* est aliquid recipere nedum pro re spirituali, vel spiritualibus antecedenter adnexa, sed etiam pro re spiritualibus adnexa consequenter. cccxxviii. §. *Et præmisso in princ. Simoniacæ* non sunt, quia prohibitæ, pactiones circa Parochiales, & receptiones rei temporalis pro spirituali, sed prohibitæ sunt, quia Simoniacæ, & prohibitæ de jure Divino, *ibid.* §. *Facit. Simoniacæ* pactiones circa Parochiales, an prohibitæ sint de jure Divino, & an debeant ab Apostolica Sede confirmari, referuntur Sententiæ. *ibid.* & §. *Urget.*

SPOLII jure ad Cathedrales spectant omnia, & singula ornamenta, paramenta, vasa, aliæque res Sacræ juxta Bullam 23. S. M. Innoc. XIII. ccxl. §. *Mortua. Spolio* subjecta sunt Bona Regularium extra Conventus etiam cum licentia Superiorum degentium, & Cameræ Apostolicæ applicantur. cccxxxix. §. *Hæc quoad. Spolium* omnium eorum, quæ ab Episcopo quæsita fuerunt ex priori Ecclesia, a qua fuit translatus, eidem Ecclesiæ competunt. dxv. §. *Nihil. Spolium* Ornamentorum, paramentorum, aliarumque rerum ad usum, & cultum Divinum spectantium debetur Ecclesiis, quibus Episcopi præfuerunt, *ibid.* §. *In memorata. Spolium* Ornamentorum, & aliorum non debetur Ecclesiæ, sed Creditoribus Episcopi, si alia bona non sufficiant, *ibid.* §. *In memorata circa med. Spolium* Ornamentorum, & paramentorum debetur Ecclesiæ, & de his rebus Episcopi nequeunt disponere per ultimam voluntatem, & per contractum lucrativum, secus vero per contractum onerosum, *ibid. Spolii* jure spectant ad Ecclesiam, a qua Episcopus fuit translatus, Mobilia, Libri, pecuniæ, argenta, aliaque Bona præter Sacra Paramenta, *in Trivicana, seu Tricarien. 6. Julii* 1726. *ad I. Dub.* dxv. *Spolii* jure debet Ecclesiæ, a qua Episcopus fuit translatus, solvi ex hæreditate Episcopi pretium Mobilium, Paramentorum, aliarumque rerum, si eadem Mobilia non extent, sed constet ea habuisse, *in Trivicana, seu Tricarien. 6. Julii* 1726. *ad IV. Dub.* ccccixxiii. *Spolium* non licet Episcopo exigere ab hæreditate Parochorum desunctorum, *in Compsana Spolii 6. Julii* 1726. *ad I. Dubium*, *ibid.*

SPONSALIA si sint jurata, an alter ex Sponsis, antequam Religionem ingrediatur, teneatur Matrimonium contrahere. xcix. §. *Absque eo quod in princ. Sponsalia* esse valida, sed non esse servanda, si ab altero ex Sponsis Professio emittatur, respondit Sacra Congregatio in *Tuderina 9. Maii* 1719. xcix. *Sponsalia* dissolvuntur, si Sponsus absque Sponsæ licentia ad aliam Terram se transferat, vel animo non redeundi, vel sine spe brevis reditus. cccl. §. *At quidquid*, Procedit, etiamsi Sponsus degat in Regione propinqua, Sponsalia enim etiam tunc dissolvuntur, postquam ei fuerit certum tempus a Judice concessum, illudque elapsum, in qua temporis præfixione idem Judex debet attendere circumstantias, & signanter periculum incontinentiæ. *ibid.* A Sponsalibus recedendi justam præbent causam statuta, quibus prohibetur Matrimonia absque Parentum consensu inire. cccxviii. §. *Addunter. Sponsalium* dissolutioni justam præstat causam dissensus Patris, cum inde possit notabile detrimentum obvenire. clxxx. §. *Factum in fin. Sponsalia* qui contraxit, obstringitur Matrimonium inire, neque potest dotem loco Matrimonii tradere, *in Neapolitana Sponsalium* 17. *Septembris* 1722. *ad II. Dubium*. cclxxix. *Sponsalia* non fuisse satis probata, & de illis non constare, respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana Sponsalium* 23. *Augusti* 1721. clxxx. *Sponsalia* non fuisse satis probata, responsum fuit, *in Neapolitana Sponsalium* 7. *Februarii* 1722. *ibid.* De Sponsalibus constare, sed Sponsam esse monendam, non autem cogendam, responsum fuit *in Majoricen. Sponsal.* 24. *Apr.* 1723. *ad I. & II. Dub. ibid.* De Sponsalibus constare, rescriptum fuit *in Neapol.* 17. *Septemb.* 1722. cclxxix. *Sponsalia* inire non dicuntur, si quis promittat aliam non ducturum in Uxorem, nisi talem Puellam. ccccxxxiv. Limita, quando ex conjecturis apparet, quod Promittens modo prædicto habuerit intentionem ineundi Sponsalia, *ibid.* §. *Procedentia. Sponsalia* dissolvi possunt propter Patris dissensum, & timorem exhæredationis, *ibid.* §. *Hæc sunt. Sponsalia* dissolvendi an justam præstent causam dissensus Parentum, & timor exhæredationis. *ibid.* §. *Hæc sunt. Sponsalia* inita a Patre, vel a Patruo, Filio, aut Nepote absente, sunt invalida, nisi ratificata fuerint. ccccxlv. §. *Creatrix. Sponsalia* inita inter Conjunctos quarto, aut quinto gradu Consanguinitatis sunt invalida, etiamsi contracta fuerint sub conditione Apostolicæ Dispensationis, *ibid.* §. *Addit. Sponsalia* inita inter Hæreticum, & Catholicam sunt invalida, nec ullum producunt effectum, ccccixix. §. *Quoad Matrimonium*. Limita juxta aliquorum Sententiam in Locis, ubi Hæretici permixti vivunt cum Catholicis, *ibid.* §. *Alii. Sponsalia* dissoluta esse ob Partis dissensum, respondit Sacra Congregatio *in Mediolanen. Sponsalium* 13. *Julii* 1725. ccccxxxiv. *Sponsalia* esse valida, respondit Sacra Congregatio *in Salernitana Sponsalium* 13. *Julii* 1725. *ad I. Dub.* ccccxlv. *Sponsalibus* licet valide initis, Mulierem non esse cogendam ad Matrimonium ineundum, sed ei liberum esse a Capitulis Matrimonialibus recedere, respondit Sacra Congregatio *in Salernitanæ Sponsalium* 13. *Julii* 1725. *ad II. Dub.* ccccxlv. De sponsalibus non constare, & ad Matrimonium ineundum non esse cogendum Donatum, respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana Sponsalium* 14. *Martii* 1725. ccckcviii. De Sponsalibus non constare, respondit Sacra Congregatio *in Neapolitana* 23. *Junii* 1725. ccccxxviii. De Sponsalibus constare, responsum fuit *in Biturtina Sponsalium* 18. *Maji* 1726. ccccxlvii. *Sponsalia* de futuro de jure Decretalium transibant in Matrimonium ex Copula inter Sponsos affectu maritali exercita, dxliv. §. *Contendunt. Sponsalia* hodie non transeunt in Matrimonium propter jus novum a Tridentino inductum *sess.* 24. *c.* 1. *de Ref. Matr.*, ubi nullum declaratur Matrimonium sine præsentia Parochi contractum, dxliv. §. *Contendunt in fin. Sponsalium* executioni locum non esse, & ad Matrimonium ineundum non esse cogendam puellam, sed posse nova contrahere Sponsalia cum alio viro sibi benevisо respondit Sacra Congregatio, *in Neapolitana* 17. *Aprilis* 1728. *ad* I. & *II. Dub.* dxciv. *De Sponsalibus* constare, & locum esse coactioni ad Matrimonium ineundum, respondit Sacra Congregatio *in Lancianon.* 8. *Februarii* 1727. *ad I. & II. Dub.* dxxxv. *De Sponsalibus* constare, rescripsit Sacra Congregatio *in Civitatis Ducalis* 5. *Julii* 1727. dlvii.

SPONSUS, an teneatur, recedente Muliere a Sponsalibus, restituere pecuniam receptam in Causam dotis, cum disceptatum fuerit, Sacra Congregatio rescripsit. *Ad Judices suos — In Salernitana Sponsalium* 13. *Julii* 1725. *ad III. Dub.* ccccxlv.

STATUS ultimus attenditur, & cuicumque alteri statui anteriori præsertur, ubi agitur de possessione conferendi, præsentandi, & eligendi. ccxxxiii. §. *Absque eo quod. Status* ultimus Beneficii, an illud sit Regulare, vel Sæculare, an Curatum, vel simplex, non attenditur, si constat de statu anteriori contrario, nisi ultimus status sit legitime præscriptus. *ibid. Statum* hæreditarium esse firmandum, rescripsit S. Congr. *in Burgi S. Domn.* 24. *Maii* 1727. dlvi.

STATUTUM Capitulare, & Episcopi Decretum circa methodum inserviendi per substitutum reducendum est ad formam Resolutionum Sacræ Congregationis. ccviii. §. *Tandem. Statuta* Ordinis Hierosolymitani præscribunt, quod nemo, qui Matrimonium consummavit, ad Ordinem recipiatur. cccxiii. §. *Secundum. Statutum* Montis Pietatis esse observandum juxta modum, S. ut sub eodem statuto comprehendantur omnes duodecim Præfidentes respondit S. Congreg. in *Bononien.* 1. *Sept.* 1725. ccccix.

STIPENDIUM deberi Sacerdori deputato pro exercitio Curæ Animarum ad formam Decreti D. Secretarii, respondit Sacra Congregatio *in Fulginatensi* 30. *Septembr.* 1724. cccciii.

STOLAM in Processionibus deferre tantum potest in Oratorio, non autem extra illud Cappellanus Confraternitatis, in *Novarien. Aggregation.* 24. *Septemb.* 1718. *ad VI. Dubium*. lvi.

SUBCOLLECTORES, seu Commissarii deputati pro Locis exempris, & Diœcesibus adjacentibus non gaudent exemptione, & Episcopus potest in eos procedere. ccxliii. §. *Exemptio in fin. Subcollectores* spoliorum non comprehenduntur sub nomine Officialium Apostolicæ Sedis, & exemptione, ab ordinaria Episcopi jurisdictione elargita Officialibus Apostolicæ Sedis *in Extrav. cum Matthæus de haret.* non fruuntur. *ibid.* §. *De Spoliorum. Subcollectorum* numerus, eorum qualitates, & casus, in quibus frui debeant exemptione, statuuntur in Decreto Sac. Congregationis edito *die* 27. *Februar.* 1677. *ibid.* §. *Exemptio. Subcollectorum* Substituti, & Officiales nulla gaudent exemptione, & excepto uno tantum Notario pro quolibet Subcollectore in actu exercitii. *ibid. Subcollectorum*, & Commissariorum in Regno signanter Neapolitano existentium exemptio innixa est Constitut. 25. *Gregorii XIII. Bull. Tom.* 2. *& Constitut.* 202. *Urbani VIII. Tom.* 5. *ibid. Subcollectorum*, seu Commissariorum munus pro Locis exemptis, & aliis Diœcesibus adjacentibus exercentes, sed commorantes in Civitate, aut Diœcesi, v. g. Caputaquensi, non debent frui exemptione a Jurisdictione Ordinarii, in *Caputaquen. Visitationis Sacrorum Liminum* 14. *Martii* 1722. *ad I. Dub. ibid. Subcollectorum*, & Commissariorum Patentati exempri non sunt a Jurisdictione Ordinarii, quo vero ad alios Capitulorum Ecclesiarum Patriarchalium S. Joannis in Laterano, & S. Petri de Urbe, suspensa fuit resolutio, *ibid. ad III. Dub. Subcollectorum*, & Commissariorum Actuarii non debent frui eadem exemptione, qua fruuntur Subcollectores, & Commissarii, *ibid. ad II. Dub.*

SUBDIACONO, qui continentiæ voto se obstrinxit, causam præstat dispensationi ab eodem voto vis, & metus ei incussus, ut Subdiaconatus Ordinem susciperet. cxiv. §. *Supplicationis in fin. Subdiacono* denegata fuit dispensatio a Voto continentiæ, eo quia metum ex Testibus allegatum non probavit.

bavit. *ibid.* §. *Absque eo quod. Subdiaconum*, qui contendebat Ordinem Sacrum per vim, & metum fuscepisse, obstringi voto Continentiæ, & ab eo non esse dispensandum, respondit S. Congr. *in Namurcen. Dispensat.* 16. *Decemb.* 1724. *ad I.*, *& II. Dub.* ccccxiv.

SUBDIACONATUM recipiens per coactionem causativam, & conditionalem an teneatur ad votum continentiæ remisive. cxiv. §. *Supplicationis*.

SUBDITUS ratione Originis is est, qui naturaliter natus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat. viii. §. *Episcopus*. Procedit, dummodo ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, Officii Legationis, Mercaturæ, & cujuslvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in eo loco. *ibid. Subditus* vero ratione domicilii ad effectum is dicitur, qui in aliquo loco stabiliter constituerit domicilium per decennium inhabitando, vel majorem rerum, ac Bonorum suorum partem cum instrumentis ædibus in locum illum transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando. *ibid.* Requiritur tamen præter hæc, ut jure jurando in utreque casu affirmet, se vere, & realiter animum habuisse domicilium contrahendi. *ibid. Subditus* ad effectum suscipiendi Ordines, ut quis censeatur, attenditur domicilium legitime per Patrem ordinandi contractum, non autem ejusdem Patris origo. *ibidem*. §. *Iterat.*

SUBROGATIO Missarum lectarum loco 145. Anniversariorum annuatim celebrandorum indulta fuit Capitulo Cathedralis Bracharensis ex motivo, quod Anniversaria erant Canonicis nimis onerosa. clxv. §. *Pro facilitori in fin. Subrogationem* Missarum loco Anniversariorum per Moniales celebrandorum cum cantu, addito aliquali earum numero, ex motivo magni incommodi, quod Moniales subire tenebantur in adimplemento dictorum Anniversariorum indulsit S. Congregatio. *ibid.*

SUBSIDIUM dotale, cum peteretur a Puella prælative quoad alias Puellas, & sine lege Bussoli, rescriptum fuit — *Dilata, & conjuventur probationes super Consanguinitate in Romana Subsidii dotalis* 16. *Martii* 1720. cxlvi. *Subsidium* dotale non esse tradendum Eleonoræ Catharinæ Fundati prælative quoad alias Puellas, & absque lege Bussoli, respondit Sacra Congregatio in *Romana Subsidii dotalis* 13. *Apr.* 1720. *ibid. Subsidia* dotalia distribuenda Puellis Orphanis non debere tradi Puellis, quæ non sunt Orphanæ, licet sint Consanguineæ Testatoris, resolvit Sacra Congregatio in *Messanen. Subsidiorum dotalium* 19. *Novembris* 1718. lxv. *Subsidiis* dotalibus nequeunt apponi Onera, & pactum reversivum in schedulis impressis assignationis, *in Romana Dotium* 2. *Decembris* 1724. ccccvi.

SUBSTITUTIONI locum non esse, respondit S. Congreg. *in Jamen. Legati* 22. *Sept.* 1725. ccccixv.

SUDARIOLUM, & pannum antea solitum cum Cadavere asferri, & ab Hæredibus Parocho consignari, S. Congregatio mandavit amplius non asferri, nec ab Hæredibus consignari Parocho, in *Tudertina Funerum* 13. *Aug.* 1718. i.

SUPELLECTILIA, Statuas argenteas, aliaque argenta ad Cappellam S. Erasmi, pro cujus ornatu a triginta annis citra semper inservierunt, necnon pecunias exactas, & exigendas ex Gabellis, & aliis bonis dictæ Cappellæ assignatis per Concilium Civitatis, pertinere, eorum vero custodiam spectare ad Deputatos, resolvit S. Congr. in *Cajetana* 2. *Julii* 1718. *ad II. Dub.* xxxix.

SUPPLEMENTUM tradi debet, nec reductioni locus est, quoties Testator incepit ab onere, & deinde quantitatem designavit, secus si incepit a designatione summæ, postmodum onus injunxit. lxxxv. §. *Si de*. Limita ex Testamento, aliisque circumstantiis colligatur, supplementum sibi locum vindicare non posse. *ibid.*

SUPPLERE tenetur hæres, quando fuit legata res in specie, quæ reminet penes Hæredem habentem onus curandi celebrationem Missarum, secus autem quando Testator hæredem gravavit ad tradendum Legatario rem legatam, & Legatario injunxit onus curandi celebrationem. celxiv. §. *Mandatum, & seq.*

SUPPRESSIONI Domus Presbyterorum nuncupatorum *Fratrensium* Civitatis Coloniæ pro erectione Seminarii in eadem Civitate, locum non esse, respondit Sacra Congregatio, *in Colonien. Erectionis Seminarii* 19. *Augusti* 1724. *ad I. Dub.* ccclxxxviii.

SUSPENSIO Missarum celebrandarum, an, & quando concedatur, si Missæ plures fuerint anticipate celebratæ. xxviii. *In Congreg. Suspensionem* ab Ordinis Sacerdotalis administratione contrahit Presbyter tremulas manus habens propter periculum subversionis sanguinis. xxxii. §. *De justitia. Suspensionem* a Divinis ab Episcopo contra Procuratores Capituli insistam non sustineri, respondit Sacra Congregatio *in Sutrinen.* 2. *Decemb.* 1719. cxxiv. *Suspensionis* pœna ab eo incursa, qui Ordines sine Dimissoriis proprii Episcopi suscepit tollenda est per Apostolicam dispensationem, non obstante, quod Ordinarii consensus deficiat, in *Romana* 21. *Maii* 1718. *ad V. Dub.* xxx. *Suspensio* a Divinis intricta, pendente appellatione, declarata fuit invalida, *in Amalphitana* 19. *Aug.* 1724. cccxc. *Suspensionem* Parochi ab exercitio Parochialis sustineri, respondit Sacra Congregatio *in Ratisbonen.* 4. *Augusti* 1725. ccccxxix. *Suspensio* olim ex Bulla Sixti V., conferendo absque interstitiis Ordines, incurrebatur, & si quis in ordinibus sic receptis ministrabat, irregularitas etiam contrahebatur, sed Clemens VIII. exceptis iis, quæ ad Simoniacam labem pertinerent, eam revocavit ad terminos Tridentini. dxcii. §. 2. *Si non serventur circa med. Suspensio* non incuritur neque ab Ordinato, neque ab Ordinante in locis, ubi consuetudo viget conferendi eadem die Ordines Minores cum Subdiaconatu. *ibid.* §. *Ac alii circa med. Suspensio* ab Ordinum collatione an, & quando ab Episcopo eadem die Minores Ordines, simulque Subdiaconatum conferente incurratur, disseritur. *ibid.* §. 10. *Quinimmo. Suspensionis* pœna remissa fuit pro ea vice Episcopo, qui duos Minores cum Subdiaconatu nonnullis Clericis eadem die contulerat, dummodo imposterum a similibus se abstineret. *ibid.* §. 11. *De hac controversia in fin.*

SUSPENSUS non est, qui fuit ordinatus sine titulo sufficienti, & ideo ministrando non incurrit irregularitatem. cxiii. §. *Licet. Suspensus* remanet ab executione Ordinum susceptorum ordinatus absque literis dimissoriis sui Ordinarii, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire. xxx. §. *Orator. Suspensus* remanet ab executione Ordinum susceptorum is, qui illos sine Dimissoriis proprii Episcopi suscepit, in *Romana* 21. *Marii* 1718. *ad IV. Dub.* xxx. *Suspensi* declarati fuerunt Clerici, qui duos Minores cum Subdiaconatu susceperunt, eisque elargita fuit absolutio, cum in susceptis propter reverentiam non ministrassent, prævia tamen salutari pœnitentia arbitrio Episcopi viciniorii. dxcii. §. 11. *De hac controversia*.

SYNDICUS Patrum S. Francisci Minorum Observantiæ habet facultatem a Summo Pontifice alienandi mobilia, & immobilia sub modo licito relicta. xcv. *Syndicos* Fratrum Ordinis S. Francisci non posse procedere ad venditionem Mobilium, aliarumque rerum, nisi, prævia Edictorum affixione, & venditio fiat majori Oblatori, in *Ordinis S. Francisci* 18. *Martii* 1719. xcv. *Syndici* nomine nequeunt Fratres Observantes retinere Bona stabilia, Census, aliosque annuos reditus. cxcvii. §. *Tum quia circa med. Syndico* Apostolico dumtaxat licitum est, non Fratribus Minoribus Observant. exigere in Judicio Legata facta Sacristiæ, vel Fabricæ Ecclesiæ, aut Conventus. *ibid.* §. *Hæc sunt in fine. Syndicus* nequit habere dominium, & possessionem Census relicti Fratribus Observantibus. *ibid.* §. *Tum quia in princ.*

SYNODALES tres Examinatores sufficiunt, ut Concursus ad Parochiales rite, valideque habeatur. cxxxv. §. *Contendit autem*.

T

TAXA Innocentiana prohibet, ne quidquam occasione administrationis extremæ unctionis, ac aliorum Sacramentorum percipiatur. i. §. *Asserunt. Taxam* Seminario tenentur contribuere Beneficiati, & possunt ad id per Censuras, aliaque Juris remedia, invocato etiam auxilio brachii Sæcularis compelli. clxii. §. *Fundamentum. Taxam* Seminario solvere tenentur Parochi, Beneficiati, Confraternitates, cæterique omnes comprehensi in taxa, & cogendi sunt pro terminis decursis, & decurrendis, quacumque appellatione suspensiva, & quibuscumque inhibitionibus Urbis non obstantibus, in *Interamnen. Taxæ Seminarii* 11. *Maii* 1720. clxii. *Taxæ* Innocentiana prohibet Parochis, Confessoribus, aliisque Ministris accipere discum, aut aliud vas, in quo vas *Olei Sancti fuit repositum pro extrema Unctione ministranda*. ccexi. §. *Quoad discum. Taxæ* persolvitur Seminario ex fructibus Abbatiæ Clarævallis unitæ Collegio Romano. cccxx. §. *Denique. Taxa* Seminario Romano persolvi debet ex Beneficiis unitis alicui Capitulo. cccxx. §. *Consimilis in fin. Taxam* Seminario præstare non tenentur Collegia Discentium, vel Docentium ad commune Ecclesiæ Bonum promovendum. *ibid.* §. *Denique*. Intellige tamen de Collegiis Sæcularibus, non Regularibus. *ibid.* §. *Addi. Taxam* Seminario contribuere tenentur Mendicantes pro Beneficiis unitis, licet in eorum Monasteriis habeantur lectiones Grammaticæ, & Casuum Conscientiæ. *ibid.* §. *Nec Promotor. Taxæ* Seminarii esse subjectum Beneficium erectum in Cathedrali Velitrena, ac per Sixtum V. unitum Collegio S. Bonaventuræ Urbis, respondit Sacra Congregatio *in Velitrena Taxæ Seminarii* 24. *Aprilis* 1723. *ibid. Taxam* Seminario Romano contribuere debere omnes, & non esse Exemptos nisi eos, qui nominatim a Sacro Concilio Tridentino *Cap.* 18. *sess.* 23. excipiuntur, etiamsi sint Prælati familiares Papæ, & S. R. E. Cardinales, quamvis Camerales, nec eis suffragari privilegia exemptionis nisi in dictis privilegiis fuerit facta specialis, & individua derogatio Concilii Lateranensis, necnon expressa mentio quasi possessionis exigendi ante hujusmodi privilegia contribuendi pro Seminario, ex Beneficiis, & Pensionibus possessis. ccclxxvi. §. *Fundamentum*.

TERTIARIÆ, quæ in communi, & in Congregatione vivunt, comprehenduntur sub Constitutione S. Pii V. & hæc ad eas est restricta, secus vero Tertiariæ viventes in propriis Domibus, vel Consanguineorum, & votum emittentes cælibis, & virginalis vitæ. cccv. §. *Super. Tertiariæ* prohibitæ alias recipere, ex quo votum non emiserint, ad vivendum in Con-

Congregatione omnino inhabiles redduntur, *ibid. §. Supervenit in fin. Tertiariæ* Mulieres, quæ etiam de Pœnitentia dicuntur, cujuscumque Ordinis fuerint in Congregatione viventes si professæ fuerint, itaut solemne votum emiserint, ad Clausuram præcise tenentur. *ibid. §. Supervenit in princ. Tertiariæ* in Congregatione viventes, si professæ non fuerint, & Votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus debent illis persuadere, ut illud emittant, & profiteantur, & post professionem se clausuræ subjiciant. *ibid. §. Supervenit circa med. Tertiariæ* volentes absque emissione Professionis, & clausura vivere, prohibentur in futurum ullam aliam in hunc Ordinem, Religionem, Congregationemve recipere. *ibid. §. Supervenit. Tertiariæ* in Congregatione viventes, si renuant solemne votum emittere, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniri debent. *ibid. Tertiariarum* collegialiter viventium Conservatoria non approbantur, sed tolerantur, & ita tolerata sub Ordinarii jurisdictione permanent. ccccIxxxv. §. *Juxta. Tertiarias* collegialiter viventes comprehendit Constitutio Piana 8. Bull. Tom. 2., & non extenditur ad alias in domibus propriis viventes. *ibid. §. Juxta. Tertiariæ* cujuscumque Ordinis emittere debent solemnem Professionem, & Clausuram observare. *ibid. §. At S. Pius.*

TESTES super puritate sanguinis non debere a Collegiali, qui in Collegium S. Clementis Civitatis Bononiæ sit recipiendus examinari, resolutum fuit in *Bononien.* 21. *Maii* 1718. XXXIV. *Testes* duo deponentes de Sepulturæ electione satis eam probant. cccXXI. §. *Redacta. Testis* unicus sat est ad Matrimonii impedimentum dirimens probandum, quando agitur de Matrimonio ineundo. cccCII. §. *Adeoque*. Procedit tamen, si Testis sit bonæ famæ, & non patriatur exceptionem in persona. *ibid. circa med.* Procedit præterea, dummodo Testis asserat cum juramento, se certo scire impedimentum. *ibid.*

THEOLOGALIS Præbenda si conferatur Rectori in Jure Canonico, potest ille super Sacra Scriptura examinari, nec ei conceditur facultas, ut, omissa Sacra Scriptura, possit legere Jus Canonicum. CCCII. §. *Plura circa med. Theologalis* Præbenda potest conferri Doctori in Jure Canonico, *ibid. Theologalis* Præbenda potest obtineri a Theologo non Doctore, si non adsit Doctor æqualis idoneitatis. *ibid.*

THEOLOGUS Canonicus debet resipere Magisterium, seu Doctoratum in Sacra Theologia, & non sufficit si illud recipiat in jure Canonico in aliqua approbata Universitate, *Dubium Præbendæ Theologalis* 5. *Junii* 1723. CCCXXX. *Theologus* Canonicus, vel Pœnitentiarius nequeunt Præbendas pinguiores optare, licet adsit Indultum optandi. CCCCXCIII. §. *Regula*.

TONSURA potest conferri feria sexta post prandium ante diem Sabbati Quatuor temporum, præsertim si extet immemorabilis consuetudo, in *Portallegren.* 13. *April.* 1720. CXLIX. *Tonsuram*, & Minores Ordines possunt Abbates Regulares, si sint Presbyteri, & solemniter benedicti, suis Subditis conferre. CCCCXXXVI. §. *Attentaque. Tom.* 2. *p.* 52. *Tonsuram*, & Minores Ordines suis Subditis conferre possunt Abbates, si eis Episcopus ter requisitus noluerit Benedictionem impertiri, vel si a Sede Apostolica habeant Privilegium, ut, etiamsi non sint benedicti, facere possint ea, quæ fiunt ab Abbatibus benedictis. *ibid. Tonsuram*, vel Minores Ordines non licet Abbatibus intra fines alicujus Diœcesis conferre cuiquam, qui Regularis Subditus non sit, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti sint. *ibid. Tonsuram*, & Minores Ordines suis Subditis Regularibus conferre possunt Abbas Lubensis, cæterique ejusdem Provinciæ Abbates Presbyteri non benedicti ab Episcopo, sed a suo Patre Generali, vel ejus Subdelegatis conferre, ita ut, nisi aliud Ordinatis obstet Canonicum impedimentum, teneatur Ordinarius illis conferre Ordines Majores, *in Lyntslavien.* 12. *Februarii* 1724. CCCLXXVII.

TONSURATUM haud licite esse Hyacinthum, & prævia relaxatione suspensionis esse capacem Beneficii, responsum fuit in *Aquilana* 7. *Sept.* 1720. CLXXIX.

TRANSACTIO præsumitur Apostolico Beneplacito munita post lapsum centum annorum. CCXXX. §. *Secundo in princ. Transactionem* non sustineri, respondit Sacra Congregatio, in *Fanen.* 18. *Martii* 1719. *ad I. Dub.* XC. *Transactionem* non esse confirmandam, respondit S. Congr. in *Asten. Beneplaciti* 19. *Nov.* 1718. LXIX.

TRANSLATIO Legati, seu Oneris celebrationis Missarum nequit ab hærede fieri in Altari S. Francisci de Paula ad Ecclesiam Collegiatam, in *Brundusina adimplementi* 26. *Augusti* 1719. *ad II. Dubium*. CXVI. *Translationem* Parochialis non sustineri, sed revocandam esse, respondit Sacra Congregatio in *Parmen. Translationis Parochiæ* 2. *Decemb.* 1719. CXXVIII. *Translatio* Parochiæ ut fiat, non requiritur consensus Parochianorum, sed illi ad summum sunt audiendi, quatenus aliquid relevans opponant adversus translationem. CCCLXXV. §. *Et in eo. Translatio* Seminarii ad locum, seu Oppidum distitum a Cathedrali facta ab Episcopo ex facultate sibi a Sacra Congregatione impertita, fuit declarata valida, *in Melevitana Seminarii 9. Junii* 1725. CCCCXL. *Translationi* Parochiæ locum non esse, respondit Sacra Congr. *in Januen. Translat. Parochiæ* 29. *Januar.* 1724. CCCLXXV.

V

VAGUS non est tantum ille, qui, relicto antiquo domicilio, navigat, aut iter facit quærens, ubi consistat, sed etiam ille, qui nullibi certam, & constantem sedem, & domicilium, vel quasi domicilium habet. CLXXXII. §. *Neque pariter. Vagus* non est, qui domicilium habet. *ibid. §. Supposito in princ. Vagi* non ita facile admittendi sunt ad Matrimonium contrahendum. *ibid. §. Ac licet. Vagorum* Matrimonium initum, non servatis iis, quæ Tridentinum præscribit *Cap. 7. sess. 24. de Ref. Matrimon.*, adhuc est validum. *ibid. §. At licet circa fin. Vagorum* Matrimoniis assistere non debent Parochi, nisi præmissa diligenti inquisitione, & nisi, re ad Ordinarium delata, licentiam ab ea obtinuerint. *ibid. §. At licet. Vagi* possunt Matrimonium contrahere coram Parocho ejus Loci, in quo actu versantur, *ibid. §. Secus autem in princ.* Procedit non solum, si uterque Conjux sit vagus, sed etiam, si alter ex ipsis tantum vagus sit. *ibid. in fin. Vagi* Parochus proprius quilibet est ad effectum contrahendi Matrimonium. *ibid. §. Secus autem in fin. Vagi* possunt coram quocumque Parocho Matrimonium inire quamvis in fraudem proprii Parochi facti essent Vagi. *ibid. §. Verum. Vagi* sunt Milites in Castris existentes, & possunt Matrimonium coram Parocho Loci, ubi pro tempore existunt, contrahere. *ibid. §. Alia. Vagi* non dicuntur Milites, qui habent Stationes hibernas sibi assignatas; ibi enim dicuntur habere domicilium. *ibid. §. Supposito in fin. Vagi* non sunt Milites, quia domicilium, ubi merent, habere dicuntur. *ibid. §. Supposito in princ. Vagus* dicitur ille, qui, proprio domicilio relicto, iter facit, quærens, ubi se sistat. CCCCLI. §. *Scribens. Vagus* etiam dicitur ille, qui nullibi certam, & constantem sedem, & domicilium, vel quasi domicilium habet. *ibid. §. Scribens in fin. Vagus* ut quis constituatur, duo requiruntur, primum ut domicilium deseruerit; secundum, quod aliud non acquisierit. *ibid. §. Uno verbo. Vagus* non dicitur Peregrinus, & is, qui habet animum ad suum domicilium redeundi. *ibid. Vagi* inire possunt Matrimonium coram Parocho illius Loci, in quo actu versantur, & sufficit, si alter eorum sit vagus. *ibid. §. Concluso. Vagorum* Matrimonium est validum, licet Parochus non præmiserit diligentem inquisitionem, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam non petierit. *ibid. Vagorum* Matrimonia sunt valida, licet servata non fuerint ea, quæ statuta fuerunt a Tridentino *Cap. 7. sess. 24. ibid.*

A VALORE Beneficii, ad cujus titulum quis ordinatur, detrahenda sunt onera extrinseca, pro quibus adimpleadis aliquid est a Beneficiato impendendum, secus vero deduci debent onera intrinseca, quæ a Beneficiato possunt adimpleri. CCLXXXI. §. *Transitum. T. 1. p.* 188.

VESTES illæ sunt propriæ Clerici, quæ cum eis incedentem prima facie indigitant esse Clericum. LXXII. §. *Adeoque*.

VICARIUS Generalis Episcopi si deputet Pro-Vicarium, iste nequit exequi commissionem ipsi Vicario directam, secus vero Pro-Vicarius a Sacra Congregatione Episcoporum delegatus. CLXXIX. §. *Haud urgente, & seq. Vicarius* dum constituitur, si per ejus Constitutionem consultum est spirituali Animarum saluti, erectio novæ Parochiæ ut remedium subsidiarium, non est adhibendum. CLXVIII. §. *Porro. Vicarius* Generalis Episcopi venit Ordinarii nomine ad effectum assistendi Matrimonio, vel dandi licentiam alteri, ut illi assistat, XCVIII. §. *Putant. Vicarius* Generalis venit Ordinarii appellatione ad effectum assistendi Matrimonio. CLXXXII. §. *Ac licet circa fin. Vicario* sive perpetuo, sive amovibili assignari debet congrua ad tramites Bullæ 47. S. Pii V. celv. §. *Nulla habita*. Contrarium sustinet *Clericatus*. *ibid. §. Prior. Vicario* Generali ingredienti, & visitare volenti Clausuram non tenentur Moniales personaliter cum Cruce, & Cantico *Benedictus Dominus*, obviam ire. CCCXLI. §. *IV. An omnes, & §. VI. An Episcopum. Vicario* ad Curam Animarum deputato in casu insufficientiæ redituum omnes fructus Parochiæ assignarentur. CCLV. §. *Et in eo. Vicarius* pro exercitio Curæ Animarum in Parochiali Monasterio subjective unitæ deputari debet Religiosus, dummodo alius Regularis Socius superaddatur. CCXXII. §. *Excipit circa fin. Vicarius* deputatus pro exercitio Curæ Animarum in Parochiali subjective unitæ Monasterio potest ad nutum amoveri, *ibid. §. Excipit circa med. Vicarium* Capitularem eligere, defuncto Episcopo, non tenebatur Capitulum, sed per se ipsum Jurisdictionem exercere. CCXXVIII. §. *Ab Episcopo circa fin. Vicarium* Capitularem eligere tenetur Capitulum, defuncto Episcopo. *ibid. Vicarium* Capitularem posse Civitatem, & Diœcesim, dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimæ Visitationis per Episcopum factæ visitare, declaratum fuit. *ibid. §. Ab Episcopo circa fin. Vicarium* Capitularem visitare posse Civitatem, & Diœcesim, si Ecclesia non sit de proximo providenda, statuit Sac. Congregatio. *ibid. §. Nonnulli in prin. Vicarium* Capitularem debere contra Canonicos cum Adjunctis procedere, si Episcopus id facere consueverat, secus autem si hoc ab Episcopo non fiebat, declaravit Sacra Congregatio. *ibid. §. Hæc quoad in fin. Vicarium* Capitularem continere se debere intra statutos fines et præ-

præscriptos in exactione Procurationis ipsis occasione Visitationis debitæ, statuit Sac. Congregatio, *in Ebnen. 28. Maii* 1648., relata. *ibid. §. Ab Episcopo in fin. Vicarii* perpetui utilius servitium præstant Parochialibus Ecclesiis, quam Vicarii temporales, & expediret, ut Sedes Apostolica decerneret, quod Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Curam Animarum habentium, eamque per Vicarios exercentium, cogerentur ad deputandos Vicarios perpetuos, qui Animarum Curæ incumberent. CCXCIII. §. *E contra. Vicarii* perpetui, sive temporales pendent ab Ordinariorum arbitrio. *ibid. §. Quoad Parochiales circa med. Vicarii* perpetui deputari possunt ab Episcopo in Ecclesiis Parochialibus unitis Cathedralibus, Collegiatis, Monasteriis, Collegiis, aut Locis piis, nisi ipsis aliter expedire videbitur. *ibid. §. Quoad Parochiales in prin. Vicarii* perpetui quod in Ecclesiis Parochialibus deputari debeant magis expediens est. *ibid. §. E contra. Vicarii* Regulares si ad Curam Animarum deputati fuerint, debet cum iis habitare alius Religiosus. CCLV. §. *In eo enim in princ. Vicariis* Regularibus est assignanda portio tertiæ partis fructuum, & major, vel etiam minor arbitrio Ordinarii. *ibid. Vicariis* Parochialium unitarum Monasteriis cum dos est constituenda, ea non debet esse major centum, nec minor quinquaginta, & in ea computanda sunt emolumenta incerta, quæ certa sunt, non autem illa incerta, quæ semper sunt incerta, quæve dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ Altaris, Funerum, & similia. *ibid. §. Hæc sunt. Vicariis* Ecclesiarum unitarum Monasteriis, Capitulis, Collegiis, & aliis Locis Piis constitui non debet congrua major centum, nec minor quinquaginta scutis, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, & aliis obventionibus communiter percipi solitis, *ibid. §. Fundamenta in prin.* Intellige tamen de incertis, quæ certa sunt, & non de illis incertis, quæ superfluunt incerta, & quæ dependent a labore personali, uti sunt eleemosynæ Altaris, & Funerum, *ibid. Vicarii* Parochialis Ecclesiæ Monasterio unitæ remotio, quod fieri nequeat ab Abbate, responsum fuit, *in Ratisbonen. Vicariæ* 23. *Augusti* 1721. CCXXII. *Vicarii* Capitularis electio declarata fuit invalida, in *Turritana Vicarii Capitularis* 21. *Novembris* 1722. *ad I. Dub.* CCXC. *Vicarium* Capitularem valide electum fuisse ab Episcopo antiquiore ex suffraganeis, respondit Sacra Congregatio. *ibid. ad II. Dub. Vicarium* Capitularem non posse procedere ad censuras contra Decanum, Dignitates, & Canonicos convocantes Capitulum sine licentia, responsum Sacra Congregatio *in Melevitana Jurisdictionis* 18. *Septembris* 1723. *ad III. Dub.* CCCXLVIII. *Vicarius* Capitularis potest visitare Civitatem, & Diœcesim, dummodo sit elapsus annus a die ultimæ Visitationis per Ordinarium peractæ, *Dubium Visitationis* 13. *Septembris* 1721. *ad I. Dub.* CCXXVIII. *Vicarius* Capitularis potest facere visitationem personalem Capitularium, dummodo sit elapsus annus a die ultimæ Visitationis. *ibid. ad II. Dub. Vicarius* Episcopi, si allegetur suspectus, Causa recusationis coram Episcopo probanda est, nisi Causa suspicionis ipsum etiam Episcopum respiciat, tunc enim ad Arbitros recurrendum est. CCCCXIII. §. *Quando. Vicarius* perpetuus potest ab Episcopo deputari in Ecclesia alicui Monasterio unita. CCCCLVIII. §. *Addit. Vicarius* perpetuus, vel temporalis potest arbitrio Episcopi deputari in Parochialibus, quæ Capitulis, Monasteriis, aut aliis Locis piis reperiuntur unitæ. CCCCLXXX. §. *Sacrum. Vicarii* in Ecclesiis unitis Capitulis Urbis deputari debent perpetui. *ibid. §. Sanctus. Vicarios* perpetuos deputare in Parochialibus unitis magis expedit. *ibid. Vicarios* perpetuos, vel temporales potest Episcopus pro suo arbitrio deputare in Ecclesiis unitis Cathedralibus, Collegiatis, Monasteriis, aut aliis piis Locis. CCCCX. §. *Quoad Sacerdotes. Vicarios* perpetuos in Parochialibus unitis Capitulis, aut aliis Locis piis esse debere perpetuos, probatur *ex Constitut. S. Pii V. 67. & 139. ibid. §. Sanctus. Vicarius* non perpetuus habetur tanquam nudus Famulus conductitius, ad nutum amovibilis, & removeri potest ad instantiam Parochorum, qui eum deputarunt. CCCCLXXI. §. *Ad materiam. Vicarii* Capitularis electio, si Ecclesia suffraganea sit Capitulo destituta, & Metropolitana sit Pastore viduata, spectat ad Capitulum Metropolitanæ, & non ad Episcopum antiquiorem suffraganeum. CCCCLIII. §. *Quando. Vicarii* Capitularis electio pertinet ad Metropolitanum, quando Ecclesia suffraganea caret Capitulo. *ibid. Vicarius* Capitularis si suspectus allegetur, ad Capitulum pertinet electio Arbitrorum, qui cognoscant de Causis suspicionis. CCCCXIII. §. *Quando. Vicarius* Capitularis amoveri non potest sine justa causa. CCCCXIII. §. *Quæ sint. Vicarius* Capitularis tenetur procedere cum Adjunctis in illis casibus, in quibus, si Episcopus processisset, debuisset cum Adjunctis procedere. CCCCXIII. §. *Ad tramites. Vicariis* Capitularibus non possunt a Sacris Congregationibus tribui facultates concedendi dimissorias intra annum a die vacationis, nisi agatur de Artistis ratione Beneficii. CCCCLXXVI. §. *Sermonem. Vicarii* temporales, & amovibiles possunt etiam ex Tridentino deputari ad Ecclesiam Parochialem plene Monasterio unitam. CCCLXXV. §. *Multoque. Vicariis* amovibilibus non applicantur termini Congruæ, sed congruunt termini Salarii. CCCCLVI. §. *Archipresbyter. Vicarii* Capitularis remotionem non sustineri, & ipsum esse reintegrandum, responsum Sacra Congregatio *in Civitaten. Vicariatus* 9. *Junii* 1725. CCCCXLIII. *Vicarii* Capitularis suspiciones coram Capitulo Turritano propositas per Rectorem Ecclesiæ Parochialis de Ossi licitum non fuisse eidem Capitulo recipere, responsum Sacra Congregatio *in Turritana* 16. *Decemb.* 1724. *& 13. Januarii* 1725. *ad III. Dub.* CCCCXIII. *Vicarii* Capitularis recusationes per Diœcesanos propositas recipere competit Capitulo, eique respective jus est deputandi Arbitros pro admittendis, vel rejiciendis Causis earumdem recusationum. *ibid. ad II. Dub. Vicario* Capitulari licet procedere in Causis Canonicorum Cathedralis tam in communi, quam in particulari, non obstante illius suspicione, seu recusatione per eosdem Canonicos, seu Capitulum allegata, *in Turritana* 16. *Decembris* 1724. *ad I. Dub. ibid. Vicarium* debere consequi stipendium ad formam Decreti D. Secretarii, respondit Sacra Congregatio *in Fulginaten.* 30. *Septembr.* 1724. CCCCIII. *Vicarius* Ecclesiæ Portuensis unitæ Monasterio Monialium *Ave Maria* Civitatis Portus debere restituere Decimas, & Primitias, demptis scutis 150. favore ejusdem Vicarii, respondit Sacra Congregatio, *in Portuallen.* 3. *Martii* 1725. CCCCXXXI.

VISITARE non potest Episcopus Ecclesiam non Parochialem spectantem ad Commendam S. Joannis Hierosolymitani. LXXXVII. §. *Adversus. Visitare* Ecclesiam S. Joannis ad Templum Episcopo non licere, respondit Sac. Congregatio in *Asculana Visitationis* 2. *Martii* 1719. LXXXVII. *Visitare* potest Episcopus quascumque Ecclesias quomodolibet exemptas jure delegato, etiamsi illis Cura Animarum non immineat. CCCLXVII. §. *Addatur circa med.* Procedit etiam in Ecclesiis, quæ pertinent ad Regulares, & ab eis dependent, dummodo illis per Sæculares deserviatur. *ibid. Visitare* potest Episcopus Ecclesias Regularium quoad concernentia Curam Animarum, & Sacramentorum administrationem. *ibid. Visitare* potest Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus Ecclesias Sæculares exemptas, etiamsi Ecclesiæ Sæculares exemptæ sint commendatæ, & sive illis immineat, sive non Cura Animarum. CCXXXII. §. *Tria. Visitare* potest Episcopus per se ipsum solum Capitulum, vel aliis adjunctis etiam extra Capitulum, non obstante quacumque consuetudine, nec tenetur assumere aliquos Canonicos. CCLXIX. §. *In cap.* 4. *Visitare* potest Episcopus Confraternitates Laicorum in Regularium Ecclesiis erectas quoad administrationem, & circa ea, quæ respiciunt manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, seu Cappellæ, onera Missarum, atque Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & denique circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent. CCLXXXV. §. *Quia vero, & duob. seq. Visitare* potest Episcopus etiam assumpto secum Vicario Generali, & Confessario Monialium Monasterium Regularibus subjectum, ac Moniales ipsas in ijs, quæ ad Clausuram pertinent, examini subjicere, remotis etiam suspicione violatæ clausuræ, ac quacumque Superiorum Regularium negligentia, ipsisque inconsultis, & irrequisitis. CCCXLI. §. *Actum. Visitare* si velit Episcopus Clausuram Monialium Regularibus subjectarum non tenetur ante accessum iisdem Monialibus præfinire diem, & horam Visitationis. *ibid. §. I. An Archiepiscopus. Visitare* si Episcopus velit Clausuram Monialium circa personas secum ducendas intus Monasterium debet servare Constit. 25. *Gregorii XIII. Bullar. To.* 2. *ibidem §. V. An Episcopus. Visitare* volenti Episcopo Monasteriorum Clausuram non tenentur Moniales erigere in Ecclesia exteriori, vel interiori Sedem cum Baldachino, sed sufficit, si stratum in utraque Ecclesia præparent. *ibid. Visitare* Cellas Monialium nequit Episcopus absolute, & indifferenter etiam quoad non pertinentia ad Clausuram. *ibid. §. IX. An absolute. Visitare* nequit Episcopus Monasteria Monialium Regularibus exemptarum, quibus cura Animarum Personarum Sæcularium non incumbit, neque Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, seu Tabernaculum, & loca, in quibus Confratres Personarum Sæcularium excipiuntur. *ibid. §. Acquisito. Visitare* non potest Episcopus Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Olea Sacra, Confessionalia, Reliquias, & Sepulturas in Ecclesiis Monialium Regularibus subjectarum, quatenus non adfit legitima in contrarium consuetudo. *ibid. §. I. An Archiepiscopus, & §. II. An in Ecclesiis. Visitare* nequit Episcopus Ecclesiam non curatam ad Monasterium exemptum pertinentem, si sit eidem subjective unita. CCCLXVII. §. *Addatur in fin. Visitare* potest Capitulum, Civitatem, & Diœcesim Vicarius Capitularis, dummodo tamen elapsus sit annus a die ultimæ Visitationis per Episcopum factæ. CCXXVIII. §. *Ab Episcopo circa fin. Visitare* potest Capitulum, Civitatem, & Diœcesim Vicarius Capitularis, Sede Episcopali vacante. *ibid.* Procedit, dummodo elapsus sit annus a die ultimæ Visitationis ab Episcopo factæ. *ibid. Visitare* potest Vicarius Generalis Civitatem cum Diœcesi, dummodo sit elapsus annus a die ultimæ Visitationis per Ordinarium peractæ, *Dubium Visitationis* 13. *Septembris* 1721. *ad I. Dub. ibid. Visitare* potest Archiepiscopus Bononiensis jure delegato Ecclesias unitas, & annexas Collegio Montalto, *in Bonon. Juris Visitandi* 2. *Octobris* 1721. CCXXXII. *Visitare* potest Episcopus Monasteria, & Abbatias commendatas, in quibus non viget Regularis disciplina. DXX. §. *Quoad visitationem. Visitare* potest Episcopus jure Ordinario Personas tam Regulares, quam Sæculares Curam Animarum exercentes in Monasterio, cui immineat Cura Animarum, easque corrigere, ac punire potest, si in iis, quæ ad Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, delinquant. CCLXVII. §. *Pluribus. Visitare* non potest Episcopus nec jure Ordinario, neque delegato Ecclesias non curatas, quæ sint de Mensa Monasterii, eique subjective unitæ. *ibid. §. Hæc quoad. Visitare* potest Episcopus jure Ordinario Ecclesias Curatas in Solo Lateranensi fundatas quoad Curam Animarum, & Sacramentorum administrationem. DX. §. *Quoad fundationem in princ. Visitare* potest

poteſt Epiſcopus jure delegato Eccleſias non curatas, aliaque Loca pia in Solo Lateranenſi fundata. *ibid.* *Viſitare* poteſt Epiſcopus, uti Sedis Apoſtolicæ delegatus, Beneficia curata, quæ perpetuo unita ſunt Monaſteriis, præterea Monaſteria, & Abbatias commendatas, in quibus non viget Regularis obſervantia, & demum Beneficia tam Curata, quam non curata Sæcularibus, & Regularibus qualitercumque commendata, & eorum Membra, quoties in illis non ſervetur Regularis Diſciplina. cclxvii. §. *Pluribus*. *Viſitare* poteſt Epiſcopus jure delegato Eccleſias quaſcumque, ſive illis immineat Cura Animarum, ſive non. *ibid.* §. *Hæc quoad*. *Viſitare* poteſt Epiſcopus tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus Hoſpitalia, & omnia Loca pia, etiamſi eorum Cura ad Laicos pertineat, & exempta ſint, non obſtantibus Conſuetudine etiam immemorabili, Privilegio, aut Statuto. dx. §. *Quoad jus*. *Viſitare* non poteſt Epiſcopus Hoſpitalia, & Confraternitates ſub immediata Regum protectione exiſtentes. *ibid.* §. *Quoad Hoſpitalia*. Protectio tamen Regia, ut ſuffragetur, debet in limine erectionis implorari. *ibid.* *Viſitare* poteſt Epiſcopus Hoſpitalia, & Confraternitatum Eccleſias, aliaque pia Loca exiſtentia ſub immediata protectione ſublimium Principum, ſi non ſunt Reges. *ibid.* *Viſitare* poteſt Epiſcopus jure delegato Eccleſias, quæ ſpectant ad Regulares, ſi eiſdem deſerviatur a Sæcularibus. cclxvii. §. *Hæc quoad*. *Viſitare* poteſt Epiſcopus Eccleſias pertinentes ad Regulares, ſi iiſdem immineat Cura Animarum Perſonarum Sæcularium. dxx. §. *Quoad viſitationem*. *Viſitare* poteſt Epiſcopus Eccleſias quaſcumque, licet ſpectent ad Regulares, dummodo iiſdem deſerviatur a Sæcularibus, & licet non ſint curatæ. *ibid.* *Viſitari* poteſt Eccleſia, etiamſi nunquam fuiſſet viſitata. cclxvii. §. *De his circa princ.* *Viſitari* poſſunt ab Epiſcopo jure delegato Eccleſiæ, & Cappellæ Granciarum, in quibus nullus degit Converſus. *ibid.* §. *Quando in fin.* *Viſitare* poteſt Epiſcopus jure delegato Eccleſiam pertinentem ad Monachos Olivetanos, *in Lycien. Viſitationis, & Cenſurarum 23. Junii* 1725. *ad I. Dub. ibid.* *Viſitare* quotannis tenetur Epiſcopus vel per ſe, vel per ſuum Vicarium Generalem totam Diœceſim, & ſi intra id tempus propter Diœceſis latitudinem fieri non poſſit, viſitatio prædicto modo intra biennium compleri debet. dxl. §. *Sacrum*. *Viſitari* ab Epiſcopo utrum poſſint Confraternitates erectæ in Eccleſiis ſitis in ſolo Lateranenſi vid. Reſolutiones relatas. pl. §. *Quoad Confraternitates erectas, & ſeqq.* *Viſitari* poſſunt ab Epiſcopo, ejuſque Juriſdictioni ſubſunt Confraternitates in Regularium Eccleſiis exiſtentes, item earum Cappellæ in his, quæ ad earumdem Confraternitatum adminiſtrationem ſpectant, atque Altare, ſi dictis Confraternitatibus ſit onus illud manutenendi. *ibid.* *Viſitare* poſſe Epiſcopum Maceraten. jure Ordinario Confraternitatem ſub invocatione S. M. Miſericordiæ erectam in Eccleſia ejuſdem tituli ſita in Caſtro Urbis aliæ, quamvis in ſolo Baſilicæ Lateranenſis ædificata ſit, reſpondit Sacra Congregatio in *Maceraten.* 10. *Maii* 1727. dli. *Viſitare* poteſt magnus Prior Alemaniæ Conventum, & Præceptoriam ad S. Joannem, & Cordulam Coloniæ, juxta Bullam Rhodianam *in Colonien.* 17. *Aprilis* 1728. *ad II. Dub.* cccclxiii. *Viſitare* poſſe Epiſcopum Montis Regalis Eccleſiam Ruralem ſub titulo B. M. V. ad Nives exiſtentem in ſua Diœceſi in finibus loci Moroſii, & portam eſſe aperiendam verſus viam publicam, reſpondit S. Congr. in *Montis Regalis* 15. *Martii* 1727. dxli.

VISITATIONEM Sacrorum liminum debere ab Epiſcopo Carpenctoratenſi de quadriennio in quadriennium fieri, reſcripſit Sacra Congregatio in *Carpenctoraten.* 19. *Februarii* 1718. xii. *Viſitationi*, & directioni Epiſcopi non ſubjacent Confraternitates Laicales erectæ in Altaribus Eccleſiarum Parochialium Abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo, in *Nullius*, *ſeu S. Severini Juriſdictionis* 4. *Februarii* 1719. *ad III. Dub.* lxxx. *Viſitatio* Clauſuræ Monialium Regularibus ſubjectarum cum a Vicario Generali peragitur, is non tenetur ſecum ducere Priorem, & Confeſſarium dictarum Monialium. cccxlt. §. *V. An in viſitatione*. *Viſitatio* Capituli, & Capitularium excellentior eſt, & magis fructuoſa, quam ſit localis, & realis. ccxxviii. §. *Hæc quoad Viſitationem in princ.* *Viſitationem* perſonalem Capitularium poteſt facere Vicarius Capitularis, dummodo ſit elapſus terminus a die ultimæ Viſitationis, *Dubium Viſitationis* 13. *Septembris* 1721. *ad II. Dub. ibid.* *Viſitatio* a Sacro Concilio tributa Epiſcopis *cap.* 7. *& cap.* 11. *Seſſ.* 25. *de Regular.* non eſt privativa, ſed cumulativa cum Inferioribus. cclxvii. §. *Hæc quoad circa fin.* *Viſitationi*, & correctioni Ordinarii ſubſunt Eccleſiæ Conventuum, & Cappellæ Granciarum, ſive in eis degant Converſi pro agrorum Cultura, ſive non. dxx. §. *Conciliares*. *Viſitationi*, & correctioni Ordinarii uti Sedis Apoſtolicæ Delegati ſubduntur Conventus, & Granciæ Monaſteriorum, in quibus ſex Religioſi non aluntur. cclxvii. §. *Quando alias*. *Viſitationi*, correctioni, & omnimodæ juriſdictioni Ordinarii tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati ſubſunt Conventus parvi Regularibus reſtituti. dxx. §. *Conciliares*. *Viſitationi*, & juriſdictioni Epiſcopi ſubjecta eſt Eccleſia Ruralis S. Mariæ Galliani, in *Lycien. Viſitationis, & Cenſurarum* 29. *Januarii* 1724. *ad I. Dub.* cclxvii. *Viſitationi* Epiſcopi ſubjiciuntur Eccleſiæ, quæ pertinent ad Regulares, & ab eis dependent, ſi illis per Sacerdotes Sæculares deſerviatur. dxli. §. *Juxta*. *Viſitationi* Ordinarii non ſubſunt Granciæ, quæ ſunt domus Rurales, ſive Prædia Ruſtica, in quibus degunt Converſi pro Agris colendis, ſed abſque eo, quod in his ſit Eccleſia, vel publicum Oratorium. *ibid.* §. *Sed hæc res*. *Viſitationi*, & Juriſdictioni Ordinarii ſubſunt Eccleſiæ Conventuum, & Cappellæ Granciarum, ſive in eis degant Converſi pro Agrorum cultura, ſive non. *ibid.*

VITRICUS habetur loco Patris, eique eadem debetur reverentia, quæ Parentibus exhibenda eſt. clxvi. §. *Nec refert T.* 1. *p.* 101.

ULTIMUS ſtatus attenditur, & cujuſcumque alteri ſtatui anteriori præfertur, ubi agitur de poſſeſſione conferendi, & eligendi. ccxxxiii. §. *Abſque eo quod in fin.* *Ultimus* ſtatus Beneficii, an illud ſit Sæculare, vel Regulare, an Curatum, vel ſimplex non attenditur ſi conſtat de ſtatu anteriori contrario, niſi ultimus ſtatus ſit legitime præſcriptus. *ibid.* §. *Abſque eo quod in prin.*

UNIONEM Eccleſiæ S. Joannis in Statua eſſe confirmandam, reſpondit Sac. Congregatio in *Reatina Unionis Eccleſiæ* 8. *Julii* 1719. cix. *Unio* Parochialium ſi Apoſtolica authoritate ab Epiſcopo fiat, non eſt neceſſarius Capituli conſenſus. cccxl. §. *Ordinarius in fin.* *Unio* Parochialium fieri poteſt abſque Populi conſenſu, ſed iſte tantummodo audiendus eſt quatenus aliquid relevans contra unionem adducat. *ibid.* *Unio* Parochialium, ut rite, valideque fiat, an ſit neceſſarius Capituli conſenſus, diſſident Authores relati. *ibid.* *Unio* Parochiarum ſi fieri debeat, Parochiani non ſunt neceſſario vocandi. ccciii. §. *Scriptura*. *Unionem* Parochialium propter earum paupertatem poſſe ab Epiſcopo fieri, ſi modo unus Rector poſſet omnibus illis Eccleſiis inſervire, habita ratione vicinitatis locorum, & numeri Parochianorum. *ibid.* *Uniones* Eccleſiarum Parochialium ſi fieri debeant, requiritur Capituli conſenſus juxta unam Sententiam, ſecundum vero aliam opinionem magis receptam non eſt neceſſarius. *ibid.* §. *Licet*. *Uniones* Beneficiorum curatorum cum Curatis propter eorum paupertatem poſſunt ab Epiſcopis etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis fieri. *ibid.* §. *Fundamentum*. *Unioni* Parochialium locum eſſe, reſpondit Sac. Congregatio, *in Fulginaten.* 30. *Januarii* 1723. *ibid.* *Unioni* Parochialis Collegio Jeſuitarum non eſſe locum, reſpondit Sacra Congregatio *in Legionen. Unionis* 24. *Aprilis* 1733. ccxciii. *Uniones* Parochialium fieri poſſunt pro fundatione, dotatione, augmento, vel conſervatione Collegiorum, & aliorum Piorum Locorum ad Fidei Catholicæ defenſionem, & propagationem. ccccx. §. *Sacrum*. *Unio* Parochialium facienda Fabricæ Cathedralis Eccleſiæ denegata fuit *in Aurien. Unionis* 16. *Decembris* 1724. *ibid.* *Unionem* Parochialis Collegio Jeſuitarum impertiendam eſſe, reſpondit S. Congregatio *in Colonien.* 20. *Septembr.* 1727. dlix.

UNIRE poſſe Epiſcopum Seminario reditus Hoſpitalium, ſalva tamen Hoſpitalitate, & ſalvis reditibus pro dicto effectu neceſſariis, & hanc facultatem ei eſſe concedendam, reſolvit Sac. Congregatio. cclviii. §. *Demum*. *Unire* poteſt Pontifex Beneficia etiam ſine cauſa, multo autem magis concurrente aliqua rationabili cauſa. dliv. §. *Quarto*. *Uniri* poſſunt Monaſteriis Parochiales pro fundatione, dotatione, augmento, vel conſervatione Collegiorum, & aliorum piorum Locorum, ad fidei defenſionem, & propagationem, & bonarum artium cultum. dlviii. §. *In Conſtitutione*.

VOLUNTATIS piæ immutatio facta favore Monaſterii S. Bernardi declarata fuit valida, *in Montis Politiani* 9. *Septemb.* 1724. cccxciv.

VOTUM ferre in Capitulo per Procuratorem poteſt jure ſuo Canonicus, non obſtante, quod per ſe ipſum intereſſe poſſit. cxxii. §. *Præter hæc*. *Votum* ſimplex caſtitatis ſi habeat Maritus ante initum Matrimonium, nequit debitum Conjugale exigere, licet reddere teneatur. xx. §. *Poſt in fin.* *Votum* an obſervare teneatur recipiens Ordinem Subdiaconatus per coactionem cauſativam, & conditionalem, remiſſive. cxiv. §. *Supplicationis in princ.* *Votum* continentiæ diſpenſandum non eſſe Subdiacono, eo quia metum ex Teſtibus allegatum non probavit, reſponſum fuit. *ibid.* §. *Abſque eo quod*. *Votum* continentiæ per vim, & metum emiſſum, ut diſpenſetur metus gravis, & in virum conſtantem cadens juſtam præbet cauſam Ordinem Subdiaconatus ſuſcipienti. *ibid.* §. *Supplicationis in fin.* *Voto* paupertatis obſtringitur Canonicus Regularis, etiamſi Beneficium Curatum aſſequatur. cclx. §. *Hæc quoad*. *Voto* paupertatis per Regulares emiſſo non obſtat acquiſitio Bonorum quoad uſumfructum, *ibid.* §. *Prætendit in princ.* *Voto* paupertatis obſtrictus remanet Religioſus ad Epiſcopatum promotus, & nihil proprii habet, cccxxxix. §. *Juxta*. *A Voto* continentiæ Sacro Ordini adnexo, ut diſpenſet Pontifex, juſtam cauſam ei præſtat metus licet conditionalis. cc. §. *At quidquid*. *A Voto* continentiæ Sacris Ordinibus adnexo conceſſa fuit diſpenſatio quando allatæ fuerunt probationes metus, quo Ordines fuerunt ſuſcepti. *ibid.* *Votum* continentiæ ut diſpenſetur a Summo Pontifice, ei juſtam cauſam præſtat metus gravis. ccxciv. §. *Hermannus*. *Votum* continentiæ Ordinibus adnexum non obligat, ſi Sacri Ordines fuerunt per vim, & metum ſuſcepti. ccxiii. §. *Tranſmiſſæ in fin.* *Votum* continentiæ eſt Subdiaconali Ordini ex Eccleſiæ Statuto adnexum, liberamque idcirco voluntatem expoſcit, qua ceſſante illud non obligat. ccxciv. §. *Hermannus*. *Votum* continentiæ requirit liberam voluntatem, qua ceſſante non obligat. cc. §. *At quidquid*. *Votum* caſtitatis emittendum eſt a Conjuge in Sæculo manente tunc ſolum, quando Matrimonium integrum, illæſumque manet, ſecus vero ſi illud fuerit violatum. cccxiii. §. *Duo autem in fin.* *Votum* Caſtitatis emittere debet Conjux innocens in Sæculo remanens, altero poſt læſa, & diminuta Matrimonii jura per ſententiam divortii in Religionem tranſ-

euute. *ibid.* *Votum* Caſtitatis emittere debere Virum innocentem in Sæculo manentem, altero non innocente ad Religionem tranſeunte, reſolvit Sacra Congregatio, ſed deinde ad inſtantiam dicti Viri juſſit deleri dictum onus, ſeu conditionem emiſſionis voti Caſtitatis. *ibid.* *Voto* Continentiæ cum Canonicus Subdiaconus contenderet, ſe non obſtringi, aut ab eo eſſe diſpenſandum eo quod Subdiaconatum per vim ſuſceperit, reſcriptum fuit: *Coadjuvandas eſſe probationes, juxta inſtructionem*, *in Monaſterien.* 19. *Decembris* 1722. ccxciv. *Vota* Religionis obſervare tenentur Regulares ad Triremes damnati etiam tempore eorum pœnæ, quantum tamen patitur eorum Status infelix. cccxxxii. §. *Doctores*. *Voto* Continentiæ obſtringi, & ab eo non eſſe diſpenſandum Diaconum, qui contendebat, Ordinem Sacrum per vim, & metum ſuſcepiſſe, reſpondit S. Congregatio, *in Namurcen. Diſpenſation.* 16. *Decembris* 1724. *ad I., & II. Dub.* cccxiv. *Votum* in Congregationibus Confraternitatis ferre nequit Epiſcopus, ſeu Perſona per eum deputanda, *in Aſculana* 24. *Martii* 1725. *ad III. Dub.* cccxxvi. *Votum* caſtitatis emittere tenetur Maritus in Sæculo manens, ſi conſenſum Uxori adulteræ præſtitit, ut Religionem ingrederetur, ſi expreſſe, vel tacite eidem conceſſit facultatem adulterandi. dlxxviii. §. *Sermonem*. Si vero in adulterium non conſenſit, opus non eſt, ut ipſe vel Religionem ingrediatur, vel emittat in Sæculo Votum continentiæ. *ibid.* §. *At ſi*. *Votum* caſtitatis, quando emitti debeat, vel non a viro, qui licentiam dedit Uxori adulturæ ingrediendi Religionem, videantur Reſolutiones Sac. Congregat. relatæ, *ibid.* §. *Hæc quoad ſcripta*.

USURA vacat Contractus, ſi venditur frumentum ea conditione, quod ſolvatur pretium, quanti verno tempore frumentum valebit, ſi neſcitur, utrum verno tempore plus, minuſve frumentum ſit valiturum, ſed ſi certum ſit, frumentum tunc temporis pluris valiturum, contractus eſt uſurarius, niſi venditor fuiſſet frumentum uſque ad illud tempus conſervaturus. ccccxciv. §. *Tranſeundo*.

USURARIUM non fuiſſe emptionis contractum, reſolutum fuit, *in Firmana* 27. *Julii* 1726. dix. *Uſurarius*, & illicitus declaratus fuit Contractus nuncupatus *Draghetto*, quo dantur titulo mutui tot Ducati Regni Neapolitani cum obligatione, ut Mutuatarius intra duos menſes tot alia reſtituat ſcuta romana, *in Aſculana* 16. *Martii* 1726. *ad I. Dub.* ccccxciv. *Uſurarius* an eſſet Contractus, quo datur frumentum, & dantur ſegetes ad rationem pretii, quo frumentum, & ſegetes vendentur tali alio determinato tempore, quo frumenti, & ſegetum pretium ſolet augeri, cum diſceptatum fuerit, Sacra Congregatio juſſit Epiſcopo, ut conſuleret Theologos, *ibid. ad II. Dub.*

UTENSILIA an ab Adminiſtratoribus detrahi poſſint ex Miſſarum Eleemoſynis. V. *Decretum Sac. Congreg. relatum*. ccccvii. §. *Poſt edita*. *Utenſilium* nomine nequit quidquam ab Adminiſtratoribus Eccleſiarum Urbis retineri ex Miſſarum eleemoſyna, ſed hæc integra debet perſolvi. dxlix. §. *Atque cohærenter*. *Utenſilium* nomine nequit ab Adminiſtratoribus Eccleſiarum quidquam ex Miſſarum eleemoſynis retineri. *ibid.* Limita in caſu, quo Eccleſiæ, & loca pia alios reditus non haberent, quos in uſum dictarum expenſarum erogare licite poſſint. *ibid.* *Utenſilia* ad rationem unius obuli pro qualibet Miſſa, exceptis tantum a ſolutione Miſſis adventitiis, ſolvere tenentur Rectores Beneficiorum, Cappellani perpetui, Canonici obtinentes Cappellanias perpetuas, & ipſum Capitulum pro rata onerum perpetuorum. *ibid.* §. *Atque cohærenter*. *Utenſilia* ſi aliqua Urbis Eccleſia attenta ejus paupertate, nequeat ſubminiſtrare, debet id exponere, ut poſſit ſumi aliqua providentia ad tramites decretorum Urbani VIII. *ibid.* *Utenſilia* eſſe ſolvenda a Cappellano ad rationem ſcutorum quatuor quolibet anno, reſpondit S. Congregatio in *Romana* 10. *Maii* 1727. *ibid.*

UXOR Privigni habetur tanquam Nurus Vitrici, adeoque reputanda eſt tanquam Filia. clxvi. §. *Nec refert*. *T.* 1. *p.* 101. *Uxor* nequit Maritum ad Sæculum revocare, ſi ille Profeſſionem emiſerit, cum ea valida ſit, ſi ipſa Uxor conſenſit, & votum ſimplex continentiæ emiſit, ſive ea ſit ſenex, ſive juvenis. clxxxvi. §. *Ad hoc*. *Uxor* Privigni affinis eſt Vitrico non autem primo, ſed ſecundo affinitatis genere. clxvi. §. *Porro*. *T.* 1. *p.* 99. *Uxor* ſi per metum præſtitit conſenſum Profeſſioni a Marito emiſſæ, & voto continentiæ ſe obſtrinxit, poteſt illum ad Sæculum revocare, & ejus Profeſſio invalida eſt. clxxxvi. §. *Adeoque*. *Uxor* ut poſſit Monaſterium ingredi, ibique profeſſionem emittere poſt conſummatum Matrimonium, debet accedere viri conſenſus liber, & non metu, aut dolo extortus. dlxxviii. §. *Secunda eſt*. *Uxor* repudiata adulterium committit, ſi invito viro ad alia vota tranſeat. dxlvi. §. 14. *E contra*. *Uxor* nequit Monaſterium ingredi, & in eo religioſam profeſſionem poſt conſummatum Matrimonium emittere, niſi viri conſenſus acceſſerit. dlxxviii. §. *Prima eſt*. *Uxorem* teneri habitare in Patria viri, reſpondit S. Congregatio *in Firmana* 22. *Novemb.* 1727. *ad I. Dub.* dlxxvii. *Uxorem* eſſe collocandam in Monaſterio ab Epiſcopo eligendo, & in eo alendam expenſis Patris ex fructibus dotis, reſpondit S. Congr. *ibid. ad III. Dub.*

F I N I S.